

# B. ALBERTI MAGNI

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

OPERA OMNIA

# LOGICÆ PRIMA PARS

**Complectens libros 1 de Prædicabilibus ;**

**1 de decem prædicamentis ;**

**1 de sex principiis ;**

**2 de Interpretatione ;**

**2 de Syllogismo simpliciter, id est, priorum analyticorum.**

# B. ALBERTI MAGNI

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

## OPERA OMNIA,

EX EDITIONE LUGDUNENSI RELIGIOSE CASTIGATA, ET PRO AUCTORITATIBUS  
AD FIDEM VULGATAE VERSIONIS ACCURATIORUMQUE  
PATRICOLOLE TEXTUUM REVOCATA, AUCTAQUE B. ALBERTI VITA AC BIBLIOGRAPHIA OPERUM  
A PP. QUÉTIF ET ECHARD EXARATIS, ETIAM REVISA ET LOCUPLETATA

CURA AC LABORE

AUGUSTI BORGNET,

*Sacerdotis, insignis Basilicæ Sancti Remigii Remensis vicarii.*

APPROBATIONIS  
CERTIFICAT DU SACRE CONSEIL  
LIBRET SASK

VOLUMEN PRIMUM



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM  
13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCCXC

CAMPION COLLEGE  
LIBRARY - REGINA



# SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

## LEONI XIII PONT. MAX. OPT.

~~SCOLASTICAT DU SACRE-COEUR  
LEBRET, SASK~~

*Quod dudum erat in votis, Beatissime Pater, en tibi eximium Beati Alberti Magni Ordinis Prædicatorum et Ratisbonensis Episcopi opus demum prœlo subjicitur, opus plane mirandum hujusce Alberti cuius, ut ait editor Lugdunensis prædecessori Tuo felicis memoriae Innocentio X omnia Doctoris opera offerens, doctrina prodigo fuit, virtus miraculo, fama tantæ admirationi, ut, etiam dum viveret, Magni sibi nomen apud magnos invenerit : quem in humanis scientiis nihil, in divinis pauca fugisse creditum est ; qui verbo et opere potens, Ecclesiam Dei illuminavit ; qui de cœlo doctus, Paulum habuit præceptorem, Thomam discipulum, Ecclesiam suæ virtutis et eruditionis theatrum ; qui, ne omnia hic aggeram, tanto in pretio a Tuis decessoribus habitus est, ut Legatus Apostolicus in Sarmatiam missus, prædictor Crucis per Germaniam et Bohemiam datus, ab Alexandro IV sacri Palatii Magister creatus, Ratisbonensi Episcopatui, licet tam invitus quam meritus, ab Urbano IV præfectus, a Gregorio X ad concilium Lugdunense inter præcipuos patres vocatus fuerit ; vitaque functus, summae sapientiae elogia solidæque sanctitatis cum D. Thoma a Pio II divinosque honores in Ecclesia Ratisbonensi, Coloniensi, Laringensi, et in Ordine Prædicatorum in Germania ab Innocentio XIII, Gregorio XV, et Urbano VIII promeruerit.*

*Talis ac tanti Scriptoris novam hanc editionem, pro viribus et in quantum humana sinit infirmitas innumeris quasi mendis castigatam, Tibi, utpote philosophorum et theologorum instauratori studiorum offero. Ipse enim Albertus*

*doctrinam suam non tam suam cœstimans, nisi quam Christi  
Vicarius in terris firmaverit, suumque esse negans nisi quod  
suum Ecclesiæ caput agnoverit: ipse, inquam, Albertus Tuus  
esse prius optat quam nasci, et veluti genuinus Ecclesiæ lu-  
cisque filius nisi in lumine Tuo, Beatissime Pater, lumen  
recusat aspicere: tum enim hac ratione iterum probatus,  
nemini statim non probabitur, nulliusque pertimescens spon-  
giam, sua se satis dignitate tuebitur.*

*Deus interim Tuam Beatitudinem servet in columnen, feli-  
cesque diu annos ad Reipublicæ Christianæ felicitatem ac  
dignitatem largiatur, dum laborem suum satis difficilem ac  
arduum benigne suscipias exorat*

Tuæ Beatitudinis

Humillimus atque Obsequentissimus filius,

*Lutetiae Parisiorum, 3 Octobris 1889.*

L. VIVÈS

# LEO P. P. XIII

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod Opera B. Alberti Magni instituisti de integro edere, susceptus tibi quidem labor est non exiguus, sed fructuosus, opinamus, futurus. Quamquam enim post Alberti aetatem incrementa cuivis scientiarum generi complura attulit dies, ejus tamen vis et copia doctrinæ, quæ Thomam aluit Aquinatem, et æqualibus eorum temporum miraculo fuit, non potest vetustate ulla consene-scere. Utique videntur hodie nimis multi ponere ingenii laudem in fastidio antiquitatis : sed omnino illa est philosophandi ratio optima, exquirere meditando nova, unaque simul sapientiam veterum non relinquere.

Igitur laboriosa maximi viri volumina, quæ fient jam industria tua notiora, spargere multo latius magnitudinem luminis sui posse confidimus, eorum nominatim commodo, qui in divinarum rerum humanarumve scientia diligentius elaborent. Cum vero tua ista editio auspicio satis bono in lucem tibi proditura videatur, si Nostro inscribatur nomine, Nobisque dedicetur, id quidem fieri non modo non recusamus, sed etiam gratum habemus : maxime quia Noster in Doctorem Angelicum amor vetus, ab amore magistri ejus non est disjunctus.

Tibi interim, dilecte fili, cœlestium munerum auspicem Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die X Decembris An. MDCCCLXXXIX,  
Pontificatus Nostri duodecimo.

LEO P. P. XIII.

Dilecto Filio  
Ludovico Vivès  
Lutetiam Parisiorum.



# B. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORUM,

## VITA,

*Cui adjicitur Operum omnium bibliographia critica.*

B. Albertus Magnus sic vulgo dictus clarissimum fuit sæculo XIII Ecclesiæ totius et Ordinis lumen, cuius tamen vitam tot fabulis dehonestarunt et contaminarunt nostrates et extranei, ut gestorum ejus chronologiam visum fuerit prius simpliciter exponere, quibus postea annotationes nostras subjiciemus, fabulas explodendo, et rei veritatem ex auctoribus æqualibus saltem certioribus statuendo et confirmando.

Urbs est Thuringiæ clara, Lavinga Latinis, *Laugingen* incolis vernacule dicta, ad Danubii ripam sita vix una leuca supra Dilingam, Ulmam vero inter in occasum, Vertamque sive Donavertam media in ditione ducis Neoburgensis ; ibi natus est Albertus anno MCXCIII forte sub finem ex illustri et antiqua regulorum Bolostratensium sive Bolstatensium stirpe. <sup>1</sup> Aptissimum disciplinis omnibus a natura sortitus ingenium, mirum illud excoluit tum sub cura parentum in patria, <sup>3</sup> tum in Gallia Parisiis, <sup>4</sup> tum in Italia Patavii avunculo ubique comite. In hac postrema urbe degebatur omnigenis scientiis philosophicis, mathematicis, etiam medicinæ apprime institutus, <sup>5</sup> cum eo advenit Beatissimus vir Jordanus

magister Ordinis ab institutore Dominico secundus, cuius verbis excitatus, et adversus non perseverandi formidinem confortatus, ab eodem receptus est et Ordini cooptatus ac veste donatus anno MCCXXII, vel ut verius crediderim MCCXXIII aetatis annorum XXIX, certe nondum XXX expleto. Ex more tum apud nos servato ibidem, scilicet <sup>6</sup> Patavii, vel Bononiæ quibusdam annis theologiæ operam dedisse conjicio. Exinde jubentibus superioribus in patriam redux ad scholarum regimen applicatus est, ac Hildeshemii, Friburgi Brisgoiae, Ratisbonæ, Argentinæ, Coloniæ philosophiam ac theologiam tandem e superiore loco docuit, quo tempore <sup>7</sup> F. Thomam Cantimpratanum inter discipulos habuit. <sup>8</sup> Inter hos etiam annos Parisios ad gymnasium Sanjacobeum in theologia perficiendum missum fuisse autumo, nam cum ex singulis provinciis tres quorum major spes erat quotannis eo mitterentur, an Albertum tantis ingenii dotibus eminentem Teutonia neglexisset? Jam inde Coloniam redierat, et a pluribus annis studium Coloniense regebat, cum anno MCCXLIV juvenis F. Thomas de Aquino eo advenit a magistro Ordinis iv F. Joanne Teutonico ductus, ac sub tanti viri disciplina erudiendus. <sup>9</sup> Anno MCCXLV ex ordinatione seu magistri Ordinis seu capituli generalis Coloniæ celebrati, Albertus Parisios missus est ad gradus promovendus, et scholam nostram Sanjacobeam pro rata extraneorum recturus, ac triennium solitum magisterii egit ibidem eumdem Aquinatem inter auditores habens. Anno MCCXLVIII solemni illi sententiæ, quam de comburendis libris Talmudicis Odo cardinalis Tusculanus de Castro Radulphi in Francia tum legatus pronuntiavit maii XV adfuit inter magistros theologiæ vocatos et ipse consultor electus. <sup>10</sup> Sub finem ejusdem anni cum suo Aquinate Coloniam rediit, primarium lectorem ac studii generalis eo anno in comitiis Ordinis Lutetiæ coactis erecti regentem acturus. Eodem anno, stylo veteri Gallico, novo MCCXLIX, Wilielmum Hollandum recens Aquisgrani coronatum Cæsarem Colonia transeuntem, ut festum Epiphaniæ seu trium Regum ibidem solemnissi-

mum ageret, invisit, et qua erat apud eum seu ob natales, seu ob ingentem eruditionis famam existimatione <sup>11</sup> ab eodem visitatus est. Eumdem <sup>12</sup> Cæsarem Ultrajectum petentem comitatus est, et ab eo cœnobium Ordinis in illa civitate erigendum obtinuit. <sup>13</sup> Anno MCCLIV in comitiis Teutoniae provincialibus Wormatii habitis priorem provincialem electum ferunt. <sup>14</sup> Anno sequenti Romam a Summo Pontifice vocatus qui Willielmo de Sancto-amore magistrisque Parisiensibus ejus assecisis, nostros a consortio Universitatis ut et Minoritas excludere satagentibus responderet, se contulit, eorum objecta singula solidissime resolvit, <sup>15</sup> tumque publice S. Joannis evangelium exposuit petente pontifice cum universo cardinalium cœtu, qua ratione <sup>16</sup> Magistrum sacri palati saltem per annum egisse quidam et ut mihi quidem videtur verissimillime asserunt. Contendentibus tamen obstinatus toto fere anno MCCLVI magistris Parisiensibus, Albertus relicto pro causa defendenda nostro Aquinate, qui Romam eo anno advenerat, videtur in Teutoniam muneris sui exercendi causa rediisse. <sup>17</sup> Anno MCCLIX comitiis Ordinis quæ Valencenis habita sunt adfuit, et cum quatuor nostris sacræ facultatis Parisensis magistris ad id a capitulo delegatis, F. F. Bonohomine Britone, Florentio Gallico, Thoma de Aquino et Petro de Tarentasia, leges in studiis generalibus servandas tulit ac edixit. In eodem capitulo missionem ab onere provincialatus obtinuit, suamque Coloniam repetens, antiquum regentis ac primi lectoris munus resumpsit. Eo tranquillus, nec majora affectans fungebatur, cum <sup>18</sup> anno MCCLX oblata est ei ab Alexandro IV infula Ratisbonensis. <sup>19</sup> Hanc non solum suasu magistri Ordinis F. Humberti, sed et ex innata humilitate quantum in ipso fuit detrectabat, at quantumvis renitens jubente pontifice induere coactus est : quam tamen Ecclesiam ubi duobus circiter annis integerrime sanctissimeque rexisset, tumultuum bellicorum quibus episcopi Germani involvuntur pertæsus, suavissimique sui quondam musei memor, pedum pastorale inter manus Urbani IV resignavit, suamque Coloniensem in cellam secessit, scholæ

nostræ regendæ scribendisque libris totus deinceps deditus. Cum hoc voluit archiepiscopus Coloniensis apud quem summo in honore habebatur, ut in sua dioecesi ubicumque rogatus esset,<sup>20</sup> in pontificalibus celebraret, et spiritualia pontificis munia exerceret, quod et idem quandoque ab eo petierunt Argentinensis et Basileensis episcopi : hinc tot templa et altaria in his dioecesibus memorantur ab eo consecrata, tot ordines celebrati, tot reliquiæ Sanctorum recognitæ et venerationi fidelium solemni ritu expositæ.<sup>21</sup> Concilio Lugdunensi II affuisse quidam narrant anno MCCLXXIV, quod nec incredibile, licet octogesimum ætatis jam superasset, cum et ferant<sup>22</sup> anno circiter MCCLXXVII iter Gallicum et Parisios usque suscepisse, quo SS. sui discipuli Thomæ de Aquino doctrinam a quibusdam impugnatam in concessu sacrae facultatis sartam tectam tueretur.<sup>23</sup> Tribus circiter ante mortem annis memoriæ lapsum incurriſſe dicitur quoad scientias, ita tamen ut quoad divina ac regularia sui semper compos, et sodalium exemplum ad ultimum usque spiritum extiterit. Obiit xv nov. MCCLXXX ætatis LCCCVII, fuitque in Odeo sepultus ad manus altare. Hæc nunc ad incudem revocanda, et fabulis explosis quæ certa sunt ex antiquis documentis statuenda et illustranda<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> In tomo I Editionis Lugdunensis R. P. Petrus Jammy edidit *Epitome Vitæ B. Alberti Magni ex gravissimis auctoribus excerpta*, sed, patentibus omnibus, multa et etiam fabulosa admisit. Nos autem doctorum virorum judicio annuentes, huic nostræ editioni præmisimus tum pro vita Alberti Magni tum pro notitia omnium Operum tam editorum quam adhuc manuscriptorum partem operis illius eximii cui titulus : *Scriptores ordinis Prædicatorum recensiti, notisque historicis et criticis illustrati, opus quo singulorum vita præclareque gesta referuntur, fabulæ exploduntur, scripta genuina, dubia, supposititia expenduntur; recentiorum de iis judicium aut probatur aut emendatur; codices manuscripti variaeque e typis editiones, et ubi habeantur, indicantur, etc., etc.; opus quod inchoavit R. P. Jacobus Quetif et absolvit R. P. Jacobus Echard.* Lutetiae Parisiorum, 1719, 2 in-fol. Quædam tamen, ut par erat, emendare ac complere volumus ex opere doctoris Joach. Sighart : *Albert le Grand, sa vie et sa science d'après les documents originaux.* Paris, V<sup>e</sup> Poussielgue-Rusand, 1862, in-12. (A. Borgnet).

*Natus est Albertus anno MCXCIII.* Id constat ex anno ætatis quo mortuus est, Christi MCCLXXX, quo tum annorum LXXXVII fuisse omnes asserunt, Tritemius, Malvenda ad annum 1222, cap. 15, p. 413 : Joannes Henricus Heister in suffraganeorum Coloniensium syntagmate edito Coloniae 1641 in-8, ubi Alberti nostri ætatem et acta varios in annos digesta melioribus conjecturis ad legitimam satis chronologiam revocat : Petrus noster de Prussia, qui circa annum 1487 vitam Alberti scripsit, anno etsi 1621 tantum editam in-8, legendus cap. 45, p. 330 : et ante hos omnes Ludovicus a Valletoleti in sua auctorum nostrorum Tabula, quam anno 1413 Parisiis scribebat. Hinc tum ipse Valletoletanus, tum Petrus de Prussia et alii emendandi, cum visionem B. Virginis Alberto sextum decimum tantum annum agenti factam referunt, qua sic eum monebat : *Alberte, mundum fuge, Prædicatorum Ordinem ingredere etc.* Nam 23 ætatis jam attigerat, priusquam Ordo stabiliretur et confirmaretur : ad posteriores igitur annos prolatanda hæc si fuit visio.

Nota 1

*Aptissimum disciplinis a natura sortitus ingenium.* Id mox evincetur : hinc fabula est a nescio quo inventa, quam Joannes Antonius Flaminius, et ex eo Leander Albertus aliique referunt Albertum non acri admodum ingenio in adolescentia sua fuisse : quapropter primis illis mensibus post amplexum Ordinem, cum hebes ingenio esset, et sodalibus inferior haberetur, de deserendo cœnobio abjiciendaque veste cogitasse, sed cœlesti somnio a proposito deterritum, spondente ei Deipara egregium deinceps futurum philosophum : cuius visionis vel somnii nulla apud antiquos memoria.

Nota 2

*Tum in Gallia Parisiis.* Sic Heisterus citatus verisimili satis conjectura, cum ad eam urbem regiam undique confluenterent non solum Galli, sed et extranei præsertim Teutones, qui litteras avidius sectabantur, et in illis excellere cupiebant. Sic Henrici duo Colonienses, sic Albertus comitis Falkenbergensis filius, sic ipse Jordanus et alii qui Ordini postea nomen dederunt.

Nota 3

*Tum in Italia Patavii.* De Patavio sic ipse Albertus de *Natura locorum*, Tract. 3, cap. 2. « Patavium quæ nunc Padua vocatur, in qua multo tempore viguit « studium litterarum. » In ea urbe fuisse et experimenta quædam fecisse probat quod refert *Meteor.* Lib. 3, Tract. 2, c. 12. « Ego autem vidi in Padua civitate « Lombardiæ, quod puteus ab antiquo tempore clausus inventus fuit, qui cum « aperiretur, et quidam intraret ad purgandum puteum, mortuus fuit ex vapore « cavernæ illius, et similiter mortuus est secundus : et tertius qui voluit scire « quare duo moras agerent, inclinatus ad puteum adeo debilitatus est, quod spa- « tio duorum dierum vix rediit ad seipsum : cum autem expirasset vapor putre- « factus in puteo, factus est bonus et potabilis. » Quæ juvenem non solum Patavii commorantem, sed et experimenta annotantem, ac proinde jam alicujus ætatis

Nota 4

supra adolescentiam ostendunt. Clarius adhuc est quod habet de *Mineralibus*, lib. 2, t. 3, c. 1. « Volo autem nrarre primo quæ vidi et expertus sum ego ipse, et « postea ostendere causam et modum per quem a natura efficitur imago, etc. « Dico igitur quod me essente Venetiis, cum essem juvenis, incidebantur mar- « mora per serras ad parietes templi ornandos : contigit autem in uno marmore « jam inciso tabulis incisis sibi invicem applicatis apparere depictum caput « pulcherrimum regis cum corona et longa barba : neque in aliquo peccare vi- « debatur pictura, nisi in hoc solo, quod frontem videbatur in medio habere « nimis altam ascendentem versus verticem capitum. Scivimus autem omnes « qui aderamus, hoc a natura fuisse pictum in lapide. Et cum a me quære- « retur causa inordinationis frontis, dixi lapidem illum ex vapore fuisse « coagulatum, et in medio per calorem fortiorem vaporem inordinate ascen- « disse ultra modum. Fuit autem pictura ejusdem coloris cum lapide. » Quod antequam Ordini nomen daret evenisse verisimilius, cum ut mox dice- tur tum jam esset 29 annorum, ex quo evincitur juvenem et adhuc in sæculo detentum in rebus physisis fuisse eruditum, iisque scrutandis maxime dedi- tum : quibus evertitur illa fabula de ingenio hebeti Alberti cum Ordini nomen dedit, et de consilio vestis propterea abjiciendæ ab eo suscepto. Nota etiam hic insignis basilicæ Venetæ anno MCLXX a duce Zeno inchoatæ parietibus mar- more ornandis juvene Alberto fuisse laboratum.

Nota 5

*Cum eo advenit Jordanus magister Ordinis.* Certum e manibus Jordani vestem accepisse. Jordanus autem anno tantum MCCXX die cinerum Ordini cooptatus affuit quidem primo capitulo S. Dominici Bononiæ, sed tum non prædicavit. Anno sequenti MCCXXI capitulo secundo ibidem a S. Dominico coacto non ade- rat, in eo tamen absens et agens Parisiis provinciæ Lombardiae institutus est prior provincialis, et cum muneric adimplendi causa Italiam ingressus est, jam mortuus erat Dominicus VIII idus aug. Fateor Jordanum inter Augustum MCCXXI et Pentecosten sequentem Albertum ad Ordinem adducere potuisse : verum cum vulgo id Jordano jam Ordinis magistro ascribatur, et ad eam præfecturam tan- tum assumptus fuerit in comitiis Ordinis Parisiis ad Pentecostem MCCXXII ce- lebratis, vel anno illo solum, modo ante finem anni Italiam repetierit, nec diu- tius ordinandis Galliæ rebus in ea hæserit, vel anno MCCXXIII, quo Bononiam ad capitolum generale accedere tenebatur id præstiterit. Ex quibus constat Al- bertum anno MCXCIII natum nonnisi ætatis XXIX, vel ad summum XXVII completo, Ordini nomen dedisse, qua certe ætate homines sunt quidquid erunt.

In vitis Fratrum locus est, quem vulgo de Alberto interpretantur, qui sic habet (P. IV, cap. 10) : « Frater quidam famæ eximiæ et excellentis status et « scientiæ magnus in philosophia, cum adhuc juvenculus Paduæ studeret, ex « admonitionibus Fratrum et maxime ex prædicationibus magistri Jordani « habebat voluntatem intrandi Ordinem Prædicatorum, sed non plenam : « avunculus enim ejus contradicebat illi, unde et jurare ipsum compulit ne « infra tantum tempus iret ad domum FF. Prædicatorum. Post quod trans- « actum veniebat frequenter ad Fratres eosdem, firmabatque propositum, sed « timor ne exiret faciebat cum vacillare multoties. Quadam autem nocte vidit

« in somnis quod intrasset Ordinem, postmodumque exivisset: evigilans ergo mirabiliter gavisus est, eo quod non intraverat, in animo suo dicens: Nunc video quia id quod timebam inde eveniret si unquam intrarem. Contigit autem eodem die eum interesse sermoni magistri Jordani, qui inter cætera loquens de temptationibus diaboli, dixit quam subtiliter descipiat aliquos. Sunt enim, ait, aliqui qui relinquere mundum proponunt et ordinem intrare, sed diabolus eis impressiones facit in somnis quod intrant et postea exeunt equitantes in rubeis vestibus, vel se solos relictos inveniant, ut sic scilicet eis incutiat timorem intrandi, quasi perseverare non possent. Tunc juvenis miratus vehementer post sermonem magistrum accessit et ait: Magister, quis revelavit cor meum vobis, exposuitque ei omnes suas cogitationes et somnium. Magister autem firma de Doe percepta fiducia, multis modis confortavit eum contra hujusmodi tentationes. Ille autem ad verba ejus ex toto conversus, et omnem modum rescindens Ordinem intravit. Hæc autem omnia ipse Frater enarravit. »

Ex ea narratione infert Petrus de Prussia Albertum juvenculum Ordini cooptatum, quod et confirmat ex ejusdem oratione in evangelium Septuagesimæ, in qua sic loquitur: *Dñe Jesu Christe, summe paterfamilias, qui me primo mane in vineam tuam vocasti, dum me a juventute mea ad laborandum in religione pro denario vitæ æternæ conduxisti, etc.* Verum ut sit, ipse Petrus de Prussia qui ponit Albertum mortuum ætatis LXXXVII, et a Jordano ad Ordinem ascitum, cogitur ut et nos agnosceremus ætatis XXIX veste indutum. Nec vero mirum præsertim in gymnasiis in quibus sunt venerandi senes, sodales qui nondum trigesimum compleverunt, juvenes imo et juvenculos appellari.

*Patavii vel Bononiæ quibusdam annis theologiæ operam dedit.* Conjectura nostra est ex more Ordinis sumpta. Cum enim jam esset in philosophia excellens Albertus, ut theologiæ incumberet ipsi supererat. Quod si quis velit Coloniæ potius eam audiisse, facilis non contendam.

Nota 6

*Thomam Cantimpratanum inter discipulos.* Ipse Thomas de Apibus, lib. 2, cap. 57, § 550, se multo tempore Alberti auditorem fuisse gloriatur. Cum autem Thomas Ordinem intraverit circa MCCXXXII, annis sequentibus id accidisse verius, certe priusquam juvenis Thomas de Aquino Coloniam deduceretur.

Nota 7

*Inter hos etiam annos Parisios.* Præter rationem allatam id mihi persuadet, quod idem Cantimpratanus refert eodem cap. § 34, his verbis: « Simili prope modo magister Albertus Theologus Frater ordinis Prædicatorum narravit mihi, quod Parisiis illi demum in specie cujusdam fratris apparuit, ut eum a studio revocaret, sed mox crucis virtute discessit ». Cum enim hæc difficillime intelligas de annis quibus Magisterium capessebat, jam enim tum erat emeritus, annos 52 natus, nec tam studebat quam studiorum uberrimos fructus depromebat, facilius referes ad priores annos MCCXXX puta vel MCCXXXII,

Nota 8

## XVI

quibus totus studiis incumbebat. Mirabitur forsan quis quod non meminerim vicariatus Ordinis, quem dicunt gessisse MCCXXXVI in Terram sanctam transiente Jordano, et ab hujus morte ad comitia Ordinis anno MCCXXXVIII Bononiæ habita, in quibus etiam volunt vocales inter ipsum et Hugonem de Sancto Charo divisos fuisse. An Albertus a Jordano vicarius institutus fuerit ut affirmare sic negare non ausim, cum in monumentis antiquis nihil de eo repererim. A morte Jordani vicarium egisse certus nego, cum hoc jus esset provincialis Lombardiæ juxta constitutiones: divisiones denique illam vocalium Albertum inter et Hugonem veluti meram fabulam expunximus supra ubi de S. Raymundo. Si Albertus capitulo huic Bononiensi affuit, quod mihi non certum, ut diffinitor vel lector pro Teutonia affuit, non alio titulo.

Nota 9

*Anno MCCXLV Parisios missus est ad gradus promovendus.* Quin Albertus inter magistros Parisienses cooptatus fuerit, dubitari nequit, cum de se ipse sic testetur (*Mineral. lib. 2, tract. 3, cap. 4*) post locum supra citatum: « Post hoc « autem longo tempore cum essem Parisiis de numero doctorum et grege, « contingit advenire ad studium filium regis Castellæ, cuius coqui cum pisces « emerent prænominati nobilis famuli piscem emerunt, qui Latine *Pecchet*, vul- « gariter *Pleis* vocabatur, et erat maximæ quantitatis in illo genere piscis: cum « autem exentaretur piscis, in ventre ejus apparuit concha ostrei maximi, « quam ad me memoratus nobilis fecit causa dilectionis adaptari: concha ergo « illa in concavo sui, quod est planum et politum, habebat figuram trium « serpentum ore elevato optime factorum, ita quod nec figura defuit oculorum, « cum tamen essent valde parvi: exterius autem in convexo quod erat aspe- « rum, habebat multorum, decem videlicet et amplius serpentum simili modo « per omnia opere factorum, nisi quod omnes exteriores nodo quodam in collo « videbantur colligati, capitibus tamen et corporibus separatis: neque fuit ulla « istarum imaginum, quæ non esset perforata foramine ab ore serpentis inci- « piente, et inferius ad caudam serpentis exeunte: et erat foramen ita parvum « quod videbatur filo factum fuisse. Hanc autem concham ego multo tempore « habui, et multis ostendi, et postea eam misi pro munere in Teutonium cui- « dam. » Is princeps haud dubie ex filiis fuit Ferdinandi III regis Castellæ et Legionis, qui ab anno MCCXVII ad MCCLII regnavit. Si annus quo princeps ille Parisios advenit sciretur, et tempus certo sciretur quo Albertus magisterium sacræ facultatis Parisiensis capessivit. Jacobus seu Diegus de Castejon y Fonseca in sua Pramatia Toletana (T. II, p. 557) narrat Joannem IV, aliis II, archiepiscopum Toletanum anno MCCXLV Lugdunum ad Synodum I generalem ab Innocentio IV celebratam venisse, ac ea finita Parisios usque excurrisse, ut regis Ferdinandi infantes duos Philippum et Sancium Ecclesiæ dictæ Toletanæ ambos canonicos in universitate Parisiensi studentes inviseret. Haec autem omnino convenient tum cum narratione Alberti, tum cum iis quæ scimus de annis quibus magisterii tempus Parisiis Albertus perficiebat. Verum illud etiam aliunde expiscari licet, nempe ex sententia jam indicata Odonis cardinalis de Castro Radulphi adversus libros Talmudicos XV maii MCCXLVIII lata: sed duo prius statuenda paucis cognita et tamen scitu necessaria.

Primum est ex quo universitati Parisiensi Ordo (scilicet Prædicatorum) aggregatus est, hanc legem inviolate in gymnasio Sanjacobeo fuisse observatam, ut baccalaurei et licenciati alternatim ex aliis provinciis et ex provincia Franciæ assumerentur: cum ex aliis provinciis extraneum, cum ex provincia Franciæ intraneum vocabant. Evidem F. Joannes Aegidius Anglus, qui jam sacræ theologiæ magister laureatus Ordinem amplexus est anno MCCXXVIII, primus docuit salvo jure et ex necessitate, nam scholæ theologicæ magistrum præesse necesse erat: sub eo autem F. Rolandus Cremonensis e provincia Lombardiæ primus baccalaureus et licenciatus fuit. Sub Rolando magisterii laurea donato F. Hugo de Sancto-Charo vel de Sancto Theudario e provincia Franciæ promotus est et Sententias legit, ac sic deinceps alternatim e provinciis externis, et e Francia. Sic cum ingentes illæ adversus nostros a Gulielmo de Sanctoamore excitatæ sunt commotiones, F. Bonushomo Brito e Francia primam, F. Elias Bruneti Petragoricensis e provincia Provinciæ secundam scholam nostram una regebant. Quæ alternatio ita constanter servata fuit, ut cum aliquando nempe anno MCCCXVI capitulum generale Monspeliense eam interrumpere tentasset, sub gravioribus pœnis jubens, ut non habita ratione alternativæ sed solius antiquitatis baccalaurei promoverentur, tantus exinde tumultus excitatus est ut in comitiis Ordinis sequentibus Pampilonæ MCCCXVII omnia in integrum restituere necesse fuerit. Sic enim in actus ejus capituli legitur: *Item ordinamus quod in bachelariis Parisiensibus ordinarie præsentatis alternatio de intraneo (id est, de provincia Franciæ) et extraneo (id est, de aliis provinciis) inviolabiliter observetur secundum consuetudinem communiter in Ordine approbatam et hactenus observatam, et super hoc nulla alia licentia expectetur.* Ubi quod ait, *hactenus observatam*, indicat ab initio viguisse ac usu inolevisse. Eæque sunt quæ tum in capp. genn. tum in magistrorum Ordinis diplomatis duæ scholæ magnæ dicuntur, quibus ineunte sæc. xv duæ scholæ parvæ additæ sunt Franciæ speciatim addictæ, ac deinde etiam quinta, sed de duabus primis tantum hic agimus.

Alterum maxime notandum est qua ratione nostri sæculo XIII et sequenti Parisiis ad magisterium promoverentur. Multi enim historici, cum videant posteriori hoc sæculo, ut quis sacræ theologiæ magister evadat, nihil amplius desiderari, quam ut agonès quosdam scholasticos, seu actus ut vocant, certo quodam annorum spatio sustineat, quibus expletis rude donatur et laurea, etiam si nullam e cathedra lectionem vel dederit unquam vel datus sit: ex his vero quosdam selectos ubi cathedram in gymnasio aliquo theologicam semel consecuti fuerint, ea ut beneficio quodam ad vitam potiri, et in eadem perpetuo si voluerint docere, res eodem modo se habuisse olim arbitrantur, cum maximum intersit discrimin. Sæculo itaque XIII statutum hoc erat in universitate Parisiensi, *ne quis bachelarius in theologica facultate promoveretur ad cathedram (id est, ne magister fieret) nisi prius seipsum examinasset, saltem aliquot libros glossatos et Sententias in scholis alicujus magistri actu regentis diligenter legendos.* Videsis Boulæum (Hist. Univ. T. III, p. 245) qui id refert renovatum anno MCCLI mense febr. *cum alias inter doctores theologicos tractatum suisset et concorditer inhibitum.* Et inter statuta facultatis theologicæ ab antiquo

## XVIII

observata, et sæculo xiv collecta, quæque videre licet cod. ms 645 Bibl. S. Germani a Pratis et Spicil. Dacher. (T. VI, p. 582) hoc legitur: *Item nota quod bachelarii in theologia qui debent legere Sententias, debent facere principia sua* (id est, præludia ad quatuor Sententiarum libros) *infra festum exaltationis S. Crucis et festum B. Dionysii, etc.* Et postea: *Nota quod illi qui volunt legere cursus suos in theologia, debent facere in quolibet libro unum principium solemniter in aliquibus scholis.* Quæ collecta dico sæc. xiv, quia in calendario universitatis iisdem statutis adjuncto præscribitur festum S. Thomæ de Aquino solemniter celebrandum. Ex his autem habetur et omni scholæ semper aliquem theologiae magistrum præfuisse, et nullum baccalaureum iis sæculis ad magisterium promotum qui Sententias antea in schola alicujus magistri publice non legisset.

Hoc autem magisterii stadium apud nostros triennio concludebatur. Primo anno baccalaureus vel a capitulo generali vel a magistro Ordinis nominatus Sententias in schola alicujus magistri legebat. In fine anni prior Parisiensis cum magistris actu legentibus baccalaureum illum cancellario offerebat, affirmantibus illis etiam sub sacramento se credere dignum illum esse, qui licentiam id est facultatem docendi ut magister acciperet. Servatis servandis examinibus publicis et aliis, licentiatus ille principium solemnne habebat in aula episcopali, cui magistri omnes aderant, unde id dicebant aulam suam habere, vel conventum in theologia recipere, laureaque donatus secundo illo anno ut magister in schola tunc sua Sententias legere pergebat: tertio anno regebat adhuc scholam, quæstiones quasdam pro libito tractando, disputationes generales habendo, vel de quodlibet respondendo, unaque baccalaureum in schola sua habebat sub suo ductu Sententias legentem, cui in fine anni testimonium reddebat, ut ipsi alias redditum fuerat, eumque licentiandum præsentabat, ut et ipse alias a magistro suo præsentatus fuerat. Hoc autem triennio totum magisterii stadium absolutum fuisse præsertim in extraneis, id est in iis qui ex aliis provinciis Parisiis assignabantur, evinco ex iis quæ referunt historici tum de F. Rolando Cremonensi, qui cum anno MCCXXVIII incepisset sub F. Joanne Ægidio, anno MCCXXXI cursum expleverat, et Tolosam ad regendum studium missus est: tum de S. Thoma de Aquino, cuius triennium magisterii pluries memorat Tholomæus de Lucca, tum ex actis capp. genn. in quibus nil amplius desideratur. Cum vero plura ad istud triennium magisterii præparatoria requirerent in intraneis statuta facultatis, ut quod aliquos scripturæ sacræ libros exposuissent, et tot agones publicos sustinuissent, hinc conjicio illis extraneis facultatem in rem numerasse actaque in studiis solemnibus suarum Provinciarum perfecerant; adde quod hi extranei alias in gymnasio Sanjacobeo plerique assignati fuerunt ad proficiendum, ut jam monuimus de Alberto, et his prioribus annis agones academicos plures haud dubie exantlarunt. Vix necesse est ut moneam lectionem illam Sententiarum ad quam illis sæculis tenebantur, non ita accipiendam, quasi ex quaternione scripta sua auditoribus legerent, ut nunc fit, ac dictarent, quod non nisi a reformatione Tuttavillæana anni MCCCCLII indultum est ac permisum: alias plane veterum illorum mos fuit, qui lectiones suas summo studio prius compositas memoriter proferebant, ac ea ratione qua sermones dicuntur, quasi nullus scripto exciperet, quas ta-

men quidam auditorum celeri ad scribendum manu pollentes excipiebant, quæ dicebantur reportata vel reportationes, quales plures a me visæ sunt inter codd. MSS Sorbonæ. Hinc quam instructum eum esse omni ex parte opporteret, qui Sententias Parisiis legendas suscipiebat rectus rerum æstimator perpendat, proptereaque ad id munus implendum non nominabantur nisi jam longo tempore exercitati, quique alibi pluribus jam annis cum laude eaque non mediocri docuissent.

His ita præstitutis, ad Albertum Magnum redeo, quem anno MCCXLV Parisios missum ad legendum pro forma et gradu, ut aiunt, propugno ex invictis his testimonis. Primum est nostri Cantimpratani, qui ex primis ejus in Germania discipulis fuit. Ille enim lib. I Apum, cap. 20, § 10, sic habet de juvene F. Thoma de Aquino: « Coloniam Agrippinam venit, studuitque in loco illo, « quousque præclarus lector Fratum ibidem F. Albertus Parisios translatus est, « et pro incomparabili scientia theologiæ cathedralm sortitus est. » Ex quibus certissime constat Albertum cathedralm Parisiensem non prius ascendisse, quam Coloniam venerit ac aliquamdiu ibidem studuerit juvenis Aquinas: cum igitur iste eo tantum sub finem anni MCCXLIV pervenerit, ante MCCXLV Albertum Parisiis non docuisse pro comperto habendum est. Quod autem anno MCCXLV, vel a capitulo generali Coloniæ tum ad Pentecosten Junii iv celebrato, vel a magistro Ordinis F. Joanne Teutonico Parisios missus fuerit ad legendum, colligo ex sententia MCCXLVIII maii xv ab Odone cardinali legato adversus libros Talmudicos lata, quam hic mox integrum dabimus.

In ea enim eorum omnium nomina referuntur, quorum consilio in ea ferenda legatus usus est: inter magistros autem theologiæ hi tres ex ordine Prædicatorum recensentur hac serie, F. Joannes Punginsasinum, F. Albertus Teutonicus, F. Stephanus Autossiodorensis. Quod inducat hos tres solos tum fuisse magistros præsentes in gymnasio Sanjacobeo, scholasque nostras rexisse: nam si alii magistri adfuissent, illi procul dubio ad concilium advocati fuissent, cum alii non magistri, sed boni viri dicti acciti fuerint, ut F. Joannes de Montemirabili, olim archidiaconus magnus Parisiensis, tum autem nostris adscriptus, F. Henricus Teutonicus concionator ea ætate celebris, et sancto regi Ludovico in primis acceptus, et alii. Igitur ex legibus tum ut præmonuimus servatis, dicendum F. Stephanum Autissiodorensem intraneum ex Francia in secundo suo anno lectionis Sententiarum fuisse utpote magistrum: Albertum Magnum Teutonicum extraneum fuisse in tertio suo anno, scilicet F. Stephano antiquorem, nam tum quolibet anno unus tantum licentiabatur, ut ita loquar, ac proinde jam ab anno MCCXLV Sententias ut baccalaureum legere incepisse, ut anno MCCXLVI magister fieret, et anno MCCXLVII in instauratione scholarum pro tertio anno docere pergeret, et Sententias legentem sub suo ductu baccalaureum haberet. Non procul abest a dictis Egassius Boulæus (Hist. univ. Paris. T. III, p. 162): ibi enim postquam opinionem quorundam retulit Albertum anno MCCXXXVI Parisiis docuisse ac per tres annos (nota triennium magisterii) munus illud exercuisse volentium, id continuo emendat ex Cantimpratani loco a nobis laudato, et anno tantum MCCXLVII laurea donatum astruit: ad hos igitur annos triennium magisterii Alberti revocandum est, quod nec

aliter ac fecimus numerari potest. Consentit Petrus de Prussia ex eodem Cantimpratani loco Albertum non prius Parisiensem cathedram ascendisse contestatus, quam Coloniam juvenis Thomas de Aquino adductus fuit, quem secum Albertus duxit Lutetiam, non existimo necessarium monendum fabulam esse a quibusdam decantatam et a nescio quo inventam, tanto auditorum concurso libros Sententiarum exposuisse Albertum, ut cum discipulos schola non caperet, in platea publica docere compulsus sit, quæ ob id magistri Alberti platea (*vernacule, la place Maubert*) etiamnum hodie nuncupatur: civibus enim Parisiensibus omnibus notum plateam illam sic dictam ab antiquo feodo Maubert, in quo sita est, quod et jam noster Natalis Alexandre in sua Hist. Eccles. notavit: amplissimas autem apud nostros Sanjacobeos fuisse scholas, quæque illis apud universitatem invidiam crearunt, ex archivis conventus habetur, quas anno MCCCLVIII pro urbe claudenda destructas fuisse narrat continuator Nangii: « Eodem anno, *inquit*, fuerunt destructa hospitia et domus « quas FF. Prædicatores habebant extra muros Parisienses. Nam Prædicatores « habebant infirmarias et capellas, notatas aulas, et alias domos honorificas regias « et solemnes, et illi ad domos istas per domos civitatis officiosissime subintrabant, similiter et ad hortos quos foris habebant speciosissimos et amœnos et « non solum domos quas ædificaverant perdiderunt exterius, sed etiam domos « intra mœnia, et illas quæ muris ab infra jungebantur, ut inter ipsorum habita- « taculum et dictos muros aditus fieret atque via, etc. » Inter illas autem aulas notatas, honorificas, regias et solemnes scholæ nostræ intelligendæ, quas ut cœnaculum seu refectorium haud dubie sanctus rex Ludovicus IX erexerat, quæ ingenti auditorum Alberti concursui sufficiebant, ut ei necesse non fuerit in platea docere, quod nec apud ullum antiquorum refertur, nec apud ipsum Valleoletanum, qui anno MCCCCXIII scribebat, ut fabula posterius sit inventa, quam habet Petrus de Prussia anno MCCCCLXXXVII scribens. Sed de his jam diutius, en sententia Odonis cardinalis legati adversus *Thalmud* promissa, quam ex cod. ms Sorbon., cui titulus, *Extractiones de Talmut*, ejus ætatis exhibeo.

« Odo miseratione divina Tusculanensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, « universis præsentes litteras inspecturis salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos Parisiis anno Domini MCCXLVIII idus maii super quibusdam libris Judæorum qui Talmut appellantur, præsentibus magistris Judæorum et ad hoc vocatis, diffinitivam sententiam protulimus in hunc modum.

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

« Exhibitis nobis auctoritate apostolica a magistris Judæorum regni Franciæ quibusdam libris qui Talmut appellantur, quos inspeximus, et « per viros discretos et expertos in talibus Deum timentes, et zelum habentes fidei christianæ fecimus inspici diligenter. Quia eos invenimus errores innumerabiles, abusiones, blasphemias et nefaria continere, quæ pudori referentibus et audientibus sint horrori, in tantum quod prædicti libri secundum Deum sine fidei christianæ injuria tolerari non possunt, de consilio bonorum quos adhoc specialiter duximus evocandos, pronuntiamus prædictos libros tolerandos non esse, nec magistris Judæorum restitui debere, et ipsos sententialiter condemnamus. De aliis vero libris nobis non exhibitis a magistris Judæorum, licet a nobis super hoc pluries fuerint requisiti, vel

« etiam non inspectis plenius cognoscemus loco et tempore, et faciemus quod  
« fuerit faciendum. »

« Nomina autem illorum de quorum consilio prædicta sententia lata fuit,  
« sunt hæc :

- « Venerabilis Pater Willelmus D. G. Parisiensis episcopus.
- « Acelinus abbas sancti Victoris Parisiensis.
- « Radulphus quondam abbas ejusdem loci.
- « Lucas decanus Parisiensis.
- « Et magistri theologiæ, videlicet
- « Magister Galterus cancellarius Parisiensis.
- « Magister Aimericus de Veire canonicus Parisiensis.
- « Magister Willelmus de Cramant.
- « Magister Petrus dictus Archiepiscopus.
- « Magister Radulphus de Montedesiderii.
- « Magister Stephanus archidiaconus Meldensis.
- « Magister Robertus de Coton vel Cocon.
- « Frater Gulielmus de Meliton de ordine Fratrum Minorum.
- « F. Joannes Pungensasinum, F. Albertus Teutonicus, F. Stephanus
- « Autissiodorensis de ordine Fratrum Prædicatorum.
- « Et magistri decretorum, videlicet
- « M. Petrus Ligerii, M. Gaufridus cantor Dauratensis.
- « M. Joannes archidiaconus Trecenensis *lege* Trecensis.
- « M. Philipus archidiaconus Bituricensis.
- « M. Gulielmus de Braio. M. Richardus de Tabulis.
- « M. Girardus de Corion. M. Theobaldus de Divione.
- « M. Henricus canonicus Rhemensis.
- « M. Stephanus de Lorriz. M. Petrus de Vireto.
- « M. Joannes de Sulhiaco. M. Nicolaus de Pondearche.
- « Item alii boni viri,
- « Magister Nicolaus archidiaconus Ecclesiæ Rothomagensis.
- « M. Garinus archidiaconus Ecclesiæ Belvacensis.
- « M. Thomas archidiaconus Bajocensis.
- « M. Hugo archidiaconus Bajocensis.
- « Magister scholarium Andegavens.
- « F. Joannes de Montemirabili. *Hic ut legitur in libro de septem donis ex archidiacono magno Ecclesiæ Parisiensis ordinis Prædicatorum sodalis.*
- « F. Joannes Gardianus Fratrum Minorum.
- « F. Odo de Romaco. F. Reginaldus Carnotensis.
- « F. Henricus Teutonicus.
- « F. Theobaldus de Saxonia.
- « F. Simon Minister S. Maturini Parisius.
- « Quorum sigilla apposita sunt præsentibus una cum nostro in testi-
- « monium hujus rei.
- « Datum anno Domini MCCXLVIII mense maio. »

Ex quibus juxta præmissa concludas hos tres in sacra facultate hoc ordine

## XXII

incepisse, F. Joannem Pungensasinum Parisinum anno MCCXLIV, F. Albertum Teutonicum MCCXLV et F. Stephanum Autissiodorenum MCCXLVI; sic enim omnia constant et conveniunt.

**Nota 10** *Sub finem ejusdem anni Coloniam rediit.* Ut enim anno MCCXLVIII Maii xv Parisiis præsentem Albertum ex mox laudata sententia tenemus, sic versus finem ejusdem anni reducem eum Coloniæ, ac studii theologici regentem non minus certo scimus ex omnium auctorum testimonio, qui de Wilhelmo Hollandiæ comite imperatore electo loquentes, hunc asserunt die Regum sequenti, qui veteri stylo adhuc annus MCCXLVIII numerabatur, novo MCCXLIX, ad Albertini magni Coloniæ regentis cellam venisse. Ubi graviter impegit ac castigandus venit alias sat accuratus Brietius in Annalibus, illud Imperatoris cum Alberto colloquium ad annum præcedentem referens ob non attentum eo loco styli veteris ac novi discrimen. Quod ut ob oculos ponam, en rerum se- riem. Henricus thuringus Imperator mense Martio MCCXLVI veteri stylo, novo MCCXLVII moritur. Octob. iii sequenti ei sufficitur Wilhelmus Hollandus, qui annum sequentem MCCXLVIII fere totum in Aquisgrani obsidione insu- mit, eo potitus Novemb. i ibidem coronatur. Hinc in Hollandiam pergens Colo- nia iter facit, festumque trium Regum hujus civitatis patronorum in ea cele- brat, ac Albertum invitat, qui dies adhuc ut norunt omnes stylo veteri MCCXLVIII numerabatur, novo MCCXLIX dicendus est. Videsis Vincentium Bellovacensem æqualem et Odoricum Raynaldum ad an. 1248, n. 14.

**Nota 11** *Ab eodem visitatus est.* Narrat Joannes de Beka auctor a sœc. xiv in suo Chronico, quod ad annum MCCCXLVI scribebat, Wilhelmum Imperatorem ab Alberto Magno tum convivio magnifico exceptum fuisse, in quo Albertus hy- mem eo anno asperrimam in ver florigerum, et æstatem frugiferam commu- tarit, et expletis mira jucunditate epulis omnia veluti phanasmata evanuisse, ac hyemem gelu truculentam mox rediisse: hincque Albertum *magnum in necromantia* non veretur appellare. Sed hoc convivium meram esse fabulam evincitur, non solum quod ejus non meminerint Tholomæus de Lucca nec Ber- nardus Guidonis, quorum de Alberto testimonia his omnino adversa in fine harum Annotationum dabimus: sed ut recte monet Petrus de Prussia nullus fuerit necromantiis infestior, aut dæmonum hostis capitalior, ut recte Brietius citatus. Sic enim Albertus in *Speculo astronomiae* (cap. 10): *Isti sunt duo modi imaginum necromanticarum quæ nobile nomen astronomiae sibi usurpare præsu- munt, et ex eis jamdiu est quod multos libros inspexi, sed quoniam eos abhorui, non extat mihi perfecta memoria super eorum numero, titulis, initiis atque conti- nentiis, sive auctoribus eorumdem: spiritus enim meus nunquam requiescebat in eis. Unde tantum volebam transeundo vidisse, ut saltem non ignorarem, quali- ter esset miseris eorum sectatoribus irridendum, et haberem de suo unde repelle- rem excusationem eorum: et quod potissimum est, ut super similibus de cætero non tentarem (an legendum non tentarer), cum persuasiones suas invalidas et non admittendas censerem.* Ex quibus colligas libros necromantiae legisse qui-

dem, sed in transcursu, ut vix auctorum, titulorum, et operum meminisset : qui præterea in toto tractatu artem illam non solum confutat, sed et intollerabilem et maledictam pronuntiat, quamque nullus sanæ mentis præsumat excusare. Legendus idem *de Mirabili scientia Dei* (P. xi, Q. 30) et in Daniel. (cap. 1). Similia habet in *Postilla* super Ezechiel (cap. 31) et super Isaiam (cap. 47) a Petro de Prussia visa et citata. Joannem de Beka qui primus fabulam laudatam litteris consignavit, emendat et refellit Arnoldus Buchellius J. C. Batavus heterodoxus licet, ut rudioris aetatis credulitate delusum, pro more, inquit, illorum temporum, quibus hoc cultiorem philosophiæ et matheseos peritos necromantiæ labi infectos et magos putabant. *Hanc narrationculam* (sic enim addit) licet *fabulosam credam, referunt etiam Chronicum magnum Belgicum* (scriptum anno MCCCCLXXIV) *Joannes Cuspinianus Chronicus de Cæsaribus vernaculo qui sub Maximiliano imperatore floruit, Tritemius Abbas, sed omnes ex Beka exceperunt, nec de veritate judicant. Opmerius ut verisimilem faciat, ex ingenio explicat in suo Chronicus generali.* Ac ut id addam, Beka scriptor est minimi ponderis, parum solers et sagax, quem Gerardus Noviomagus ad rerum Germanicarum illustrationes præfatus, Gerardi Volpardi secutus judicium plane contemnit ; nec de eo felicius judicat Desselius Bibl. Belg. *vanum et falsum scriptorem dicens.* His assentiri videtur Wilhelmus Heda in Ottone III episcopo Ultrajectensi 36, ubi sic habet : *Claruit hoc tempore Albertus magnus episcopus Ratisbonensis vir magnæ doctrinæ, de quo multa fabulantur in convivio, quod paraverat regi.* Sed de his jam minium.

*Cæsarem Ultrajectum petentem comitatus est.* Sic refert non solum Beka citatus, qui sic habet ubi supra : « Adelbertus episcopus instanter exoravit regem, « quatenus Fratribus suis Prædicatoribus claustralem aream in civitate Trajec- « tensi vellet expetere, et eisdem pro stabilitate regni sui munificas eleemosynas « attribuere. Rex autem supplicatorias preces ejusdem Rever. Patris clementer « exaudiens, Trajectum descendit, quem Otto Pontifex ejus patruus cum præ- « latis et civibus gloriose suscepit, qui de fidelium suorum consilio burgensis « effectus est, et ex tunc spatiosam campi planitiem infra civitatem nemine « contraveniente mercatus est, quam ad structuram claustrum donavit eisdem « Fratribus in eleemosynam, insuper et auri fulvi satis magnam copiam etc. » Sed et confirmat Wilhelmus Heda citatus. « Instituit, inquit, apud Trajectum « Ordinem Prædicatorum, ubi adhuc in vitris visuntur arma ipsius Wilhelmi « regis, quibus ipse fundum coemit et ad constructionem auri bonam quantita- « tem contulit. » Scio quamdam editam a Patribus nostris provinciæ Inferioris Germaniæ conventuum seriem, in qua conventus Ultrajectini seu Trajecti inferiores erectio refertur ad annum MCCXXXII circiter, sed erratum esse agnovit accuratus noster Ghilbertus de la Haye Insulensis in sua Histor. Belgo-Dominic. ms fassus ex æquivocatione id ortum : et quidem cœnobium Trajecti superioris seu ad Mons circa MCCXXXIII erectum, at cœnobium Trajecti ad Rhenum seu inferioris nonnisi circa MCCXLVIII positum fuisse, quod non solum auctoritate scriptorum laudatorum probat, sed et confirmat authentico senatus Ultrajectini

Nota 12

## XXIV

instrumento ad concilium Mechliniense dato anno MCCCCCLXXVII in quadam causa Patrum Ultrajectinorum nostorum, quo disertis verbis sui conventus originem solummodo ad annum MCCXLVIII referunt, stylo nempe veteri, et ad auctores Albertum magnum et Wilhelmum Hollandum imperatorem, cuius arma gentilitia non solum in ecclesia, sed et passim per officinas domus olim cernebantur.

Nota 13 *Anno MCCLIV priorem provincialem electum ferunt. Sic Petrus de Prussia, qui ex actis comitiorum provinciæ eo anno Wormatii et sequenti Augustæ Vindelicorum habitorum quædam refert, imo et litteras encyclicas ejusdem Alberti magni provincialis ad omnes priores et conventus Teutoniæ.*

Nota 14 *Anno sequenti Romam a Summo Pontifice vocatus. Hic erat Alexander IV creatus xxiii Decemb. MCCLIV. Sic refert Cantimpratanus (lib. 2, cap. 10, § 26) : « Accidit ergo ut facta dissensione inter universitatem cleri Parisiis et « Fratres ordinis Prædicatorum atque Minorum citatisque partibus coram « papa, ipse apostolicus magistrum mandaret Albertum, antequam ipse iter « vellet arripere. » Dissidium hoc Parisiense jam exortum fuerat ab anno MCCLIHI, sed cum de eo actum non fuerit Romæ nisi sub Alexandro IV, ideo hoc iter Alberti in annum MCCLV visum est rejiciendum post habita Augustæ Teutoniæ comitia provincialia forte circa septembrem de more.*

Nota 15 *Tumque publice S. Joannis Evangelium exposuit. Sic Cantimpratanus citatus § 24 : « Sed post præfatas disputationes, cum ad petitionem D. Papæ et omnium cardinalium ipse magister Albertus evangelium Joannis, et epistolas canonicas miro et inaudito modo super omnem hominem exponendo legisset, etc. » In antiqua editione in Incun. Typ. absque loco, anno et nomine typothetæ, absque numeris et reclamationibus quæ extat in Navarrea commentarii Alberti in Joannem dicitur initio *Postilla ad instantiam summi pontificis pro extirpandis hæresibus tunc vigentibus Romæ lecta*. Commentarius in epistolas canonicas vel collectus non fuerit, vel perierit, siquidem a se visum nemo prodit. Alia vero Romæ tum se edidisse prodit idem Albertus Summæ P. II inter alia *Tractatum de unitate intellectus contra Averroem* sic loquens : *Hæc omnia aliquando in curia collegi existens ad præceptum D. Alexandri papæ, et factus fuit ibidem libellus, quem multi habent et intitulatur contra Averroem. Pr. Quoniam apud nonnullos, qui philosophiam, etc. Vide T. V.**

Nota 16 *Magistrum sacri palatii saltem per annum egisse. Cum officium hoc eo sæculo fere lectione præsertim sacræ Scripturæ in scholis sacri palatii concluderetur, hoc addito quod lector esset summi Pontificis theologus, hoc munere functum Albertum recte quidam videntur asserere, saltem quamdiu Romæ restitit. Imo*

putat Petrus de Prussia (cap. 32) primum fuisse lectorem sacri palatii, et ejus occasione evenisse, quod hoc munus in Ordine habeatur. Sed ista laus S. P. Dominico non auferenda.

*Anno MCCLIX comitiis Ordinis Valencenis affuit.* Erat capitulum Provincia-  
lum, in cujus actis sic legitur : *Absolvimus priores provinciales Teutoniæ et  
Terræ sanctæ et Provinciæ.*

Nota 17

*Anno MCCLX oblata est ei infula Ratisbonensis.* En litteræ apostolicæ, quas ex archivio Vaticano refert Bzovius in Annal. Ordinis ms. « Alexander episco-  
pus servus servorum Dei F. Alberto de ordine Prædicatorum lectori Colonien.  
« Susceptæ servitutis officium nos inducit, ut inter sollicitudines alias, quibus  
« assidue premimur, specialiter circa Ecclesias solertia adhibentes, ipsarum  
« utilitatibus intendamus : in eo maxime ut viduatis ne longæ vacationis  
« dispendia patientur, de talium nostræ diligentiae studio provideatur 'substi-  
« tutione pastorum, per quos et spiritualibus proficiant institutis, et incremen-  
« tis temporalibus augeantur. Sane cum Ratisbonensis Ecclesia per cessionem  
« ven. fratris nostri episcopi quondam ipsius Ecclesiæ pastoris, solatio sit de-  
« stituta nos ad revelandum <sup>1</sup> statutum ejusdem Ecclesiæ paternis, prout ad  
« nostrum spectat officium, affectibus intendentis, de persona tua nobis et Fra-  
« tribus nostris merito tuæ probitatis accepta eidem Ecclesiæ de ipsorum Fra-  
« trum nostrorum consilio duximus utiliter providendum. Cum enim de divi-  
« nae legis fonte adeo salutiferæ fluenta doctrinæ potaris, quod ejusdem in tuo  
« pectore vigeat plenitudo, tibique praesto sit in iis quæ Dei sunt judicium ra-  
« tionis, indubitatum spem gerimus, quod Ecclesiæ prædictæ, quæ in spiri-  
« tualibus et temporalibus asseritur multipliciter deformata, cicatrix obduci,  
« et ruina per tuæ diligentiae studium poterit restaurari. Quocirca tibi manda-  
« mus, quatenus nostris, quin potius divinis beneplacitis te coaptans, et pro  
« visionem acceptans hujumodi ad Ecclesiam præfatam accedas, acturus juxta  
« datam tibi a Deo prudentiam utiliter curam ejus. Nos enim in votis gerimus  
« te in reformatione ipsius Ecclesiæ semper prosequi favoribus opportunis. Da-  
« tum Anagniæ nonis Januarii anno VI. » Eodem fere tenore et iisdem die et  
anno scripsit pontifex decano et capitulo Ratisbonensis Ecclesiæ. Annus autem  
ille sextus Alexandri incidebat in annum Domini MCCLX.

Nota 18

*Hanc non solum suasu magistri Ordinis.* Epistolam ven. F. Humberti quinti  
magistri Ordinis ea de causa ad Albertum datam, in qua pluribus ab ea digni-  
tate recipienda dehortatur, refert Petrus de Prussia, sed et apud alios communis  
est. Ipsum Albertum invitum et coactum humeros supposuisse testatur Tholo-  
mæus de Lucca et Bernardus Guidonis postea citandi : Tholomœus de Lucca in-

Nota 19

<sup>1</sup> Forsan melius *relevandum*.

## XXVI

dicat anno MCCLXII vel LXII abdicasse, cum ait postea XVIII annorum spatio lectorem Coloniæ egisse ad mortem usque quæ accidit anno MCCLXXX. Literas citat noster Ghilbertus de la Haye supra laudatus ab Alberto anno MCCLXIII datas, quibus se quondam episcopum signat.

Nota 20     *In pontificalibus celebraret.* Sic refert Petrus de Prussia legendus. Ecclesiam novam primariam Noviomagensem sub invocatione S. Stephani consecravit, destructa antiqua, quæ alias extra civitatem : ne tamen hujus memoria lapsu temporum periret, statutum edixit, ut quotannis octavo post Pentecosten die solemnis ad locum ubi sita erat haberetur supplicatio cum SS. Sacramento, ac sanctorum reliquis quæ in urbe erant omnibus. Ad ecclesiæ novæ parietem, olim legebatur hic versus :

Albertus Magnus templum hoc sacravit ut agnus.

Sic noster Ghilbertus citatus. Templum nostrum Antverpiense dedicasse anno MCCLXXI scribit in originibus Antwerp. Scribanus. Altaria duo in nostra Lovaniensiæ etiam dicasse anno MCCLXXVI ferunt documenta domus. Sed de his plus satis.

Nota 21     *Concilio Lugdunensi II affuisse quidam narrant.* Id probat Petrus de Prussia ex eo quod in Summa sua (P. II, Q. 122, art. 2) Albertus referat in eo concilio Græcos errorem quo dicebant simplicem fornicationem non esse mortale peccatum, revocare coactos fuisse. Sed cum id aliunde discere potuerit, forsitan quis magis authenticum hujus facti desiderabit testimonium.

Nota 22     *Anno circiter MCCLXXVII iter Gallicum suscepisse.* Sic refertur in Actis canonizationis S. Thomæ de Aquino apud Bollandum, T. I Martii, p. 714, n. 82 : « Insonuit rumor (*Coloniæ*) quod scripta F. Thomæ Parisiis impugnabantur, « unde F. Albertus dixit se illuc velle accedere pro defensione illorum scriptorum : « Fratres vero decrepitum ætatis ipsius timentes, et longum viagium, dissuase- « runt illi prædictum iter per aliquod tempus, etc. Finaliter tamen dixit idem « Albertus se velle Parisios omnino accedere pro defensione tam nobilium scri- « pturarum, et ivit Parisios, in cuius societate F. Ugo de Luca accessit, etc. Cum « vero fuit Parisiis dictus F. Albertus facta convocatione studii generalis Pari- « siensis dixit, quod ipse paratus erat in examine peritorum defendere scripta di- « cti F. Thomæ tanquam veritate fulgentia et sanctitate. Et post multa dicta « idem Albertus rediit Coloniam, et dictus frater Ugo cum eo, etc. » *Ibi le- genda.*

Nota 23     *Tribus circiter ante mortem annis.* Hic afferenda quæ promisimus Tholomæi de Lucca et Bernardi Guidonis de Alberto testimonia. Primus ei æqualis licet junior (Histor. Eccl. Nov. lib. 22, cap. 17) sic habet : « Suo autem tempore (Ale-

« *xandri IV*) floruerunt duo magni doctores in Ordine Prædicatorum, licet  
 « multi alii clari fuerint in eodem et eodem tempore tam in vita quam in do-  
 « ctrina : sed isti transcendunt, et ideo merito sunt omnibus præponendi.  
 « Unus fuit F. Albertus Teutonicus vir præclarissimæ vitæ, qui cum multa in-  
 « nocentia in eodem Ordine Deo servivit, et qui etiam quantum ad generalita-  
 « tem scientiarum et modum docendi inter doctores maximam excellentiam  
 « habuit. Hic factus est episcopus Ratisbonensis in ducatu Bavariæ, qui mul-  
 « tum honorabilis est. Cœpit onera episcopatus subire, quæ in Teutonia nimis sunt  
 « militaria, quia conservari non possunt nisi cum ense, quæ sibi incubuerunt  
 « pro tempore illo. Considerans igitur statum tranquillum quem dimisit, et ba-  
 « rathrum in quod incidit, non quievit, quoisque accepta fuit sua renuntiatio  
 « per Summum Pontificem : quod facilius impetravit ex sua gratiositate ser-  
 « monis, et ex maxima fama suæ doctrinæ, quæ totaliter peribat cum ense et  
 « lancea curæ pontificalis Germaniæ. Cessione ergo facta, elegit scholam Colo-  
 « niensem, ibidemque lectionem usque ad tempora mortis suæ resumpsit, quod  
 « fuit spatium 18 annorum vel circa : ubi multos bonos scholares fecit, et de  
 « prædictis operibus aliqua. Tandem anno Domini MCCLXXX et ipse plusquam  
 « octogenarius beato fine quievit. Et quamvis in scientificis pro exemplo alio-  
 « rum in eis multum desipuerit circa tres annos a sua morte (id est, *ante mor-  
 tem*) quoad memorativa, cum ante alios transcenderit gratia singulari, vigor  
 « tamen devotionis ad Deum non defuit ad faciendum, quæ requirebat status  
 « suæ religionis.

Bernardus autem Guidonis inter Ordinis viros illustres sic loquitur : « Do-  
 « minus Frater Albertus Teutonicus, episcopus Ratisbonensis, maximus in phi-  
 « losophicis et divinis. Hic multa et diversa volumina reliquit toti orbi, quæ  
 « ad expositionem sacræ scripturæ et aliarum scientiarum scripsit, intellectu  
 « profunda, sensibus et sententiis alta, quorum numerum et nomina hic ponere  
 « esset longum. Circa finem vero dierum suorum librum de Sacramento altaris  
 « edidit, in quo evidenter ostendit et simplicitatem fidei suæ in Deum, et fervo-  
 « rem devotionis ad Dominicæ Incarnationis sacratissimum mysterium, et qua-  
 « excellebat scientiam divinarum scripturarum. Hic episcopatum Ratisbonen-  
 « sem coactus recepit, sed paulo post tanquam carbonem ardente manum  
 « adurentem obtenta cessione rejicit, et ad paupertatem rediit. Obiit autem  
 « anno Dom. MCCLXXX. » In ideo Ecclesiæ nostræ Coloniensis ad altare ma-  
 « jus sepultus est hoc addito epitaphio : *Anno Domini MCCLXXX xvii Kal. dec.*  
*Obiit venerabilis dominus F. Albertus quondam Ecclesiæ Ratisbonensis episcopus*  
*ordinis Prædicatorum magister in theologia. Requiescat in pace. Amen.*

In dictis hactenus chronologiam ut quæ ad nos spectet, persecuti sumus,  
 uela virtutum heroica, visiones et miracula hagiographis quorum juris sunt  
 enarranda relinquentes : verum cum Petrus de Prussia pluries citatus, quiique  
 plura ex nostro Ludovico a Valletoleti exceptit, interpolasse videatur quæ iste de  
 memoriæ lapsu Alberti triennio ante mortem, visum est ipsa Valletoletani verba  
 hic ponere. Sic ergo ille vitæ Alberti cap. 7. *De termino Alberti Magni.* « Cum  
 igitur quadam die magister Albertus contritus senio in conventu Coloniensi  
 « in scholis legeret præsente auditorum copiosa multitudine, in colligendis ac

## XXVIII

« dicendis quibusdam rationibus ipsius memoria vacillavit. Cumque omnes  
« præsentes essent ex hoc non modicum stupefacti, ipse magister modicum ta-  
« cens, sed tandem cito spiritu confortatus in præsentia omnium dixit : Audite  
« quæso, fratres charissimi, referam vobis nova pariter et antiqua. Cum essem  
« in annis juvenilibus constitutus, admonente gtoriosa Virgine Matre Dei Prä-  
« dicatorum Ordinem sum ingressus, et ab ipsa ut devotioni et studio fideliter  
« intenderem sum hortatus, et quod ex libris non valebam capere, sæpiissime  
« intelligendum orationibus impetravi. Frequenter autem matrem misericor-  
« diæ Dei Genitricem gemitibus et orationibus rogavi, ut me lumine divinæ  
« sapientiæ illustraret, et cor meum solidamento fidei confirmaret, ne philoso-  
« phorum rationibus illaqueatus de fidei certitudine dubitarem. Tandem dignis-  
« sima mater misericordiæ dignata est mihi visibiliter apparere, et consolando  
« dicere : Esto fideliter in virtutibus et studio perseverans, nam Deus tanta suæ  
« sapientiæ copia te dotabit, ut per libros doctrinæ tuæ tota illuminetur Eccle-  
« sia : et ne in fide valeas vacillare, ante martem tuam a te omnis syllogistica  
« astutia auferetur, et in innocentia puerili ac sinceritate et veritate fidei Deus  
« ab hoc sæculo te assumet. Notitiam vero hujus temporis ex hoc scies, quod  
« defectum memoriæ sustinebis in publica lectione. Et ideo, fratres amantis-  
« simi, quod hoc mihi eveniat jam cognosco. Idecirco nunc coram vobis omni-  
« bus publice confiteor corde et ore omnes et singulos articulos fidei christia-  
« næ me firmiter credere, et supplico humiliter et devote mihi exhiberi eccle-  
« siastica sacramenta tempore opportuno : et si quid dixi vel scripsi vel dixer-  
« in futurum, quod veritati fidei non concordet, volo ut nullius ponderis exi-  
« stat. Quibus dictis, omnibus præsentibus profusis in lacrymas de cathedra  
« descendit, et ex tunc nunquam aliquid scripsit aut legit, sed quasi puer  
« quinque annorum innocens et columbinus inter fratres quam diu supervixit  
« conversatus est, se orationibus continua mancipando, et postquam multa  
« miracula perpetravit, multos libros famosissimos compilavit anno Dom.  
« MCCLXXX consummatis vitæ suæ annis circiter LXXXVII inter fratrum et  
« filiorum suorum manus in conventu Coloniensi obdormivit in Domino, et in  
« choro ante majus altare fuit solemniter sepultus. » Concordat cum aliis in  
anno mortis et ætatis, sed quantum ad orationem Alberti ad auditores cum  
memoria lapsus est, undecumque eam acceperit Valleletanus, cuius certe  
apud antiquiores nulla memoria, non convenit cum Petro de Prussia (cap. 44).  
Equidem hujus narrationem legenti manifeste patet Petrum Valleletano usum  
esse, sed eum interpolasse inferendo visionem illam seu somnium, quo Alber-  
tus puer ordini ascitus sibi videbatur scalam muris conventus apponere ut  
fugeret, et a B. Virgine ter repulsum, ab eadem hebetis ingenii illustrationem  
et philosophiæ sibi antea occlusæ apertioñem obtinere. Quæ fabula nondum  
MCCCCXIII, quo scribebat Valleletanus, inventa erat, quæque abunde revinci-  
tur ex annotatis, scilicet Albertum non puerum, sed jam xxix annos natum,  
et in rerum naturalium scientia eruditum et expertum Ordini nomen sub Jor-  
dano secundo Ordinis magistro dedisse, quod et fateri cogitur Petrus de Prus-  
sia qui anno Dom. MCCLXXX ætatis LXXXVII mortuum agnoscit. Quæ tamen  
cum summo honore dicta velim, nam et multas alias de Alberto in vulgus

sparsas fabulas egregie refellit, et plura de eodem Alberto vel ex ejus operibus, vel ex aliis auctoribus certa accurate collegit, quibus et nos utimur. Cæterum, ut ad Albertum redeam, non mirum nec insolitum, hominem LXXXIV annos natum vigiliis, jejuniis, studiis continua fractum ac debilitatum memoriæ lapsus tandem incurrere, ac, si velis, repuerascere, cum ista sint humanæ infirmitatis, ut propterea non sic ad visiones et miracula recurrendum, ut nec recurrit Tholomæus de Luca eorum antiquior qui de eo scripserunt, et ejus ætate jam clarus, cuius proinde temporibus nondum vulgatae illæ visiones, nec producta miracula, ne dicam adinventa.

Laudem Alberti ex ejus nominis etymologia desumptam, quam habet Petrus de Prussia (cap. 57), accepit ex eodem Valleletano (vitæ Alberti cap. XII) et quadam tenus mollivit, sed quam etsi rudiorem et absonam cordatus lector facile condonet genio sœc. XIII et XIV, quibus etiam doctiores usi similibus, ne extra argumentum saltare viderentur, plura revera bona et laude digni minutis annexere solebant, quod jam tempora nostra delicatiora non patiuntur. Ne ergo lector ad etymologiam Alberti attendat, quam uterque derivat ab *al* quod est altum, et *ber* quod est fons sive puteus, et *thus* quod est species gommi odoriferi, quæ quis forte rideat, et forsitan ipsi auctores primi riserunt ut puerilia, sed his annexa seria et solida accipiat, nec contemnenda judicavit.

Duplicem translationem corporis Beati invenio, priorem, cuius meminit Valleletanus (cap. XI) *longo tempore*, inquit, *factam post sepulturam*, ac proinde sœc. XIV, tumque inventum est corpus ejus supinum, quod ille miratur, sed forte hoc vocabulo aliud intelligebat, quam quod vulgo, alioquin non video quid in eo sit miri, cæterum incorruptum, et in omnibus membris et indumentis integrum ac suavissimo odore fragrans, idque sane mirabile, tum vero eodem loco repositum. Alteram, anno MCCCLXXXIII, astante et jubente magistro Ordinis F. Salvo Cassetta III Idus Januar. quam describit Petrus de Prussia ipse etiam præsens et legendus (cap. 58) ubi statum corporis late et occurate refert.

Alberti Magni acta plura laudantur, quæ quanta apud omnes valeret fama et auctoritate manifeste probant. Anno MCCXLIX eo plurimum satagente præclaræ fori privilegia civibus Coloniensis ab eorum antistite Conrado asserta fuere. Vix biennium effluxerat, litigantibus iisdem Coloniensis cum eodem archiepiscopo Conrado, ac super telonii monetarumque ratione contendentibus, delectus est arbiter cum F. Hugone de Sancto Charo tum cardinali, sua quæ sententia litem absolvit. Anno MCCLVIII, vigilia SS. Petri et Pauli cum quatuor aliis Goswino decano majori, Henrico S. Severini, Henrico SS. Apostolorum et Philippo Susatiensi præpositis, iterum sed sit arbiter eumdem archiepiscopum inter et cives Colonienses. Cum iidem postea inimicitias non parvas generent cum comite Montensi, qui nunc dux est Montensis et Juliacensis, ipse pacem utrique parti sua prudentia contulit ac composuit, ita ut etiam non senatus Coloniensis Alberti sapientiam miretur, cum acta eo sequestro compacta in suis archivis servata intuentur et legunt. Videsis Heisterum citatum et Petrum de Prussia (cap. 41).

Præter jam citatos scriptores alii plures Alberti cum laude meminerunt, in

### XXX

primis F. Ulricus Engelberti de Friburgo, vir eruditus sacræ theologiæ lector et baccalaureus Parisiensis Alberti discipulus, vivo magistro scribens qui in Summa sua *de summo bono lib. IV, tract. iii de substantiis spiritualibus sive de angelis, cap. ix de modo apparitionis tam bonorum quam malorum angelorum, scilicet an fiat in corpore vel in specie corporali*, sic habet : « Aliter autem ab omnibus præmissis sentit doctor meus dominus Albertus episcopus quondam « Ratisbonensis vir in omni scientia adeo divinus, ut nostri temporis stupor et « miraculum congrue vocari possit, et in magicis expertus, ex quibus mul- « tum dependet hujus materiæ scientia, etc. » Ubi cum dicit *in magicis exper- tum*, ne intelligas has artes unquam exercuisse, alioquin non fuisse vir divi- nus sui sæculi stupor et miraculum, sed tam vastæ fuisse scientiæ, ut nihil esset in quavis arte reconditus, quod non penetrasset ac mente teneret omnia probando, quæ bona tenendo, ut expertum confessarium dicimus qui con- scientiæ casus omnes ita perfecte callet, ut de rarioribus et difficilioribus ex tempore respondere possit.

Non minus eum ornat Trithemius. « Non surrexit, *inquit*, post eum vir si- « milis ei, qui in omnibus litteris, scientiis et rebus tam doctus, eruditus et « expertus fuerit. Quod autem de necromantia accusatur, injuriam patitur vir « Deo dilectus. »

Sixto Senensi. « Vir est eruditionis admirandæ, quem divinarum rerum « pauca, humanarum fortasse nulla latuerunt, sublimibus ingenii ac memoriæ « viribus usque ad miraculum præstans, in divinis studiis longe eruditissimus « et philosophorum omnium quos vel ante vel post eum universa Germania « protulit princeps: ob scientiarum multitudinem magnitudinemque Magni co- « gnomen, quod nulli unquam eruditorum contingit ante mortem adeptus. »

Joannes Aventinus (*lib 7. Annalium*) impensissime laudat, Germanum eum Varronem appellans, longeque Varrone doctiorem asserens, quem nihil penitus fugerit, omnia perfecte noverit, naturæ secundum Aristotelem verissimus interpres extiterit, adeoque singula, quæ de omnibus scientiis et facultatibus scripsit in suo genere absoluta esse, ac si uni duntaxat operam navasset, cætera ne attigisset quidem. Mitto alios recentiores, Gabrielem Naudæum (Bibl. Politic.); Vossium (de Scient. Mathemat. p. 362); Sebastianum Schiefferum (Introduct. in Arte medicali, p. 164) et alios.

Sed nec obtrectatoribus suis caruit quibusdam eum magum dicere ausis, quam calumniam vir sanctissimus patitur cum viris sua tempestate peritissimi- mis: sic enim Guibertum<sup>1</sup> qui ad summum pontificatum ascendens Sylvester II dictus est magum celebrem et maljs artibus infamem dixerunt plures, quos egregie revincunt Onuphrius Panvinius *in notis suis ad Platinam*, et Bzovius noster (Annal. T. XX). Sic Joannem Petrum Lusitanum summum Pontificem Joannem XXI dictum magum appellat auctor Annalium Colmariensium ad annum MCCLXXVII ob insignem medicinæ peritiam. Sed quid Alberto opponant videamus. Convivium magicum imperatori Coloniæ exhibitum jam expun-

<sup>1</sup> Forte melius Gerbertum qui ex archiepiscopatu Remensi ad summum evectus est Pontifica- tum anno 999.

ximus, quod et nemo paululum sapiens credet, quod et seipsum destruit, sicut enim cætera omnia fuerunt phantasmata, sic et cibi fuissent imaginarii, quibus non gratiam sed iram imperatoris et totius aulæ demeruisse ac in se provocasset. Deinde executiantur archiva civitatis Coloniensis, nam hujusmodi principum adventus in urbium regestis solent annotari, ut et solemnia iis exhibita convivia, an in iis vel umbra magicarum harum epularum reperietur? Nemo certe hactenus prodidit. Libros objiciunt: sed notandum non opera Alberti Magni indubitata quibus quidquid in eo fuit acuminis, quidquid sapientiae, quidquid habuit experimentorum conclusit, ab his enim maxime carent, sed libellos quosdam spurios ut sub magni nominis umbra facilius reciperentur, ab impostoribus et planis editos, vel anonymos, et ab imprudentibus perperam Alberto adscriptos objicere, quos in sequentibus, ubi de singulis agetur, sapientissimo doctori abjudicabimus, nec ab ejus vena fluxisse demonstrabimus. Denique Androiden objicient, seu fuerit figura hominis integra carnea vel ænea, neque enim sibi constant, vel solum caput hominis æneum tanta arte fabricatum ut vocem humanam ederet, et cum de occultis ab Alberto interrogabatur, responsa certa daret: quod aliquando audiens juvenis Thomas de Aquino stupens et conterritus baculo confregerit, unde solemnis illa a rudioribus accepta Alberti præceptoris ad Aquinatem increpatio, *Fili mi, opus triginta annorum fregisti.* Sed quis hujus fabulæ toto sæculo XIII et sequenti testis affertur? certe nullus. Nam quod aliqui volunt ad hujusmodi fabricam alludere S. Thomam de Aquino (*Contra Gentiles*, lib. 3, capp. 104, 105 et 106) egregie allucinantur. Evidenter illic sanctus doctor statuas arte magica fabrefactas impugnat, sed quas apud Augustinum (lib. 8 de civ. Dei, cap. 23) legerat ab Hermete ejusque similibus laudatas, quas non solum impossibilis secundum naturam invicte demonstrat, sed et si fiant, opera esse intellectus non bene secundum virtutem dispositi, imo sceleratorum, impudicorum, homicidarum fautoris: quod argumentum invictum simile apud suum præceptorem Albertum nunquam vidisse, nam si aliquando vidisset, ut cuius innocentiam et pietatem noverat, ad cui cum illi semper fuit summa studiorum ac animorum conjunctio, et innocenter quandoque fieri addidisset. Quem primum hanc calumniam in vulgus propalasse ferunt? Henricum de Hassia, quem videre non licuit, ac mihi dubium ut cuius locum non indicant, sed is mortuus est anno MCCCCXVIII: Alphonsum Tostatum anno MCCCCXIV natum, et juvenem ætatis XL defuntem (in Genes. cap. 31 et Exod. cap. 14). Sed etsi virum alias peritum, nimis tamen credulum censem, et plurium similium narratorem seu collectorem fabularum: F. Bartholomæum Sibylla nostrum (Peregr. quæst. Dec. 3, cap. 4, q. 3). Sed hic relative tantum loquitur ex Henrico de Hassia in Genes., imo revocat in dubium, sic enim habet: *Quomodo enim homo per artem faceret corpus heterogeneum et tam tenerum quale requirit anima rationalis, qui facere non potest per artem grossum et respectu hominis ignobile corpus puta aurum vel argentum. Quod si dicatur Albertum Magnum caput formasse hominis loquentis arte et sola virium naturalium operatione, illud negatur, et dicitur quod fuerit, si tamen fuit, latenti operatione dæmonum.* Unde cum certo certius sit Alberto Magno cum dæmonibus nihil unquam fuisse negotii, et historiolam illam ab impiis, ut malitiæ suæ

## XXXII

sanctissimum virum faventem haberent, adinventam pro comperto teneas. Adde, ut jam indicavimus, testes adductos non convenire. Nam Henricus de Hassia referente Sibylla volebat caput fuisse ossibus, nervis, venis, carne compactum, quale hominis vivi, Tostatus citatus in Exod. dicit fuisse caput ferreum, recentiores nullo auctore imaginantur et fingunt fuisse æneum, et ubi illi antiquiores caput solum memorant, isti statuam integrum sub certis constellationibus compositam ariolantur : quæ linguarum diversitas prudentem omnem cogit, ut ista omnia cum Theophilo Raynaudo (Hopl. sect. 2, ser. 1, cap. 14) ad Deum Fabulinum ableget. Legendus et Naudæus libro cui titulus *Apologie des grands hommes soupçonnez de magie*, p. 516 et seqq.

Plures alias fabulas de Alberto Magno a viris otiosis confictas refert Petrus de Prussia (Vitæ capp. 49, 50, 51 et 52) quas et egregie refellit : hanc unam placet annotare, qua dicunt statura tam exiguæ Beatum fuisse, ut stantem coram se putaret summus Pontifex genuflexum, et ut surgeret jusserset, qui respondit inquiunt, se jam stare in pedibus, addunt vero ab ea corporis exiguitate cum tanta divinarum et humanarum rerum cognitione conjuncta Magni nomen sortitum esse. Quod falsum esse contendit Petrus citatus et falsum esse scire potuit, qui translationi corporis Beati anno MCCCCCLXXXIII factæ ac supra laudatae præsens affuit, ossaque omnia numeravit ac dimensus est. Sed de his plus jam satis, nunc Opera recensenda.

*B. Alberti Magni opera triplici indice distinguimus. Primus opera exhibet, quæ in editione Lugdunensi anni 1651 prodierunt. Alter opera in ea collectione non edita, sed a nostris Ludovico de Valleoleti et Laurentio Pignon laudata. Tertius opera ab iis omissa, sed a typographis Lugdunensibus in Indice a se edito indicata, singulis articulis codices MSS vel a nobis visos vel ab aliis accuratius recensitos ut et antiquas editiones addendo, sed et annotationes nostras et criterium cuilibet subjiciendo.*

**B. ALBERTI MAGNI** Ratisbonensis episcopi, Ordinis Prædicatorum, *Opera quæ hactenus haberi potuerunt sub RR. PP. Thoma Turco, Nicolao Rodulphio, Joanne Bapt. de Marinis ejusdem Ordinis magistris generalibus, in lucem edita studio et labore R. A. P. F. Petri Jammy sacræ theologiæ doctoris conventus Gratianopolitani ejusdem Ordinis. Lugdini. Sumptibus Claudi Prost, Petri et Claudi Rigaud fratrum, Hieronymi de la Garde, Joannis Antonii Huguetan filii, 1631, fol.*

TOMO I HÆC INSUNT:

- Vitæ Alberti Magni ex gravissimis auctoribus excerpta epitome.*  
1. *Logica ac 1 de prædicabilibus tractatus IX.*  
2. *De Prædicamentis tractatus VII.*  
3. *De sex principiis Gilberti Porretani tractatus VIII.*  
4. *Super duos libros Aristotelis Perihermenias tractatus VII.*  
5. *Super librum priorum analyticorum primum tractatus IX. Super secundum tractatus VII.*  
6. *Super librum posteriorum analyticorum primum tractatus IX. Super secundum tractatus V.*  
7. *Super libros octo topicorum.*  
8. *Super duos libros elenchorum.*  
Hæc omnia viderant nostri Laurentius Pignon et Ludovicus a Valleoleti.

EDITIONES ANTIQUÆ.

*Logicalia seu interpretatio universi organi Aristotelis. Venetiis, 1494, fol. Extat Paris. in Sangenov. et Sorbon. et Romæ in Barber.*

*Rursus Venetiis, Octaviani Scoti, 1500, fol.*

\*\*\*

Superiora omnia Coloniæ apud nostros haberi testatur Petrus de Prussia, qui et addit super Logicam ipsius Alberti manuscripta servari apud nostros Susatenses et Ratisbonenses.

Venum prostabant Parisiis anno MCCCIII ex libro rectoris universit. hoc titulo. *Commenta F. Alberti in veteri logica* XLII peciis. *In libros priorum* XVIII pec. *Posteriorum* XXI pec. *Elenchorum* XVI pec. *Topicorum* XXI pec.

Venetiis inter codd. Cardinalis Bessarionis Plut. 8. *Ars vetus logicæ*.

In catal. Anglie. T. I, P. II, N. 720 : *Alb. M. super libros Porphyrii : Prædicamentorum*, et περὶ ἐρμηνείας. Et n. 752 : *In universam Aristotelis philosophiam*. Et n. 329 : *Super libros Elenchorum*.

Parisiis in Sorbon. cod. fol. mag. memb. inter plura alia : *Incipit logica F. Alberti Ord. Prædic. quondam episcopi Ratisbon. Liber I de universalibus*. Codex est sec. XIV.

*Super libros Priorum* in Victor. cod. fol. mag. n. 616. Item in Sorbon. cod. fol. med. Item in Navarr. fol. par. memb. Hi omnes ex sæc. XIII vel XIV.

*Super libros Posteriorum* in Victor. fol. med. memb. n. 932 ad calcem sic legitur : *Explicit liber posteriorum analyticorum secundum D. Albertum Magnum. Scriptum per me Jasparem Engelsunsz de Argentina secunda die post festum S. Thomæ confessoris. A. D. MCCCCVIII die VIII martii*. Nota novo stylo 1409.

*Super libros Topicorum* in Victor. cod. cit. n. 616. In Sorbon. cod. fol. med. memb.

*Super libros elenchorum* in Victor. cod. cit. 932 a fol. 63 ad 120 ubi legitur : *Explicit liber Elenchorum ven. doctoris profundi D. Alberti Magni quondam episc. Ratisb.* In Sorb. cod. eodem mox cit. In Navarr. cod. etiam eodem supra cit.

Catal. Anglie. T. II, P. I, inter libros impresso Joh. Mori nn. 41 et 42. *Epitomata sive Reparationes logicæ veteris et novæ Aristotelis, juxta viam et expositionem ven. D. Alberti doctoris magni acerrimique philosophi. Coloniæ, 1494-4*. Non indicatur auctor, sed ejusdem adjiciuntur QQ. quodlibet. Venetiis editæ. 1481-4.

## TOMUS II.

1. *Super octo libros Physicorum. Pr. Intentio nostra est in scientia naturali etiam satisfacere pro nostra possibilitate Fratribus Ordinis nostri nos regantibus ex pluribus jam antecedentibus annis, ut talem librum de physicis eis componeremus, in quo et scientiam naturalem perfectam haberent, ex quo libros Aristotelis competenter intelligere possent.*

2. *Super quatuor libros de cœlo et mundo.*
3. *Super duos libros de generatione et corruptione*
4. *Super quatuor libros metereorum.*
5. *Super quinque libros mineralium.*

Laudant Pignon et Valleletanus citati.

## EDITIONES ANTIQUÆ.

*In octo physicorum.* Venetiis, Joan. de Forlivio, 1488, fol. Extat in Sangenov. et Sorbon.

Ibidem ex fide Beughem. 1496, fol. Rursus *in Physicam generalem et specialem Aristotelis*, ibid. 1494, fol. Sic enim lego in catalogo librorum editorum ante 1500 impresso anno 1643, in-16 in Regia Q. 649.

*In libros de cælo et mundo.* Venetiis, 1480, fol. Extat in Sangenov.

*Super libros mineralium.* Vetus editio absque anno, loco et nomine hypothetæ laudatur Romæ in Barber. Augustæ, 1519, et Argentinæ, Baltaz. Beck. 1541, fol.

*Delle cose minerali e metalliche libri cinque tradutte da Pietro Lauro.* Venetiis, 1557-8. Quæ editio Romæ in Barber<sup>1</sup>.

## CODICES MS.

Ex libro rectoris eit. venum prostabant Paris. anno MCCCHII in *libros physic.* LII pec. *De cælo, etc.* XLIV pec. *De generatione* XI pec. *Meteororum* XXVII pec. *Mineralium* XII pec.

Venetiis cardinalis Bessarion. Plut. 8. Excipe super libros mineralium.

Ibid. apud SS. Joannis et Pauli *Physicorum* fol. memb. et *mineralium* in-4 memb. Plut. 7.

Ibid. apud S. Antonium, *De gener. et Meteor.* Plut. 7.

Florentiæ in S. Marci, *Physicorum*, Arm. IV n. XI. memb. et in Medicca, *mineralium* Plut. LXXXIII cod. 1 papyr. et Plut. LXXXIV cod. 19 memb. in-8.

Catal. Anglic. *Physicorum* T. I, P. II, 270, 328 et 2226. T. II, P. I, 717. *De cælo* T. I, P. II, 270, 873. P. III, 1996. T. II, P. I, 698. *De gener.* T. I, P. I, 1320. P. II, 873. *Meteor.* T. I, P. II, 1193, 1319. P. III, 985. *Mineral.* T. I, P. I, 1784, 7330, 7638. P. II, 880.

In abbatia claravallensi. *Physica.*

Paris. *Physic.* in Victor. cod. 25 fol. max. memb. Item in Sorbon. fol. med. chart. scripto anno 1407. Regia cod. 5121 fol. med memb. Colbert. cod. 2069.

*De cælo*, in Victor. cod. 38 papyr. Regia cod. 4841 fol. mag. chart. Colbert. cod. cit. 2069.

*De generat.* in Victor. cod. 32 papyr. ad cuius calcem plura adduntur de Alberto Magno ejusque diversis ab Aristotele sensis notanda. Regia cod. 4730 fol. mag. memb. eleganti. Item 4859 fol. mag. chart.

*Meteoror.* in Regia codd. mox. cit. et cod. 5786 fol. med. chart. scripto anno 1471.

*Mineral.* in Sorbon. cod. fol. med. memb. Item Regia cod. 4731 fol. mag. membr. et cod. 4859 mox cit. et cod. 4966 fol. max. membr. eleganti. Item Colbert. 3362.

In mineralium libris artem alchymicam fere funditus evertit. Vide lib. 3, tract. I. cap. 9 ubi sic habet: *Propter quod ego experiri feci, quod aurum alchymicum, quod*

<sup>1</sup> In tomo II operis Echard cui titulus *Scriptores ordinis Prædic.* ad addenda invenitur: ad opera Alberti magni adde: *Eius libri quinque mineralium typis prodierunt Paduæ, Petri Mauler, 1476.*

## XXXVI

*ad me devenit, et similiter argentum, postquam sex vel septem ignes sustinuerit, statim amplius ignitum consumitur et perditur, et ad fæcem quasi revertitur. Non impossibilem quidem metallorum transmutationem statuit, si quis per artem naturam imitetur, sed artem hanc ab ullo ad sua usque tempora inventam aut opere completam negat.*

## TOMUS III.

1. *In tres libros de anima.*
  2. *Libri XIII Metaphysicorum.*
- Laudant utrosque Pignon et Valleoletanus.

### EDITIONES ANTIQUÆ.

*Metaphysicorum.* Venetiis, Octav. Scoti, 1494 fol. chart. goth. Paris. in Sangenov.  
Rursus Venetiis 1498.

Ad finem hujus operis sic habet auctor : *Hic finis disputationis istius, in qua non dixi aliquid secundum opinionem meam, sed omnia quæ dicta sunt, secundum positionem Peripateticorum : et qui voluerit probare, diligenter legat libros eorum, et non me sed illos laudet vel reprehendat.*

### CODICES MS.

*De anima.* Prostabat Paris. anno MCCCIII, xxxiii pec. ex lib. Rect. cit. Venetiis, Bessarion. Plut. 8.

Catal. Anglic. T. I, P. I, 1320. P. II, 328, 358, 4193.

Apud Sanderum, P. II in valle S. Martini, p. 209.

*Metaphys.* Apud nostros, Coloniæ, teste Petro de Prussia.

Venetiis SS. Joan. et Pauli. Pl. 7 fol. memb. Item Bessarion. Plut. 8.

Catal. Anglic. T. I, P. II, 329, 358.

Apud Sanderum loco mox. cit.

Paris. in Victor. cod. 623 fol. med. memb. et cod. 32 fol. papyr.

Sorbon. cod. fol. mag. memb. et altero item memb. sed. fol. med. emendatius quam in editis.

Regia cod. 4841 fol. mag. chart.

## TOMUS IV.

1. *In decem libros Ethicorum.*
  2. *In octo libros Politicorum.*
- Laudant Pignon et Valleoletanus.

## EDITIONES ANTIQUÆ.

Venetiis, Octav. Scoti, 1520 fol. Paris. in Sangenov. et Sorbon. et Romæ in Barber.

## CODICES MS.

Coloniæ, apud nostros, teste Petro de Prussia.

Florentiæ in Medic. Pl. LXXIX cod. 29. fol. memb.

Catalog. Anglic. T. I, P. III, 1000.

Apud Sanderum, P. II, in valle S. Martini, p. 209.

Paris. *Ethicorum*, in Victor. cod. 24 fol. max. memb. Ibid. cod. 938 fol. med. chart. cuius initio sic legitur : *Liber Ethicorum Ven. Alberti Magni ord. præd. quem cum textu Aristotelis in margine scripsit Gerardus Marcelli magister in artibus Parisius ante ingressum religionis (S. Victoris, ut in fine dicitur) tunc socius pauperum magistrorum de Sorbona, etc.* Ad calcem additur : *Opus scriptum anno MCCCCIX die S. Laurentii.*

In Sorbon. cod. fol. med. chart.

In Regia. cod. 4753 fol. mag. memb.

*Politicorum*, in Victor. cod. 24 cit.

Regia cod. 4752 fol. mag. memb. Item cod. 4753 cit.

Verior est, quam ad calcem *Politicorum* habet, sententia : *In studio, inquit, semper sunt quidam amarissimi et fellei magistri, qui omnes alios convertunt in amaritudinem, nec sinunt eos in dulcedine societatis quærere veritatem.*

## TOMUS V.

*Parva naturalia :*

1. *De sensu et sensato.*
2. *De memoria et reminiscentia.*
3. *De somno et vigilia*, ubi lib. 3. agit *de divinatione et prophetia.*
4. *De motibus animalium.*
5. *De juventute et senectute.*
6. *De spiritu et respiratione.*
7. *De morte et vita*, ubi tractatu 2 agit *de causis longioris et brevioris vitæ.* Quod forte opusculum illud est a quibusdam numeratum ut distinctum, *De longitudine et brevitate vitæ.*
8. *De nutrimento et nutritibili.*
9. *De natura et origine animæ.*
10. *De unitate intellectus contra Averroem.* Albertus ipse (*Summæ P. II, Q. 77*, memb. 3) hoc opusculum Romæ se scripsisse testatur.
11. *De intellectu et intelligibili.* Liber 2 agit *de naturali perfectione intellectus.*

## XXXVIII

12. *De natura locorum.*
13. *De causis et proprietatibus elementorum.*
14. *De passionibus aeris.*
15. *De vegetabilibus et plantis.*
16. *De principiis motus progressivi.*
17. *De causis et processu universitatis a causa prima.*
18. *Speculum astronomicum, in quo de libris licitis et illicitis.*  
Laudant Pignon et Valleopolitanus exceptis 14 et 16, seu ipsos fugerint, seu sub cuiusdam alterius titulo comprehendenterint, ut verius videtur, ut et horum quædam in duo dividunt.

### EDITIONES ANTIQUÆ.

Hæc opuscula omnia hoc eodem ordine prodierunt Venetiis, Hæred. Scoti, 1517 fol. chart. Goth. Quæ editio extat Paris. in Sangenov. et Regia, R. 149.

12. *De natura locorum* prodiit seorsim Viennæ, 1514, ex fide Simleri, et Neapoli, 1592-4 : quæ editio Romæ in Barber.

18. *Speculum astronomiæ cum quibusdam alienis de quibus postea*, Lugduni, 1615, in-16. Quæ editio in Barber.

### CODICES MS.

Opuscula haec omnia Coloniæ haberi apud nostros testatur Petrus de Prussia.

Ex lib. Rectoris cit. prostabant Paris. anno MCCCIII 1 et 3, xiv pec. ; 4, v pec. ; 6, xiii pec. ; 5, 8 et 11 simul, x pec. ; 9, viii pec. ; 12, viii pec. ; 13, ix pec. ; 15, xxxix pec. ; 16, v pec.

Florentiæ in Medic. Pl. LXXXIII cod. 1. fol. mag. papyr. fere omnia.

Ibid. Pl. LXXXIV cod. 20 papyr. *Alberti Magni contradictio adversus eos qui dicunt post separationem animæ a corpore non remanere ex omnibus animabus nisi intellectum unum et animam unam.* Est decimus ex editis de unitate intellectus contra Averroem.

Venetiis, ad S. Antonii pleraque et Bessarion. Pl. 8, 13 et 15 etiam pleraque.

Catal. Anglic. Omnia simul, quædam seorsim. Videsis T. I, P. I, nn. 1320, 1702, 1821, 1911. P. II, nn. 213, 880, 1193, 1284. P. III, 709, 951, 985, 1877. T. II, P. I, nn. 68, 698, 1466. Excerptum autem ex opusculo 15 de vegetalibus existimarim quod recensetur T. I, P. I, 8343 hoc titulo : *Alberti Magni tractatus de plantationibus arborum et de conservatione vini*, nisi sit erratum in nomine auctoris, nam hoc eodem titulo laudatur opella Arnaldi de Villanova. Vide Lambecium Biblioth. Cæsar. libr. 2, p. 841 : et alterum P. II, 1592 : *Alberti de Colonia tractatus de insitionibus et plantationibus arborum*; quod tamen certius docebunt codd. possessores.

Apud Sanderum, Bibl. Belg. P. II in valle S. Martini, p. 209 laudantur fere hæc omnia opuscula licet non eodem ordine.

Claraval. *De causis. De somno et vigilia. De spiritu et respiratione.*

Paris. extant in Victor. codd. 29 et 38 fol. papyr. exceptis paucis. *De unitate intellectus* seorsim cod. 930 fol. med. memb.

Sorbon. 9, *de nat. et orig. animæ*, cod. fol. memb. ubi et quædam simul opuscula F. Thomæ de Aquino ex legato Godefridi de Fontibus S. T. M. æqualis, ac proinde saec. XIII. Iterum altero cod. fol. mag. memb. n. 1 p. 752 inter alia Petri de Albernia et F. Thomæ de Aquino. Item 17, *De causis et processu universitatis*, cod. fol. mag. memb. n. 1, p. 877.

Regia codd. 4750 et 4859 supracit. Sunt excepti 14, 15, 17 et 18: cætera sed in alio ordine quam in edit. Lugdunensi. At 14, *De passionibus aeris* est cod. 6380.

Circa 18, nempe *speculum astronomicum*, quædam est difficultas: sunt enim qui Alberto abjudicant. Catal. Anglic. T. I. P. I. n. 1682 sic legitur: *Philippus cancellarius Parisiensis de libris licitis et illicitis falso Alberto attributum*. Contra Naudaeus hunc tractatum F. Rogero Bacon ord. Min. viro in hisce erudito asserere nititur. Verum Pignon et Valleletanus citati sub nomine Alberti Magni viderunt et laudarunt. Gersonus cancellarius Parisiensis Trilogii sui epilogo sic habet: *Composuit super hac re (de libris astrologicis qui sunt et non sunt tolerandi) Magnus Albertus opusculum, quod appellatur speculum Alberti, etc.* Noster Nicolaus de Dacia, qui anno MCCCCCLVI de hoc argumento scripsit, hoc opusculum etiam eidem Alberto asserit. Catal. Anglic. cit. T. II, P. I, cod. 6141 est *Alberti Magni speculum* et *astronomicum colligas ex seqq. Paris. in Regia cod. 5464 fol. par. est Alberti speculum astrologiae cum aliis auctoribus astrologicis*. Si stylum et methodum attendas, Alberto Magno vindicabis. Auctorem quidam arguunt, quod libros necromantiae servandos non abolendos censuerit: sed consentientem in hoc judicio habet laudatum Gersonum ad finem Trilogii cit. sic loquentem: *Expediens videtur, si sine periculo abusus servarentur libri Necromantici*. Nempe medicis necessaria est venenorum scientia, ut casu dato adhibere possint remedia: præsertim cum hos libros ita aboleri contingere non possit, ut inter manus impiorum aliqui non supersint: unde ut eos revincere possint viri eruditæ, quid in eis habeatur vel stultitiae vel malitiæ ignorare non debent.

Prodiit typis cum libro de secretis mulierum et aliis de quibus postea Lugduni, 1613 in-16, quæ editio in Barb.

## TOMUS VI.

*Libri XXVI de animalibus.* Notandus finis: *Jam expletus est liber animalium, et in ipso expletum est totum opus naturarum, in quo sic moderamen tenui, quod dicta Peripateticorum prout melius potui exposui, nec aliquis in eo potest comprehendere quid ego ipse sentiam in philosophia naturali, etc.*

Laudant citati Pignon et Valleletanus.

## EDITIONES ANTIQUÆ.

I. Eaque elegantissima charta et charact. absque majusculis tamen quæ manu additæ, item absque numeris, signaturis, reclamationibus, quorum loco in fine adjec-

## XL

tum est regnum primi vocabuli a quo incipit quodque folium prodiit curante Hernando Cordubensi qui Sixto IV nuncupat. Ad finem sic legitur : *Hoc præsens Alberti Magni de rerum proprietatibus opus impressum per egregium virum D. Simonem Nicolai de Luca hujus laboratorii dominum Romæ 1478 pontif. Sixti anno VII die 2 Aprilis*, fol. Extat Paris. in Regia, R. 147.

II. Mantuæ per Paulum Joannis de Butschbach Maguntinem. fol. 1479 die 12 Jan. quod intelligas stylo veteri, novo 1480. Extat in Regia, R. 146.

III. Venetiis, 1495 fol. ex fide Beughemii.

IV. Recognita et emendata per M. Ant. Zimaram philosophiæ publicum Paduæ professorem. Venetiis, Octav. Scoti, 1519, fol. in Regia, R. 148 et in Sorbon.

Seorsim prodiit *Tractatus de Falconibus, Asturibus et Accipitribus*. Augustæ Vindel. Joan. Prætorii, 1596–8. Excerptus scilicet ex lib. XXIII de animalibus. Quæ editio Paris. in Regia, S. 856 et Romæ in Barber.

### CODICES MS.

Coloniæ integrum haberi manu ipsius auctoris dicit Petrus de Prussia.

Paris. ex lib. Rectoris cit. prostabat anno MCCCIII constans cxxi pec.

Florentiæ in Medic. Pl. LXXXIV cod. 48 fol. memb. in quo ad finem libri XIX sic legitur : *Et hic terminatur totus liber Aristotelis de animalibus, libros vero septem sequentes addidit Albertus*. Revera Aristotelis sunt tantum decem libri de historia animalium, quatuor de eorum partibus, quinque de eorumdem generatione : et ultimum caput libri XIX Alberti commentum est ultimi capituli de generatione animalium ejus philosophi.

In catal. Anglic. T. I, P. II, 264, 753, 1702. P. III, 1867.

Apud Sanderum, P. II in valle S. Martini, p. 209 sed tantum XII.

Paris. in Victor. codd. duobus 30 et 31 memb. fol. med. sæc. xv ineuntis, certo ante MCCCCXX. Ad finem adjicitur : *Capitulum de his de quibus adhuc restat inquirere in scientia animalium*.

Sorbon. cod. n. 1 p. 874 ; qui liber elegantissimus imaginibus auro, minio cyanœoque distinctis ubique illustratus, emptus anno MCCCLXXXIV.

Regia codd. 4965 et 4966 memb. fol. mag. qui libri elegantes. Opus in unoquoque integrum. Item cod. 4843 fol. mag. chart.

Colbert. codd. 283 et 800 fol. mag. membr. melioris notæ, et ex antiquioribus.

Catal. Anglic. T. I, P. II, cod. 1193 : *De scientia Falconum secundum antiquos*. Et P. III, cod. 951 : *De anatomia humani corporis. 2. De anima. 3. De monstrosis hominibus Orientis. 4. De animalibus quadrupedibus. 5. De avibus. 6. De monstris marinis. 7. De piscibus fluvialibus. 8. De serpentibus. 9. De vermis. 10. De arboribus communibus. 11. De arboribus aromaticis et medicinalibus. 12. De herbis et earum virtutibus*. Quæ omnia, tum ex his animalium XXVI libris, tum ex opusculo 15 de vegetabilibus et plantis tomo superiori recensito, tum ex aliis Alberti operibus excerpta, et in unum a quodam curioso sic collecta facile colligas.

His addendum est Tholomæi de Lucca testimonium Histor. Ecl. Nov. lib. 22, cap. 18 ubi sic habet : *Hic (Albertus) commentatus est totam logicam Aristotelis, totam*

*philosophiam naturalem et quantum ad particularem experientiam naturarum clarissime et excellentissime tradidit.*

## TOMUS VII.

*Commentarii in Psalmos. Pr. O altitudo divitiarum, etc. ad Rom. XI.*

Laudant Pignon et Valleletanus.

Editionem antiquiorem hactenus non vidi.

### CODICES MS.

Hi solum occurerunt Paris. in Victor. codd. mss 412 et 413 fol. mag. memb. ex dono Adenulphi de Anagnia præpositi S. Audemari et canonici ecclesiæ Paris. ejusdemque aliquando electi episcopi qui obiit anno MCCLXXXIX, sicque sæc. XIII. Ex his codd. facta est editio Lugdunensis.

Extat etiam in Sorbon. cod. fol. med. memb. n. 1; p. 517 ejusdem circiter ætatis.

## TOMUS VIII.

1. *In Threnos Jeremiæ. Pr. Isaiæ 23 : Ecce videntes clamabunt, Angeli pacis amare flebunt, etc.*

2. *In librum Baruch. Pr. Benedictus qui venit in nomine Domini.*

3. *In librum Danielis Prophetæ. Pr. Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, etc. Eccl. 24.*

4. *In XII Prophetas minores. Pr. Duodecim prophetarum ossa pullulant de loco suo, nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis suæ. Eccles. 49.*

Laudant Pignon et Valleletanus.

Editio antiquior nulla mihi occurrit præterquam commentarii in XII prophetas minores, Coloniae, Typis Quesnell. 1536 fol. quæ Paris. extat in Sangenov. et Sorbon.

### CODICES MS.

Vidisse se testatur omnium F. Petrus de Prussia, nulli vero mihi occurserunt hactenus, notandum solum venit de commentario in XII prophetas quoddam eodem principio Stephano de Langeton Anglo ac sæculo XIII florenti tribui, cuius exemplum ms Paris. in Navarr. fol. parv. memb. ac melioris notæ servatur, sed collatione facta præter versiculum illum Eccles. quo uterque incipit, nihil habent commune, adeo ut unicuique suum opus constet.

## TOMUS IX.

1. *Commentarius in Matthæum. Pr. Liber generationis.*

2. *In Marcum. Pr. Initium Evangelii Jesu Christi..*

## TOMUS X.

*In Lucam. Pr. Quoniam quidem multi conati sunt.*

## TOMUS XI.

1. *In Joannem. Pr. Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu, plena plumis et varietate, venit ad Libanum, et tulit medullam cedri.* Ezech. 7.

2. *In Apocalypsin. Pr. Confiteor tibi, Pater Domine cœli et terræ, etc.* Matth. xi.  
Pignon laudat in Evangelia solum, Valleletanus etiam in Apocalypsin.

## EDITIONES ANTERIORES.

Prodierunt in Evangelia quatuor curis doctorum Coloniensium, præsertim Gerardi de Hardenwick, S. Columbae pastoris. Haganoæ, typis Henrici Gran, sumptibus Johannis Rimnam. 1504, 1505 et 1506 fol. voll. tribus chart. Goth. Quæ editio extat Paris. in Navarr. In Joannem vero in Sorbon.

In Joannem seorsim antea prodierat in Incun. typogr. absque loco, anno et nomine typographi, absque numeris reclamationibusve. Quæ editio in fol. extat in eadem Navarr. In his editionibus ut in Lugdunensi initio monetur hanc expositionem in Joannem ab Alberto Romæ lectam, cum eo ivit sub pontif. Alexandri IV occasione libri quem adversus nostros et Minorcs scripserat Gulielmus de Sancto-Amore.

In Apocalypsin prodiit Basileæ, Jacobi de Phortzein, 1506-4 cum præfatione edentis nostri Bernardi de Lutzenburgo, qui et duas tabulas addidit, et tertiam quæ loca alias corrupta et a se restituta indicat asteriscis : ac præter commentarium Alberti in prologum Gilberti Porretani aliud suum in eundem præmittit. Quæ editio apud nostros Rotomagen. et Romæ in Barber.

## CODICES MS.

Vidit omnium Petrus de Prussia, seorsim in *Matthæum* Coloniæ apud nostros manu ipsius Alberti, et eadem manu in *Lucam* Ratisbonæ, in *Joannem* vero Noribergæ, utrobique apud nostros servari asserit.

Catalog. Anglic. T. I, P. II, n. 253 in *Matthæum*; n. 254 in *Marcum et Lucam*. T. II, P. I, n. 1801 in *Lucam*.

Claravall. *Super quatuor evangelia*, voll. duob. fol.

Apud Sanderum, P. II in valle S. Martini p. 209 jam citata laudatur in *Apocalypsin*.

In Sorbon. mox cit. extat cod. fol. mag. membr. ex legato Joannis de Daventria qui vivebat circa 1335, socius Sorbonicus, sed codex antiquior videtur : in eo autem est 1. *Commentarius in septem epistolas canonicas*, ille scilicet qui editus sub nomine S. Thomæ de Aquino, et etiam sub nomine F. Nicolai de Gorran. 2. *Comment-*

*tarius hic in Apocalypsin sub nomine B. Alberti Magni editus totidem verbis a cap. ad calcem : sed in codice utriusque commentarii auctor siletur.*

## TOMUS XII.

1. *Sermones de tempore.* Pr. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus*, etc. Matth. 21.
2. *Orationes super evangelia dominicalia totius anni.* Pr. omnium. *Domine Jesu Christe.*
3. *Sermones de Sanctis.* Pr. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Matth. 4.
4. *Sermones XXXII de Sacramento Eucharistiae.* Pr. *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis.* Proverb. 9.
5. *De muliere fortii.* Pr. *Laudes Ecclesiae describit Salomon in figura mulieris fortis.*

## EDITIONES ANTIQUÆ.

Vetus editio laudatur catal. Anglic. T. II, in biblioth. Joannis Mori hoc titulo : *Sermones notabiles et formales M. Alberti Magni O. Præd. de tempore et de sanctis per anni circulum, impressi per Michaelm Griffin in oppido Rutlingen.*

Iudem Coloniæ, Arnoldi Terhucuen, 1474 fol.

Iudem curis Jo. Andreæ Coppenstein nostri, Moguntiæ, Joannis Aleimen, 1616-8

Postea *de tempore* interpolati et ampliati per F. Simonem Okolski O. Præd. Craco viæ, Lucæ Kupisz, 1649-4.

Alva (Sol. verit. col. 33) dicit a nostris Gulielmo Carnificis et Jo. Bunderio in suo. indice codd. ms Belgii citari Sermones Alberti alio principio, nempe : *Quoniam veritatis*, et reperiri apud nostros Gandavi, item Nivellæ. Revera Bibliopolæ Lugdunenses in suo catalogo operum Alberti quadripartito ejusdem laudant sermones hoc principio *Quoniam veritatis*, quos et olim typis editos præstant. Ut ut sit de quo penes illos fides, aliud erit sermonum opus et ex mōx referendis præter editos, alias Alberti sermones in variis bibliothecis servari constabit.

*Sermones XXXII de Eucharistia* prodierunt in-8 typis Gothicis in Incun. typog. absque anno, loco et nomine typothetæ. Quæ editio extat Paris. in Navarra. Item Moguntiæ per Joann. de Guldenschuff, 1477 fol. Hæc in Sorbon. Vide T. XXI sequenti, art. III.

Postea Moguntiæ, 1615 in-8.

*De muliere fortii.* Prodiit etiam opus in Incun. typ. in-4 chart. Romæ absque loco, anno et nomine typographi, quæ editio in eadem Navarr.

Laudant Pignon et Valleoletanus.

## CODICES MS.

*Orationes super Evangelia* extare apud nostros Coloniæ asserit Petrus de Prussia. Ex Bib. Rhédonensi se dare testantur Editores Lugdunenses.

## XLIV

*De Eucharistia* etiam Coloniæ haberi docet idem Prussus, partim manu notarii seu sodalis qui ad Alberti obsequium erat, partim manu ipsius Alberti castigantis, immutantis vel addentis ut sibi videbatur.

Habentur etiam codd. in-4 in Bibl. Trajectina ad Rhenum recensiti a Sandero P. II, p. 74.

*De muliere forti* Coloniæ apud nostros vidit Prussus cit.

In catal. Anglic. T. I, P. II, cod. 634 : *Albertus de muliere forti*.

Claravall. *Super caput Mulierem fortem*.

Paris. in Sorbon. extat cod. n. 4 p. 505 fol. mag. memb. cum pluribus aliis ligatus.

Alva in suo comicò *Pleytos de los libros*, nostros ridet Pleyto IX, p. 50, quod hunc *de muliere forti* commentarium Alberto ascribant, quem, inquit, duo codices Corbeianus et Anglicus apud Thomam James p. 81, ubi recensentur libri ms gymnasii S. Benedicti n. 134 inter plura S. Augustini exhibent. Sed sane risit solus, nam ut ut sit de tractatu illo codicum Corbeiensis et Anglicani quos videre non licuit, primo nulla editio operum Augustini, nequidem ultima amplissima et ex codd. Corbeiens. partim facta, nullum sub hoc titulo *De muliere forti* tractatum repræsentat nec inter genuina nec inter supposititia. Præterea iste commentarius in cap. 31 Proverb. ut nec micam habet styli S. D. Augustini, ita proprium redolet Alberti, ut nihil magis, genuinumque ejus foetum se prodat.

## TOMUS XIII.

*Commentarii in Dionysium Areopagitam.*

1. *De cœlesti hierarchia*. Pr. *Ad locum unde oriuntur flumina*, etc. Eccles. 1.
2. *De ecclesiastica hierarchia*. Pr. *Quia per angelicæ hierarchiæ*, etc.
3. *De mystica theologia*. Pr. *Vere tu es Deus absconditus*, etc. Isa. 43.
4. *In undecim epistolas Dionysii*. Pr. *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me*. Jerem. 9.

Laudant omnia Pignon et Valleletanus.

Editionem antiquiorem nullus quod sciam meminit.

### CODICES MS.

Super omnia opera Dionysii dicti Areopagitæ vidit Petrus de Prussia.

Paris. in Victor. cod. 958 chart. fol. scripto anno MCCCCIX extat *de cœl. hierarch.* et principia sequentis. Item cod. 58 fol. mag. chart. extat *de myst. Theolog.* et *in epistolas*.

In Navarr. cod. fol. par. memb. *Expositiones D. Alberti FF. Præd. quondam episc. Ratisb. super omnes libros Dionysii, et super epistolas ejusdem*. Codex videotur sœc. XIV.

In Augustiniana ad Pontem novum, cod. 191 fol. parv. memb. ex antiquioribus, extant *De cœl. hierarch.* *De myst. Theol.* et *super epistolas*.

Adjecerunt Editores huic tomo opusculum celebre, cui titulus

*Compendium theologicæ veritatis*. Cujus Pr. *Veritatis theologicæ sublimitas*, etc.

Quia scilicet plures antiquiores editiones, etiam in Incun. typog. Alberto Magno asserunt : quia tamen S. Antoninus istud opusculum disertis verbis Alberto abjudicat, nec ejus meminerunt antiquiores Pignon et Valleoletanus, ex genuinorum Alberti operum indice resecandum et expungendum certius videtur.

## TOMUS XIV.

*In librum I magistri Sententiarum. Pr. Ego ex ore Altissimi, etc. Eccles. 24.*

## TOMUS XV.

*In secundum. Pr. Vidi Dominum sedentem super solium. Isa 6.*

*In tertium. Pr. Hic enim rationis ordo postulat.*

## TOMUS XVI.

*In quartum. Pr. Sapientia ædificavit, etc. Proverb. 9.*

Libros quatuor laudat Pignon.

## EDITIONES ANTIQUÆ.

Basileæ, Jacobi de Phorzein, 1506, fol. Quæ editio extat Paris. in Sangenov. Sorbon. et Navarr. et laudatur in catal. Anglic. in bibl. Joh. Mori. In Barber. vero absque loco, anno et nomine typographi. An eadem an diversa ?

## CODICES MS.

Apud Sanderum, P. II in valle S. Martini, p. 209 : *Albertus magnus super primum Sententiarum.*

Et in Confendunck p. 46 : *Albertus magnus in primum et secundum Sententiarum.* Tomis duobus in fol. et pergamo.

Paris. in Victor. cod. 923 fol. memb. *in secundum Sentent.*

Quod in quarto Sententiarum, Dist. 31, de usu conjugii turpes quasdam quæstiones tractarit, egregie purgat ipsemet, *ita, inquit, cogentibus monstris quæ in confessione audiuntur.* Ne ergo, ait Theophilus Raynaudus (Hopl. sect. 2, serm. 3, cap. 10) *confessarii rudes sint medicinæ quam facere debent adeo frequentibus morbis, justum censuit Albertus in illud oletum stylum demittere.* Neque est quod putas hujusmodi libros inter historias peccare docentes computandos, alioquin ipsa peccatorum confessio esset prohibenda, quod nemo catholicus sine horrore audiat. Non hujusmodi opera quærunt voluptatis amatores, ceu in quibus una severius redarguntur. Si qui vero exinde sibi perniciem aliquando crearint, cogitet unusquisque nihil esse tam bonum, quo vel ipsa scriptura sacra mali non abutantur.

TOMUS XVII.

*Prima pars Summæ theologiæ. Pr. Mirabilis facta est scientia tua ex me, etc.*  
Psal. 138.

TOMUS XVIII.

*Secunda pars. Pr. Exod. 34 dicitur quod descendens Moyses de monte, etc.*  
Laudant Pignon et Valleobstanus.

EDITIO ANTERIOR.

Basileæ, typis gothicis Jac. de Phorzein, 1507. fol. Extat Paris. in Navarr. et Sorbon. ; et Romæ in Barber.

CODICES MS.

Coloniæ apud nostros utramque haberi asserit Petrus de Prussia.

Venetiis ad S. Antonium, Plut. X apud Tomasinum.

Paris. in Victor. codd. 59 et 60 fol. mag. papyr. quorum primus scriptus anno MCCCCXIV vigil. Purific. alter MCCCCXXII sabbato ante festum nativ. B. Joan. Bapt. per manum Gerardi Martelli de quo jam supra T. IV.

Sorbon. Utraque pars codd. duobus fol. mag. memb. 4, Scripta anno MCCCCX, 2. Scripta anno MCCCCIX, et completa xi januar. Ad calcem primi codicis sic legitur : *Explicit primus liber in nomine Jesu Christi de mysterio Trinitatis secundum F. Albertum professum Ord. Prædic. episcopum quondam Ratisbon. sacræ theologiæ magistrum in Colonia quiescentem in conventu FF. Præd. in choro ante majus altare.* Ad calcem alterius : *Explicit Summa Super secundum Sententiarum a venerabili F. Alberto quondam episcopo Ratisbonen. O. P. scripta ut supra per manus Gerardi de Profuntibus diæcessis Cameracen.*

TOMUS XIX.

*Summa de creaturis divisa in duas partes, quarum prima est de quatuor coævis, scilicet materia prima, tempore, cœlo et angelo.*

*Secunda de homine.*

Laudant utramque Pignon et Valleolestanus.

## EDITIONES ANTIQUÆ.

Prodiit utraque pars typis Gothicis. Venetiis. Octav. Scoti, 1498, fol. Quæ editio extat Paris. in Sangenov.

Rursus ibidem 1519 fol. Romæ in Barber.

## CODICES MS.

Coloniæ apud nostros haberi utramque docet Petrus de Prussia.

Florentiæ in S. Marci Arm. IV cod. 10 fol. mag. papyr. *Clarissimi philosophi Alberti magni commentatoris Latini sacri Ord. Prædic. De homine.* Dordrecht, anno D. MCCCCXLV. Nomen notarii. Sic tantum secunda pars.

Venetiis, Bessarion, utraque codd. duobus in fol. memb.

Ibidem ad S. Antonium secunda pars *de homine.*

Catal. Anglic. T. I, P. II, cod. 750 utraque et plura alia ejusdem.

Apud Sanderum, P. II p. 138 in Viridi valle : *Albertus Magnus de quatuor coævis.*

At p. 209 in valle S. Martini utraque.

Paris. in Navarr. Secunda pars cod. fol. med. papyr sed mutila.

Augustin. ad Pontem novum eadem secunda *de homine* integra cod. 432 fol. med. membr. videtur ante MCCC scriptus.

Regia eadem secunda integra cod. 4842 fol. mag. chart.

Tholomœus de Lucca æqualis (Hist. Eccl. Nov. lib. xxii, c. 18) sic habet de supracitatis theologicis operibus : *Hic theologiam declaravit. Fecit enim scriptum super quatuor libros Sententiarum. Hic Summam theologiæ inchoavit sed non complevit, fecit tamen duo volumina quæ ad divinam naturam pertinent et emanationes creaturarum. Hic fecit librum de coæquævis, ubi disputantur materiæ naturales, et ponuntur sub quæstionibus philosophicis quantum dici potest in philosophiæ terminis et etiam ipsam ad theologiam adaptando.* Ubi sub titulo *de coæquævis* utramque partem complectitur.

## TOMUS XX.

1. *Super Evangelium Missus est quæstiones CCXXX.* Pr. *Clara est, et quæ nunquam marcescit sapientia.* Sap. 6.

2. *De laudibus B. Virginis libri duodecim.* Pr. *Universis Christi fidelibus, etc.*

3. *Biblia Mariana.* Pr. *In principio creavit Deus cælum et terram.*

Primum opus laudant Pignon et Valletoletanus sub titulo. *De laudibus B. Virginis,* cum hoc princ. *Nunquam marcescit, etc.*

## XLVIII

### EDITIONES VETERES.

1. Mediolani, 1489 ex fide Beughemii.
2. Hoc titulo : *Summula de laudibus Christiferæ virginis magistri Alberti*. Coloniæ. Henrici Quentell. 1502, vi Kal. Sept. in 4 chart. Gothic. Quæ editio Paris. in Navarr. Romæ vero in Barber. Extat alia Venetiis. 1504, in-8.

### CODICES MS.

Catal. Anglie. T. I, P. I, cod. 1288. *Albertus Magnus de laudibus B. V.*

Apud Sanderum, P. II, Amstelodami, p. 71. *Albertus de laudibus B. M. Pr. Nunquam marcescit.* Traject. ad Rhenum, p. I : *De Mariæ Virginis laudibus Albertus magnus*, in fol. Idem codex est p. 83 recensitus. Et in Tongren. p. 188. *Albertus magnus super missus est.* Et in valle S. Martini, p. 209. *De laude B. M. V.*

Claravall. *Super missus est.* Lipsien. S. Pauli apud Fellerum, p. 97, idem et p. 140. *Alberti magni tractatus tripartitus super missus est.*

Parisiis in Victor. cod. 573 fol. mag. memb. sæc. ut videtur xiv hoc principio : *Nunquam marcescit sapientia.* Ad finem sic legitur : *Explicit liber de Laude B. Virginis Alberti magni.*

Alterum opus libris duodecim constans certo non est Alberti magni, neque inter ejus opera ullus veterum meminit nec Pignon nec Valleopolitanus : ex catalogo itaque operum Alberti expungendum. Methodum tamen nostram in recensendis editionibus et codd. ms sequemur, et quid de vero auctore sentiant quidam addemus, ille enim ex industria nomen suum celavit, ne ut habet in fine secundi prologi cognito tractatore tractatus forte vilesceret.

### EDITIONES ANTIQUÆ.

1. Sub hoc titulo. *Opus insigne de laudibus B. mariæ virginis, alias mariale appellatum.* Argentinæ, Martini Simi, 1493 fol. Quæ editio extat in Bibl. Cæsar. Vindob. teste Lambecio, lib. 2, p. 777.

Altera Coloniæ absque anno fol. mag. laudatur ab Alva (Sol. Ver. Rad. 151) penes quem fides.

Alia item Coloniæ, 1509 fol. refertur a Lipenio, Bibl. Theol. P. II, p. 237, b.

Tandem sæculo ultimum elapso idem opus typis prodit hoc titulo : *Richardi a Sancto Laurentio qui ante CCCC annos floruit de laudibus B. Mariæ Virginis libri XII.* Duaci, Joan. Bogardi, 1623-4 mag. Lipenius loco mox citato laudat editionem ejusdem anni Antverpiæ, sed forte eadem est, quæ ut solemne in his duabus civitatibus prostabat.

Editor ut Richardo de S. Laurentio assereret, hoc momento persuasus est : quod auctor quibusdam locis remittat ad alios tractatus a se antea editos. Sic (lib. II, col. 152) citat tractatum suum de confessione et fructu ejus : (lib. IV, col. 233) citat tra-

statum suum de munditia cordis : (lib. VII, col. 442) tractatum suum de contritione, tit. de exprobatione peccati : (lib. X, col. 632) tractatum de scala Jacob seu de scala religionis, quos quatuor et plures alios ad numerum XXI dicti Richardi nomine insignitos ejusdem rationis ac styli editor præ manibus se habere affirmabat, et in fronte codicis sui ms quo continentur, titulum illum pœnitentiarii Rotomagensis Ecclesiæ insigniri.

Revera D. Franciscus de la Pommeraye asceta Sammaureus (*Histoire de la cathédrale de Rouen, Rotomagi*, 1686 in-4 edita) ubi de visitatione ab Odone Clément archiepiscopo facta pro reformatione capituli Andeliacensis anno MCCXLV, in actis refert dici præsentes plures canonicos Ecclesiæ Rotomagensis, et in his Richardum a S. Laurentio, qui forte sic dictus fuerit ab originis suæ loco castro nempe ejusdem diocesis in Caletibus, vel etiam ab ejusdem castri dominorum familia etiamnum illustri, vulgo *de Saint Laurens*. Ut ut sit ex fide Editoris Richardum a S. Laurentio operis hujus auctorem ultro annuunt Theophilus Raynaudus (Dypt. mar.) et Philip-  
pus Labbeus (Dissert. de script. Eccl. T. I, p. 31).

Emendandus autem hic venit Casimirus Oudin in suo Suppl. de script. Eccl. p. 506, ubi dubitans de fide Labbei citantis editionem Duacensem anni 1625, opinatur legendum esse 1525 et ejus esse antiquitatis, quæ, inquit, inventa fuit in cœnobio Franciscanorum de Bernaio in Normania : in quo insigniter allucinatur, cum titulus exempli Bernaiani sit idem editionis Duacenæ 1625 a Labbeo laudatæ, quæque non apud Bernaianos quærenda fuit, ceu quæ ubique prostat, et cuius etiam exemplum apud nostros Parisienses ad S. Honorati habetur. Imo secum ipso pugnat, nam cum asserat in titulo exempli Bernaiani auctorem dici ante 400 annos floruisse, si editio esset anni 1525, Richardum remitteret ad sæculum XII, et ad annum circiter 1125, quem tamen ipse collocat ad annum circiter 1230 vel 1245, quo revera auctorem circiter floruisse constabit ex sequentibus.

## CODICES MS.

Paris. in Victor. cod. 811 fol. mag. memb. Titulus litteris alternatim rubris et cæruleis : *Incipit novum Mariale. Liber de laudibus B. Mariæ.* Bibliothecæ quidam ante 100 annos præfectus sua manu adjecit opus esse nostri Jacobi de Voragine, cuius erroris præfectum hujus ætatis monui. Ibidem cod. 823 fol. pellibus vitulinis elegantibus rursus extat idem opus a fol. 1 ad 81 : fol. autem 82 sequuntur sermones de evangeliis et epistolis dominicanarum totius anni absque nomine auctoris, sed qui ex cod. insigni Sorbon. sunt nostri Hugonis a S. Charo : quod non sine causa annotatum constabit ex mox dicendis.

In Sorbon. et Navarr. sunt codices insignes et ejusdem rationis ac Victorini, et hi omnes mihi videntur sæc. XII.

In Regia cod. 3683 fol. mag. pellibus vitulinis chart. eleganti, in tabubis ligneis panno bombycino villoso coloris violacei coopertis ligato extat idem opus *De laudibus B. Virginis.* Pag. 2 sic legitur : *Hoc volumen est conventus Fratrum Prædicatorum lugdunensium, quod fuit D. Hugonis tit. S. Sabinæ presbyteri cardinalis, cui missum fuerat de Picardia ab auctore ejus mediantibus aliquibus.* Quod scriptum manu codici fere æquali et ejusdem sæculi. Manu vero longe recentiori ad-

\*\*\*\*

## L

ditum : *Mariale Hugonis Minoritæ*. Ex quibus hæc habentur codicem hunc alias fuisse nostrorum Lugdunensium, quibus obvenerat ex hæreditate F. Hugonis de S. Charo Ord. Præd. cardinalis anno MCCXLIV exeunte creati et anno MCCLXII mortui : præterea ab ipso auctore tum in Picardia agente inter annos notatos, quibus proinde florebat, præfato cardinali missum fuisse : quod sane convenit cum ætate indicata Richardi a S. Laurentio canonici Rotomagensis. Nullius vero ponderis est inscriptio addita *Mariale Hugonis Minoritæ*, utpote quæ recentior, præsertim cum apud nomenclatores ordinis Minorum iste Hugo sit omnino incognitus.

In Bibl. Cæsar. Vindob. extat etiam hujus operis exemplum chartaceum fol. sed recentius anno MCCCCXXXVIII scriptum teste Lambecio cit. p. 776. Notandum quod habet auctor ad finem prologi : *Et quia rogatus sum ab amicis meis tam monachis quam monialibus de ordine Cisterciensium, qui speciali affectu famulari solent Virgini gloriosæ, non prout debui, sed prout potui, prosecutus sum laudes ejus, etc.* Opus itaque in gratiam Cisterciensium concinnatum fuit.

Tertium hujus tomī opus *Biblia Mariana* non recensetur inter Alberti opera nec a Laurentio Pignon nec a Valleletano, nec quantum mihi sapit, stylum redolet Alberti, eique abjiciendum etiam videretur : peritiorum tamen esto judicium.

Prodiisse ferunt alias Coloniæ, Boetzeri, 1625–8. Quæ editio Romæ in Barber.

Apud Fellerum de Bibl. Paul. Lipsien. p. 148, n. 20 recensetur *Biblia B. Virginis*, sed absque nomine auctoris.

## TOMUS XXI.

*Miscellanea. De opusculis hoc tomo collectis visum est sigillatim agendum.*

1. *Philosophia pauperum, sive Isagoge in libros Aristotelis de physico auditu, de caelo et mundo, de generatione et corruptione, de Meteoris et de anima.* Pr. *Philosophia dividitur in tres partes, etc.* Recenset Valleletanus : *Item scripsit parvam summam philosophiae quæ incipit : Philosophia dividitur, etc.* ut in editis. Eamdem censeo quæ a Laurentio Pignon dicitur, *Introductio in libros naturales*.

### EDITIONES ANTIQUÆ.

Brixiae, 1493. Venetiis, 1496. Quæ posterior ex fide Beughemii<sup>1</sup>.

### CODICES MS.

Paris. in Sorbon. cod. fol. mag. membr. cum aliis doctorum ejus ætatis Sigeri de Cortraco, Michaelis de Brabantia, F. Roberti Kylwardby, F. Thomæ de Aquino, ligatum hoc titulo : *Commentum Alberti parvum. Incipit compendium de negotio naturali Alberti. Philosophia dividitur, etc.* eadem. Notandum autem in codice isto sæ-

<sup>1</sup> *Alberti Magni naturalis philosophia* edita cum Johannis magistri tractatu de Fato. Parisiis, 1513, in-4 (Echard, T. II, additiones.)

culi haud dubie xiiii post finem qui idem ac in editis, sic addi : *Jam finem compendio nostro imposuisse cogitabamus, et negotii studio valedixisse : et ecce quidam sociorum meorum prædilectus affuit, conspectisque negotii titulis in processum colla surripuit in membranam, nec finem imponere permisit, quo usque sibi satisfacremus de quæstionibus, etc.* quæ scilicet ibidem sequuntur. Codex itaque novæ editioni si aliquando suscipiatur, et emendandæ et augendæ erit utilissimus. Finis. *Explicit compendium de negotio naturali Fratris Auberti.*

In Colbert. cod. 210 fol. memb. Idem titulus qui in Sorbon.

2. *De apprehensione et apprehensionis modis.* Qui tractatus per modum dialogi. Hujus non meminerunt Pignon et Valleletanus : stylum Alberti non refert, mihi que ejus non videtur, de quo tamen esto peritiorum judicium.

Sub nomine Alberti Magni prodidisse dicunt seorsim Londini, 1513-8. Sic Caveus (Hist. Litt.).

3. *De sacrificio Missæ.* Pr. Isa. 66. *Dicit Dominus, Ecce ego declinabo super eum quasi fluvium pacis.*

Et 4. *De sacramento Eucharistiae.* Pr. Quia de sacramento altaris.

Ipse auctor horum alterum promiserat in priori Tract. 3, cap. 42. De secundo sic Bernardus Guidonis : *Circa finem vero dierum suorum librum de sacramento altaris reddidit (Albertus) in quo simpliciter ostendit et simplicitatem fidei sue in Deum, et fervorem devotionis ad dominicæ Incarnationis sacratissimum mysterium, et qua excelebat scientiam divinarum scripturarum.* Utrumque laudant etiam Pignon et Valleletanus.

#### CODICES MS.

Coloniæ apud nostros utrumque servari testatur Petrus de Prussia.

Apud Sanderum, P. II, p. 209 in valle S. Martini uterque recensetur : ac secundus rursus indicatur p. 72, in Traject. ad Rhenum.

Paris. in Victor. cod. 42 fol. med. papyr. uterque habetur : et ad finem secundi adjicitur : *Oratio ejusdem doctoris et episcopi de corpore Domini. Omnipotens, etc.* Ibidem iterum secundus cod. 68 fol. papyr. scriptus anno MCCCCXXXVII.

#### EDITIONES VETERES.

*Liber de officio Missæ. Summa de corpore Christi. Sermones de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.* Moguntiæ, Joan. Guldenschaff, 1417 fol. Hæc uno volumine, Quæ editio Paris. in Sorbon<sup>1</sup>.

5. *Paradisus animæ, sive de virtutibus libellus.* Pr. *Sunt quædam vitia, quæ frequenter virtutum speciem prætendunt, etc.*

6. *De adhærendo Deo libellus.* Pr. *Cogitavi mihi aliquid ultimate, etc.*

<sup>1</sup> Ejusdem sermones de Eucharistia et perfectis virtutibus editi fuerunt Argentinæ, Martini Flach, 1498 (Echard, T. II, Appendix addenda et emendanda exhibens).

Pignon et Valleoletanus laudent Alberti tractatum de *perfectione virtutis spiritualis*. Forte idem sit cum illis duobus libellis hic editis, vel illorum alterutro : si autem non sit idem, certe non meminerunt, unde et a quibusdam eruditis an sint Alberti dubitatur.

## EDITIONES ANTERIORES ET SPECIALES.

Primus prodiit hoc titulo : *Tractatus Alberti Magni de virtutibus animæ*. Antverpiæ, 1489 in-4. Quæ editio extat in Bibl. Joh. Mori Catal. Anglic. T. II recensita.

Tum Coloniae, Henrici Quentel. et Daventriæ, 1498-4.

Antverpiæ, 1602-12. Romæ in Barber.

Secundus Argentorati, 1507-4. Quæ editio Paris. in Sangenov. Anterior indicatur a Beughemio absque loco anni 1500.

Antverpiæ, Moreti, 1621 in-8, cum vita Alberti per Petrum de Prussia.

Una ambo prodierunt Antverpiæ, Plantini, 1581 in-16.

Elegans est alia quæ initio dicitur, *nunc primum ad varia MS exemplaria emendata, in qua etiam Patrum sententiae ex ipsis auctoribus in longum producuntur*. Ad calcem adjectus est, *D. Anselmi Cantuar. episcopi tractatus perelegans de XIV animæ ac corporis dotibus sive beatitudinibus, editus opera ac studio R.P. Henrici Sommalii, s. j.* Antverpiæ, Plantini, 1602-12, pp. 345.

## CODICES MS.

*De virtutibus.* Haberi in Bibl. D. Coëmans indicant Bibliopolæ Lugdunenses in suo Operum Alberti catalogo. An idem cum edito ?

Apud Sanderum, P. I, p. 327, apud Lovanienses s. j. *Alberti Magni Paradisus animæ*.

Catal. Anglic. T. I, P. 1, cod. 2625. *Alberti Magni de adhærendo Deo capita xvi.*

7. *De Alchymia libellus.* Pr. *Omnis sapientia a Domino Deo est.*

Laudant citati Pignon et Valleoletanus. At Petrus de Prussia in vita Alberti (cap. 16) contendit et pluribus probat ejus fœtum non esse, imo hanc alchimiæ artem in libro de mineralibus damnari et omnino elidi.

## CODICES MS.

Catal. Anglic. T. I, P. 1, cod. 1765. *Excerpta ex Alberto de lapide philosophico.* Et cod. 3902. *Alchemia magistri Alberti episcopi.*

T. II, P. 1, cod. 3659. *Alberti Practica in Alchymiam.*

Et 7677. *Semita recta alchymiae Alberti.*

Apud Tomasinum Bibl. Patav. p. 136 in Bibl. Jo. Rhodii, *Alberti Theutonici semita recta*, in-4, chart. Verum an idem opusculum his locis indicatum cum edito ? Certe aliud est, quod hoc eodem titulo Parisiis in Colbertina servatur. Scilicet cod. 1639 fol. med. chart. *Alberti Magni liber alkimiæ qui semita recta vocatur.* Pr. Ta-

*lentum mihi creditum negotiationis. Finis, fol. 12, nec vires ignis pertimescit. Explicit liber de semita recta Alberti Magni in secretis naturæ operibus et alkimieis introducens.*

Ibid. cod. 4447 inter alia. *Traité d'Albert le Grand de la concordance des philosophes en la pierre.*

EDITIONES ANTERIORES.

*De alchymia.* Libellus prodiit Basileæ, 1561, et Urcellis, 1602-8. Sic Caveus (Hist. litt.)

Sed an idem opus quod prodiit in edit. Lugdun., an quod ex Colbert. *Semita recta* dicitur, mihi incompertum, Cæterum neutrum eruditio Alberto magno asserent, etsi alterutrum jam ante MCCCC ei adscriptum. Nimirum ea ætate quidem vigebant hujus artis studiosi, ne planos ac præstigiatores dicam, qui ut suis commentis et sycophantii auctoritatem adderent, sub graviorum scriptorum nomine sua venditabant, adeo ut nedum Alberto Magno qui amplissima rerum physicarum experientia forsan occasionem dederit, sed et ipsi Thomæ de Aquino ab his quam longissime abhorrenti similia supponere non dubitarint.

8. Opuseculum in his miscellaneis T. XXI editum est, *Scriptum super arborem Aristotelis. Pr. Hæc est figura cœli.*

Nullus antiquus meminit, nullus operum Alberti index exhibet: itaque cum editores unde eruerint non doceant, mihi valde dubium est ne dicam supposititium, sed penes peritiores arbitrium esto.

Præter hactenus relata in editione Lugdunensi contenta prodiit nuper:

*B. Alberti magni episc. Ratisbon, tractatus incomparabilis de conditione creaturæ rationalis, et quæ illi sunt ad Deum, seipsam et alias creatureas cognoscendas necessaria. Sive Dialogi eruditissimi quibus accuratissime ostenditur, quo pacto homo a semetipso alienatus ad sui cognitionem mediante trium graduum scala ad seipsum introire queat. Nempe 1. consideratione ordinis rerum creatarum inter se. 2. Comparatione sui ipsius ad cæteras res penes convenientiam et differentiam eamdem, etc. 3. et Ascensione ad seipsum et a seipso ad omnium conditorem Deum. Opus utilissimum lectuque dignissimum.* Editio altera auctior. Ambergæ, Franc. Cramti, 1703-12. Sex sunt dialogi: 1. *De natura hominis.* 2. *De beneficiis Dei.* 3. *De amore ejus, viribus, conditionibus et fructibus.* 4. *De timore Dei.* 5. *De lapsu hominis.* 6. *De reparatione hominis lapsi, et quod per unum omnes consurgimus.* Locutores: *Raymundus doctor, Dominicus discipulus.* Extat Paris. in Regia D. 2908-2. Facile vident omnes opus non esse Alberti Magni, sed Anonymi qui ex ejus scriptis profecerit.

Gallice vero, *Grâces privilégiées de la Vierge traduites en français par J. Martin, Lugdini, 1627-12.* Extat Romæ in Barber. Neque hic Alberti Magni.

SEQUUNTUR OPERA QUÆ IN SUPERIORI laudata *Lugdunensi editione non prodierunt, et a citatis Laurentio Pignon et Ludovico a Valletoleti recensentur, ita tamen ut posterioris ordinem sequamur, singulis nomen prioris addendo, ubi idem habet, adjectis cod. MS vel etiam editis qui mihi occurrerunt.*

Sic ergo Valleletanus :

1. *Scripsit Albertus super totam Bibliam per modum postillæ. Hic inutile esset sacrae scripturæ libros omnes sigillatim enumerare, ut quidam fecerunt, nam nec recenset Valleletanus.*

2. *Item super multos libros ejusdem modo quo scripsit naturalem philosophiam per tractatus et capitula ordine commentario.*

Catal. Anglic. T. I, P. I, cod. 947 : *Albertus Magnus super aliquot textus veteris et novi testamenti.*

Apud Sanderum, P. II in valle S. Martini p. 209 : *Expositiones vocabulorum Bibliae.*

Laurentius Pignon quid habet distinctius : Scripsit, inquit,

3. *Postillas super Job.*

In catal. Bibl. Mediceæ, Plut. XIII cod. 10 fol. memb. *Scriptum super Job F. Alberti Theutonici de Ordine FF. Prædic. opus ineditum, codex rarus cui adjicitur hæc nota : Ilanc Jobi explanationem anno MDCLXXX annuente serenissimo Cosmo III. Magno duce Pater Maximilianus Deza Lucensis Congregationis SS. Matris Dei tunc temporis discretissimus verbi Dei præco in ecclesia S. Laurentii sibi transcribendam curavit typis eam daturus quamprimum.* Sic ibi, quod an opere præstiterit clarus ecclesiastes, mihi hactenus incomptum. Simile exemplum vidi Petrus de Prussia.

4. *Super Cantica.* Dicunt extare ms in-fol. in Bibl. Cisterciensi.

5. *Super Isaiam.* Dicunt haberri apud nostros Colonienses.

6. *Super Jeremiam et Ezechiem.* Vidi Petrus de Prussia et ex iis quædam fragmenta identidem refert in vita B. Alberti.

7. *Super omnes epistolas B. Pauli Apostoli.* Noverat Petrus de Prussia virum doctum, penes quem erat hujus commentarii exemplum.

Audiendus hic Tholomæus de Lucca (Hist. Eccles. Nov. lib. 12, cap. 18) ubi sic habet de Alberto : *Hic exposuit magnam partem Bibliae, quia postillavit Evangelia, epistolas Pauli, Prophetas majores et minores, libros Salomonis et Job.* Quæ non parum confirmant hactenus dicta.

Prosequitur Valleletanus addendo Summæ theologicæ, cuius tantum habentur duæ priores partes, alias duas

8. *Tertiam scilicet de Christo et virtutibus.*

9. *Quartam de sacramentis et gloria resurrectionis.*

Et quidem Albertus has prioribus adjicere in animo habuisse dubitari nequit, cum divisionem illam quatrimembrem proponat (P. I, Q. 5, art. ult.) ac variis etiam pri-mæ partis locis indicet se de virtutibus ac donis acturum, eoque remittat, at qua-cumque de causa promissis non stetisse certum : primo enim Laurentius Pignon jam ante MCCCC scribens nonnisi duas priores partes quæ typis prodierunt agnovit :

at quod rem extra dubium ponit, Tholomæus de Lucca loco mox citato sic habet : *Hic Summam theologiae inchoavit sed non complevit, fecit tamen duo volumina, quæ ad divinam naturam pertinent et emanationes creaturarum.* Nihil clarius.

9. *De perfectione vitæ spiritualis.* Sic etiam Pignon. Dicunt extare in Victorina. Vide supra T. XXI art. 6, ubi conjectu solum dictum forte illud esse opusculum cui titulus *De adhærendo Deo*.

10. *Contra Guillemites impugnantes religiosos.* Pignon contra *Gulielmum de Sanctoamore.* Alii vocant *Defensorium mendicantium*, et dicunt extare in Victorina : vidit saltem Petrus de Prussia in nostra Coloniensi.

11. *De partu hominis, et de formatione hominis in utero.* Sic etiam Pignon. Dicunt extare in Victor. Utrumque facile crediderim excerptam esse ex magno opere *De animalibus* (lib. IX et X). Ut ut sit seorsim prodiit *Alberti libellus de formatione hominis in utero.* Antverpiæ, 1538-8. Quæ editio Romæ in Barber. et e re esset a peritis examinari.

12. *Liber multarum quæstionum determinativus ad Parisienses.* Pignon sic habet : *Determinationes quarundam quæstionum ad clerum Parisiensem.* Vidit Petrus de Prussia, et dicit esse circa undecim quæstiones, quas F. Egidius Ordinis Prædic. ad Albertum misit ejus judicio terminandas, tractatum vero esse notum, et hoc habere principium : *Intellectus hominis, etc.*

13. *Multæ prosæ seu sequentiæ et alia devota.* Pignon : *Sequentiæ plures.* Dicunt extare in Victorina. Inter has numerant *Prosa de Trinitate*, quæ ad nostra usque tempora in Ordine fuit in usu, et in nostris missalibus excepta ultima editione Romana anni 1694 habetur. Pr. *Profitentes unitatem.*

14. *Unum officium de corpore Christi quod non est in usu communi Ecclesiæ cum diversis prosis de eodem sacramento.*

15. *Super librum Dionysii de divinis nominibus.* Pignon etiam meminit. Extare dicunt in Victor. forte in aliis codicibus quam a me visis et supra T. XIII laudatis : at quantum memini extat in Navarr. et vidit Petrus de Prussia.

16. *Liber de arte prædicandi.*

17. *Liber de reparacione hominis lapsi.*

#### PHILOSOPHICA.

18. *De longitudine et brevitate vite.* Sic distinguit Pignon sed non Valleopolitanus, forte quod idem sit cum tractatu secundi opusculi *De morte et vita.* Vide supra T. V, n. 7.

19. *De differentia corporis et animæ.* Sic Valleopolitanus sed non habet Pignon.

20. *Liber XV Quæstionum contra Averroistas.* Sic Valleopolitanus, Pignon vero, *Præblemata contra Averroistarum quæstiones*<sup>1</sup>.

21. *De unitate formæ.* Sic etiam Pignon. Eamdem quæstionem pluribus agitat *Summa de homine.* Vide T. XI.

<sup>1</sup> *Tractatus de modo opponendi et respondentи auctore Alberto Magno,* vetus editio in-4.

Extabat in eodem Baluzi catalogo impressorum recensitus n. 4934. Extabat ibidem n. 3220 re-  
censitus (Echard, T. II, Additiones).

## LVI

22. *De lapidibus et herbis.* Sic Pignon, non habet Valleoletanus. An quod prodit cum libello de Secretis mulierum, et ejusdem est furfuris? Vide catalogo sequenti, n. 32.

Catal. Anglic. T. II, P. 1, cod. 9433. *Liber de lapidibus quem composuit F. Albertus de Colonia.* An idem, an excerptus ex libro de mineralibus? Vide T. II, n. 5.

### MORALIA.

23. *De monastica libri quinque, et de œconomica libri quatuor.* Extare apud nostros Coloniæ testis est Petrus de Prussia.

*Item exposuit ad litteram omnes libros philosophiæ Aristotelis.* Sic prosequitur Valleoletanus.

24. *Super libros docem Ethicorum.* An repetitio operis de quam jam supra T. IV, an alterum quod Pignon inscribit, *Quæstiones super libros Ethicorum?* Petrus de Prussia dicit super hos libros scripsisse dupli modo, per modum scripti et per modum commenti, et utrumque haberi apud nostros Coloniæ.

Apud Sanderum, P. II in valle S. Martini p. 209 : *Quæstiones Ethicorum.*

In Claravalle etiam extant *Quæstiones super Ethica.*

25. *Libros octo Politicorum.* Idem de hoc ac de superiori judicium.

26. *Libros duos œconomicorum.*

27. *Libros duos magnorum moralium.*

28. *Item problemata Aristotelis.* Dicunt haberi in Victorina.

29. *Exposuit etiam tres libros Rheticorum.*

### MATHEMATICA.

Omnes scientias mathematicas copiose pertractavit, non ipse fecit

30. *Summam de scientia arithmeticæ.*

31. *Item aliam de scientia musicali.*

32. *Item aliam de scientia geometriæ.*

33. *Item aliam de scientia perspectivæ.*

34. *Item aliam copiosissimam de astronomia.*

*Et quamlibet istarum in multos libros distinxit.* Qui modus loquendi Valleoletani omnia ista ab eo visa indicat.

Catal. Anglic. T. I, P. 1, cod. 3467 laudantur *Excerpta ex libris maxime astrologicis, inter alios ex Alberto.* Beughemius citat opus Alberti Magni editum absque loco, anno et nomine hypothetæ in Incun. Typ. hoc titulo *De duabus sapientiis et de recapitulatione omnium librorum Astronomiæ.*

35. *Item commentatus est Arithmeticam Boetii.*

36. *Musicam ejusdem.*

37. *Geometriam Euclidis.*

38. *Almagestem Ptolemæi.*

39. *Perspectivam Alacenis.* Alii legunt *Alcionis, alii Alcenis.*

De his omnibus Pignon sic solum generatim : *Item exposuit Euclidem, Almagestum et plures alios libros mathematicos.*

40. *Item fecit librum de sphæra mundi. Pignon Super sphæram.*

Nota. Ipse Albertus principio libri physicorum sic loquitur : *Cum sint tres partes essentiales philosophiæ, Physica, Metaphysica et Mathematica, intentio nostra est omnes prædictas partes facere Latinis intelligibiles. Primo complebimus Deo dante scientiam naturalem, deinde loquemur de Mathematicis omnibus, et intentionem nostram in scientia divina finiemus.*

41. *Librum de imaginibus astrologorum.* An excerptum ex speculo Astronomico, ubi (cap. 10) agit de imaginibus astronomicis, et quidem ita ut non videatur de iis quid amplius scribendum sibi proposuisse.

42. *Fecit summam ubi improbavit scientias magicas, necromantiam, geomantiam, hydromantiam, aeremantiam, pyromantiam, aruspiciam, horoscopicam, augurium, maleficia, sortilegia, præstigia.* An aliud opus a *speculo astronomico*, in quo (cap. 16) has omnes artes reprobat? Valletoletanus tamen distinguit<sup>1</sup>.

43. *Librum qui dicitur de secretis secretorum Alberti, in quo mira et inaudita posuit. Pignon librum qui dicitur secretum secretorum Alberti.*

Extat hujus opusculi editio antiqua in Incun. Typog. absque loco et anno recensita Catal Anglie. T. I, P. I, cod. 1174. Et ibid inter ms. cod. 2063 : *Expositio libri Alberti de secretis mulierum.* Est etiam Paris. in Regia cod. 5464 fol. par.

Prodiit typis cum commento Venetiis, 1508. Iterum absque loco editionis, 1540 in-16 cum aliis opusculis. Rursus scholiis auctum Lugduni, 1615 in-16, quæ editio Romæ in Barber. Amstelodami, 1643, et ibidem typis elegantibus Janssonii, 1662 in-12.

De hoc tractatu in Ind. Rom. sic decernitur : *Alberto Magno doctori egregio falso adscripto libellus de Secretis mulierum omnino prohibetur.* Et sane falso ipsi suppositum evincitur ex eo quod ipse Albertus (capp. 6 et 10) ut testis pluries adducitur cum Avicenna et quædam ab eo experta et relata in libris de animalibus afferuntur sic : *Sed in omnibus istis mirabilior est ille casus et effectus, quem Albertus recitat, etc.* et postea : *Recitat enim Albertus, etc.* Ibidem : *Recitant Avicenna et Albertus, etc.* Quæ auctorem libelli alium probant. Non ignoro heterodoxum quemdam hujus nostræ ætatis maligne objicere, proclive esse ut seipso citent qui nomen suum in quodam opere premunt ex industria ; etsi enim id forte de quibusdam callidioribus præsumi possit, de Alberto nemo cordatus cogitarit, quem ubique mira ingenuitate scripsisse, ut et semper egisse cuilibet nec æmulo nec maligno obvium est. Adde verum hujus opellæ auctorem a Simlero asseri Henricum de Saxonia sæculo xiii clarum, sub cuius nomine typis prodūsse idem Simlerus testatur, Augustæ, Antonii Sorg. 1498. Ferunt autem istum Henricum Alberti fuisse discipulum, et quia magistri operibus in quibusdam usus est, hinc discipuli lucubrationem magistro adscribendi ansem arripuerunt.

44. *Librum de natura Deorum in plures partes sive libellos distinctum.*

<sup>1</sup> Ejus *Oneirocritica* seu de interpretatione somniorum libellus, sed suppositius extat in Cæsarea (Echard, T. II, *Appendix addenda et emendanda exhibens*).

## LVIII

45. *Librum de homine immortali.* Forte idem cum eo cui titulus *De origine et immortalitate animæ*. Vide indicem sequentem n. 8.

46. *Librum de duodecim alphabetis.* An opus distinctum, an collectio alphabeterum quæ variis in operibus Albertus proponit, ab aliquo curioso concinnata? Sic t. II, lib. 2, tract. 2 de mineralibus est alphabetum lapidum pretiosorum. T. V opusculo de vegetabilibus lib. 6 sunt duo alphabeta, unum de arboribus, alterum de herbis. T. VI, lib. 22 sunt quinque alphabeta, 1. de quadrupedibus; 2. de avibus; 3. de natatilibus; 4. de serpentibus; 5. de parvis animalibus sanguinem non habentibus. Quatuor alia ad complendum numerum duodecimum necessaria alphabeta forte ex aliis ejusdem operibus a curioso eruta, et in unum digesta fuerint.

47. *Librum de ingenii purgandis et erigendis.* Scio hæc alias aliter interpretari, ego vero censeo his significari vel instrumenta bellica, vel machinas ad aquas et alia onera gravia sursum attollenda. Sic enim ea ætate quæ gallice vocamus *engins*, latine dicebant *ingenia*, quo sensu Universitas Parisiensis scribens capitulo nostro generali Lugduni anno MCCLXXIV coacto, petebat sibi mitti opus ei a S. Thoma de Aquino promissum, *De aquarum conductibus et ingenii erigendis*. Titulum a Valleoletano positum corruperunt, qui sic referunt *De magistris purgandis et erigendis*. Legesis etiam Ducangium, vocabulo *Ingenia*.

### LOGICALIA.

48. *De logica sive dialectica.* Scripsit logicam per longum. An opus diversum, an quod censere proclive, repetitio operum T. I editorum?

49. *Super Boetii librum de divisionibus.* Extat in Victor. Cod. cit. 616 post commentum ejusdem in Topica Aristotelis, et ad calcem legitur: *Explicit liber divisionum exppositus a F. Alberto.* Mirum typographos Lugdunenses Topicis non addidisse.

Catal. Anglic. Tom. I, P. 2, cod. 720: *Albertus magnus super libros divisionum.*

50. *Super libros posteriorum per modum expositionis litteralis.*

### GRAMMATICALIA.

51. *Fecit summam grammaticalem.*

Catal. Anglic. T. I, P. I, cod. 2256: *Alberti tractatus de modo significandi*, et P. 2, cod. 727: *Alberti Magni de modo significandi et de passionibus sermonum.* An idem?

52. *Fecit librum de arte Rhetorica.*

53. *Item exposuit antiquos doctores grammaticales, scilicet Priscianum in majori et minori voluminibus, et alios auctores.*

54. *De intelligentia et substantiis separatis.*

Catal. Anglic. T. I, P. II, cod. 450: *Alberti intelligentiarum Metaphysica.* Dubium tamen an opus distinctum, an ex aliis operibus excerptum, nam plures Albertus de intelligentiis agit. Vide T. V. Op. 17. De causis et processu universitatis (lib. 2, tract. 2 et 3) ubi ex professo tractat de intelligentiis. Vide etiam Metaphysicorum lib. XI, item Summæ theologicæ par. alteram ut et Summæ de quatuor coœvis tract. 4.

## ARTES PRACTICÆ.

55. *Liber de medicina.*

Catal. Anglic. T. I, P. III, n. 952 inter auctores Latinos medicos *Alberti Magni opera in 19 libris*, quos tamen non de medicina omnes agere putarim, sed plures esse ex supra relatis præsertim physicis.

Tom. II, P. I, cod. 3141. *Alberti Magni experimenta medica.*

Et cod. 3654. *Alberti experimenta.*

Et cod. 3681. *Alberti experimenta rursus et inter medicos. An opus distinctum, an ex ejus variis operibus excerpta?*

56. *Libri de lanificio, de armatura* (sic etiam in cod. Victor. Vallepletani, quamvis alii inter quos Petrus de Prussia legant *de aratura*) *item de agricultura, de venatione, de navigatione, de theatrica.*

Hos omnes credere est vidisse Vallepletanum, sed ubi jam extent nemo refert. De agricultura quedam habet T. V, Op. 15, de vegetabilibus et plantis (lib. 7, tract. 1). Tormenta bellica ænea ignivoma majora et minora adinvenisse quidam putarunt, sed horum inventionem longe recentiorem esse certo asserunt eruditi, cuius evidens argumentum est quod Vincentius Bellovacensis æqualis, qui et plura ab eo mutuatus est, horum in suo *Speculo doctrinali* non meminerit, sed tantum armorum antiquorum.

Hactenus index operum Alberti Magni a Vallepletano concinnatus.

SEQUITUR ALIORUM EJUSDEM OPERUM *index* ex catalogo a bibliographis Lugdunensibus anno MDCXLVI edito excerptus, adjectis etiam passim notis nostris illustratus.

1. *De Scriptura sacra.* Haberi dicunt Romæ in Barber.

2. *Notulæ super Evangelium Matthæi de Epiphania Domini.* Haberi dicunt cum sequenti apud nostros Coloniæ. Prodiit in-fol. in Incun. Typ. absque loco, anno et nomine hypothetæ.

3. *Passio magistralis D. N. Jesu Christi.*

4. *Annotationes in S. Augustini libros. — Confessionum. De Trinitate. De quantitate et immortalitate animarum. Super Genesim. De disciplina ecclesiastica. LXXXI quæstionum. De hæresibus. Retractationes. De vera religione. De ecclesiasticis dogmatibus. De beata vita. De libero arbitrio. Epistolas. De bono. De sancta virginitate. De perseverantia. De correptione et gratia. De natura boni. De videndo Deo. In libellum S. Joannis Chrysostomi, quod nemo læditur nisi a seipso. In sententias S. Prosperi.* Has dicunt servari in Barber. Utinam quis eruditus evolvat et diligentius recognoscatur.

5. *Tabula super quatuor libros Sententiarum.* In catalogo Bibl. Barber. edito sic lego : *Index ms omnium operum scilicet Alberti.*

6. *De bono et natura bonorum.* Laudat Pignon citatus. Addunt vero haberi in Victorina. Petrus de Prussia testatur hoc opus apud nostros servari Coloniæ, et in eo de virtutibus singulis, de legibus et aliis multis auctorem agere. Apud Sanderum, P. II, in valle S. Martini p. 209 : *Alberti Magni summa de bono.*

7. *De gratia Dei.*

8. *De origine et immortalitate animæ.* Dicunt ms servari in Victorina. Beughe-mius asserit typis prodiisse Noribergæ, 1493. Quæ editio teste Reisero, p. 114, servatur in Bibl. Augustana. Paris. in Regia cod. 4750 de quo postea fusius n. 52 inter alia Alberti Magni habetur opusculum *de immortalitate animæ.* Hunc librum auctor ipse citat in libello *de unitate intellectus contra Averroem*, cap. 1. Vide T. V, n. 10.

9. *De sacra theologia.* Addunt servari in Barber.

10. *Theologia positiva, moralis, scholastica, mystica, symbolica et concionatoria.* Quid hoc titulo intelligent nescio, nisi forte operum Alberti de theologia corpus universum.

11. *De timore multiplici.*

12. *Enchiridion de veris et perfectis virtutibus.* Catal. Angl. T. I, P. I, cod. 2149 : *Albertus Magnus de virtutibus animæ veris et perfectis, quas gratuitas vocat, etc. est liber impressus.* An diversum ab eo quod typis prodiit T. XXI cui titulus *Paradisus animæ?*

13. *Orationes super sententias.* Extant Coloniae a Petro de Prussia visæ.

14. *An expediatur homini vovere ingressum in religionem?* Dicunt extare in Victor.

15. *De quatuor virtutibus cardinalibus.* Recensetur cum aliis Alberti catal. Angliec. T. I, P. II, cod. 750.

16. *De arte bene moriendi.* Laudant in Thuana, nunc Regia. In Colbert. cod. ms 6104 : *Alberti Magni ars bene moriendi.*

17. *Parvi tractatus, scilicet De libro vitae. De evacuatione charitatis. De ordine charitatis in patria. De virtutibus cardinalibus. De donis. De combinatione donorum. De timore. De scientia. De sapientia. De vitiis in communi et specialiter de usura. De mendacio. Quomodo differant mansuetudo et misericordia?* Dicunt haberi sic collecta in Claromontana Parisiensi s. j. Catal. Angl. T. I, P. I, cod. 1672 : *Alberti dona.*

18. *Volumen unum de sacramentis.* In laudata Clarom.

19. *Conciones diversæ.* In ead. Clarom. Catal. Angl. T. I, P. I, cod. 820 recensetur.

*F. Alberti sermo de præparatione cordis.* An Magni, an alterius ?

20. *De doctrina dicendi et tacendi.* Verus titulus : *Tractatus Venerabilis Domini Alberti Magni de arte vivendi, loquendi et tacendi.* Princ. *Si fore vis sapiens, etc.* Ad calcem : *Finit tractatulus impressus Parisiis, Ædib. sorbonicis aurei solis, 1491,* April. 7 in-8 ; pp. 7, typis romanis nitidis et elegantibus Udalr. Gering et Berth. Rembolt. Ejusdem fere tituli, sed longe alterius rationis prodiit opus hoc titulo : *Incepit liber moralissimi Albertani causidici Brixensis de ora S. Agathæ super modo loquendi et tacendi.* Pr. *Quoniam in dicendo multi errant, etc.* Prodiit pluries ex Beughemio Lovanii et Antverpiæ, 1485. Daventriæ, 1490. Lipsiæ, 1491 : ubique in-4. Aliam editionem vidi absque anno et loco sed cum privilegio ducis Sabaudiæ et cum aliis ejusdem Albertani qui florebat anno MCCXXXVI operibus in-fol. ubi opus illud de modo loquendi pp. 50 implet : hæcque editio ut et alterius Alberti Magni

extant in Sorbon. Quæ monenda fuere, ne quis hos tractatus confundat. Catal. Anglic. T. II, P. I: *Doctrina dicendi et tacendi per Albertum*. Vide n. 9312.

21. *De officio missæ*. Vix tamen aliud crediderim ab edito T. XXI sub titulo *De sacrificio Missæ*, nam in edit. Mogunt. 1477 fol. supra laudata hoc eodem titulo prodidit *De officio missæ*.

22. *De oratione Dominica*. Petrus de Prussia a quodam viro docto se didicisse testatur hunc tractatum specialem in Italia reperiri.

23. *Litaniæ de tempore et de Sanctis*. Extant in Victor. cod ms 1129 fol. chart. a fol. 99 ad 105. Titulus: *Letania F. Alberti episcopi de Ord. Prædic. Pr. Candor lumen et speculum sine macula*. Ad finem: *Explicit Letania F. Alberti episcopi de Ord. Prædic. Teutonici*. Coloniæ apud nostros haberi a se visas testatur Petrus de Prussia, addens singulis quos invocat sanctis singularem ab eo dirigi orationem. Sic etiam in cod. Victor. Apud Sanderum, P. II in valle S. Martini p. 209 etiam recensentur.

24. *Oratiunculæ de Passione Domini*.

25. *De mysteriis missæ*. Idem censuerim cum edito T. XXI *de sacrificio missæ*.

26. *De capillitiis B. V. et in illa verba Regina Angelorum. Quindecim gaudia Virginis. Quæstio de speculo Mariæ. Conciones de B. V.*

In Claravalle dicuntur extare *Alberti Magni sermones Mariales*.

27. *Commentarius in canticum Magnificat*. An aliud, an excerptum ex commentario in Lucam?

28. *Summa B. V. et tractatus de martyriis Sanctorum*. Laudant in Bibl. D. Coemans.

Catal. Angl. T. II, P. I, cod. 961: *Albertus magnus de B. V. Maria et ejus miraculis*. An aliquod tribus his numeris ultimis laudatorum?

29. *De anteprædicamentis. De contingent et possibili. De postprædicamentis. De definitionibus* Laudant Coloniæ. An sint lucubrationes ab editis T. I logicalibus, docebunt forsitan sodales?

30. *Isagoge in Physicam*. Repetitionem censeo et idem cum edita T. XXI philosophia pauperum, quæ et Isagoge dicitur. Idem existimes de his quæ ceu distincta opera numerant his titulis: *Compendium philosophiæ naturalis; et parva summa philosophica: et summa philosophiæ*.

31. *De corpore mobili secundum locum*. Dicunt haberi in Bibl. Cornelierensi.

32. *De gemmis. De lapidum quorumdam virtutibus. De quorumdam animalium virtutibus. De virtutibus quorumdam herbarum*. Prodiit sub hoc titulo: *Liber aggregationum sive secretorum de virtutibus herbarum, lapidum et animalium*. Neapoli, 1493-4. Sic Beughemius. Tum cum opusculo *de mirabilibus mundi* eidem Alberto supposito, Francofurti, 1614 in-12. Rursus hic subjecto libello *de Secretis mulierum*, Lugduni, 1615 in-16, quæ duæ editiones extant in Barber. Postea illis præmisso eodem libello de secret. mul. Amstelodami, 1643 et ibidem Janssonii, 1662 in-12 pp. 218. Catal. Anglic. T. I, P. I, cod. 1638 sic legitur: *Alberti secreta de naturis quorumdam herborum, lapidum et animalium*. Et cod. 1748 sequenti: *Fratris Alberti de Saxonia secreta de herbis, lapidibus et animalibus*. Hæc probant incerto in editionibus relatis hæc omnia opuscula Alberto Magno fuisse tributa, cum codd. ms varient, et alii Alberto cuidam, alii Alberto de Saxonia vindicent: noster

enim non Saxo sed Suevus fuit. Præterea qui Alberti Magni stylo paululum assuetus fuerit, et ingenium norit ab istis vanis et futilibus alienissimum, ei non sine injuria tribui judicabit. Quænam vero indicentur ibidem cod. 1734 : *Experimenta sive secreta Alberti*, docebunt periti indigenæ, ut et quæ cod. 1791 : *Alberti magni de lapidibus pretiosis*; quamvis hoc ultimum esse ex libro de mineralibus conjectu sit prouum?

33. *De scientia meteororum. De somniis. De natura animalium. De naturali perfectione intellectus.* Et hæc vix crediderim aliud esse quam bis repetita aut excerpta ex aliis supra jam relatis. Primum ex commentario in *Meteora* T. II edito; alterum ex libro *de somno et vigilia* T. V, op. 3, lib. 2 ubi plura de somniis, vel etiam ex *Summa de homine*, quæst. 44 et seqq. Tertium ex ingenti opere *de animalibus* lib. I. Quartum tandem ex op. 15, T. V, *De intellectu et intelligibili*, ubi lib. 2 agit de naturali perfectione intellectus, ut ibidem notatum.

34. *De secretis super Henricum de Saxonie de formato fætu.* At tantum abest ut Albertus scripserit super Henricum, quin ipse Henricus a Simlero proditur fuisse Alberti Magni discipulus, et verus auctor libri insulsi de secretis mulierum. Vide supra indice n. 42 annotata.

35. *De sensu communi et aliis potentiis animæ.* Dicunt extare in Victor. Catal. Angl. T. I, P. II, cod. 880 : *Albertus Magnus de sensu communi.* De eodem agit qq. 33 et 34 *Summæ de homine*. T. XIX.

Et P. I, cod. 1911 : *Alberti Magni de potentiis* inter alia plura ejusdem. P. III, cod. 1703 : *De potentiis animæ.* Codex mutilus.

Colbert. cod. 2441 fol. par. memb. *Liber de viribus animæ a F. Alberto Teutonico.* Pr. *Sicut dicit Damascenus impossibile est substantiam esse expertem aliqua naturali operatione, etc.* foliolis quatuor tantum. Finis : *Facultas voluntatis et rationis.*

36. *De avium natura et de quadrupedibus.* Laudant utrumque in Regia. Revera extant cod. 5785 fol. med. chart. at non novum opus, sed duo libri sunt ex magno Alberti opere de animalibus seorsim scripti.

37. *De homine et diversis ejus definitionibus.* Laudant etiam in Regia. Revera extat cod. 4842 fol. mag. chart. Sed est idem opus cum edito T. XIX, et est pars secunda *Summæ de creaturis.*

38. Parvorum naturalium textus cum commentario ex Alberti doctrina collecto per Joannem de Mechlinia anno MCCCCLX clarum. Coloniæ, Quentell. 1498. Iste Joannes acerrimus fuit doctrinæ Alberti sectator.

39. *De perfectione animæ.* Laudant in Regia. Revera ultimum est opusculum cod. 4750 de quo postea fusius n. 52. Hujus libri meminit ipse Albertus, et citat ut distinctum in libello de unitate intellectus contra Averroem sub finem cap. 4.

40. *Philosophia moralis.*

41. *De directione astronomiæ et de astris.* Laudant in Regia.

42. *An licitum sit uti iudiciis astrorum?* Laudant in Regia.

43. *In speculum astrolabicum.*

44. *Ephemerides.*

45. *De causis.* An aliud ab opusculo 17, T. V, edito de causis et processu universitatis a causa prima?

46. *De ente et essentia.*

47. *De diversis quæstionibus.*

48. *De secretis naturæ.* Certo non est Alberti. Philippo Ulstadio medico et patrictio Noriburgensi anno MCCXXV claro quidam adscripserunt, et sub ejus nomine prodiit Argentinæ, 1528, teste Simlero : at longius a vero aberrarunt illi, verus enim auctor est Michael Scotus mathematicus et astronomus Friderico II imperante clarus, quem valde senem ad MCCXC pervenisse ait Baleus de eo legendus. Prodiit autem ille libellus *de secretis naturæ* seu *de Physionomia*, nam idem est, sub ejus nomine, Venetiis, Jo. Bapt. Sessa, 1503 : et postea Amstelodami, Janssonii, 1662 in-12 cum supra relatis de secretis mulierum, de virtutibus quarundam herbarum et de mirabilibus mundi a p. 219 ad 358. Praefixa est ad Fridericum imperatorem ejusdem Scotti epistola nuncupatoria, in qua illum ad physionomiæ studium amplectendum pluribus hortatur, et hujus artis laudes amplius prosequitur. Sic vero opella incipit : *Prima pars secretorum naturalium. Utilitas physionomiae, cap. 1.* Hic auctor plura alia opera scripsit, quorum catalogum vides apud Simlerum. In Sorbona duo sunt codices ms fol. memb. cujusque titulus : *Libri de cœlo et mundo Aristotelis ex translatione Michaelis Scotti. Pr. Tibi Stephane de Pruviniis hoc opus quod ego Michael Scotus dedi Latinitati ex dictis Aristotelis et c.* In gratiam lectorum placuit annotare, nam hujus translationis non nominit Simlerus<sup>1</sup>.

Catal. Angl. T. II, P. I, cod. 3060 sic legitur : *Albertus Magnus de occultis naturæ.* Sed si idem opus, ne dubites, suppositum est.

Paris. in Regia cod. 4963 fol. mag. memb. a fol. 79 ad 83 : *Incipit Physionomia F. Alberti Teutonici. Pr. De capite et capillis. Videmus animum masculum in pluribus, etc.* Quisquis sit ille Albertus, Magnum esse nemo mihi suadebit. Cæterum opus aliud est a mox relato *De secretis naturæ.*

49. *De natura seu naturis rerum.* Aiunt esse in Victor. sed falso adscribunt Alberto nostro, cum sit ejus olim discipuli F. Thomæ Cantimpratani.

50. *Variæ quæstiones theologiæ, et de universalibus principiis.* Servari aiunt in Barber.

51. *De fato.* Haberi dicunt in Victor. In ea vero Bibl. cod. 56 quod sub nomine Alberti Magni servatur opusculum de fato, illud idem est quod inter S. Thomæ de Aquino opuscula est ordine XXVIII. Alberto Magno etiam asserit codex Sangenovensis circa MCCC scriptus.

52. *Tractatus varii.* Scilicet sic legerunt bibliopolæ Lugdunenses, vel potius qui eis subministrabant, sic inquam legerunt in eujusdam bibliothecæ catalogo, novaque Alberti opera prodere putarunt, cum revera nihil dicant : tractatus enim illi varii bene possunt esse jam recensiti, quam alii. Nisi ergo quis codices ipsos lustret et evolvat, nihil tenetur.

Catal. Angl. T. I, P. II, cod. 1431 : *Tractatus quidam Alberti cum aliis.*

Apud Sanderum, P. II in abbatia de Tongerloo, p. 153. *Alberti magni varia opuscula.* Sed nisi bibliothecarum illarum præfecti qui sint illi tractatus, et quæ sint illa opuscula prodant, certe nihil nos docent.

Paris. in Regia in catalogo codd. ms sic legitur cod. 4750 : *Alberti magni tractatus varii.* Qui indicem Lugdunensem confecerunt, istud solum legisse videntur,

<sup>1</sup> Nuper in manibus habuimus opusculum in-16 editum Amstelodami apud Joannem Ravesteiniū sub hoc titulo : *Albertus Magnus de secretis mulierum. Item de Virtutibus herbarum, lapidum et animalium.* A p. 204 ad p. 329 extat Michaelis Scotti libellus, *de secretis naturæ.* A. B.

## LXIV

nec ultra quæsivisse. Porro in codice illo fol. mag. memb. hæc habentur omnia: jam supra recensita. *Commentaria in meteora. De generatione et correptione et pleraque parva naturalia. De morte et vita. De somna et vigilia. De immortalitate animæ. De spiritu et respiratione. De causis et proprietatibus elementorum. De nutrimento et nutritio. De natura et origine animæ. De sensu et sensato. De memoria et reminiscencia. De motu et processu animalium. De perfectione animæ.* Itaque numerus hic non nova opera, sed codices tantum alios indicat, quibus opera jam laudata continentur.

53. *De mirabilibus mundi.* Laudant in Regia. Vide supra n. 32 ubi supposititum esse dictum est, cuius præterea nullus antiquus inter Alberti opera meminit.

54. *Eulogium ecclesiasticum.* Laudant in Bibl. Carnot. sed qua non addunt. Certo non est in Bibl. Ecclesie Carnoten. cuius indicem accuratum præstante clar. D. Gueau canonico consecutus sum. Si nostræ ibidem domus intelligent, novi non exiguum in ea codicum mss numerum servari, sed quorum indicem hactenus obtinere non potui. Sed quid sibi vult Eulogium? An Euchologium? Apud Sanderum, P. II in valle S. Martini p. 209, inter opera Alberti Magni recensentur *Canones pænitentiales.* Utinam quis indigena curiosius evolvat et recognoscat, ac quid de iis sentiendum hie addat.

55. *De proprietatibus rerum.* Laudant Coloniae. Verum istud opus non aliud censeo a magno opere de animalibus libris XXVI distincto: hoc enim *de proprietatibus rerum* etiam inscriptum alias fuisse patet ex edit. Rom. anni 1478 supra T. VI relata: ejusdemque rationis existimo codd. mss qui in catal. Anglic. indicantur.

T. I, P. I, cod. 3522: *Alberti tractatus de proprietatibus rerum una cum animalium monstrorumque singulorum icosimis more prisco depictis.*

T. II, P. I, cod. 3040: *Albertus Magnus de naturis et proprietatibus rerum.*

Aliud autem opus est omnibus hoc titulo notum *De proprietatibus rerum*, cuius auctor est quidam F. Bartholomæus Anglus ordinis Minorum sub finem saeculi XIII clarus.

56. *De consideratione creaturarum liber.* Laudatur a Sandero, P. II in valle S. Martini p. 208<sup>1</sup>.

An ad aliquod supra relatorum operum sit referendus, puta ad Summan de creaturis, an lucubratio sit omnino diversa, indigenæ codicem consulendo forsitan aliquando docebunt?

<sup>1</sup> Ejus Tractatus de Physiognomia in Cæsarea.

Addenda etiam:

1. *Tractatus de virtutibus herbarum, lapidum et animalium*, editus in Cæsaris Longini Trino magico, Francofurti, 1614.

2. Lo stesso in lingua italiana verso, Venetiis, 1699 in-12.

3. *Liber de natura locorum* studio Georgii Sanristetter Collimitii ex bibliotheca Viennensi cod. ms in lucem editus, Viennensis, 1514 in-4.

4. *Liber de adhærendo Deo* italice redditus, Bessi, 1680 in-24.

5. *Libellus de Alchimia una cum scripto super arbores Aristotelis*, editus in Gulielmi Gaffarel vera alchimiæ doctrina, Basileæ, 1581.

6. *Tractatus secretorum de lapide philosophico*, editus inter scriptores de arte aurifera, Basileæ, 1620, volumine secundo.

7. *Tractatus quidam* prodierunt in Theatro Chemicò, Argentorati, 1695, volumine quarto.

Hi septem posteriores editiones extant in Casanatensi.

Cf. Echard, T. II, *Appendix addenda et emendanda exhibens.*

Indicem geminum operum Alberti Magni, alterum juxta ordinem rerum seu scientiarum, alphabeticum alterum edidit noster Petrus Louvet Divisionensis Parisiis, Joan. Remy, 1642 in-4, sed utrumque non accuratum: in quibus scilicet eadem opera bis aut ter repetuntur, et ob aliquam in titulo vel a variis nomenclatoribus allato, vel ex variis codicibus desumpto diversitatem, ceu reipsa diversa exhibentur, nullo etiam fere adhibito criterio. Sed neque hunc nostrum omnino accuratum contendimus, nam vix nobis persuademus, quin seu Valleopolitanus, seu bibliopolæ Lugdunenses eadem plures repetierint, et ut distincta protulerint, quæ castigare non licuit, ea præsertim ratione quod codices ms indicatos plures videre ac explorare aut commodum aut otium non fuit. Lectorum itaque diligentiae erit, si ipsis liceat, bibliothecas laudatas scrutari, codicum antiquitatem et sinceritatem probare, cum genuinis conferre, inventa ac probata hic addere, nostraque errata si quæ agnoverint emendare.



# PRÆFATIO EDITORUM LUGDUNENSIVM.

## BENEVOLO LECTORI.

Non Medæis poculis, *benevole Lector*, sed studio, labore impensisque maximis senescentem Albertum ad florescentem ætatem reduximus. Siluerat vetusta nimium tam resonans Ecclesiæ tuba, caligaverat præ antiquitate tantus splendor : vixque Albertus in Alberto conspicuus erat. Terrebat quotquot ante nos extitere tantum laboris pondus ; dum privato et publico bono consulendi necessitas urgeret. Erexit tandem animum secura benevolentia tuae confidentia, tibique Albertum redivivum offerimus, de cuius scriptis nihil est quod hic veterum et recentiorum Authorum laudes texamus : cum res ipsa fidem, si aliunde non foret, abunde tibi faceret. Hoc unum addemus beatum virum non scriptis solum, sed et pietate sanctimoniaque ita magnum, ut dubium reliquerit, plus litteris an pietate processerit : utrum plus scriptori præstantissimo laudis, an viro sanctissimo venerationis debeatur. Sanctum Ecclesia judicat, doctissimum scripta prædicant : ita ut neminem plura ex universis et in singulis attigisse audacter possimus dicere. Unde non obscure quilibet colligat memoriam Alberto pene immensam, lectionem infinitam, ingenium ad perecipiendum, judicium ad seligendum paria fuisse. Quibus si addas indefessum laborem, ætatem longissimam secunda valetudine ad octoginta circiter annos perductam, rationem quodammodo ineas, qua tandem mortalis unus, tam multa tamque accurate scripserit, quorum singula multos homines eosque eruditissimos ætatesque plurimas requirent.

Universam Philosophiam non quidem obiter et captiose, ut solet, sed acutissime pertractavit : ita ut nec brevitatem, nec quid redundans liceat animadvertere : de quo justius quam de Pericle veteri comœdo possemus dicere, in labiis ejus sedisse veluti quamdam philosophandi deam. Sed quod adhuc mirum tibi videbitur, ita Aristotelicæ philosophiæ non defensor modo, sed et usque ad minutissima verba acutissimasque sententias æmulator fuit, ut cuius philosophiam sectaretur, dicendi quoque exprimeret modum : facileque discernere nescias, interpresne Aristotelis an ipse sit Aristoteles : possesque, quod de Philone viro eruditissimo apud Græcos usurpatum est, dum inquietabant, aut Plato Philonem sequitur, aut Platonem Philo, Alberto ad principem Peripateticæ disciplinæ relato, jure merito aptare. Unde interpretando Aristotelem tantam ipsius verbis fidem adhibuit, ut corruptissimam translationem commentatus non mutaverit, imo incorruptissimam ipsam corruptionem multis in locis servaverit. Nec minus insuper Platonis, Epicuri, Pythagoræ, aliorumque Philosophorum dogmata calluit quam Aristotelica. Primus enim Latinorum quidquid in Latinis, Græcis, Arabibus, Hebræis, Ægyptiis Philosophis accuratissimum et præstantissimum fuit, perscrutatus est. In quibus omnibus mens libera semper fuit, nullis implicata ambagibus (sponte enim fluunt acutæ sententiæ) omnia perlustravit naturæ mysteria, et ea quidem ex primis et proximis rerum causis : scire enim est res per causas cognoscere ex mente Aristotelis, quam ita assecutus est, ut posteri omnes qui in eum scripserunt, aut parum admodum, aut nihil adjecerint.

In libris quos in Bibliam scripsit, illud præcipuum obtinet inter omnes elogium, neminem Scripturæ sacræ mentem altius aut eruditius ex sanctis Patribus collegisse. Unum tamen est dolendum, maximam ferme partem eorum quæ in universam Bibliam scripsit, excidisse.

Veniant deinde varii Sermones, in quibus tanta reluet eloquentia et tantus religionis zelus, ut non mirum si aliquando Ratisbonæ hæreticus præco verba facturus, cum ascendisset suggestum pervetustum et saxeum unde ad populum conciones habebat Albertus (qui hac etiam ætate visitur) exemplo mutus evaserit : quo prodigo senatus permotus alium statuit ad vicinam columnam, quem cum ascendisset impurus rabula, pristina voce valuit.

Volumen unum varios continet in B. Dionysium Areopagitam Commentarios, in quibus hactenus inexplicata evolvit, humanoque altiora captu, ore styloque mortali infra spem citraque rem

## LXVIII

et effectum cuilibet perspicua reddit, ita ut facile ostendat D. Paulum interpretis vice functum esse, ut alias gravissimi Auctores testantur.

Deinde Theologica mysteria pandit, in quibus adeo processit, ut omnibus quod mutuarentur aut imitarentur reliquerit, quid excogitarent prope nihil. Uno verbo si rerum ordinem multis iisque doctissimis qui Albertum sunt insecuri ademeris, nihil in illis praeter Albertum reperies.

Tomus alter miranda prorsus divinæ omnipotentiae et sapientiæ secreta prodit, dum rerum ordinem et originem inquirit, agendo de materia prima, de tempore, de cœlo, de Angelis et homine. Quæ in Deiparæ laudes litteris exaravit, non ingenio tantum illum suo, sed studio etiam quo in illam ferebatur, assecutum esse plane declarant, quæ sic accurata sunt, ut de præsenti illius auxilio nemo qui legerit, dubitat.

In Miscellaneis stupendam ingenii fertilitatem exhibet, qualem vix unquam mortalium quispiam est assecutus. Percurre, *benevole Lector*, et adhuc majora videbis quam possimus verbis exprimere. Nec te terreat tantorum voluminum congeries, hac spe recreatum, mortalem posse percurrere quæ mortalis scripsit. Cum aliunde non solum Alberti Magni meritis et tibi, hoc gratitudinis debeas pignus, ut saltem oculis sin mente tantum opus delibes, sed etiam laboribus, vigiliis, studio, perquisitioni et sollicitæ sagacitati RR. PP. celeberrimi Ordinis Prædicatorum.

Inter eos, mirandum sane quantum operæ contulit R. A. P. Jammy : omnia enim volumina pervestigavit, a mendis expurgavit, innumeris locis restituit, citationibus quæ desiderabantur illustravit, copiosissimis indicibus auxit, et ad majorem distinctionem titulos qui tractatibus aut partibus eorum deerant, supplevit : universa denique in quam optimum licuit ordinem negotiose digessit, ita ut sicut olim de Sophia decrepita muliere et paupere quæ obviantes curribus detrahebat lapides dum Apollinis templum construeretur, inscriptum fuit, Sophia me fecit, possimus nunc justius dicere, R. A. P. Jammy me fecit, dum indefesso labore pristino aut forsan nunquam viso statui tanta volumina restituit. Vale.

Mirare eum qui vivens non habuit parem, extinctum et Beatum venerare, doctissimum studiose imitare.

Hoc suadent

Tuæ Benevolentiæ obsequentissimi et devotissimi  
Claudius Prost.

Petrus et Claudius Rigaud, frat.

Hieronymus de la Garde.

Joan. Ant. Huguetan, Filii.

Bibliopolæ Lugdunenses.

*Hanc novam editionem multis expurgatam mendis quas in tam longo ac diffcili opere irrepssisse erat fere impossibile tibi iterum commendamus. Editionis Lugdunensis textum integrum reposuimus, in eodem fere ordine, opera scilicet philosophica primum, deinde in diversos Scripturæ sacræ libros eommunitarios, opera theologica super librum Sententiarum, summam hanc vere mirandam, soli D. Thomæ discipuli cedentem, longo forsan sed proximam intervallo, demum quæ in Deiparæ laudes ac Sacratissimi Eucharistiax Sacramenti Albertus exaravit.*

*Hæc omnia religiose castigata et pro auctoritatibus ad fidem Vulgatae versionis accuratiormque Patrologiæ textuum revocata, notis R. P. Jammy aliorumque illustrata et in sex et triginta tomos multis cum tabulis digesta ac divisa S. D. N. Leoni XIII, Pontifici maximo ac studiorum theologicorum instauratori dedicavimus, omnibus quæ, pro viribus, tum Patrum, tum præcipuorum Theologorum opera, longam per vitam, in honorem Ecclesiae Christi et litterarum sacrarum propagationis, iterum edidimus opera opere hoc ultimo finem imponentes.*      Vale.

Lud. VIVÈS, editor Parisiensis.



# B. ALBERTI MAGNI,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

## E L O G I U M .

*ALBERTUS Deiparæ Philosophus,  
THOMAS Verbi Theologus fuit,  
Bene hic de Filio, bene ille scripsit de Matre :  
Uterque Magnus, sed ille Magister, hic discipulus ;  
Uter plura sciverit ambiguum est,  
Uterque aliquid scivit post omnia.*

*In ALBERTO aliiquid eminet unde supra alios Magnus est,  
Rudis ætate prima et ultima :  
Parum debuit naturæ, ut omnia deberet gratiæ ;  
Momento eruditus, momento indoctus,  
Didicit omnia simul, omnia simul dedidicit,  
Abstulit scientiam quæ dederat,  
Ut sciret qui reddit, alienum esse quod redditur.*

*Bene usus Scientiis, quas acceperat commodatas,  
Implevit Orbem octingentis Libris,  
Satis unus omnibus Bibliothecis ;  
Nec mirum si omnibus sufficit qui THOMÆ discipulo satis fuit.*

*Nec tantum eruditivit orbem, sed correxit,  
Emendavit in Gulielmo a sancto Amore errores futuros,  
Præparavit antidotum venenis venturis :  
Fallaces Aurelii et Pseudo Augustini  
Expugnati sunt ab ALBERTO diu antequam nati.*

*Nulla opinio etiam falsa fefellit ALBERTUM,  
Modum posuit Artibus curiosis ne ultra pergerent,  
Ostendit ubi desineret natura, unde inciperet gratia ;  
Petiit a Virgine ne falli posset, addidit illa ne falleret,  
Nemo erravit sub ALBERTO Magistro, et THOMA Discipulo.*

*Media ætas ALBERTI illustris, omnis humilis fuit,  
Magister Sacri Palatii maluit Germaniam docere quam Romam,  
Ratisbonenses Infulas sponte exuit, quas invitus acceperat ;  
Vix inter suos provinciam regere voluit, qui Ordini regendo par erat,  
Fundator Ordinis futurus, nisi Dominicus præcessisset.*

LXXII

*Qui omnia didicit a Maria, nihil melius didicit quam Mariam,  
Scivit illam antequam aliquid disceret,  
Illam scivit postquam omnia dedidicit,  
Prima hæc vox erupit infanti, et ultima seni.*

*Denique dum ex Cathedra dictat, non tam verba quam oracula,  
Obmutuit extemplo oraculum Orbis,  
Et cuius memoria Sapientiæ promptuarium erat,  
Id tantum tunc meminit se nihil amplius meminisse.*

*Nec mutum tamen ALBERTI silentium fuit,  
ALBERTUS senex et rufus adhuc Orbis Magister erat,  
Probabat immemor divinum esse quidquid memor dictaverat.*

*Obiit anno ætatis 87, clarus miraculis,  
Ipse eruditus et rufus miraculum fuit,  
Nec minori prodigio amisit Scientias quas accepit,  
Beatus qui amittere Scientiam voluit, ut innocentiam retineret.*

*Petrus LABBE, soc. Jesu.*

# CATALOGUS

*Operum Beati Alberti Magni quæ edidit R. P. Jammy et  
in editione Lugdunensi (1651)  
XXI voluminibus digesta reperiuntur.*

*In primo continentur :*

- Vita Beati Alberti Magni.  
De prædicabilibus lib. 4.  
De decem prædicamentis lib. 4.  
De sex principiis lib. 4.  
De interpretatione lib. 2.  
De syllogismo simpliciter, id est, priorum analyticorum lib. 2.  
De demonstratione, id est, posteriorum analyticorum lib. 2.  
Topicorum lib. 8.  
De sophisticis elenchis lib. 2.

*In 2.*

- De physico auditu lib. 8.  
De cœlo et mundo lib. 4.  
De generatione et corruptione lib. 2.  
De meteoris lib. 4.  
De mineralibus lib. 5.

*In 3.*

- De anima lib. 3.  
Metaphysicorum lib. 13.

*In 4.*

- Ethicorum lib. 10.  
Politicorum lib. 8.

*In 5.*

- Parva naturalia, sive*  
De sensu et sensato lib. 1.  
De memoria et reminiscentia lib. 1.  
De somno et vigilia lib. 1.  
De motibus animalium lib. 2.  
De ætate sive de juventute et senectute lib. 1.  
De spiritu et respiratione lib. 2.  
De morte et vita lib. 1.  
De nutrimento et nutritibili lib. 1.  
De natura et origine animæ lib. 1.  
De unitate intellectus contra Averroem lib. 1.  
De intellectu et intelligibili lib. 2.  
De natura locorum lib. 1.  
De causis proprietatum elementorum lib. 1.  
De passionibus aeris lib. 1.  
De vegetabilibus et plantis lib. 7.

De principiis motus progressivi lib. 1.

De processu universitatis a causa prima lib. 1.  
Speculum astronomicum, in quo de libris licitiis et illicitis pertractatur.

*In 6.*

De animalibus lib. 26.

*In 7.*

Commentarii in Psalmos.

*In 8.*

Commentarii in Threnos Jeremiæ.

Comment. in Baruch.

Comment. in Danielem.

Comment. in 12. Prophetas minores.

*In 9.*

Comment. in Matthæum.

Comment. in Marcum.

*In 10.*

Comment. in Lucam.

*In 11.*

Comment. in Joannem.

Comment. in Apocalypsim.

*In 12.*

Sermones de Tempore.

Orationes super Evang. Dominic. totius anni.

Sermones de Sanctis.

Sermones 32 de Sacramento Eucharistiae.

Liber de muliere forti.

*In 13.*

Comment. in Beatum Dionysium Areopagitanum.

Compendium theologicæ veritatis, septem libris digestum.

*In 14.*

Comment. in 1 lib. Sententiarum.

*In 15.*

Comment. in 2 et 3 lib. Sententiarum.

LXXIV

*In 46.*

Comment. in 4 lib. Sententiarum.

*In 47.*

Prima pars Summæ Theologiæ.

*In 48.*

Secunda pars Summæ Theologiæ.

*In 49.*

Summa de creaturis divisa in duas partes, quārum prima est de quatuor coævis, secunda de homine.

*In 20.*

Mariale, sive quæstiones 230 super Missus est.

De laudibus B. Virginis lib. 12.

Biblia Mariana.

*In 21.*

*Miscellanea, sive*

De apprehensione et apprehensionis modis  
lib. 4.

Philosophia pauperum, sive Isagoge in libros  
Aristotelis de physico auditu, de cœlo et  
mundo, de generatione et corruptione, de  
meteoris, et de anima.

De Sacrificio Missæ lib. 1.

De Sacramento Eucharistiæ lib. 1.

Paradisus animæ, sive de virtutibus libellus.

De adhærendo Deo libellus.

De Alchimia libellus.

INDEX RERUM QUÆ IN INTRODUCTIONE  
REPERIUNTUR.

|   |        |
|---|--------|
| Editoris ad S. D. N. Leonem XIII litteræ . . . . .                          | V      |
| S. D. N. Leonis XIII ad Editorem, in forma Brevis litteræ . . . . .         | VII    |
| B. Alberti Magni Vita. . . . .  | IX     |
| Notæ 23 super vitam B. Alberti Magni . . . . .                              | XIII   |
| Bibliographia critica omnium Operum B. Alberti Magni . . . . .              | XXXIII |
| Præfatio editorum Lugdunensium . . . . .                                    | LXVII  |
| B. Alberti Magni elogium . . . . .  | LXXI   |
| Catalogus Operum B. Alberti quæ in editione Lugdunensi reperiuntur. . . . . | LXXIII |



D. ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI,

ORDINIS PRÆDICATORUM  
LOGICA.

LIBER PRIMUS  
DE PRÆDICABILIBUS

TRACTATUS I

DE NATURA LOGICÆ.

CAPUT I.

*Utrum Logica sit scientia et specialis?*

Intendentibus primum de logica, considerandum est qualis scientia sit logica, et an sit aliqua pars Philosophiae, et ad quid necessaria, et cuius utilitatis: deinde autem de quo est, et quæ divisio ipsius: ut habitis omnibus partibus ipsius sciatur quando est perfecte vel imperfecte tradita vel descripta. Circa omnia enim hæc diversa dicere videntur Antiqui. Quidam enim Antiquorum<sup>1</sup> logicam nullam esse scientiam contenderunt, dicentes non posse esse scientiam id quod est omnis scientiæ sive doctrinæ modus. Modus autem omnis doctrinæ logica est: eo quod aliquo genere persuasionis utitur omnis qui docet, vel astruere conatur ali-

quid: omnis autem persuasio per sermonem logica est, sive syllogismo, sive enthymemate, sive inductione, sive exemplo utatur qui docet vel persuadet. Modus igitur omnis doctrinæ logica est. Et sic omnis doctrinæ modus est scientia logica. Nulla igitur est doctrina specialis, quæ logica sit dicenda. Propter quod et Aristoteles in secundo *primæ philosophiæ* suæ<sup>2</sup>, et similiter Averroes dicunt omnis scientiæ modum esse ipsam scientiam quæ est et vocatur logica, et quod non simul addisci potest scientia et scientiæ modus, sed oportet prius discere modum, et deinde per modum jam perfecte apprehensum, addiscere tentare scientiam.

Sed non satis consideraverunt, quod Quod logica sit scientia.

<sup>1</sup> Hæc est opinio Antiquorum, quam etiam sectatur Ægidius in I Elench. in princip.

<sup>2</sup> Tex. com. 15.

a modo alterius, sicut et unaquæque scientia differt ab altera : est tamen unus communis modus scientiae per quoddam commune quod est in omni scientia. Et hoc est quod per investigationem rationis ex cognito devenitur ad cognitionem incogniti : hoc enim fit in omni scientia quocumque modo dicta, sive sit demonstrativa, sive non demonstrativa. Et gratia illius communis, est in omni scientia modus unus communis omnis scientiae. Et hic modus est per actum rationis, qui ratiocinatio sive argumentatio est, de cognitione cogniti procedens in scientiam ejus quod erat incognitum, secundum quod Isaac in libro de *Diffinitionibus* rationem diffiniens, dicit quod ratio est animæ intellectualis virtus, faciens currere causam in causatum. Causam generaliter vocans et large, omne quod secundum intellectum simpliciter, vel quoad nos antecedit ut cognitum, per cuius cognitionem ductu rationis devenitur in notitiam incogniti. Hic autem modus quamvis communis sit per hoc quod ponitur in qualibet scientia, tamen secundum se consideratus et non immixtus scientiis, est quoddam per se distinctum ab omnibus aliis. Et hoc modo consideratus hic modus, potest esse subjectum scientiae, et scientia specialis de ipso est: in qua tamen scientia eumdem modum observari necesse est, quia scientia talis modi non nisi modo logico doceri potest: ut enim dicit Avicenna<sup>1</sup>, modus hic omnibus hominibus (per hoc quod intellectuales sunt quodammodo per naturam) inditus est. Sed imperfectus est qui in natura est: perficitur autem per artem adhibitam. Id enim quod in natura est, seminarium et imperfectum est, et quasi in potentia existens. Ex hoc enim quod homo intellectualis est et intelligentiae stratum, in quo sternuntur formæ intellectuales in actu luminis intelligentiae, et per intellectum compositivus est unius formæ cum alia per compositionem vel

divisionem, fit homo admirativus eorum quæ comprehendit accipiendo per sensum et intellectum, vel per intellectum solum. Per hoc autem quod admirativus est, suspenditur ad inquisitionem, et per inquisitionem comparat unum alteri. Per comparationem autem unius cum altero, ab eo quod est notum deducitur ad ignoti notitiam. Et sic hic logicæ modus a natura quidem incipit: perficitur autem arte, et usu et exercitio recipit perfectionem: sicut et Victorinus optime dicit, quod *natura facit habilem, ars facilem, usus autem potentem*: sic enim natura perfectæ sunt omnes artes et omnes scientiae. Et hinc est, quod ars naturam imitatur. Et sicut dicit Hesiodus: Quidam per solam naturam in talibus sunt perfecti et boni: quidam autem non per naturam, sed quia Doctores talium in animo ponunt: et illi boni efficiuntur talia in animo ponentes, per comprehensionem principiorum artis et scientiae: quidam vero tam erronei sunt, quod nihil talium in se habent, nec ab aliis suscipere possunt, quos Hesiodus ad verum et bonum cognoscendum reputat inutiles.

Patet igitur quod logica una est specialium scientiarum, sicut infabili in qua specialis est ars fabricandi malleum: cuius tamen usus omnibus adhibetur, quæ arte fabrili fabricantur. Investigatio enim, sive ratio investigans ignotum per notum, speciale quoddam est, quod passiones habet et differentias et partes et principia: quæ dum de ipso probantur, ars et scientia efficitur specialis, cuius usus postea omnibus adhibetur scientiis. Sic igitur patet, quod logica generaliter dicta, scientia est specialis, de qua nunc est tractandum.

*Conclusio  
logica  
esse sci-  
entiam spe-  
ciam.*

## CAPUT II.

*Utrum logica sit pars philosophiae?*

Hanc autem scientiam qui modus est omnis philosophiae, quidam nullam par-

*Negant  
logica  
esse phi-  
losophiae  
item.*

<sup>1</sup> AVICENNA, In principio suæ logicæ.

tem esse philosophiæ contendunt, dicentes non nisi tres esse partes philosophiæ, scilicet physicam, mathematicam sive disciplinabilem, et metaphysicam sive divinam. Cum enim diffinitio dicens quid et propter quid medium sit in scientia, et diffinitio non possit variari nisi tripliciter, scilicet quod aut concipiatur materiam sensibilem, quæ cum motu est et mutatione; aut concipiatur materiam intelligibilem, cujus essentia non est cum motu et mutatione secundum rationem, quamvis secundum esse sit in materia quæ est cum mutatione et motu, sicut est magnitudo et numerus; aut nec secundum essentiam, nec secundum esse concipiatur materiam sensibilem: videtur quod philosophia non habeat nisi tres partes essentials, sicut et Aristoteles dicere videtur<sup>1</sup>. Propter quod nonnulli logicam scientiam sive rationalem, nullam partem dicunt esse philosophiæ.

Addunt etiam ad suæ assertionis confirmationem, quod nullius rei modus, cum re cuius modus est, venit in generis sui divisionem. Constat autem, quod logica generaliter dicta modus philosophiæ est. Non ergo venire videtur ad philosophiæ divisionem, nec videtur in aliqua parte hujus generis quod est philosophia contineri.

Hanc autem opinionem alii quidam impugnantes dicunt philosophiæ generalis esse intentionem omnem, omnium quocumque modo entium comprehendere veritatem, quantum homini possibile est comprehendere eam secundum rationem et intellectum. Ea autem quæ sunt, dicuntur esse aut ab opere nostro, sive a voluntate, sive etiam ab intellectu scientiam querente: aut a natura generaliter dicta, quæ ab opere nostro causari non potest. Et cum ea quæ a natura sunt, nostræ sint causæ scientiæ, et non nos sumus causa ipsorum, non potest de illis esse scientia practica. Relinquitur ergo, quod de talibus apud nos non est nisi

scientia contemplativa, quæ lumine intelligentiæ perficitur. Eorum autem quorum nos sumus causa per voluntatem, non potest esse apud nos scientia speculativa, sed tantum practica. Eadem enim sunt in quolibet scibili principia et causæ et elementa cognoscendi, que sunt principia essendi: quia aliter sequeretur, quod id quod scitur a nobis, non scitur secundum id quod est, sed potius sciretur secundum id quod non est. Et sic falso modo sciretur omne quod scitur, quod absurdum est. Relinquitur igitur quod de entibus a natura causatis, non potest esse scientia per ea quæ sunt a nobis, sed potius scientia eorum habetur ex principiis causantibus essentiam et esse eorum in natura, que non nisi per contemplationem sunt in omnibus. Eorum autem quæ sunt a nobis, non potest esse scientia vera apud nos nisi per ea principia quæ sunt in nobis, per quæ nos sumus causa eorum, quæ a nobis sunt: cujus finis non est verum, sed bonum, quod nobis bonum est. Similiter igitur alicuius philosophiæ erit intentio comprehendere veritatem ejus quod in nobis est, secundum rationem qua ntitur comprehendere veritatem ejus quod rationis ductu via est in omnem cognitionem omnium eorum quorum cognitio sit in nobis per ea quæ cognita sunt apud nos, ex quibus nos proficiscimur ad scientiam incognitorum. Erit igitur de intentione philosophiæ etiam logica scientia quæ est rationalis.

Adhuc autem hujus signum dicunt, quod apud Peripateticos philosophia in tres partes prima divisione divisa est, in physicam scilicet generaliter dictam, et ethicam generaliter dictam, et rationalem similiter acceptam. Dico autem physicam generaliter dictam, quæ comprehendit et naturalem et disciplinalem et divinam. Ethicam autem generalem, quæ in se continet et monasticam et œconomicam et civilem. Rationalem autem generalem

2. Ratio.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 6. primæ philosophiæ, tex.

quæ comprehendit omnem modum deveniendi de noto ad ignotum quocumque modo: quod permulta genera probationum fit, ut in sequenti ostendetur. Manifestum est igitur, quod logica aliqua pars est philosophiæ.

**3. Ratio.**

Adhuc autem si aliquid est de intentione philosophiæ: tunc hoc maxime de intentione philosophiæ erit, sine quo nullus in philosophia in aliquam devenire potest cognitionem. Ignorans autem logicam nullus ignoti perfectam potest acquirere cognitionem, eo quod ignorat modum per quem devenire oportet de noto ad ignoti notitiam. Videtur ergo logicam præcipue esse de intentione philosophiæ.

Hanc autem contentionem Avicenna<sup>1</sup> et Alfarabius dicunt esse frivolam et infructuosam. Frivolam quidem, quia in contradicendo sibi intentionem ad idem eodem modo dictum non referunt. Dicentes enim logicam philosophiæ partem non esse, realem et contemplativam philosophiam vocant. Contradicentes autem his, et dicentes logicam partem philosophiæ esse, omnem comprehensionem veritatis qualitercumque existentis, sive in se, sive in nobis cognoscentibus vel operantibus, vocant philosophiam. Et sic frivole contendunt non ad idem suam referentes intentionem. Infructuosa etiam hujus contentio, quia de proposita nihil declarat intentione. Et sic nihil prodest ad propositum.

**Conclusio.**

Est igitur logica una partium philosophiæ generaliter dictæ, quæ omnis admirabilis intendit comprehendere veritatem secundum modum, secundum quem possibile est comprehendere eam ex propriis principiis ejus quod admiratur. Hoc enim variatur secundum uniuscujusque scientiæ proprietatem. Sicut enim in philosophia reali secundum diversitatem diffusionis (quæ medium in demonstratione est) variatur philosophia, sic in logicis sive rationalibus secundum varia-

*Quomodo  
logica va-  
riatur, e. est  
multiplex.*

tiones ratiocinationis variatur scientia, hoc est, sciendi modus. Si enim ratio procedit ex signis facientibus præsumptionem, erit logicæ generalis pars una quæ rhetorica vocatur. Si autem procedit ex fictis facientibus delectationem vel abominationem, erit alia pars logicæ quæ vocatur poesis vel poetica. Si autem procedit ex probabilibus communibus, quæ in pluribus inveniuntur, erit pars alia quæ vocatur dialectica. Si autem procedit ex causis essentialibus et propriis, erit alia pars quæ vocatur demonstrativa. Si ex his quæ videntur et non sunt, erit pars alia quæ vocatur sophistica. Si autem ex cautelis provocantibus respondentem doceat procedere, erit alia pars logicæ generalis quæ vocatur tentativa: et sic facile est de omnibus aliis intelligere.

Horum autem quæ dicta sunt, ratio-  
nem ponit Avicenna dicens res omnes tripliciter esse accipendas, scilicet quod primo accipientur in essentiæ suæ principiis: secundo in esse quod habent in singularibus propriis: tertio autem secundum quod acceptæ sunt in intellectu. Multa enim secundum essentiæ suæ principia separata sunt a motu et a materia quæ tamen secundum esse sunt vel possunt esse in motu et materia, sicut substantia, unitas, identitas, multitudo, et diversitas, et alia hujusmodi, quæ quidem in essentiæ suæ principiis ingenerabilia et incorruptibilia sunt: et hoc modo secundum Platonem sunt rerum principia formalia, propter quod ingenerabilia et incorruptibilia talia Plato esse dicit. Et si talia dicantur generari vel corrumpi, hoc non erit nisi secundum accidens, hoc est, secundum esse quod habent in generatis et corruptis. Acceptio autem rei secundum esse quod habet in suppositis, erit secundum existentiam illorum suppositorum, et secundum diffinitionem quam habere possunt secundum esse quod habent in illis. Acceptio autem rerum secundum quod sunt in intellectu,

<sup>1</sup> AVICENNA, In principio suæ logicæ.

est secundum cognitionem quam habent, non secundum quod in se sunt, sed secundum quod acceptæ sunt per intellectum. Et secundum omnes istos tres modos sunt etiam consequentia accidentia quæ vocantur propriæ passiones ipsius. Et sic quolibet istorum modorum trium philosophia de ipsis intendit acquirere veritatem. Et hoc est per ductum rationis aliquem qui ad logicam pertinet. Res enim prout habent esse in anima, accidentia habent propria, sicut aliquid esse notum apud hominem, et aliquid esse ignotum: et cum comparata ad invicem in aliquo se conjungant, erit via rationis, procedendo de noto ad ignotum, per comparationem noti ad ignotum secundum convenientiam vel differentiam noti ad ignotum. Ex quo comprehenditur, quod unum componitur cum alio, et prædicatur de illo: vel unum dividitur ab alio, et removetur ab ipso: secundum enim hunc modum devenitur de uno in alterum. Hoc igitur modo logica est de intentione philosophiæ generalis.

## CAPUT III.

*De utilitate dialecticæ.*

Summe autem necessaria et utilis est logica philosophiæ. Ex quo enim logica docet qualiter ignotum fiat notum, patet quod in nulla philosophia aliquid notum fieri potest nisi per logicæ doctrinæ facultatem. Est enim, ut dicit Boëtius in *Topicis*<sup>1</sup>, ratio disserendi, hoc est, docens qualiter de quolibet disserendum est, quæ in duas, ut dicit, distribuitur partes, scilicet scientiam inveniendi, quam topicam Græci vocaverunt: et scientiam judicandi, quam Græci analyticam, Latini autem resolutoriam nuncupaverunt. Constat autem quod sine dissertatione et inquisitione non venitur de noto ad ignotum: quæ dissertio non est nisi inquisitio disserens qualiter no-

tum comparatur ad ignotum, qualiter se habet ad illud, ut causa, vel principium, vel signum, vel conjectura ad illud: vel contrario modo ut repugnans ad ipsum, sine quo in nulla scientia aliquid sciri potest<sup>2</sup>. Quoad hoc ergo, quod scientia est docens disserere de omni re, non tantum est utilis in se, sed etiam necessaria est ad omne quod scire intendimus. Propter quod Aristoteles frequenter dicit in diversis libris suis, quod causa erroris antiquorum fuit, quia scientiam logicam non invenerunt sive habuerunt. Docet enim logica principia qualiter hoc et quibus principiis et quibus argumentis de quolibet scibili disserendum est: qui modulus nisi sciatur, scibile inveniri non potest; quia is qui querit modum inveniendi scientiam scibilis illius non habet propter quid.

Etiam Aristoteles dicit quod modus sciendi ante scientiam quamlibet discendus est ut per illum modum scientia cuiuslibet scibilis inveniatur. Cum enim scientia habitus sit conclusionis, oportet quod concludere sciatur ille qui scientiam accipit. Non autem concludere sciatur, qui nescit quod concludere debeat. Et cum nihil concludi debeat nisi quæstio, porteto quod sciatur quid et qualiter quærendum est id quod concludi intenditur.

Adhuc concludere se nescit qui nescit ex quibus et qualibus et qua conclusione concludendum est. Hæc autem omnia nulla docet philosophia nisi tantum logica. Non ergo tantum utilis est et adminiculans ad omnes scientias, sed etiam necessaria. Propter quod nescientes logicam, etiam id quod scire videntur, nesciunt se scire: quia nesciunt qualiter unumquodque sciri oportet, et qualiter probandum vel improbandum est.

Adhuc autem tales in scitis suis nullam habent potestatem, dum nesciunt propter quod scitis suis assentiunt, nec qualiter contradicentibus respondere debant. Hoc autem scit logicus, si perfecte

<sup>1</sup> BOETIUS, In Top. in 4. libr. de differentiis top. cap. 4.

<sup>2</sup> Cf. I Phys. comm. 23.

scientiam disserendi de quolibet sit adeptus.

Adhuc autem nesciens logicam, etsi scire aliquid videatur, nescit tamen, sicut jam supra diximus, cum rationem sui sciti nesciat: et se habet ad scitum et ad actum sciendi, sicut ignis ad comburere lignum. Et ideo scientis est (ut in *prima philosophia* docet Aristoteles<sup>1</sup>) posse docere. Docere autem non potest, qui rationem sciti nescit exponere. Nescit autem exponere sui sciti rationem, qui causas et principia logicæ non novit. Erit igitur talis etiam in his quæ scire videtur, sicut idiota se habet ad habentem litteram. Talis etiam neque suum neque alterius deprehendit errorem, quia non habet habitum per quem dijudicet utrum recte sciat quod scit, vel non recte.

Adhuc autem per hoc quod inveniendi quoddlibet scitum scientia est per habitudines unius ad alterum, quæ topicæ sive locales vocantur, quibus intellectus vel opinio vel fides vel existimatio vel suspicio locatur in alio, quod jam intus habetur in animo quaerentis. Sine logica nec ad inquirendum, neque ad inveniendum aliquid procedi potest: nec etiam quando quasitum invenitur, sciri potest an inventum vel non inventum sit. Manifestum est igitur, quod etiam quoad hoc logica non tantum utilis est, sed necessaria etiam est ad omnem philosophiam.

Adhuc autem etiam per hoc quod judicandi scientia est (quia id quod inventum est, dijudicatur an recte per sua principia scitum sit) necessaria ad omnem philosophiam est logica scientia. Hoc autem docet logica dupliciter, resolvere docens scitum in principia, scilicet consequentiae quæ sunt in figuris et modis consequentiarum syllogisticarum: et in principia realia ejus quod sequitur sicut in causas immediatas et essentiales et convertibiles cum eo quod scitum est per conclusionem: quo judicio omne quod

scitur, quasi ponderatur, ad aequilibrium rationis reducens omne quod in omnibus physicis queritur ad sciendum.

Est autem non tantum necessaria, sed *Utilitas ejus*. etiam utilis haec scientia<sup>2</sup>, sicut bonum est felicitas hominis secundum optimæ partis animæ hominis perfectissimum actum, hoc est, secundum intellectum contemplativum: nec contemplari poterit intellectus, nisi noverit contemplationis principia, et sciat invenire quod quærerit contemplari, et dijudicare id ipsum quod jam contemplatur inventum<sup>3</sup>. Patet conclusio; quod præ omnibus utilis est ad felicitatem hæc scientia, sine qua non attingitur felicitatis actus, et per quam ipse felix actum non impeditæ recipit operationis. Hæc enim scientia à phantasiiis (quæ videntur et non sunt) liberat, errores damnat, et ostendit falsitates, et lumen dat rectæ contemplationis in omnibus. Prae omnibus igitur consideranda est hæc scientia.

#### CAPUT IV.

*De quo sit logica ut de subjecto?*

Cum autem logica sit scientia contemplativa, docens qualiter, et per quæ devenitur per notum ad ignoti notitiam, oportet necessario quod logica sit de hujusmodi rationis instrumento, per quod aequiritur per notum ignoti scientia in omni eo quod de ignoto notum efficitur. Hoc autem est argumentatio, secundum quod argumentatio est ratiocinatio mentem arguens et convincens per habitudinem noti ad ignotum de ignoti scientia. Inter species autem argumentationis præcipua est syllogismus. Propter quod quidam dixerunt quod logica tota est de syllogismo et partibus syllogismi<sup>4</sup>: determinantes commune subjectum logicæ secundum id quod est subjectum principale. Non enim de omnibus fides esse poterit per syllogismum, propter hoc quod dis-

<sup>1</sup> Cf. 4 Metaphys. tex. 1.

<sup>2</sup> Cf. 4 Topicorum, cap. 2.

<sup>3</sup> Pro quo vide Algazel in 2 cap. suæ logicæ.

<sup>4</sup> Improbatur ab auctore opinio ponentium syllogismum esse subjectum logicæ, quam etiam sectatur Scot. in 2 quæst. universalium.

cursus syllogisticus non est nisi ab universalis universaliter accepto: quod in multis scientiis esse non poterit, ut in rhetoriciis. Propterea quod in illis præcipue locales habitudines attenduntur, a quibus per enthymemata concluditur id quod quæsumum est. Cum igitur logica, ut dicit Aristoteles, det omni scientiæ modum disserendi, et inveniendi, et dijudicandi quod quæsumum est: oportet quod de tali sit ut de subjecto, quod omnibus in omni æqualiter applicabile est. Sunt autem adhuc quædam in quibus ex singularibus quærimus invenire quod ignotum est, sicut in experimentalibus, in quibus utimur vel syllogismo vel inductione ad universale accipiendum, et non possumus uti syllogismo perfecto. Propter quod syllogismus commune subjectum logicæ esse non potest. Propter hoc etiam in logicis quæ ab Antiquis scriptæ sunt, non solum docetur quid syllogismus, et qualiter, et ex quibus sit: sed hic etiam docetur quid argumentatio, et quæ partes, et species ejus.

Sunt tamen qui logicam interpretantur idem quod sermocinalem, dicentes logicam generalem idem esse quod sermocinalem scientiam, sub qua dicunt contineri grammaticam, poeticam, et rhetoricam, et eam quam vocant dialecticam. Et ideo dicunt logicæ generalis subjectum esse sermonem, prout est designativus rerum quæ significantur per ipsum. Quam opinionem impugnat Avicenna<sup>1</sup> dicens, quod sermo de se nihil significat: si enim aliquid de se significaret, semper et apud omnes illud significaret: quod falsum est. Significationem ergo accipit a placito instituentis. Non ergo significat nisi secundum quod conceptus est in intellectu instituentis. Tali autem sermone (secundum quod sic significatus est concepti) utitur homo ad seipsum et ad alium. Propter quod dicit Damascenus, quod in duo dividitur, scili-

cet in encordiale, hoc est, sermonem interius in mente dispositum, et in eum qui ex signis, qui angelus intelligendo est sui cordis nuntius, quia conceptus cordis nuntiat ad alterum. Propter quod logicus et ad se et ad alterum utitur sermone per accidens, et non per se: quia sine sermone designativo procedere non potest ad notitiam ejus quod ignotum est.<sup>2</sup> Ratiocinatione autem utitur per se ad notitiam faciendam ejus quod declaratum est. Propter quod cum logici intentio sit docere ea, per quæ per se venitur in notitiam ignoti per quod notum est, logicæ subjectum est argumentatio: quia per argumentationem efficitur id quod intenditur.

Adhuc sermo incomplexus quamvis designet aliquid apud intellectum simplicem, tamen fidem non facit an aliquid sit vel non sit, quia non aliquid esse significat vel non esse. Non autem venitur ad notitiam ignoti nisi per aliquid, quod de ignoto fidem facit, quod ita sit vel non sit. Sermo igitur incomplexus non potest esse instrumentum per quod de ignoto intellectus ad notitiam ducatur: quod principaliter intendit logicus. Sermo igitur incomplexus non assumitur a logico nisi per accidens, in quantum est pars sermonis complexi, qui est intellectus compositi designativus.

Amplius sermo complexus in eo quod complexus est, nec significat esse vel non esse: si enim hoc esset, omnis sermo complexus rem esse vel non esse significaret: et sic oratio deprecativa, vel optativa, vel subjunctiva, rem esse vel non esse significaret, quod falsum est. Sermo ergo complexus per hoc quod enuntiativus est, rem esse vel non esse significat: per hoc autem quod rem esse vel non esse significat, non habet arguere et fidem facere de enuntiato. Per hoc igitur quod enuntiativus est, non est instrumentum per quod logicus consequatur id

<sup>1</sup> AVICENNA, In 4 cap. logicæ suæ.

<sup>2</sup> Et hæc est opinio Avicennæ, Alfarabii et

Algazelis. Vide Avicennam in cap. 3 suæ logicæ et Algazelem in cap. 2.

quod intendit. Fidem autem facit per hoc quod ad formam argumenti collectivus est. Argumentatio igitur logici instrumentum est. Logica autem generalis et docens de hoc est ut de subjecto, per quod utens logicus in scientiam venit ignoti per notum. Argumentatio igitur logicæ docentis proprium subjectum est. Et hæc est trium Philosophorum sententia, Avicennæ scilicet, Alfarabii, et Al-gazelis.

*Quomodo  
grammati-  
ca, rhetori-  
ca, et logi-  
ca, vario  
modo utri-  
tur sermo-  
ne.*

Utuntur tamen sermone omnes sermocinales scientiæ, grammatica scilicet, poetica, et rhetorica, et ea quæ vocatur logica. Grammatica prout modus inflexionum et constructionum intellectus simplicis et compositi complexe designativus existit simpliciter absque eo quod sciat de significato utrum sit vel non sit. Poetica autem utitur eo prout modulus pronuntiatus delectatione, vel abominatione provocat audientem ad aliquid faciendum vel fugiendum, propter quod ex variis compositis et secundum metalogiam sive fabulam singit tentans mendacia quæ provocent audientes. Rhetorica autem sermone utitur prout est designativus ejus per quod persuadere intendit. Solus autem logicus sermone utitur prout est pars instrumenti, per quod solum fides fit de incognito, cum notitia ipsius ex noto arguitur per complexiōnem argumenti. Propter alterum ergo sermone utitur, et non propter seipsum.

*Notum du-  
pliciter con-  
sideratur.*

Hujus autem probatio est, quod notum (per quod ignoti scientia accipitur) dupliciter consideratur, scilicet prout est res extra animam noscentis accepta, et prout est notio quædam in anima noscentis. Non autem facit notitiam ignoti prout est res extra animam noscentis accepta, sed potius prout est notio rei in anima noscentis existens: sic enim significativa est et illativa ejus quod ignotum est: quod ignotum ipsi aliquo modo percipit intellectus perfecta comprehensione. Hoc ergo modo voces significativas rerum considerat logicus et non aliter. Dico autem perfecta comprehen-

sione: quia sunt forte quidam adeo perspicaces, quod ex intellectu unius vocis complexæ statim de ignoto fidem concipiunt: sed hoc est imperfectum, et non generale. Et ideo non sufficit, sed opus est argumentatione perfecte hoc faciente.

Si quis autem querit unde efficiatur notum id, ex quo ignoti accipitur scientia et fides, hoc nihil est querere: quia in quolibet aliquid per se notum est homini et naturæ insitum, per quod ignoti potest accipere scientiam. Alter enim homo nullius esset perceptibilis scientiæ vel disciplinæ, sicut nec brutum animal, si prima cognoscendi principia per seipsa non inessent homini. De argumentatione igitur vel syllogismo est logica tota ut de subjecto. De aliis autem vocibus incomplexis est propter illam.

## CAPUT V.

*De divisione logicæ, et quæ sint partes  
ipsius, et de voce significante ad pla-  
citum, quid et qualiter significet,*

Divisio autem logicæ, et quæ sunt partes ipsius, ut dicunt Avicenna et Alfarabius, accipienda sunt ex intentione ipsius. Sicut vero jam ante dictum est, logica intendit docere principia per quæ per id quod notum est, devenire potest in cognitionem ignoti. Est autem incomplexum, de quo queritur quid sit: aut complexum, de quo queritur an verum vel falsum sit. Sciri autem non potest incomplexum de quo queritur quid sit, nisi per diffinitionem. Complexum autem, de quo queritur an verum vel falsum sit, non potest sciri nisi per argumentationem. Ista ergo sunt duæ partes logicæ. Una quidem ut doceantur principia per quæ sciatur diffinitio rei et quidditas: ita quod per principia illa doceatur quæ sit vera rei diffinitio, et quæ non, et quæ videatur esse et non sit. Alia vero ut doceantur principia qualiter per argumentationem probetur enuntiationis veritas vel falsitas. Et ut doceatur illius argumentationis forma, quantum ad figuram

*Ignotum aut  
est incom-  
plexum, aut  
complexum.*

*Duæ partes  
logicæ.*

et modum, et quietationem seu complexionem : et ut doceatur ejusdem argumentationis materia. Et ut doceatur quæ videatur esse argumentatio, et non sit : eo quod apparentiam aliquam quidem habet, sed veram existentiam non habet. Et ut doceantur cautelæ quibus opponens vel respondens per aliquam occasionem impediatur vel commoveatur a conjectu veritatis, vel ad hoc quod perfecte videat veritatem et non divertat ab ipsa.

Sed prima harum partium<sup>1</sup> vel ab Antiquis tradita non est, vel ad nos non pervenit. Hanc etiam partem dicunt Avicenna et Alfarabius ad Arabes non pervenisse. Dicit tamen Aristoteles in *plexisque locis hanc causam erroris fuisse Antiquis* : quia artem diffiniendi non habebant. Quod autem quidam dicunt hanc tradidisse Aristotelem in sexto *Topico-rum*, frivolum est : ibi enim partem diffiniendi non tradidit, sed docet terminare problema illud quo queritur quid insit ut diffinitio. Adhuc autem quidam alii dicunt haec pertinere ad metaphysicam, et Aristotelem hanc tradidisse in septimo et octavo *primæ philosophiæ* : sed hoc absurdum est. Aristoteles enim ibi docet quæ sint diffinitionia tam substantiam quam accidens, et quæ sit diffinitionis physica, et qualiter diffinitionis est unum et non multa, et talia hujusmodi. Sed qualiter diffiniendo responderetur ad quaestionem qua queritur quid est res per essentiam et quidditatem, non docet : quia hoc ad logicam pertinet, et non ad primam philosophiam. Patet igitur, quod haec pars nondum ad nos pervenit. Sunt et harum partium subdivisiones quæ exequitur logica : de quibus in sequentibus erit tractatus.

Quia autem logica omnia considerat prout sunt in anima sive in intellectu ejus, qui querit per notum sibi venire in notitiam ignoti : gratia horum consi-

derat de voce significante ad placitum, et quid et qualiter significet : quod antiquiores Peripateci (ut dicunt Alfarabius et Algazel) in quinque modis distinxerunt. Primo quidem et principaliter dictio significat id ad quod prima institutione significare est instituta, ut homo hominem, et domus domum, et sic de aliis. Secundo modo significare dicitur quod ex consequenti supponitur in ipsa, sicut domus significat fundamentum et parietem, et quodlibet totum integrale sic significat suas partes integrales et principales. Tertio modo quando res comitatur significationem ipsius : sicut si paries est, fundamentum esse significat, et si tectum est, fundamentum et parietem esse significat. Quarto quando unum est in intellectu alterius, sicut homo significat animal, et significat rationale. Et ad hunc modum reducitur, quod accidentis et passio significat subjectum, sicut simus significat nasum, et sicut album significat corpus terminatum, et cetera hujusmodi. Quinto sicut oppositio significat oppositionem, et oppositum significat oppositum : sicut disaggregatio albi significat aggregationem nigri, et motus ad centrum frigidi significat motum a centro calidi, et cetera hujusmodi. Et hoc ad logicam pertinet per hoc, quod logica est disserendi scientia : disseri autem non potest, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, nisi detur quod nomina aliquid significant, eo quod non significant infinita. Gratia hujus etiam considerat de communibus et vocibus incomplexis.

Complexio autem et incomplexio non vox duplex : accidentum rei secundum quod res est, nec incomplexa, etiam voci secundum quod est vox : sed accidentum voci secundum quod refertur ad intellectum simplicem vel compositum. Simplicem autem dico intellectum, qui simplex unius rei est intuitivus. Talis enim intellectus non significatur ad alium, nisi voce sive dictione incomplexa.

<sup>1</sup> Scilicet pars logicae quæ docet diffinire.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, In quarto primæ philosophiæ,

Compositum autem dico intellectum, qui accipit rem unam in alia vel ut divisam ab alia : qui intellectus voce incompleta designari non potest, sed potius completa : sicut homo est animal, vel homo ambulat, vel homo non est lapis, et homo jusmodi. Propter quod diffinientes incomplexum veteres Peripatetici dixerunt, quod dictio significativa ad placitum incompleta est<sup>1</sup>, cuius partes nihil significant de intentione<sup>2</sup> totius : sicut cum dicitur *homo*, pars ita quæ est *ho*, et pars alia quæ est *mo*, nihil significant de *homini* intentione. Quod si etiam nomen aliquod rei unius simplicis sit compositum, sicut *Adeodatus*, tamen, secundum quod unius simplicis rei nomen est, incompleta dictio est. Et hoc quod dico *Adeo*, et hoc quod dico *datus*, nihil significant de intentione totius nominati per hoc nomen *Adeodatus*. Complexa autem dictio est, cuius partes aliquid significant de intentione totius, sicut cum dicimus, *homo ambulat*; et haec dictio *homo*, et haec dictio *ambulat*, aliquid significant de intentione hujus complexi, *homo ambulat*.

Nomen appellativum et proprium.

Universale seu communale est tribus modis.

Adhuc autem vox secundum quod refertur ad intellectum ejus qui querit inveneri ignotum per notum, habet quod dividitur in commune, seu universale : et proprium, sive singulare : talium enim nihil accidit ei secundum quod ad rem designatam refertur. Res enim omnes sunt singulares quæ cadunt sub sensu et secundum quod constituantur a natura : et commune quod est in eis, accipitur ab intellectu. Et ideo dicunt Aristoteles<sup>3</sup> et Boetius, quod universale est dum intelligitur, singulare vero dum sentitur. Commune tamen quod est in eis, est tribus modis, scilicet id quod est actu in pluribus, ut homo quod actu divisibile est in plures, ita quod totum est in singulis per naturam et rationem : et id quod actu est in uno, aptitudine vero naturæ potest esse in pluribus, sicut hoc commune quod

est sol : et id quod nec actu est in pluribus, nec in aliquo vel uno solo, sed aptitudine non repugnat et ratione quin possit esse in multis, sicut eptangulum si ponimus, nihil esse eptangulum secundum actum, tamen secundum aptitudinem est et potest esse in multis. Et ut generaliter dicatur, omne nomen vel dictio, quod imponitur a forma communicabili multis, sive illa forma sit accidentalis, sive substantialis, commune est et universale, sive secundum actum multis communicetur, sive non.

Proprium autem sive singulare est<sup>Proprium vel singula-</sup>  
re quid.  
quod imponitur a forma accidentalis significante accidentium collectionem quam impossibile est inveniri nisi in uno solo, ut socratitas, vel platonitas : quæ ex parentibus subjectis, et loco nativitatis, et aliis hujusmodi, non nisi uni convenire potest, et impossibile est ut in alio reperiatur. Et hoc dupliciter fit : vel enim fit nomine proprio, vel nutu demonstracionis ad hoc singulare, ut cum dicimus, *hoc lignum*, vel *hoc album* : hoc enim sic est *hoc*, quod non potest esse aliud.

Adhuc dictio sive vox significativa est articulata, non ex hoc quod refertur ad rem designatam, sed ex hoc quod est in intellectu quaerentis scire ignotum per notum : licet etiam quædam ipsius sit nomen, quædam autem verbum. Pronomen autem (sicut et nomen suum testatur) vice nominis in supponendo accipitur : et participium cum suppletione verbi substantivi in apponendo vel prædicando supplet vicem verbi : sicut cum dicitur, *homo est amans*, vel *homo amat*, vel *homo fuit amans*, vel *homo amavit*, vel *homo erit amans*, vel *homo amabit*. Cæteræ autem partes indeclinabiles sine adjunctis nullum habent intellectum : ut si dicatur, *homo est in*, non intelligitur nisi addatur *in quo sit*, ut *in domo*. Et similiter cum dicitur, *homo est supra* et non addatur *supra quid* ; et si dicatur, *homo*

Proprium duplex.

<sup>1</sup> Cf. 4 Periher, cap. 4.

<sup>2</sup> Scilicet notione.

<sup>3</sup> Cf. 4 Phys. tex. com. 49.

*autem*, et non addatur cui aduerset coniunctio : vel si dicatur, homo *ergo*, nisi addatur quid inferatur. Nomen autem, ut in sequentibus habebitur, significativum est ad placitum sine tempore<sup>1</sup>. verbum autem cum tempore quod ei subjicitur. Idem prædicatur, vel dicitur, vel negatur, vel affirmatur uni.

*Quid sint  
univoca, di-  
versivoca,  
multivoca,  
et  
analogia.*

Adhuc autem voci significativæ ad placitum secundum quod est in intellectu querentis scientiam ignoti per notum, accidunt quinque, scilicet quod sit univoca, et quædam diversivoca, quædam autem multivoca, etiam quædam æquivoca, quædam vero analogia sive proportionata, quæ apud Arabes vocantur convenientia. *Univoca* autem sunt, quæ a tali forma imposita sunt, ad quam omnium participantium eam est respectus unus secundum rem et rationem sine magis et minus : sicut *animal* participatur a speciebus animalium, et *homo* participatur ab individuis quæ sunt sub ipso. *Diversivoca* autem sunt diversa nomina unius et ejusdem rei secundum substantiam : eo quod instituens nomina illa instituendo diversis rei proprietatibus fuit affectus, ut ensis, mucro, spata, gladius, vestis, tunica, et hujusmodi. *Multivoca* sunt diversarum rerum diversa nomina : eo quod instituens diversis diversarum rerum proprietatibus instituendo fuit affectus, ut equus, et asinus. *Æquivoca* sunt quando unum nomen diversis secundum diversam rationem impositum est : eo quod una aliqua proprietas inventa in diversis afficit instituentem ; quæ tamen proprietas non per unam rationem est in illis, ut *canis*, quod nomen est impositum latrabili, et stellæ cœlesti, et marino pisci propter unam proprietatem inventam in illis, quæ est omnia hæc esse mordacia, cum tamen non una ratione mordacia sint. *Analogia* autem sunt proportionaliter dicta, ut Arabes dicunt, convenientia : et sunt media inter univoca et æquivoca, quæ sunt imposita

<sup>1</sup> Cf. I Periherm. cap. 5.

<sup>2</sup> Et hæc erit consuetudo D. Alberti in om-

diversis secundum esse et substantiam per respectum ad unum cui proportionantur, sicut ens, quod dicitur de substantia primo et principaliter, et de accidente secundario, quia est aliquid entis : et quantitas dicitur ens, quia est mensura entis : et qualitas dicitur ens, quia est dispositio entis. Et hoc, ut dicit Joannes Damascenus in logica sua, fit tribus modis, scilicet proportione ad unum subjectum, ut ens : et proportione ad unum efficiens actum, ut medicus dicitur vere medicus qui secundum eam quæ in ipso est medicinam operatur : et medicus dicitur idiota, medicum per experta vel experimenta imitans in opere medicandi, et non secundum eam quæ in ipso sit artem medicinae : et medicus dicitur instrumentum medicinae per quod fit medicatio, ut clyster, vel embotum, vel aliud hujusmodi : tertio proportione ejusdem, sicut sanum quod principaliter consistit in æqualitate complexionis animalium, et est in cibo sicut in conservante eamdem sanitatem, et in urina sicut in indicante, et in aere vel in loco sicut in fovente, et similiter est in aliis. Hæc autem omnia de logicis extracta sunt : eo quod hæc convenienti voci significativæ et articulatæ, secundum quod per institutionem afficit intellectum ejus, qui per notum certificari querit de ignoto. Volumus enim secundum consuetudinem quam in aliis habemus, omnia quantum possimus ponere, quæ ad illuminationem pertinent doctrinæ<sup>2</sup>.

*Analogia  
fit tribus  
modis.*

## CAPUT VI.

*De parte logicæ quæ certificat incomplexum, et de requisitis ad veram definitionem, ejusque peccatis, ac de modis definitionis.*

Ex his autem quæ dicta sunt patet, quod si quis querit scire incomplexum Quinque  
sunt requisi-  
tia ad ve-  
ram defini-  
tionem. quod ignotum est, per id quod non potest sibi esse ignotum, non potest inve-

nibus suis operibus.

nire notitiam ejus nisi per diffinitionem vel aliquid aliud quod diffinitionem imitatur incomplexi aliqua declaratione. Hujus autem principia et regulæ sunt quinque, et quinque corruptiones. Primum quidem, quod omnia posita in diffinitione sunt substantialia et substantialiter in diffinito existentia : quia diffinitio dicitur id quod omnes fines essentiae diffinit, conjungit et unit, et explicat quae sunt principia diffiniti sive esse diffiniti, scilicet essentiam, potentiam, et ultimum actum completem esse diffiniti, sicut dicimus animal rationale, mortale, voluntarie mobile, diffinitionem esse hominis. *Animal* autem secundum quod in se includit corpus animatum sensibile et substantiam, prima potentia est, in qua inchoatum est esse hominis. Hæc autem inchoatio per *rationale* determinata est essentialiter ad actum rationis. Per *mortale* autem ad speciem est determinatum, præcipue secundum Stoicos, qui calodæmones et cacodæmones animalia rationalia, corpora aerea, et vita immortalia esse dicebant, ut dicunt Theistius et Apuleius. Per hoc autem quod *mobile voluntarie* dicitur, separatur ab aliis quæ apta a natura et phantasia sunt ad motum. Et hoc est primum.

Secundum autem est (quod Aristoteles docet in *Metaphysicis*<sup>1</sup>) quod ultima differentia sit cum diffinito convertibilis, quæ totam diffinitionem facit esse convertibilem : sicut hoc ipsum quod est voluntarie mobile, convertitur cum homine secundum quod voluntas sonat appetitum qui est in ratione.

Tertium autem, quod prius positum in diffinitione, se habeat ad sequens, sicut potentia propinqua ad actum, et sicut determinatum ad determinans, et sicut distinctum ad distinguens, sicut animatum ad sensibile, et sicut sensibile ad rationale, et sicut mortale ad rationale, et sicut mobile voluntarie ad mortale : ita

quod in uno motu generationis semper posterius procedat ex antecedente.

Quartum est, quod diffiniens primum sit per se notum apud eum qui querit cognoscere diffinitum et in substantia et potestate ; quia nisi sit notum in substantia, non potest esse principium cognitionis ignoti : et nisi sit notum in potestate, non potest per divisionem ipsius venari diffinitio ejus quod queritur cognosci.

Quintum autem, quod diffinitio dicat totum esse diffiniti : quia aliter non attingeret a fine usque ad finem in quidditate et esse diffiniti, et sic verum nomen diffinitionis non haberet. Et per hoc habet diffinitio, quod est unum et non multa, sicut motus est unus et non multis, qui est a prima potentia per viam medium usque ad ultimum actum. Hæc igitur diffinitive considerata faciunt talem diffinitionem, quod vere et totum certificat diffinitum.

Peccata ipsius sunt et quinque his opPeccata diffinitionis sunt quinque.

posita, quamvis quodlibet peccatorum sit multis modis : sicut et in aliis in quibus bonum fit ex una re et causa, malum autem omnifariam et modis infinitis, ut dicit Pythagoras<sup>2</sup>. Primum ergo peccatum est, si per accidentale unum vel per accidentalia plura vel omnia, notitia essentialis queratur diffiniti : sicut si dicam, quod homo est animal risibile, vel quod sol est (ut dicit Empedocles) res alba calida.

Secundum peccatum est, si ultima differentia sit non convertibilis : tunc ipsa praecedentia quæ in plus sunt, per differentiam ultimam non determinantur ad esse diffiniti nisi in potentia : nec quiditas et esse diffiniti scitur per ea scientia universalis, sed in potentia, non in actu : et sic non perfecte scitur esse diffiniti.

Tertium peccatum est, si inordinate ponantur in diffinitione quæ ponuntur : ma exponitur (1a 2æ, q. xviii, a. 4 ad 3) : Quilibet singularis defectus causat malum, bonum autem causatur ex integra causa.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 7 Metaphys. tex. com. 42.

<sup>2</sup> Notum est effatum : *Bonum est ex integra causa, malum ex quovis defectu*, seu, ut a S. Tho-

sic enim actus significaretur praecedere potentiam in eodem : quod nunquam contingit in aliquo esse diffiniti, in quo est potentia et actus. In omnibus enim talibus potentia immediate præcedit actum : et ideo per talem diffinitionem esse (sicut est) diffiniti non declararetur. Et hujus exemplum, sicut si dicam, quod homo est vivum, rationabile, sensibile.

Quartum peccatum est, quod primum diffiniens sit non per se notum in substantia et potestate. Et hoc contingit quatuor modis : quia cum diffinitur per id quod est idem, aut æque ignotum, aut per ignotius illo, aut per id quod non potest esse notum nisi per diffinitum, aut per id quod per aliud est notum. Per id quod est idem : exemplum est, sicut quando diffinitur tempus quod est mensura motus : quod enim dicitur de tempore, dicitur de mensura motus : quia tempus nihil aliud est, nisi mensura motus : et qui ignorat tempus, ignorat id quod est mensura motus. Cum vero diffinitur per æque ignotum : est, sicut cum diffinitur albedo per id quod est esse contrarium nigredini : æque enim ignotum est quid sit albedo, et quid sit ejus contrarium, scilicet nigredo. Et sic de diffinitione relativorum per se invicem, sicut inferius in sequentibus erit manifestum<sup>1</sup>. De illo autem quod est ignotius : exemplum est, sicut qui diffinit ignem, dicens quod ignis est res inter corpora spiritui vel animæ simillima : diffinit enim ignem per animam, quæ ignotior est quam ignis per substantiam et diffinitionem. De eo quod diffinitur res per id quod non potest cognosci nisi per diffinitum : exemplum est, sicut qui diffinit solem, dicens quod sol est planeta illuminatione sua faciens diem. Cum enim dies sit mora luminis solis super nostrum hemisphærium, constat quod illuminatio diei cognoscitur per diffinitum : et sic circularis erit diffinitio, quod valde est inconveniens<sup>2</sup>. Omnia autem convenient in uno, scilicet

quod diffinitur res per id quod per aliud debet esse notum : sic enim nunquam stabit, sed semper diffinitur per aliud, et ibitur in infinitum.

Quintum peccatum est, quod diffinitio non dicat totum esse diffiniti : si enim non totum diceret et explicaret, non diceret quid est esse diffiniti, et non certificaret diffinitum nisi in parte. Sicut qui diffiniens triangulum, dicit quod triangulus est figura trium angulorum tres angulos habens æquales duobus rectis. Cum enim non ponatur in diffinitione, quod triangulus est figura rectilinea habens tres angulos æquos duobus rectis, non dicitur totum esse diffiniti : potest enim esse figura trium angulorum habens tres angulos majores tribus rectis, si ex arcubus sit composita figura triangula. Alia etiam de causa peccat dicta diffinitio : quia ponit quod non est essentiale diffiniti. Habeere enim tres angulos æquos duobus rectis, non est essentiale constituens triangulum rectilineum, sed est passio essentiam diffiniti consequens. Aliud exemplum ejusdem (et est convenientius isto quod dicitur) est, quod circulus est figura plana una linea contenta. Hæc enim diffinitio non totum dicit esse diffiniti : quia de eo quod est principium formale circuli, et ex quo producitur, non facit mentionem, hoc est, de centro. Perfecta ergo erit si sic dicatur : circulus est figura plana una linea contenta, in cuius medio punctum est, a quo omnes lineæ ad circumferentiam productæ in continuum et directum sunt æquales. Hæc ergo sunt quæ in diffinitionibus sunt attendenda et cavenda, si per diffinitionem debeat certificari diffinitum.

Sunt tamen aliæ quædam notificatiōnes, non propriæ diffinitiones, datae aliquando per materiam, aliquando per efficientem tantum assignatæ, quæ nisi reducantur ad diffinitiones quæ per genus et essentiales differentias datae sunt, diffinitiones dici non possunt, sed quales-

Alli modi diffinitiōnum.

<sup>1</sup> Cf. Tract. de relatione, cap. 9.

<sup>2</sup> Ut infra I Poster. cap. 6 habetur.

cumque notificationes. Reducantur autem hoc modo, quod materia non ut materia simplex accipitur, sed prout ipsa est prima potentia ad esse. Sic enim accipitur secundum quod in ipsa est jam forma essentialis inchoata, et in qua potestate formalis sunt inchoatae constituentes et dividentes differentiae. Sicut si dicatur, quod homo est constitutus ex corpore et anima rationali : tunc enim corpus non absolutum a forma sumitur, sed potius dicitur animatum sensibile : quod animatum sensibile est, ex cuius potentia et inchoatione producitur rationale. Et sic redit ad illam diffinitionem quæ est ex genere et differentia : quia corpus animatum sensibile est animal, et animatum anima rationali est rationale. Quæ autem per efficientem datur, est, ut si dicatur, quod homo est quod generatur ab homine. Tunc enim agens non sumitur ut efficiens tantum, sed ut agens secundum formam et univoce. Univoce autem agens, dat formam secundum quod de potentia formalis exit ad actum. Unde generatum ab homine non est vivum et animal simul, nec animal et homo simul secundum actum : sed primo vivum in actu, et potentia sensibile : secundo sensibile in actu, et potentia rationale. Et etiam diffinitio per causam efficientem data, reducitur ad eam quæ est ex genere et differentia. Aliter accepta causa efficiens, erit de essentia diffiniti, et non certificabit ipsum.

Omnis autem alia incomplexi declaratio quæ fit per accidentalia, non est diffinitio, sed descriptio vocatur. Talis autem declaratio non debet fieri per accidentalia communia, quia hæc convertibilia non sunt : sed per accidentalia propria, quia de illis intelligitur quod Aristoteles dicit<sup>1</sup>, quod accidentia sive accidentium cognitio maximam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est. Hæc enim sunt accidentia naturæ, et de ipsius naturæ aptitudine procedunt, et ideo substantia-

tiam notificant, sicut sæpe id quod prius est cognoscitur per id quod est posterius, non simpliciter, sed quoad nos. Hoc autem in sequentibus erit manifestum. Talibus tamen utitur logicus in accipiendo notitiam ignoti, sicut etiam utitur aliis argumentationibus in accipiendo notitiam complexi, quæ sunt minus certificantes quam syllogismus.

Aliis autem declarationibus utitur logicus quandocumque sunt majoris declarationis quam ipsum nomen vel dictio incomplexa, cuius quærerit notitiam : quæ quamvis non perfecte certificant, tamen aliquo modo declarant id quod quæritur. Et quia, sicut dicit Ptolemæus, stultus est qui quando non perfecte potest cognoscere quod quærerit, abjicit id per quod cognoscere potest de quæsito conjectans. Talium igitur regulas et principia dare est logici ad incomplexi cognitionem, per quæ a principiis per se cognitis incipiat et deveniat in cognitionem eorum quæ quæruntur : non enim omnia possunt esse incognita : quia sic querendo procedetur in infinitum<sup>2</sup>. Principia enim prima sunt quasi semina per naturam cognitioni hominis inserta, ex quibus quasi seminibus magni oriuntur fructus scientiarum de his quæ cognoscuntur per ipsa : primis enim positis per divisionem, cognoscitur quid potentia sit in ipsis. Et etiam divisio producit usque ad ultimum ; propter quod ipsa divisionis scientia necessaria est logico, ut dicit Boetius.

## CAPUT VII.

*De parte logicæ qua certificatur quæstio de complexo et de necessitate totius logicæ, et quod varietur modus sciendi secundum diversitatem materiarum in quibus quæritur scientia.*

Sicut autem logicus docens quærere

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In primo libro de anima, tex. com. 41.

<sup>2</sup> Hoc idem habetur supra, in fine capituli quarti.

scientiam incomplexi<sup>1</sup>, docet instrumentum quo accipiatur notitia illius secundum diffinitionem, et ea quæ ad diffinitionem faciunt, et quæ diffinitionem circumstant, et quæ diffinitionem perficiunt, et ea quæ diffinitionem mutant: sic docens accipere scientiam complexi, docet syllogismum qui est illius proprium instrumentum, et docet alias species argumentationum, et principia syllogismi, et ea quæ circumstant ipsum, et principia ipsius, et partes, et materiam in qua ponit potest forma syllogismi, et aliarum argumentationum forma, et quæ syllogismum immutant. Et ideo ea de quibus habet tractare logicus, secundum ista dividuntur et multiplicantur.

Ejus complexi cuius potest accipi scientia, non est differentia: quia sola indicativa oratio est, cuius est esse verum vel falsum. Et ideo tantum illius scientia potest accipi: quia scientia tantum veri est<sup>2</sup>. Sed hæc est duplex, categorica scientia licet, et hypothethica: sive (ut Arabes dicunt) enuntiatio et conjunctio: propter quod duas species docet constituere syllogismorum. Docet enim constituere syllogismum categoricum, et syllogismum hypotheticum, quamvis hypotheticus ad categoricum habeat reduci.

Constructio autem syllogismi dupliciter fit, ut jam diximus in antehabitis, ad inveniendum scilicet, et judicandum. Invenitio autem esse non potest, nisi per habitudinem noti ad ignotum, quæ habitudo topica est et in *topicorum* scientia docetur. Judicandi autem scientia per resolutionem inventi est, quod resolvitur aut in formalia syllogismi principia, aut materialia, quæ sunt principia certificantia rem per hoc quod sunt causæ ejus quod sequitur, et illatum est. Et duæ sunt partes, *priorum* scilicet *Analyticorum*, et *posteriorum* *Analyticorum*: et docere principia et regulas istorum logici proprium est.

Ne autem fiat deceptio circa ea quæ

dicta sunt, inventa est scientia de sophisticis elenchis. Adhuc autem ne fiat impedimentum ex parte ejus qui querit accipere, inventæ sunt cautelæ tentatoris, in quibus omnibus doctrina logici est, ut scientia complete accipi possit enuntiationis, cuius scientia queritur per argumentationem.

Quare inventa sit sophistica et tentativa.

Quia vero syllogismus non scitur an sit compositum et complexum quid, nisi sciatur ex quibus et quot et qualibus est, et qualiter conjunctus, ideo habet agere logicus de enuntiatione et partibus et qualitatibus et compositione enuntiationis. Et in his perficitur opus logicum: quæ omnia fiunt actu rationis, qui est ratiocinatio, qui actus discursus rationis est ex uno ad aliud. Et ideo tales scientiae a Dionysio vocantur discursivæ disciplinæ. Non autem potest sic ex uno in aliud discurrere ratio, nisi prius accipiat unum in alio esse divisum per se vel per accidens. Et hoc esse non potest, nisi accipiatur unum esse ordinatum ad aliud per se vel per accidens. Ordo autem est prioris et posterioris secundum naturam et esse: et sic accipit universale et particulare per se vel per accidens. Et sic invenit modum prædicandi unum de altero, vel negandi. Et quoad ordinem inventa est scientia *Universalium*, et scientia *Prædicamentorum*.

Et quoad modum educendi unum de alio, inventa est scientia divisionum. Rationis enim opus est ordinare, componere, et colligere, et resolvere ea quæ collecta sunt: quo opere utitur quasi instrumento in accipiendo scientiam quando procedit a noto ad ignotum: quorum notitia (si perfecte traditur) præparatus est logicus ad receptionem scientie, dummodo sciat cavere errores et fallacias, de quibus sufficienter instruitur in sophisticis elenchis.

Hæ igitur sunt partes logicæ quæ generaliter habent docere modum accipiendo scientiam de quolibet scibili incomplexo vel complexo. Et hoc jam ante nos de-

scientiam complexi.

<sup>2</sup> Cf. 4 Periherm. cap. 4.

Modus acquirendi scientiam variatur secundum materiam in qua queritur scientia.

<sup>n</sup> Syllogismus duplex.

<sup>n</sup> Syllogismus duo constructio, scientia et modus inveniendum et ad judicandum.

<sup>1</sup> Ex quo patet, quod sicut diffinitio est instrumentum acquirendi scientiam incomplexi, ita syllogismus est instrumentum acquirendi

terminavit Alfarabius. Hic tamen modus secundum materiam in qua ponitur, variatur secundum diversitatem materiæ in qua quæritur scientia. Nam in sermocinalibus aliter est in grammatica, quæ dictiōnum significantium attendit modum tam in flexione quam in conjunctione constructionis. Aliter etiam est in poetica, quæ ex fictis et imaginatione movere intendit ad delectationem, vel abominationem, vel appetitum, vel amorem, vel odium. Et ideo fabula et recitatione factorum heroicorum, et in oratione cantu utitur modulato brevi et longo, ut demulceat auditum, ut facilius provocet. Et aliter est in rhetoricis, quæ dicendi docent copiam ad persuadendum judicem, ut provocetur ad vindictam vel privationem ejus de quo persuadet, sumens locos rhetoricos tam in persuadendo, quam etiam in conquestione et accusatione. Et sunt etiam colores orationis, ut lepida sit oratio, et vigeat accepta propter sermo-

nis culturam. Aliter etiam in laudabilibus et ethicis, in quibus laudis vel virtuperationis demonstratione acceptable et laudabile fit quod proponitur priusquam virtute persuasionis. Etenim in realibus scientiis, aliter est in probabilibus, et aliter in necessariis et demonstrantibus, et aliter in conjectantibus quæ non sunt scientiæ demonstrationum, sicut in physiognomia, et secunda parte astronomiæ, et nicromantia, et aliis hujusmodi scientiis.

Talibus igitur et his quæ dicta sunt habitis, perfectum erit omne negotium logicum, quo tradere intendimus methodum, qua omne quod ignotum est, notum fieri potest ex eo quod per se notum est vel positum vel acceptum ut notum. Quædam enim sunt per se nota in quibusdam : quædam autem sunt accepta ab aliis ut nota, sicut in scientiis conjecturalibus, in quibus nulla sunt secundum rem per se nota.

---

## TRACTATUS II

## DE QUINQUE UNIVERSALIBUS.

## CAPUT I.

*Quomodo universale est de consideratione logici, et de numero universalium, ac de utilitate libri universalium.*

Primum autem quod in scientia logica est considerandum, universale est: quia si ratio prædicabilis de aliis secundum veritatem attendatur, proprie et vere prædicari de alio non potest, nisi quod inest illi de quo prædicatur. Cum autem nihil insit sibi ipsi (hoc enim secundum intellectum intelligi non potest, quod aliquid sit in seipso, vel insit sibi ipsi, ut dicit Aristoteles<sup>1)</sup> oportet, quod omne quod inesse alii accipitur, aut insit ut natura essentialis, aut ut accidens. Et per hoc quod inest, sequitur de necessitate, quod communicabile sit omnibus quibus inesse significatur. Communicabile ergo multis est secundum aptitudinem et in multis et de multis. Omne autem quod sic inest, et hac ipsa de causa prædicabile est. Ratio ergo et causa prædicabilis est, quod sit universale. Cum ergo primus actus rationis (qui scientiam ignoti investigat per notum) sit ordinatio prædicabilium, ordinatio autem prædicabilium cognosci non potest, nisi sciatur per quam rationem prædicabile sit id quod prædicatur: que ratio sumitur ex hoc, quod prædicabile est. (Est enim prius considerare prædicabile secundum id quod prædicabile est, quam considerare ordinem prædicabilium.) Cum ergo ex hoc quod universale sit, prædicabile sit, oportet primo ponere scientiam universalis.

Si autem quis objiciat, quod etiam particularē de seipso prædicatur, Dicimus quod hæc prædicatio non perfectam habet prædicationis rationem: et de hoc in sequentibus in loco opportuno pertractabitur. Sic ergo ad prædicabiliū rationem, et necessarium est et utile de universalī præmittere tractatum.

Universale autem est, quod cum sit in uno, aptum natum est esse in pluribus, ut in ante habitis ostensum est<sup>2</sup>. Et per hoc quod in multis per aptitudinem est, prædicabile est de illis. Et sic universale est, quod de sua aptitudine est in multis et de multis. Et hoc modo prout ratio est prædicabilitatis, ad logicum pertinet de universalī tractare, quamvis secundum quod est natura quadam et differentia entis, tractare de ipso pertineat ad metaphysicum. Prædicare enim et prædicari rationis est ordinantis et componentis prædicabilia secundum prædicabilium propriam rationem.

Universale autem sic acceptum prout est prædicabile quod in multis et de multis, aut inest essentialiter, aut accidentaliter: sive ut essentia, sive ut accidens. Si inest ut essentia: aut inest ut tota essentia, aut ut pars essentialis. Si inest ut tota formalis essentia, constat quod est species, quia species totum est formalē esse individuorum de quibus prædicatur: quia quidquid est post speciem, est de materia vel individuantibus. Si autem ut pars essentialis: tunc aut est secundum potentiam in qua est esse per inchoationem, aut est pars secun-

<sup>1)</sup> ARISTOTELES, In primo physicorum, tex. com. 26.

<sup>2)</sup> Cf. cap. 5 tract. I de Prædicabilibus.

Objectio.  
Solutio.

Universale  
quid.

Quomodo  
universale  
pertinet ad  
logicum, et  
quomodo ad  
metaphysi-  
cum.

Sufficientia  
quinque  
univer-  
salium.

dum actum in quo est esse secundum actum perfectum. Et priori quidem modo est genus, secundo vero modo est differentia. Si vero inest ut accidens: aut inest ut accidens naturæ, quod de ipsius naturæ aptitudine causatur et emanat: aut ut accidens commune, quod est accidens individui. Et priori quidem modo est proprium, et secundo modo est accidens vocatum. Et de omnibus his tractare est necessarium logico, propter hoc quod prædicabilium considerat ordinem et prædicatorum compositionem.

Qualiter omnia ista prædicantur per notam compositionis, et qualiter per hoc verbum substantivum *est*, in sequentibus erit manifestum: sed hic tantum sufficiat, quod quidquid prædicatur, prædicatur non ut pars, sed ut idem secundum esse. Idem autem dico per se, vel per accidens. De his igitur in hoc nostro libro erit tractatus. Nec considerabimus hic res ipsas quibus talia ad ordinem unum prædicabilis referuntur. Hoc enim in libro *Prædicamentorum* habet determinari. Sed accidens ipsis rebus, quo eorum primum prædicabilium *generis* habet nomen et rationem, et secundum *speciei*, et tertium *differentiæ*, quartum vero *proprietatis*, quintum autem *accidentis*. Hoc enim ad istius primi libri pertinet intentionem. Per hoc enim accidentia diversum modum accipiunt prædicandi in quid vel in quale: quamvis convenienter omnia in hoc, quod quodlibet ipsorum est prædicabile: per quod etiam scientia est una, et non multæ. Diffiniri autem universale vera diffinitione non potest: quia per hoc quod prædicabile est de multis, non est unius et ejusdem rationis, sed est dictum per prius et posterius de illis de quibus est per ambitum suæ communitatis prædicatum.

Tractantes autem de his, modum et ordinem tenebimus Porphyrii. Ut duplex utilitas habeatur nostri operis: et de universalibus habeatur doctrina, et etiam libri Porphyrii habeatur intellectus,

Universale  
vera diffini-  
tione diffini-  
ri non po-  
test.

quem scripsit ad quemdam Grisarotium suum discipulum. Cum autem sit duplex Necessa-  
rium dupli- necessarium, scilicet inevitabile, et utile, ad eam quæ est apud Aristotelis libros doctrinam prædicamentorum (quæ cæteris doctrinis prædicamentorum præ-excellenter est) nosse quid sit genus, quid differentia, quid species, quid proprium, et quid accidens, secundum quod hæc universalia habent rationem prædicabilium, oportet tractare de istis. Inevitabile enim est, secundum quod rationem prædicabilis oportet cognoscere ante prædicabilium ordinem. Utile est secundum quod adminiculum est scire intentionem<sup>1</sup> generis et speciei et differentiæ et proprii accidentis, antequam determinetur de his quæ in uno genere ordinantur ut species, et antequam determinentur quæ ex uno genere dividuntur per oppositas differentias, et antequam assignentur uniuscujusque generis propria, et ampla distinctio generum in substantia, et accidentium genera determinentur.

Est autem necessarium et utile ad definitionum assignationem: quæ omnes prout prædicabiles sunt, ex genere et differentiis constituuntur, in quibus cavere oportet ne aliquod accidentale ponatur. Non enim potest vitari malum nisi cognitum, ut dicit Boetius. Omnino etiam necessarium ad demonstrationem, cujus medium secundum potissimum modum demonstrandi diffinitio est dicens quid et propter quid. Est enim talis diffinitio, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, demonstratio positione differens. Necessarium est etiam et utile ad divisionum scientiam: quia omnis divisio vel est generis in species, vel totius in partes, vel accidentis in accidentia, vel subjecti in accidentia, vel accidentis in subjecta, vel vocis in significationes. Et patet, quod quædam in divisione sunt, quæ sine doctrina istorum sciri non possunt. Quare scientia generis, speciei, differentiæ, proprii, et accidentis, adminiculum est

<sup>1</sup> Scilicet *notionem*.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, I Posterior. tex. com. 20.

ad scientiam divisionum generis in species, et accidentis in accidentia, vel accidentis in subjecta, vel subjecti in accidentia. Si autem non ad omnem utilis est divisionem, per hoc non removetur quin sit ad divisionem. Scientiam enim divisionis non habet etiam qui unam ignorat divisionis rationem.

Cum ergo tam utile sit hoc negotium istarum rerum prout universalia quædam sunt, istarum quinque rerum prout in ratione sunt, speculatione sive consideratione tentabo traditionem compendiosam faciens doctrinam monstrare. Modus enim noster quasi introductorys erit, ut imperitis sufficiat. Ea autem quæ ab Antiquis de his dicta sunt colligemus: et quamvis in modo introductionis ab altioribus quæstionibus abstinentur sit, tamen propter doctrinæ bonitatem etiam illas tangemus. Cum tamen in modo introductionis simpliciora facile ab imperitis intelligibilia mediocriter sint potius conjectanda, ut facilior fiat instructio. De una enim et eadem re subtili demonstratione et introductorya disertione potest tractari. Non enim per causas altissimas ista hic demonstrabimus, sed per similitudines et exempla de his faciemus instructionem.

## CAPUT II.

### *A quibus quæstionibus circa universalia sit abstinentur.*

Ne autem videatur quod nulla scientia de his sit, quæ per logicæ principia determinari non possunt: sed oportet quod altissimæ sapientiae principiis determinentur. Prima quidem est, an ista quæ genera et species dicuntur, in re subsistant, aut non quidem in rerum natura sint subsistentia, sed in solis nudis purisque intellectibus per abstractionem a rebus factam sint posita? Et dico solis intellectibus per exclusionem rerum, ita quod non in rebus sint. Nudos autem dico intellectus ab appendiciis materiæ

separatos, qui illorum tantum sunt, quæ nunquam in materia fuerunt. Quæ enim in materia fuerunt, non in nudis sunt intellectibus, sed sunt in intellectibus qui immixti sunt phantasiæ et sensui. Puros autem voco intellectus ex parte intelligibilis, ad quod nihil movet nisi solius intelligentiæ lumen, et non phantasma receptum.

Sunt tamen qui aliter ea quæ dicta sunt, interpretantur dicentes, quod in solis intellectibus sunt illa quoad nos, quæ utrum sint et quomodo esse habeant, solus scit intellectus. Et tale esse in intellectu universalia habere dixerunt illi qui vocabantur Nominales, qui communitatem (ad quam particularia universalium, de quibus dicuntur ipsa universalia, referuntur) tantum in intellectu esse dicebant. Nudos autem vocant intellectus, qui ad scibile quod accipiunt non habent præscriptos habitus, qui disponant intellectum ad speculationem eorum quæ in ipso sunt. Sicut intellectus conclusionum præscriptum quærit habitum principiorum per quem fit conclusio, et intellectus principiorum præscriptum sibi quærit habitum notitiae terminorum, et sic de aliis. Puros autem dicunt intellectus, qui mediante phantasmate non accipiuntur.

Sunt autem adhuc qui hoc referunt ad intellectum causantem et cognoscentem ista, qui est intellectus intelligentiæ illius quæ irradiat super intellectuale animæ nostræ. Et dicunt quod in solis intellectibus sunt, quæ esse non habent nisi in lumine illius intelligentiæ. Et sunt illi qui dicunt universalia non nisi ideale habere esse secundum quod universalia sunt, et non esse res conjunctas materiæ, sed implere omnem materiam suam imaginibus particularium, sicut unus masculus multas implet foeminas. Hi autem nudos dicunt intellectus separatos ab imaginibus, quas imprimunt in materiam. Puros autem dicunt, eo quod impuritati naturalium principiorum in causando non permiscentur, sed ex suo lu-

Alia expositiō.

Alia etiam expositiō.

mine producunt formas universales, quæ per distantiam ab ipsis impuritati materialium principiorum permiscentur, et tunc particulantur et determinantur.

*Alia adhuc expositio.* Nonnuli etiam dixerunt quod multiplicatio ista non ponitur nisi ad expressiōnem ejusdem rei per verborum quamdam inculcationem. Ab his ergo quæstionibus et aliis quæ circumstant istas (quæ determinari non possunt, nisi per principia quibus determinari habet intelligentiarum natura et illuminatio) abstinebimus : quamvis tangemus eas, ut sciantur quæ sunt. Cum per hujus scientiæ principia discuti et ad plenum determinari non possint, eo quod sapientiæ primæ quoad altissimam ejus partem est hujusmodi negotium ; et ideo majoris et subtilioris egens est inquisitionis. Illud vero quod de his ex probabilitibus scire utile est logico, in isto libro tentabo monstrare colligens probabilia ex Antiquorum dictis, et præcipue dicta sequens Peripateticorum, quæ secta in philosophia probabilissima mihi videtur.

Secunda vero quæstio est, a qua hic  
2. quæstio. abstineo, quod si detur quod subsistant in  
re extra intellectum, utrum sint subsistētia corporalia, an incorporalia sint?

3. quæstio. Tertia quæstio est, utrum sint in sensibilibus singularibus suis posita secundum esse, an sint extra singularia in rebus solis metaphysicis, sicut dixisse Plato refertur? Hoc enim per rationes logicas ad plenum sciri non poterit, sed metaphysico determinanda relinquuntur. Tres igitur sunt istæ quæstiones de universalibus. Prima quidem de esse ipsorum. Secunda de quidditate eorumdem. Tertia vero de comparatione ipsorum adsua particularia.

*Quare supradictæ tres quæstiones de generibus et speciebus tantum sint quæstæ.* Et ideo quamvis hæ quæstiones de omnibus sint universalibus vel esse possunt : tamen de generibus et speciebus ista præcipue quæruntur tribus de causis. Quarum una est : quia ista cum prædicentur in quid, per se esse significantur. Alia autem universalia cum prædicentur in quale, significant esse in alio, et ideo minus per se esse videntur. Secunda ra-

tio est : quia alia tria in istis esse significantur : differentia enim in genere est potestate, et in specie secundum actum : proprium autem in specie et genere ut vere accidens : accidens autem commune in individuo. Tertiam rationem quidam dicunt, quod omnia alia ad rationes istorum referuntur. Est enim quoddam differentiarum genus, cuius species sunt differentiae speciales : et similiter est in propriis et accidentibus. Sed hæc ultima ratio parvi valoris est. Prima autem ratio optima, et secunda bona, et secundum intentiones eorum qui hæc dicebant sumpta.

### CAPUT III.

#### *De declaratione et examinatione primæ quæstionis.*

Quamvis autem hæc determinata sint supra vires logicæ, eo quod oportet in his uti rationibus sumptis ex principiis entis secundum quod est ens, ex quibus cognoscitur quid sit subsistens in intellectu solo, nudo, et puro, et aliam subsistētiam non habet. Et quid est subsistens extra intellectum in natura secundum esse completum. Ad quod non sufficiunt rationes logicæ. Tamen propter bonitatem doctrinæ, et ne sit suspensus lectoris animus, hæc aliquantulum explanare tentandum est.

Ad quæstionem ergo primam, difficultates majores quæ dubitationem pro parte faciunt, sunt inducendæ, ut visa ratione dubitationis melius intelligatur veritas soluta dubitatione. Est ergo quæstio prima, utrum universalia et præcipue genera et species, quæ quidem significantur, subsistant in natura secundum esse separatum ab intellectu : aut non quidem sic subsistant, sed in solis, nudis, purisque intellectibus posita sint. Ita quod separatum non habeant esse, sed tantum sint accepta prout sunt rationes et intentiones in mente et lumine intellectus acceptæ.

Sic ergo explicata quæstione, hi qui *Rationes di centium universalia* dicunt in solis, nudis, purisque intellecti-

bus posita esse septem pro se fortiores inducunt rationes. Dicunt enim, quod Boetius et Aristoteles et Avicenna dicunt, quod omne quod separatum in natura est, ideo est quia unum numero est. Universale autem quod est genus et species non unum numero est, eo quod universale est unum in multis, et de multis. Quod autem est unum in multis et de multis, separatum non est a multis. Ergo ipsum separatum non est: non ergo unum numero est. Et si unum numero non est, sequitur ipsum non esse. Ergo universale separatum non est. Si ergo aliquo modo est, non nisi in solis, nudis, purisque intellectibus est. In solis quidem, quia in re non est: nudis autem, quia universale denudatum est a phantasmibus; puris autem, quia non nisi purum intelligentiae lumen est, nulli comparatum materiae sensibili.

Secundam adducunt rationem. Dicunt enim quod omne quod separatum a natura est, separatum habens esse extra intelligentiam, hoc aliquid est. Et hoc quidem dictum est Aristotelis et Avicennæ, et probatur per inductionem. Sed universale non est hoc aliquid, sed quale quid. Ergo universale in natura existens non est. Si ergo est, oportet quod in solis, nudis, purisque intellectibus sit.

Tertiam adducunt rationem. Si omne quod est secundum esse separatum in natura, particulare et individuum est, ut omnis forma quæ est in individuo individua est, sive sit substantialis, sive accidentalis, individuatur enim per materiam quæ omnis individuationis principium est et causa. Universale autem ponitur esse in suo particulari, ut in subjecto et substantia in qua subsistit, et quæ sibi substat, ut dicit Aristoteles in *Prædicamentis*. Universale ergo si subsistat extra intellectum in suo particulari, particulare est: quod absurdum est, quia particulare nec est in multis, nec de multis est. Universale autem est in multis et de multis.

Quarto ad idem inducunt, quod Aristoteles in prima probat philosophia multi-

pliciter, quod in eodem idem est esse universalis et particularis: quia aliter homo esset duo et non unum. Si ergo universale esse habet unum cum esse particularis, hoc esse secundum quod in particulari, est particulare: et particularis esse est non esse de multis et in multis: hic enim homo singularis est, et non in multis et de multis: a destructione consequentis arguitur. Si universale secundum suum esse, in multis et de multis est, universalis esse, non est esse particularis. Est autem esse particularis si extra est. Ergo non extra in natura est, sed in solis, nudis, purisque intellectibus est: quia aliter universale nullo modo esset: quod valde inconveniens est. An vero universale sit nunquam aliquis dubitavit. Et ideo Antiqui non quærebant an universale sit, vel non sit, sed quærebant an universale extra intellectum separatum in natura sit, an in solis, nudis, purisque intellectibus positum sit et fundatum; eo quia extra intellectum sit in rerum natura.

Quinto opponunt dicentes quæ Avicenna dixit et Algazel, quod universale quod est genus vel species, si extra intellectum est, aut cœpit esse, aut non cœpit esse. Si dicatur quod non cœpit esse, sequitur quod aeternum sit: quod esse non potest, cum causam habeat intelligentiae lumen quod facit et dat omnes formas. Si autem cœpit esse, aut cœpit esse a seipso, aut ab alio. Non autem cœpit esse a seipso: quia nihil incipit a se, cum Plato dicat quod nihil est cuius ortum legitima causa non præcesserit. Si autem ab alio cœpit, per actum agentis cœpit. Nihil autem fit per actum agentis, nisi particulare et individuum: quia omnis actus circa particularia est. Ergo universale particulare et individuum est. Destruamus ergo consequens, dicentes quod universale particulare et individuum non est, sicut jam superius probatum est: ergo universale non cœpit esse, nec in aeternum est. Ergo universale non est in natura, sed in intellectu est.

5. ratio.

6. ratio.

Sextum quod in assertionem suæ inducunt opinionis, est, quod in arte (quæ naturam imitatur) duo esse videntur in forma artis. Si enim consideretur secundum quod in artifice est, communis est ad omnia quæ sunt ejusdem generis et speciei, quia in artifice est per modum artificis. Et sicut unus est artifex valens producere multa artificiata: ita forma in artifice commune exemplar est ad omnia in quibus illa forma potest exemplificari. Quando autem extra artem artificis est in materia artificiata, particulata est, et nulli potest esse communis, nec aliquam habet aptitudinem ad hoc quod in alio et de alio sit. Similiter autem in formis naturalibus esse videtur. In his enim intelligentia est ut artifex, et forma naturalis est forma in rebus, sicut forma artis in materia artificiati. Videtur ergo, quod si universale commune est et aptum natura esse in multis, quod hoc non habeat, nisi secundum quod est in intelligentia quæ communis artifex est. Universale ergo ut universale est, non est nisi quod in solis, nudis, purisque intellectibus est.

7. ratio.

Septimo etiam per hoc confirmant hoc quod dicunt, quod in libro *de Causis* multipliciter probatum est, quod res in causa non est, nisi per modum et virtutem effecti per causam. In effectu autem causa non est, nisi per formam quam in effectum causa producit: quia omne quod de potentia producitur ad effectum, non producit nisi per id quod est in effectu tam in univocis accidentibus, quam in æquivocis: quia æquivocas ad univocas reduci necesse est. Forma igitur primæ intelligentiæ agentis in hoc quod effectus est, non est id nisi per conditionem et virtutem effectus. Effectus autem individuus et singularis est. Ergo forma, sive substantialis, sive accidentalis, in effectu procedens ab intelligentia, individua est et singularis. Universale autem nec individuum, nec singulare est. Universale ergo in effectu naturæ extra intelligentiam procedens

non est; in solis ergo et nudis, purisque intellectibus positum est.

Hæc sunt quæ ut fortiora inducunt, qui universalia in solo intellectu posita esse concedunt. Et ideo dicunt Aristotelem dixisse<sup>1</sup>, quod universale est, dum intelligitur; singulare autem est, dum extra sentitur.

Econtra autem illi qui universalia dicunt esse res extra intellectum existentes per se, fortiora inducunt septem, quibus maxime innituntur. Quorum primum est, quod *hic homo* non est nisi a simpliciter homine: et eadem ratione alius homo non est nisi a simpliciter homine, et sic de omnibus aliis. Non autem potest homo esse, nisi ab eo quod est secundum rem in natura extra intellectum existens simpliciter. Propter quod dicitur homo dignissima creaturarum. Si enim hoc conveniret huic homini secundum quod hic homo, non conveniret alii. Similiter quod homo est rationalis, non convenit huic secundum quod hic: quia tunc alii non conveniret. Ergo convenit secundum quod homo. Ergo homo secundum quod homo, et non hic homo, est aliquid in natura præter intellectum existens. Eadem ratio est de animali secundum quod animal.

Secundum est, quod sicut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, eadem sunt quibus res est, et quibus cognoscitur et scitur. Non est autem scientia nisi de universalis et per universale. Ergo res non est, nisi per id quod universale est. Scientia enim non est nisi de rebus et per res, præcipue in physicis. Ergo universalia sunt res extra intellectum. Si enim essent in intellectu tantum, essent rerum intentiones, et non res ipsæ.

Tertio inducunt, quod forma quæ dat esse, non habet esse a materia, quamvis sit in materia: sed habet esse ab agente secundum formam et agente univoco. Et secundum quod est ab agente, vere est, et est extra intellectum: et tamen non est hoc vel illud, sed est simpliciter. Sed universalis est, quod secundum se non est hoc vel

Rationes di-  
centium uni-  
versalia ex-  
tra animam

1. ratio.

2. ratio.

3. ratio.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, I Physic. tex. com. 49.

<sup>2</sup> In principio lib. I Physic. x. com. 4. et

illud, sed est simpliciter communicabile factum hoc vel illud. Ergo universale simpliciter et secundum se separatum ab agente et in natura existens est, quamvis non sit hoc vel illud. Universale ergo simpliciter est, et magis est quam particolare, sive hoc vel illud. Et hæc fuit objectio Platonis, qui dixit universalia esse formas.

Quarto adducunt : quia id quod est ab agente formaliter, vere est in natura : et tamen de esse suo formaliter nihil habet a materia : sed ab eo quod est in materia, habet quod est forma hujus vel illius. Ens autem vere ab agente non secundum quod est hujus vel illius, verissime habet esse in natura et agente formaliter : quia uno modo se habet ad omnia quæ ab eo exemplificantur. Quod ergo sic est, verissime est apud naturam : quia esse suum non est ab aliquo obumbratum vel variatum. Forma autem secundum quod uno modo se habet ad omnia particularia sua sic est, et tale habet esse. Hoc autem modo est universale. Ergo universale verissime est in natura, et verius est quam particulare.

Quinto inducunt, quod forma dat esse rei et specie et ratione : et natura non est nisi lumen intelligentiae terminatum ad hoc, et incorporatum isti. Quod ergo dat esse et rationem, aut habet ab hoc quod est incorporatum isti, et terminatum ad hoc, aut non. Constat autem quod non habet dare esse et rationem secundum quod est terminatum ad hoc, et secundum quod est incorporatum isti : quia hoc accidit isti, et ab hoc accidente non potest habere actum substantialem. Habet ergo ab hoc quod est lumen intelligentiae, quæ est dans esse in natura. Non autem dat esse in natura, nisi quod vere in natura est. Ergo forma quæ dat esse in natura, vere in natura est extra intellectum. Sicut forma artis non dat artificiato esse in genere et specie artificiati, nisi secundum quod in artificiato vere est, et extra intellectum artificis : quamvis hoc quod dat esse artificiato, non habeat ab eo secundum quod in ar-

tificiato est, sed secundum quod est ab artifice.

Sexto adducunt, quod lumen faciens colores, non amittit aliquid per hoc quod est in corpore terminato : nec aliquid accipit essentiae vel virtutis ad agendum, quamvis ei quod constituitur per ipsum, multa accident per hoc quod ad hoc vel illud terminatur. Ergo similiter lumen intelligentiae, quod de se formas largitur, non amittit id quod de se vel ab efficiente habet, per hoc quod est in isto vel in illo : nec aliquid accipit essentiae vel virtutis ab hoc quod terminatur ad hoc vel illud, quamvis ei quod constituitur ab isto multa convenient secundum quod lumen istud constituens agit in hoc vel illo. Sic autem virtutem constituendi habens, est vere in natura, et non secundum quod est in isto vel in illo. Hoc autem dicitur existens simpliciter et verissime et ex natura unam aptitudinem habens ad omnia quibus dat esse et rationem. Hoc autem est genus et species prout sunt universalia. Genus ergo et species universalia verissime sunt in natura.

Septimo inducunt, quod id quod secundum naturam et virtutem est ante rem, ab eo quod est post ipsum, nec esse accipit nec unitatem vel multiplicationem secundum seipsum, nisi secundum quod habet in isto vel illo quod post ipsum est. Universale autem sive forma quæ est rei causa et principium, est ante rem secundum causam et naturæ ordinem. Ergo ab eo in quo est, nec accipit esse, nec unitatem, nec multiplicationem secundum quod ipsum est in se : quamvis multiplicetur tantum secundum esse quod habet in isto vel illo. Si ergo in se accipiatur, nihil horum habet ab eo in quo est. Secundum seipsum autem acceptum verissime est : quia secundum se acceptum non habet hoc quod non sit nisi in intellectu : quamvis ab intellectu cognoscente et causante. Secundum se ergo acceptum verissime est res in natura simplici existens. Sic autem universale est aptitudinem habens ad omnia sua singula.

6. ratio.

7. ratio.

Universale ergo verissime est et res in natura est, etiam absque eo quod in intellectu solo, puro, et nudo sit acceptum.

Ecce hæc fortiora sunt, quæ illi pro una parte et alia inducunt in suarum assertionem opinionum.

*Solutio questionis. Universale tripliciter potest considerari.*

Nos autem quantum sufficit præsent intentioni ista solventes, dicimus quod universale triplicem habet considerationem, scilicet secundum quod in seipso est natura simplex et invariabilis : et secundum quod refertur ad intelligentiam : et secundum quod est in isto vel in illo. Primo quidem modo simplex est natura, quæ dat esse et rationem et nomen, et verissimum est inter omnia quæ sunt, nihil habens alienæ naturæ admixtum, nec conditione alienæ naturæ variatum. Per hoc autem quod est in isto vel in illo, multa accidunt ei secundum esse : quorum primum est, quod est particulatum et individuatum : secundum, quod est multiplicabile, vel multiplicatum : tertium autem, quod est incorporatum, et habens in se diversas passiones quibus est subjectum, et alia hujusmodi infinita, quia materiæ infinita accidentunt. Per hoc autem quod est in intellectu, dupliciter consideratur, scilicet aut secundum relationem ad intellectum intelligentiæ primæ cognoscentis et causantis ipsum, cuius illa natura simplex radius quidam est. Aut secundum relationem ad intellectum per abstractionem cognoscentem ipsum.

*Universale in intellectu dupliciter consideratur.*

Et primo quidem accedit ipsi radius et lumen intelligentiæ agentis esse et simplex et purum esse, et immateriale et immobile et incorporeale et incorruptibile, et perfectibile intellectus possibilis, et ejusdem possibilis intellectus esse motivum ad actum : sicut color movet visum ad actum secundum actum lucidi quod est in ipso quando secundum actum color est. Secundum autem relationem quam habet ad intellectum cognoscentem, non causantem, habet quod talis intellectus

tus secundum quod abstrahit ipsum, agit in ipso universalitatem (quam de natura sua ante habuit) per hoc quod separat ipsum a materia et materialibus individualibus. Et sic intelligitur quod dicit Aristoteles <sup>1</sup>, quod universale est dum intelligitur : particulare vero dum sentitur. Et illud Avicennæ dictum <sup>2</sup>, quod intellectus in formis agit universalitatem.

Et hoc est quod dixerunt antiqui triplices esse formas, ante rem scilicet, quæ sunt formæ secundum se acceptæ, principia rerum existentes : et in re sive cum re ipsa, quæ sunt formæ existentes in ipsis, dantes eis nomen et rationem, per id quod sunt aptæ esse in multis et universales, non tamen secundum quod sunt in illis : secundum enim quod sunt in illis, particularizatæ et individuatæ et ad singularitatem ductæ sunt. Sunt etiam formæ post rem, quæ sunt formæ per abstractionem intellectus ab individualibus separatae et in quibus intellectus agit universalitatem. Et primæ quidem substantialia rerum principia sunt, secundæ autem rerum substantiæ, tertiae autem accidentia et qualitates, quæ notæ rerum in anima acceptæ vocantur et dispositiones vel habitus.

His ergo supra prælibatis dicimus, quod universalia, hoc est, naturæ quæ universalia vocantur, secundum se accepta, sunt et verissime sunt ingenerabilia et incorruptibilia et invariabilia. Sunt etiam extra, vel præter intellectum solidum, nudum, et purum, sicut incontradicibiliter probant secundæ inductæ rationes : secundum autem quoddam esse, in rebus sunt, scilicet secundum esse individuatum quod actu est in his quæ sunt ultimo et in esse perfecto constituta in natura : propter quod illa res natura a physicis vocatur. Adhuc autem secundum quoddam esse sunt in intellectu : et hoc dupliciter, scilicet in intellectu per cognitionem causante et agente, et in

*Formæ triplices, ante rem, in re, et post rem.*

*Solutio questionis.*

<sup>1</sup> ARISTOTELES, I Physic. tex. com. 49.

<sup>2</sup> AVICENNA, In logica sua, cap. 4.

intellectu cognoscente per abstractionem ea per universalitatem agente et educente.

*Ad primam rationem pro prima parte opinionum.* Ad id ergo quod primo medio pro prima parte opinionis inducitur, quod cum dicunt Aristoteles et Boetius, quod omne quod est, ideo est, quia unum numero est : hoc intelligitur de his quae ultimo actu in natura perfecta sunt, de illis enim verum est. Sed universalia hoc modo non sunt : sunt enim ut rerum principia, et non ut res ultimo actu in natura constitutæ et completæ. Aut sic intelligitur<sup>1</sup>, quod unum numero sit dictum a numero ultimi esse, vel a numero essentiæ. Esse enim quod est unum numero, habet esse suæ essentiæ : sicut et universale unum numero, est unum numero essentiæ et non duo vel tria (quamvis numerus materiæ et accidentis sit) in multis et de multis. Et hoc accidit sibi et non convenit ei secundum se : et sic intelligitur quod dicitur, quod participatione speciei plures homines sunt unus homo.

*Ad secundam rationem Separatum esse separatum.* Similiter dicendum ad id quod secundo dicunt, quod illud quod separatum habet esse extra intellectum in natura, est hoc aliquid : quia separatum esse habere dicitur duobus modis. Uno scilicet modo quo separatum esse habet id quod in se habet esse non dependens ad aliiquid, ad hoc quod esse habeat quod sit extra ipsum : et sic non generaliter verum quod dicunt : quia universale sic separatum, habet esse in natura, et tamen non est hoc aliquid. Alio modo separatum esse dicitur, quod in se est indivisum, et ab aliis per discretionem divisum et separatum. Et hoc modo generaliter verum est quod dicunt : quia sic non nisi singulariter existentia separatum habent esse.

*Ad tertium.* Ad id quod tertio inducunt per dictum Avicennæ, dicendum quod omne quod est in individuo (secundum quod est in individuo) singulare est. Sed id

quod in individuo est, nil prohibet esse universale, non secundum quod est in individuo acceptum : hoc enim secundum se acceptum, nihil prohibet esse quale quid, et non hoc aliquid.

Si quis autem sic objiciat, Quod est in individuo est in eo per modum individui. Individuum autem est hoc aliquid. Ergo illud quod est in individuo, est singulare et hoc aliquid. Non valet argumentum. Quod enim est in individuo, non semper est in eo per modum esse individui, sed aliquando per modum principii individui. Et non oportet quod hoc secundum id quod est, sit individuum et hoc aliquid : quia potest esse quale quid. Et ideo in argumento paralogismus est figuræ dictionis : quia interpretatur quale quid ut hoc aliquid.

Ad id autem quod quarto inducunt, *Ad quartam rationem.* dicendum quod universale secundum esse quod habet in singulari, non habet aliud esse quam esse singularis : et hoc probat Aristoteles<sup>2</sup> contra eos qui dixerunt formas universales distinctum et divisum esse retinere præter esse singularis (sicut ex sigillo receptum) esse separatum ab illo sicut separatum est esse sigilli et ceræ sigillatae : sed quod id quod est in singulari, non habeat esse naturæ et principii, non secundum quod est in singulari, sed secundum se acceptum, non probat Aristoteles : quia hoc est verum et necessarium in omni natura.

Ad id quod quinto objicitur, dicendum quod essentiæ rerum secundum quod essentiæ sunt, non incipiunt esse nisi per accidens et per aliud, scilicet incipientibus esse his in quibus sunt. In his enim per consequens etiam illa esse incipiunt. Et hoc non accidit eis, nisi secundum quod in illis sunt : secundum seipsa autem nec incipiunt nec desinunt esse secundum naturam, sed sunt radii luminis intelligentiæ universaliter agen-

<sup>1</sup> Explanatio illius dicti : *Omne quod est, ideo est, quia unum numero est.*

<sup>2</sup> ARISTOTELES, VII Physic. tex. com. 31 et 37.

tis, quæ Deus est: quæ cum seipsa sit agens, non est assignare quod incipiat vel desinat nisi secundum quod agit hoc vel illud in singulari.

Ad sextam rationem. Ad id autem quod sexto inducunt, dicendum quod quamvis forma artis habeat quod exemplar commune est, ab hoc quod a tali exivit artifice: tamen postquam exivit, adhuc habet id quando secundum se ut forma artis accipitur: et habet hinc lignis, et lapidibus, quamvis hoc non habeat secundum quod existit in lignis et lapidibus. Et similiter de formis naturalibus existentibus ab intelligentia. Et ideo secundum se acceptæ sunt communes et universales etiam quæ sunt in singularibus, quamvis non secundum quod sunt in singularibus habeant id.

Objectio. Si autem quis inferat dicens: Si non secundum quod sunt in singularibus habent id: ergo habent secundum quod non sunt in singularibus. Est paralogismus secundum fallaciam divisionis: quia divisum infert ex eo quod secundum compositionem dictum fuerat.

Ad septimum rationem. Ad id autem quod septimo et ultimo inducitur, dicendum esse videtur, quod omne quod est in effectu secundum quod effectus esse habet ultimum, secundum quod est in effectu illo, singulare est: et sic intelligitur quod probatur in libro *de Causis*<sup>1</sup>. Sed id quod in effectu secundum se acceptum per modum principii et causæ formalis ipsius effectus secundum se accepti, nihil prohibet de se communicable et commune esse, sicut jam saepius dictum est.

Ea autem quæ secundo inducta sunt, puto de necessitate concludere.

#### CAPUT IV.

*Utrum universalia sint corporalia?*

Opinio Platonis. Secunda autem quæstio est, an universalia sint incorporalia vel corporalia?

quæ ex Platonicis inducta est sicut prima. Dicebat enim Plato māthematicas lineas et superficiem esse separata quædam, ex quibus corpora mathematica componuntur: sicut omne divisibile ex indivisibilibus dicebat componi, accipiens hæc ab Epicureis qui ante philosophari cœperunt. Melissus autem et Parmenides talia dicebant, et quidam alii. Ex mathematicis autem magnis et parvis omnem materialem dicebant constare quantitatem.

Suæ autem opinionis tres potissimas inducebant rationes. Quarum fuit prima, quod videbant, quod substantia tam materia quam forma de se, et secundum quod substantia est, et secundum seipsum accepta, indivisibilis est, sicut expresse dicit Aristoteles.<sup>2</sup> Oportet ergo aliud divisibilitatis esse principium indivisible. Divisibile autem non est nisi quantitas: quantitas autem omnis sive sit discreta, sive continua, non procedit nisi ab indivisibili. Adhuc omnis species quantitatis non procedit nisi ab indivisibili proximo: quia unumquodque genus et species causatur ab aliquibus suis proximis principiis. Corpus enim quod omni modo divisibile est, non potest causari (sicut ex proximo suæ constitutionis principio) ab eo quod omni modo est indivisibile sicut punctum, vel ab eo quod uno modo tantum divisibile sicut linea. Sed oportet, quod causetur ab eo quod est pluribus modis divisibile. Sicut superficies quæ non est indivisibilis nisi in profundum, sed in latum et longum divisibilis est. Et ex compositione unius superficie cum alia fit divisibilis in profundum: sicut punctum omni modo indivisibile, compositione puncti cum puncto fit divisibile in longum, recto motu puncti in continuum. Punctum enim est substantia positionem habens, et ideo motu suo in continuum facit lineæ positæ divisionem. Et similiter est de superficie constituta à linea mota in latum: qui motus lineam com-

Quod universalia sint corporalia, rationes Platonis.

1. ratio.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In libro Physic.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, In I Physic. tex. com. 43.

ponit cum alia existente una primo mota in latum continui : quod motu ejus constituitur. Et similiter est de corpore quod motu superficie motæ in profundum constituitur. Et quia non sunt plures situs continui in quod aliquid indivisibile moveri possit ad quantitatis constitutionem, ideo non sunt plures quantitatis continuae species nisi tres, et non nisi tres diversitates. Cum autem materia sensibilis de se sit indivisibilis et immobilis, non potest esse quanti vel quantitatis principium. Materia enim de se nihil habet quantitatis. Oportet autem, quod omne quod est aliquis generis essentiale principium, sit aliquid illius generis, tam in genere substantiæ, quam in genere accidentium. Probatum est autem in *Physicis*<sup>1</sup>, quod principia corruptibilium sunt incorruptibilia, et principia sensibilium sunt insensibilia. Quia aliter in principiis et principiorum principiis iretur in infinitum. Constat etiam, quod istæ naturæ quæ simplices et universales dicuntur, corum sunt principia quæ sunt singularia, ut jam in antehabita quæstione habitum est et determinatum. Et horum materialium et corporalium non possunt esse principia, nisi sint corporalia et principiis quantitatis determinata. Sequitur ergo de necessitate, ut videtur, quod universalia sunt corporalia, et corpora per quantitates corporales dimensa, et ista ratio directe est secundum intentionem Platonis, qui talia separata ponebat. Et ideo per nos est per multa explanata, ut melius quid intendit, intelligatur.

Secunda ratio est, quod principium alicujus generis vel speciei, non potest esse, vel hoc vel illud in numero determinatum : quia sic non esset universale illius generis vel speciei acceptum. Principia ergo generum et specierum, genera sunt et species : et cum principiata sint corpora sensibilia et quanta, sequitur quod principia illorum sint genera et species quantitatum. Hæc enim sunt principia sensibilia per hic et nunc indivi-

duata. Substantia enim secundum quod substantia in principiis ejus, nec ad hic nec ad nunc determinatur vel individuatur : et ideo talibus principiis non causatur. Et ideo Plato dixit omnium istorum sensibilium principia circa mathematica in rationibus generum vel specierum accepta : substantiam autem secundum quod substantia non esse sicut principiatum, sed per quantitatem esse determinatam ad hic et nunc. Ex hoc autem ulterius inferebat, quod genera et species, quæ sunt horum singularium principia, sunt corporalia.

Tertia ratio Platonis fuit : quia quod est in ordine naturæ primum, est causa et principium ejusdem quod secundum se in eodem naturæ ordine posterius est, sicut in libro fontis vitæ et in libro de causis est probatum. Quantum autem secundum rationem quantitatis acceptum constat quod secundum ordinem naturæ est ante hoc quantum sensibile. Ergo secundum ordinem naturæ causa est ipius, et principium. Non est autem causa et principium nisi quod est simplex et universale principium. Ergo quod est simplex et universale, quantum est et corporale.

Istæ absque dubitatione rationes sunt Platonis in hoc quod universalia dixit esse corporalia quædam in mathematicis rationibus et formis constituta. Quod autem quidam dicunt de universalibus immaterialium, ut angeli, et animæ, nihil penitus valet ad propositum. Talia enim dixit Plato ab æterno consistere, et radios quosdam lucis primæ esse, et non esse causata a principiis materialibus per compositionem, et in talibus dixit esse particulare non universale : sed in talibus dixit, quod sunt in nobis per hoc quod luces eorum et essentiæ sunt in nobis, sive existentibus per ea, sive cognoscentibus ea. Propter quod Avicenna in sua metaphysica, ubi stabilit species qualitatis, dicit quod hoc dictum verum est. Cujus signum dicit : quia ea in quibus sunt

<sup>1</sup> Cf. I Physic. tex. com. 40, 41 et 82, specia-

liter de materia prima.

sive existentibus sive cognoscentibus ea, non recipiunt ea secundum hic et nunc, sed ubique et semper, quantum est de ipsis. Anima enim non est in corpore secundum hic et nunc, nec dæmon sive intelligentia, sive etiam angelus, non est in eo in quo est per operationem vel cognitionem ut hic et nunc, sed secundum possibilitatem ejus in quo est, est in eo secundum ubique et semper: quia non habet in eo positionis discretionem. Hæc opinio Platonis est.

Quod universalia sint incorporalia

1. ratio.

In contrarium hujus sufficiunt etiam tres rationes, quæ sunt inter multas quæ adduci possunt, potiores. Quarum prima est, quod si universalia (horum singularium principia) sunt corporalia: aut sunt principia in quantum incorporalia, aut sunt principia eorum in quantum corporalia sunt et hic et nunc determinata. Si sunt principia horum in quantum corporalia sunt: corporale autem non efficitur corporale nisi per aliud corporale: sed principium constituens est etiam corporale: ergo et ipsum corporale non efficitur corporale nisi per aliud corporale: et sic procederetur in infinitum. Sequitur ergo, quod principium corporalis sit incorporale, sicut principium corruptibilis est incorruptibile, et principium sensibilis est insensibile, et principium mobilis est immobile, et sic de omnibus aliis.

2. ratio.

Secunda ratio est, quod si universalia sint corporalia, sequitur quod sunt quantitatibus et figuris determinata. Rationes autem quantitatum non sunt quantæ, et rationes figurarum non sunt figuratae. Si autem universalia quanta figurata sunt, sequitur quod suscipiens ea, figuretur per ipsa, et quantitate distendatur. Suscipit autem talia possibilis intellectus. Intellectus ergo possibilis quantus erit et figuratus, quod nemo unquam opinatus est, quia omnes Anaxagoram laudabant dicentem, quia intellectus est purus et immixtus, nihil ulli habens commune. Universale ergo corporale esse non potest, et in re corporali: cum prout uni-

versale est, motivum est intellectus possibilis.

Tertia ratio est, quod si universale corpus vel corpoream est habens quantitatem, oportet quod sua quantitas corporæ sit et perpetua. Est autem singulare suum in quo est quocumque modo corporeum et corpus: aut igitur hæc duo sunt unum corpus, aut duo corpora. Si sunt unum et idem, sequitur quod corruptibile sit incorruptibile, et sensibile insensibile, et faciens factum, et constituens constitutum, si sint unum et idem: quod est inconveniens et non intelligibile. Si autem sunt duo corpora, sequitur quod duo corpora sint in eodem loco. Mathematicis enim datur locus sicut et physicis, ut dicit Aristoteles. Probatum est autem a nobis in *Physicis*, quod si duo corpora sint in eodem loco, de necessitate duo erunt unum et idem corpus. Sequitur ergo, quod si sunt duo diversa corpora, quod sunt unum et idem corpus: quod impossibile est omnino.

3. ratio.

Nos autem quæ inducta sunt determinantes, distinguimus quod corporale multiplicitate dicitur, scilicet quatuor modis. Uno quidem modo dicitur corporale

Determinatio quæstionis.

quantitate corporea distensum, ita quod ipsa quantitas sit aliquid sui. Et sic habentia quantitatem corpoream, corporalia dicuntur et mobilia omnia et sensibilia. Secundo modo corporalia dicuntur non quidem quantitatem ut aliquid sui habentia, sed tamen secundum distensionem quantitatis in subjecto ea suscipiente sunt distensa, sicut albedo et nigredo, et caliditas et frigiditas, et figura, et circa aliquid constans forma, dicuntur corporalia: quamvis quantitas nihil sit essentiæ ipsorum. Tertio modo dicitur corporale omne corpori sicut suscipienti determinatum, sicut sensus et imaginatio et cæteræ virtutes sensibiles. Et universaliter omnis anima sensibilis et vegetabilis sunt corporales formæ. Quarto modo dicitur corporale, non quod aliquid sit partis vel quantitatis corporalis, sed quia corporis quantitatis est principium.

Corporale et incorporale dicuntur quatuor modis.

Et sic punctum dicitur esse corporale. Similiter autem multipliciter dicitur incorporale: quia si unum oppositorum est multiplex, et reliquum. Nullo autem istorum modorum universale est corporale: quia est sicut natura corporis vel corporei, cui per aptitudinem dicendi de multis accidit universale esse: et est incorruptibilis, quia (sicut optime probatum est) aliter motivum intellectus possibilis esse non potest, quia penitus incorporeus et incorruptibilis est. Est enim simplex notio et natura ab omni quantitate distensionis abstracta.

<sup>et primam rationem.</sup> Ad hoc ergo quod primo objicitur, dicendum quod et quanti essentiam constituens est duplex, scilicet secundum quantitatis essentiam et constitutionem ejus quod est quantum vel quantitas. Et de tali principio procedit objectio et est necessaria. Alia est constitutio quanti secundum esse specificum et rationem, non secundum id quod est quantitas et dans nomen et diffinitionem quantitatis. Et hoc principium constituens speciem et genus quantitatis non est quantitas vel quantum, sed potius quantitatis natura simplex et ratio. Et haec natura sic simplicitate sua accepta est universale.

<sup>et secundum rationem.</sup> Ad id autem quod secundo inducitur, dicendum quod hoc quod ponunt simpliciter esse verum principium hujus, in esse et specie secundum naturam vel in genere non est ad hoc vel illud determinatum: quia si hoc esset verum, non esset principium universale, sed hujus vel illius. Sed hoc principium non est mathematica quantitas in his quae corporea sunt: sed est natura simplex constituens in genere et specie, et dans nomen et rationem. Et in hoc patet, quod quamvis punctum sit essentiale et quasi materiale principium lineæ, tamen formæ lineæ non habet nomen nec rationem. Sed aliud est principium secundum formam, quo linea lineæ nomen et rationem habet. Et hoc principium simpliciter acceptum natura est lineæ, cui accidit esse universale, per hoc quod pluribus est

comunicabilis natura illa. Patet igitur quod corporalium universale est in corporale. Et hoc est vere dictum Peripateticorum.

Ad id autem quod tertio inducunt, dicendum quod verum est quod ponitur: dummodo bene intelligatur, quod essentialiter per modum materialis constituti principium est essentiale, 'non in ordine naturæ primum: etiamsi daretur quod constituerent et principiarent naturalia corpora, non principiarent ea, nisi secundum id quod est quantitas subjecta, et non secundum hoc quo quantitas est in ratione vel specie vel genere. Et ideo non sunt propria ad ea secundum ordinem formalem naturæ, vel secundum ordinem efficientis causæ. Sed ea quæ sunt constituentia ea quæ corporea sunt in ratione, nomine, et specie, et genere, priora sunt secundum ordinem naturæ; et illæ sunt simplices naturæ, et essentiæ eorum, et notiones ipsorum. Hæc autem omnia et incorporalia sunt et universalia per antedicta. Et hanc subtilitatem invenit Aristoteles, et ideo in omnibus quæ dixit, Platonii præponatur in positione principiorum. Hæc est vera secundum Peripateticos hujus quæstionis determinatio; et sic tenendum est, nec est curandum de sophisticis quibusdam, qui ante nos quædam scripserunt.

## CAPUT V.

*Utrum universalia sint separata a sensibilibus, an in ipsis sensibilibus posita?*

Restat nunc de difficillima quæstione disserere, quam tertiam tangit Porphyrius, utrum scilicet universalia sint separata a sensibilibus, an in sensibilibus sive singularibus posita sint, et ab illis separatum esse non habeant? De hoc autem Opinio Aristoteli. semper fuit contentio inter Stoicos et Peripateticos. Aristoteles enim ponere videtur universale extra particulare esse non habere: unde in *Posterioribus* dicere vi-

detur<sup>1</sup>, quod universale non est nisi in hoc, hoc est, singulari. Dicit etiam contra Platonem loquens, quod universale esse unum aliquid extra multa, non necesse est si demonstratio erit; esse tamen unum de multis, verum est dicere. Ac si dicat, ad hoc quod demonstrativa sit scientia, non necesse est dicere, quod universale (de quo est sciencia) sit separatum extra singulare: quia sufficit, quod universale sit unum in multis, et de multis. Adhuc autem dicit Aristoteles, quod nulla necessitas est opinari, quod universale sit præter hoc.

1. ratio.

In prima etiam philosophia<sup>2</sup> adhuc inducit rationes multas ad inconveniens ducentes: quia si esset universale separatum secundum esse actuale a singulari, sequeretur quod esset cœlum præter hoc cœlum, et terra præter hanc terram, et homo præter hunc hominem: et cum scientiæ de naturis rerum sequantur res, et de separatis sit alia scientia quam de materiam concipientibus, sicut patet in metaphysicis et physicis: esset alia scientia de cœlo, et alia de hoc cœlo: et alia medicina de homine, et alia de hoc homine: et alia geometria de terra, et alia de hac terra, et sic de aliis.

2. ratio.

Hoc idem probatur per diffinitionem universalis, tam ex Aristotelis verbis<sup>3</sup>, quam ex verbis Avicennæ et Alfarabii. Est enim universale unum de multis et in multis. Si autem est in multis, non habet esse separatum ab illis. Et ideo dicunt quod universale est, quod est aptum esse in multis, et in hoc differt a singulari. Res autem secundum naturam est in eo in quo est apta nata esse, et non in eo in quo non est apta nata esse. Universale ergo est in multis, et non separatum habet esse ab illis: quia non est aptum natum habere separatum esse ab illis.

3. ratio.

Adhuc autem si universale esset actu secundum perfectum esse præter multa, sequeretur quod esset existens per seip-

sum solum, et indivisum in se, et ab aliis divisum, et sic esset hoc aliquid et singulare. Nihil autem quod in se est unum et hoc aliquid, praedicabile est de multis, nisi solo nomine, et non re aliqua quæ sit in illis. Et qui sic ponit universale esse, ignorat universalis rationem: quæ nomine, re, et ratione rei quæ in multis est, praedicatur de illis.

Adhuc autem si sic esset per se existens, non posset alii esse causa in natura et ratione, quia non posset esse forma ipsius: sed si constitueret id, hoc esset per modum compositionis elementalis admixtionis: et tunc praedicari non posset de ente formaliter prædicatione: et tunc destrueretur omnis utilitas ipsius. Sic enim nullius rei posset esse principium, neque ad esse, neque ad scientiam quæ de esset per notitiam universalis.

4. ratio.

Adhuc omnes tales propositiones essent falsæ et impossibilis, in quibus universalis de particulari substantialiter prædicatur: ut cum dicitur, hic homo est homo, vel hoc lignum est lignum, et omnes similes istis, quæ sunt maxima inconvenientia et absurdum. Si autem aliquis diceret, quod universale particulari unitur, et tamen remanet in se separatum, hic non evadit inconvenientia inducta: taliter enim unitum non est unum, et secundum esse non prædicatur de eo cui est unitum. Et ideo non posset dici, quod Socrates vel hic homo est homo: quia sibi esset unitus homo, et quasi homini ut sigillo impressus: sicut non potest dici, quod cera sigillata sit sigillum. Videlur ergo, quod universale separatum esse non habeat extra suum singulare.

5. ratio.

In contrarium autem hujus est, quod omne quod habet esse, non habens illud per aliud vel ab alio, potest esse sine illo. Universale autem habet esse, non per singulare, nec ab illo. Ergo potest esse sine illo: ergo secundum esse est separabile a singulari.

In oppositi<sup>um</sup>  
1. ratio.

Hoc etiam sic probatur: Esse univer-

2. ratio.

finem.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In I lib. posterior. tex. com. 25.

<sup>2</sup> Id. 7 Metaphys. a [tex. com. 5 usque ad

salis est esse commune aptum natum esse in pluribus et multis communicabile. Hoc autem esse non potest habere a singulari : quia singularia sunt discreta et incommunicabilia. Communicabile ergo esse quod est esse universalis, universale non habet a singulari.

**objectio.** Si forte aliquis dicat, quod ista ratio non probat, quod universale non habeat esse discretum : sed probat quod a singulari destructo remanet esse universalis secundum aliquem modum. **Hoc videtur contra Aristotelem esse**, qui ponens, quod universale esse habeat in singulari, dicit quod destructis primis impossibile est aliquid aliorum remanere <sup>1</sup>. Et hoc secundum rationem inductam destruitur : quia si universale habet esse separatum vel separabile ab esse singulari, universale manebit existente singulari et non existente singulari aequaliter : eo quod suum esse ab esse singularis non dependet aliquo modo, nisi secundum esse in ipso, et non secundum esse simpliciter.

**ratio.** Adhuc autem universale semper est et ubique: particulare autem sive singulare est hic et nunc. Si autem universale est ubique et semper, est alicubi ubi non est singulare : et est aliquando quando non singulare. Quæcumque autem loco et tempore sunt separata, simpliciter et substantialiter secundum esse et subjecta sunt separata. Cum ergo universale et particulare loco et tempore differant sive separata sint, simpliciter secundum esse et subjecta substantialiter separata esse videntur.

**objectio.** Adhuc non potest idem esse intelligi corruptibile et incorruptibile. Universale autem incorruptibile est, singulare vero corruptibile. Non idem erit ergo esse universalis et singularis. Si enim idem esset utrisque esse, sequeretur contradictionis simul esse vera : quia si corruptibile est secundum esse, erit aliquando quando esse non habebit. Probatum enim est de *cœlo et mundo* in primo <sup>2</sup>, quod corruptibile necessario aliquando corrumptetur :

et tunc non erit incorruptibile, aut semper erit. Ergo aliquod tempus erit, quando id secundum esse et erit et non erit, quod est impossibile.

Adhuc autem constat, quod universale **5. ratio.** habet esse in quo multa uniuntur in unum nomem et rationem : quæ nomen et ratio dicunt esse diffiniti. Hoc autem esse nullo modo habet in esse singularis. Ergo habet hoc esse separatum ab esse singularis. Cum ergo habet hoc esse : aut habet ipsum secundum quod instrumentum primi agentis est, aut habet hoc secundum quod est in anima per abstractionem ipsum cognoscentem, aut in re ipsa extra agentem et cognoscentem existens. Si dicatur quod habet illud in efficiente, tunc universale non habet esse nisi ideale : et cum prædicatur de singulari, non prædicatur nisi sicut idea : hæc autem prædicatio non est substantialis, sed exemplaris tantum, et sic destruitur omnis prædicatio substantialis. Si autem habet in anima apprehendente, tunc relatio universalis ad multa, non est nisi in anima, et non in re, et sic prædicatur nomine, et non re. Et sic universalia non sunt res, sed nomina : quod falsum jam esse ostensum est. Relinquitur ergo quod habent id secundum quod est res in se existens et ab agente et cognoscente et a singulari separata. Ergo esse universalis est separatum ab esse singularis, et e converso. Ex omnibus autem his et similibus videtur quod esse universalis separatum sit substantia, loco, et tempore ab esse singularis.

Ad hæc autem non est difficile responderem ei qui bene novit positionem Peripateticorum. Nam per distinctionem esse universalis omnia hæc facile determinantur. Est enim esse universalis secundum quod universale est secundum universalitatis rationem, et est esse ejus quod est universale. Similiter esse singularis secundum quod singulare est et secundum singularitatis rationem : et est esse ejus quod est singulare, prout est substantia

**Notanda pro solutione questionis.**

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In præs. cap. de substantia.

<sup>2</sup> Id. Tex. com. 124.

substans communi naturæ. Dicimus ergo, quod esse universalis in eo quod univ ersale, est ratione separatum, et oppositum est illi quod est esse singularis in eo quod singulare est, quamvis non ut in eodem subjecto. Esse autem naturæ illius quæ universale est, non est separatum ab esse singularis secundum quod est substantia substans illi communi naturæ: sed potius esse universalis est esse particularis, et non divisum ab illo. Est enim, sicut diximus, universale secundum esse in particulari: quamvis non sit universale secundum hoc quod est in illo, sed nec commune, nec communicabile, sicut in prima quæstione satis declaratum est. Et nisi sic esset, non esset quæstio nec scientia de aliquo, sicut in primis probatur objectis. Nec est curandum de solutione quam quidam inducunt, scilicet quod universale secundum se habeat esse, sed non habeat esse completum, nisi in particulari: universale enim habet esse completum in hoc, quod omnia habet quæ exiguntur ad esse universalis: sicut particulare habet esse completum, quando habet omnia quæ exiguntur ad esse particularis.

Ad primam rationem post oppositionem. Ad id autem quod primo contra hoc inducitur, dicendum quod omne quod habet esse non per aliud, potest esse sine illo: nisi ita sit, quod esse suum quamvis non sit per aliud, tamen sit in alio cui ipsum est causa esse. Et hoc est esse in alio, sicut pars essentialis ipsius esse secundum quod est in alio: et hoc modo universale sive substantia secunda est in alio: sed per hoc quod est in illo, est particulatum et determinatum. Et ideo esse quidem habet in seipso sed non determinatum et particulatum.

Si autem quæratur, utrum idem esse sit quod universale habet per se acceptum, et quod habet determinatum et particulatum? Dicendum quod nec idem omnino, nec diversum omnino: sed idem vel unum dupliciter. In substantia enim idem est: duplex autem ut idem et unum

indeterminatum et determinatum. Et hæc est solutio trium Philosophorum, Avicennæ, et Alfarabii, et ejusdem Joannis grammatici apud Arabes nominati: et est vera quia concordat dictis Aristote lis.

Ad id autem quod secundo inducunt, Ad secundam rationem. quod aptum natum esse in pluribus non convenit universalis secundum quod est in singularibus, concedendum est quod hoc est verum: sed hoc habet natura illa in quantum simplex est et indeterminata. Quanto enim aliquid est simplicius, tanto magis est communicabile multis. Sed dico simplex non per privationem differentiarum, quæ convenienter in esse ipsius, sed per privationem eorum quæ determinant et contrahunt ipsum ad hoc esse vel id secundum speciem vel individuum. Sed per hoc non sequitur, quod habeat esse determinatum sive singulare: quia quamvis tale esse non habeat a singulari, tamen non habet nisi in singulari: sicut et commune non habet esse nisi in eo, in quo determinatur et ad esse distinctum contrahitur. Nihil enim est simplex in natura, nisi quod ad esse distinctum est et determinatum, sicut genus non est nisi in speciebus, et species non est nisi in individuis suis.

Ad id autem quod objicitur, dicitur quod objectio non probat, quod universale habeat esse separatum, sed quod remaneat destructis pluribus particularibus concedendum est. Sed quod Aristoteles dicit, quod destructis primis impossibile est aliquid aliorum remanere, intelligitur in esse determinato et distincto in rebus naturæ. Sed tamen possibile est remanere in esse naturæ simplicis communis et indeterminatae. Si autem quæritur in quo et ubi manet secundum id esse, hoc in proximo sequenti capitulo declarabitur.

Ad id autem quod dicitur Aristotelem Ad tertiam rationem. dicere, quod universale est ubique et semper, singulare autem hic et nunc: dicendum quod verum est quod dicit Aristoteles, quod universale in esse universa-

salis acceptum, non discernit locum sive loci differentias vel tempus: quia indeterminatum est, et commune ad omnem locum et tempus: sed secundum idem suum esse substantiale efficitur hic et nunc quando determinatur in particulari ad hoc et id.

*Objec.* Si quis autem dicat, quod secundum hoc idem sit in pluribus tempore et loco et substantia differentibus: dicendum quod hoc non est inconveniens de eo quod est natura simplex et communicabile: quia potius hoc est necessarium, quia simplicitatem ejus consequitur communicabilitas. Sed in esse determinato et distincto non est in pluribus substantia, loco, et tempore divisum. Et ideo ejusdem rationis est homo in omni tempore, et in omni loco, et in omnibus individuis.

*Ad præsum.* Ad id autem quod dicitur, quod universale est incorruptibile, singulare autem corruptibile: dicendum quod hoc verum est: quia aliter scientia non esset de ipso: sed ex hoc non sequitur, quod esse universalis separatum sit ab esse singularis: unumquodque enim dicitur incorruptibile vel corruptibile per rationem principiorum constituentium esse ipsius. Et ideo cum esse universalis secundum id quod vere est universale, hoc est, secundum id quod est natura simplex et indistincta, non dependeat secundum esse nisi a principiis simplicibus, sequetur quandoque, quod incorruptibile sit: probatur enim in ultima parte libri *de Causis* quod simplex est incorruptibile. Sed hoc idem ut determinatum et distinctum in singulari secundum esse particularis, quod dat esse ei determinatum, propter corruptibilium principiorum adjunctionem nihil prohibet esse corruptibile. Et idem est corruptibile et incorruptibile comparatione principiorum diversorum. Et hoc non improbat Aristoteles in libro *de cœlo et mundo*.

Ad hoc autem quod dicunt negari non posse, quod universale habeat esse commune in quo multa uniuntur et conveniunt in substantia et ratione: dicimus

quod hoc verum est: et hoc esse est sibi proprium, et non habet a singulari: sed nec hoc potest negari quin illud idem commune esse sit determinabile et designabile in singulis: quia aliter non esset communicabile in singulis: et per illam distinctionem esse id non fit diversum secundum substantiam, sed tantum efficitur habens modum essendi diversum, quod non facit simpliciter esse diversum, sed unum esse duplex ex eo quod diversum modum esse accipit, sicut saepius dictum est.

Si quis autem dicat, quod ut dicit Aristoteles, motis nobis moventur ea quae in nobis sunt: et per hoc intelligitur de motu corruptionis: et sic corruptis primis impossibile est universale remanere: dicendum quod hoc omnino est verum quod dicit Aristoteles, et ita intelligitur, sicut dictum est. Et verum est quod universale corrumpitur in eis quae corrumpuntur, sed corrumpitur secundum quod est in eis. Est enim in eis secundum principia determinata et distrahentia ipsum ad esse particularis. Et sic est hoc modo corruptibile, quo in libro *de Causis* dicitur, quod incorruptibile est, quod est delatum super id quod est corruptibile, et est corruptibile per aliud et per accidentem. Sed nihil prohibet quin maneat secundum substantiam et esse naturae simplicis et indistinctæ et non particulae.

*Objectio.*

*Solutio.*

## GAPUT VI

*Qualiter universale est in anima, et qualiter in seipso, et qualiter in singulari, et in quo sit verius secundum esse suæ naturæ.*

Est autem difficilis quæstio valde, qualiter universale est in anima, et qualiter in seipso, et qualiter in singulari, et in quo verius sit secundum esse naturæ suæ. Quod enim in anima sit, ex dictis Peripateticorum supponitur omnium dicentium, quod universale est dum intelligitur, par-

ticulare autem dum sentitur<sup>1</sup>. Adhuc autem Averroes<sup>2</sup>, et Avicenna dicunt, quod intellectus in formis agit universalitatem. Adhuc autem universale in intellectu, ut dicit Aristoteles, principium est artis et scientiae: nec posset esse principium artis et scientiae, nisi esset in intellectu practico et speculativo. Ars enim est factivum principium entium in ratione, et ideo est in intellectu practico. Scientia autem est habitus conclusionum ex principiis speculationis probatus, et ideo est in intellectu speculativo: et sic oportet quod universale sit in intellectu. Est iterum universale secundum esse naturae simplicis, cui accidit universale esse secundum suam communicabilitatem: hoc enim non habet ab hoc quod est in anima principium artis et scientiae. Est etiam universale in singulari communicatum et distinctum ab individuantibus et materia.

**1. quæstio.** Quæratur ergo, secundum quem modum divisum est in istis, cum ipsum de se sit unum, et idem est indivisum et indivibile secundum essentiam. Adhuc color non esset in corpore terminato et in perspicuo et in oculo vidente, nisi esset unum et idem agens ipsum in omnibus illis, quod est de formalis essentia coloris: et hoc est lux sive lumen, in cuius actu color movet visum: quod idem est in superficie terminata corporis diffusum. Et quod vere est unum et idem secundum actum perspicui secundum actum illuminati: et ita videtur esse etiam in forma universalis. Oportet enim esse unum quod agat ipsum in se et in anima et in singulari: quia aliter non posset intelligi qualiter esset in istis tribus simul et semel indivisum secundum essentiam, quamvis secundum esse aliquid sit divisum.

**2. quæstio.** Quæritur etiam, in quo illorum verius et nobilior sit et evidenter secundum esse? Et iterum quæritur, utrum secun-

dum se sit in anima, vel per solam similitudinem suam? sicut Aristot. dicere videtur<sup>3</sup>, dicens, quod res non sunt in anima, sed similitudines rerum. Quod enim nobilior et verius sit in anima quam alibi, videtur per illam Aristotelis considerationem in sexto *Topicorum*<sup>4</sup>, ubi dicit, quod prius et verius et evidenter est ens ubi est in quiete, quam ubi est in motu: et non accipit quietem secundum quod opponitur motui privative vel contrarie: sed accipit quietem pro immobilitate quamcumque per quam impossibile est rem subjici motui vel mutationi. Sie autem non est universale in singulari, sed sic est in anima: verius ergo est secundum quod est in anima, quam sit in singulari. Sed hoc videtur irrationale valde, quia singulari dat esse nomen et rationem, et hoc non dat animæ. Verius autem est res in eo cui dat esse et rationem, quam in eo cui nihil talium donat. Tamen in fine etiam *Posteriorum*<sup>5</sup> videtur Aristoteles dicere, quod universale quiescit in anima, ubi dicit ex omni quiescente universalis in anima uno præter multa: quod cum in omnibus unum sit idem et artis principium, est et scientiae. Videtur ergo quod nobilior et verius sit in anima quam extra animam.

Ad hoc autem si quis bene novit positionem Peripateticorum, non habet difficile determinare et respondere. Dicendum igitur primo, quod universale unum numero et essentia est in anima et in seipso et in singulari, nec differt nisi secundum esse determinans ipsum ad hoc vel illud: secundum enim simplicitatem acceptum in se secundum seipsum est: ut principium autem artis et scientiae est in anima, et ut communicatum ad esse naturæ particularis est distinctum in particulari.

Et si quæratur quid unum sit, quod faciat ipsum esse in tribus his: dicendum, quod inducta similitudo de luce et

Ad primam  
quæstiōnēm.

<sup>1</sup> Cf. I Physic. tex. com. 49.

<sup>2</sup> AVERROES, I de anima, com. 8.

<sup>3</sup> ARISTOTELES, In 3 de anima, tex. com. 38.

<sup>4</sup> Id. In 6 Topic. cap. 4 in fin.

<sup>5</sup> Id. In secundo, tex. com. 27.

colore bona est. Et dicendum quod id unum quod in tribus ipsum facit esse, est vis intelligentiae primae, quæ causa universi esse est in omnibus: cuius etiam ipsa simplex natura (quæ est hoc quod est universale vel illud) contingens radius est. Et quia contactus talis multiplex est secundum diversas naturas ad quas pertinet, ideo universalia multa sunt, reductibilia tamen aliquo modo ad unum, quod causæ primæ primum causatum est. Hoc autem unum intelligentiae lumen est extensem per omnem naturam et animam, sicut lux solis extendit se per omnem naturam et animam in eo quod est imago ipsius propinquæ. Et anima intellectualis facit et operatur et invenit formas suas sub specie et forma luminis, sicut lux solis et colorem facit in perspicuo sive pervio, quem quidem accipit visus per id quod perspicuo componitur ejus organum: accipit tamen in virtute vitae et sensus per hoc quod oculus perspicuum animatum sensitivum et determinatum corpus est: et accipit clarum vel tenebrosum per hoc quod superficies clara est vel tenebrosa. Ita etiam lux intelligentiae primæ, quæ fons et causa est omnium formarum, facit et invehit formas quas in se quidem acceptas habet simplices et indistinetas, et ideo universales et in simplici lumine constitutas: quæ (quia universale est ubique et semper) secundum quod sic sunt, ubique et semper sunt, incorruptibiles sunt et immobiles et innumerabiles. Secundum autem quod ad hoc vel illud sunt terminatae, sic accipiunt diversum modum in esse. Et in anima (quæ vitae intellectualis principium est) accipiuntur, ut principia operis vel speculationis: cum talis anima et imago instrumentum sit luminis intelligentiae, in materia sensibili (quæ non nisi subjectum operantis intelligentiae est) invehit eas, ut sunt principium esse hujus vel illius singularis. Et ideo una et eadem est essentia in se et in anima et in singulari: sed in anima secundum esse spirituale, in singulari secundum esse mate-

riale et naturale, in se autem in esse simplici.

Et quod dicit Aristoteles quod verius esse est in quo est sicut in quiete, Dicendum est quod verius esse dicitur dupliciter: est enim verius secundum actum naturæ proprium, et verius secundum constituentium proprietatem. Et verius quidem secundum substantialem naturæ ipsius actum est in singulari, cui dat esse substantiale et nomen et rationem: qui est proprius et substantialis naturæ communis actus. Secundum autem veritatem constituentium illam naturam verius est et in anima et in se, quam in singulari: quia ibi purius est et impermixtius naturæ alienæ: sicut verius dicitur aurum quod alienæ naturæ est impermixtius. Et sic intelligitur deducta Aristotelis consideratio in sexto *Topicorum*. Quod autem in fine secundi *Posteriorum* deductum est, contra mentem Aristotelis adductum est, quamvis faciat pro ista quæstione confirmanda. Intendit enim ibi Aristoteles universale esse de multis acceptiōnem per experimentum et memoriam: quod quiescere in anima dicitur, quando sibi acquiescit anima non inveniens instantiam universalis acceptiōnis.

Quod autem quæritur, qualiter sit in anima et in se et in singulari: dieo cum Aristotele et Peripateticis, quod est in omnibus his per suam præsentiam realē, et realiter acceptum: quam præsentiam facit intelligentiae lumen, sicut dictum est. Quod autem dicit Aristoteles, quod res non sunt in anima, sed similitudines rerum: dicendum quod res dicuntur singularia quæ sola sunt ens ratum in natura. Similitudines autem sunt universalia, quæ, ut dicit Boëtius, non nisi similitudo essentialis sunt suorum suppositorum et singularium: quod patet ex hoc, quod id quod est in anima intelligentiæ, non fit in ea nisi per abstractionem: abstractio autem non fit nisi ab individuantibus, quibus et materialibus separatis remanet id quod ubique et semper est, quod per lumen intelligentiæ

Ad secundam quæstionem.

Ad tertiam quæstionem.

prius efficitur, et quod per naturam intellectualis quam in substantia sua participat, stramentum est intelligentiae, in quo sternit formas veras suo lumine, quae secundum vitæ operationem perficiuntur contemplando et operando.

Hæc videtur vera hujus quæstionis determinatio, secundum hoc quod traditur in scientia de intelligentiis, de quibus Aristoteles loquitur in secundo *primæ philosophiæ*. Scito tamen, quod aliter multi dicunt Latinorum, contra quos ego non contendeo : quia non contentio studio, sed ad explanandas opiniones Peripateticorum. Quod autem dicitur, quod universale est dum intelligitur, et particulare sive singulare dum sentitur : non ideo dictum est, quod ab intellectu intelligentis accipiat universale esse, vel a sensu accipiat esse particulare : hoc enim fuit error Pythagoræ, quem impugnat Aristoteles, sed ideo dictum est, quia non accipitur in intellectu nisi in intelligentiae lumine, et sic est universale : nec accipitur a sensu nisi sensibili accidente distinctum, et sic est singulare. Et hæc est solutio quæstionis inductæ.

## CAPUT VII.

### *Qualiter universale producatur in esse.*

Quæstio.

Quod universale in esse non producatur.

1. ratio.

Multos etiam movet, qualiter universale producitur philosophice, et non de productione illa qua cuncta in natura procreatione producit Deus : secundum physicam enim nihil creatur, nisi quod producitur nullo quodam alio producto : et sic solum ens producitur per creationem, alia autem per informationem producuntur, sicut in scientia libri causarum est determinatum<sup>1</sup>.

Hoc ergo modo quaeratur, qualiter universale in esse producitur ? cum enim productum producentis intelligentiae et agentis sit terminus, et producere et agere per intellectum, terminus autem actionis sit compositum et hoc aliquid : cum universale producatur,

<sup>1</sup> In I Physic.

videtur quod universale sit compositum et hoc aliquid. Hoc autem falsum est, cum universale sit forma, et quale quid, et non hoc aliquid.

2. ratio.

Hoc autem adhuc videtur ex eo, quod id quod ab intelligentia in esse producitur, per exemplar et ideam, est in ipsa : non autem per ideam et exemplar est in intelligentia, nisi quod est hoc aliquid et compositum : aliter enim oporteret, quod plures essent ideæ ejusdem, quædam quidem secundum formam, quædam secundum materiam, et quædam secundum genus, aut secundum speciem, et quædam secundum differentias : quod valde est absurdum.

3. ratio.

Adhuc autem oportet quod omnia producantur ab agente intelligentia in quantum sunt in natura perfecta, et hoc aliquid existentia. Si ergo ab agente intelligentia (quæ causa prima est, sive aliquid aliud secundarum causarum) universale producitur, videtur quod universale sit hoc aliquid et compositum ex materia et forma.

4. ratio.

Adhuc autem videtur hoc ex hoc quod ars imitatur naturam in quantum potest<sup>2</sup>. Quod autem ab artifice producitur et est in artifice per modum exemplaris, non est forma simplex, sed compositum, ut domus vel tripoda. Sic ergo videtur etiam fieri in productione intelligentiae in natura : supponimus enim, quod totum opus naturæ est opus intelligentiae agentis, cuius virtus etiam informat semen generationis, ex quo res naturæ producuntur.

5. ratio.

Adhuc autem in omni natura productum semper est res naturæ. Res autem naturæ non est nisi hypostasis communis naturæ supposita et substans per seipsum. Taliter autem substans naturæ communis, individuum et singulare est. Si ergo universale sic producitur, sequitur quod universale sit singulare : quod est inconveniens.

Ad omnia autem hæc et his similia non est difficile respondere. Universale enim

Solutio quæstionis.

<sup>2</sup> 2 Physic. tex. com. 22.

secundum quod in esse producitur per intelligentiam agentem, sive generationem, quæ est agentis intelligentiæ instrumentum, non nisi in hypostasi producitur, quæ est hoc aliquid in illa natura communi vel illa. Et ideo cum non producatur ut existens per se solum, non oportet quod productum sit hoc aliquid. Hoc autem modo omnes procedunt objectiones : et ideo patet quod nihil valent. Quod autem in alio producitur, ut in phycisis docet Aristoteles, duplenter producitur : aut ex consequenti, aut per accidens. Ex consequenti autem quia hic generans est homo, ideo sequitur quod homo generat hominem, et quod hic generans est homo et animal et substantia, et sic de aliis : et sic in omni prædicatione substantiali : ita quod Aristoteles dicit, quod domus est ex domo, et sanitas ex sanitate, et sic de aliis : quia productum semper est ad formam producentis, eo quod æquivocum ad univocum necessarium est reduci. Per accidens autem producitur, quod accedit producto ex ipsa productione. Si enim producitur per generationem, ad similitudinem formæ et speciei generantis producitur : et ideo per accidens productus est filius, et producens est pater, et sic de aliis. Producitur autem universale ex consequenti in esse naturæ : propter quod dicit Auctor sex principiorum, quod natura occulte operatur in illis : et ideo etiam in physica Aristotelis<sup>1</sup> secundæ substantiæ vocantur. Si autem universale secundum seipsum consideretur, ipsum est imago luminis in re naturæ. Imago, dico, luminis agentis intelligentiæ : quod lumen terminatum est ad hoc aliquid et incorporatum illi : et hoc modo universale naturæ producitur in esse ab agente intelligentia, quæ operatur per suum intellectuale lumen in omni natura, et est causa rei naturalis in omnibus : quod quidem lumen in se acceptum inest universalis, et ratione universale est : acceptum autem ut determini-

natum ad hoc aliquid, et incorporatum illi, est esse et substantia particularis dans esse substantiale et rationem singulari.

## CAPUT VIII.

*An universale sit forma, vel materia, vel compositum : et si forma, cujusmodi forma sit ?*

Est autem adhuc dubium apud quosdam, an universale sit forma, an compositum, an materia : et si est forma, utrum sit forma totius, vel partis? Quod enim universale non sit materia, patet ex hoc quod materia ei, in quo est, nec dat esse, nec nomen, nec rationem : quæ omnia dat universale substantiale ei cuius est universale : igitur non est materia. Adhuc autem materia non est imago agentis in eo quod producitur. Universale autem est imago agentis intelligentiæ in eo quod producitur, ut jam probatum est. Adhuc autem omne quod prædicatur de eo in quo est, forma est. Universale prædicatur de eo in quo est. Ergo universale forma est. Adhuc autem nihil est communicabile multis unum existens in eis secundum essentiam nisi forma : materia enim non est communicabilis multis, nisi per divisionem, ita quod non tota est in singulis. Universale autem totum est in singulis. Ergo universale non est materia, sed forma.

Quod universale non sit materia, sed forma.  
Sed quia innegabiliter verum est, ideo queritur cujusmodi forma sit? Est enim forma totius, ut humanitas est forma hominis : aut forma partis, sicut anima est forma corporis humani. Forma autem partis sive materiæ non prædicatur de re cuius est forma, sed universale bene prædicatur. Universale ergo non est forma partis vel materiæ secundum quod materia perficitur per formam. Eodem modo probari videtur, quod nec forma totius

<sup>1</sup> Tex. 4

est : quia etiam humanitas de homine non prædicatur, et est de ratione ejus de quo prædicatur.

*Quod universale sit forma, et quod sit forma totius*

Hæc autem et similia solvere non est difficile. Dicendum enim est, quod universale sale est forma, et quod est forma totius. Sed forma totius dupliciter designatur in nomine : designatur enim ut forma tantum, sicut humanitas est forma designata ut forma tantum, quæ est essentia formalis : et ideo non prædicatur de eo cuius est forma, quia homo non est essentia sua formalis, nec aliquid aliorum quæ formas habent. Designatur etiam ut forma totius totum esse dicens cuius est forma : et tunc designatur per esse quod dat ei in quo est et nomen, sicut homo dicit esse formale quod forma totius dat huic composite quod est hic homo. Et hoc docet Aristoteles<sup>1</sup> dicens : cum dico cœlum, dico formam : cum dico hoc cœlum, dico formam in materia. Et forma est universale prædicabile nomine et ratione de eo cuius est universale secundum substantiam : cuius probatio est, quia nisi universale tale esset forma, diffinitio data secundum nomen universalis non diceret totum esse rei, nec totam quidditatem ipsius secundum illud nomen secundum quod diffinitur, sive nomen generis sive speciei. Relinquitur ergo, quod universale sit forma totius ut totum esse dicens designata : propter hoc etiam prædicatur de eo de quo prædicatur, ita quod et statim posito subjecto per intellectum concipitur Semper verum est hominem esse animal, sive homo sit, sive non sit. in illo sive subjectum sit in actu, sive non : omni tempore enim verum est, quod homo est animal, sive homo sit, sive non sit: et quod animal est corpus animatum, et quod corpus animatum sit substantia : sed ex hoc non sequitur, ergo corpus animatum est ens secundum actum. Et ideo dicit Avicenna<sup>2</sup>, quod esse et existentia accidit ei quod est : verum enim est hominem esse animal, sive aliquod animal sit, sive non sit: et accidit ei esse, vel

non esse. Hæc igitur sunt, quæ digrediendo a proposito, et altioris scientiæ assumendo negotium, de universalibus propter doctrinæ perfectionem esse dicenda videbantur.

Redeuntes igitur ad propositum dicamus, quod cum ad scientiam prædicamentorum Aristotelis utile et necessarium sit nosse quid genus, quid species, quid differentia, quid proprium, et quid accidens sit. Præterea utile ad demonstrationem et diffinitionem et divisionum scientiam, tentabo tradere istarum rerum (quæ universalia dicuntur) speculationem sive scientiam speculativam compendiosam, brevem quidem, sed tamen sufficientem et facilem, quæ competit introducendis, per assignationes et similitudines tradens scientiam, tentans aggredi quæ ab antiquis dicta sunt, ut qualia dicta sunt accipiantur. Hoc autem faciam ab altioribus quidem quæstionibus abstinentis : quæ licet tactæ sint propter doctrinæ perfectionem, tamen ex principiis propositæ intentionis determinari non possunt. Simpliciores vero de his universalibus quæstiones medio-criter inter subtilem et rudem tractatum conjectans, ex probabilibus sive similibus tractare, conjecturare est : multa enim talia oportet adducere, ut fides fiat de eo de quo tractatur.

Ne autem lateant ea quæ ex istius scientiæ principiis tractari non possunt de universalibus, mox id est, prima facie occurrit querendum de generibus, et speciebus, utrum scilicet subsistant, vel in solis, nudis purisque intellectibus posita sint : si etiam sint subsistentia extra intellectum posita, utrum sint corporalia, sive incorporalia : et sive hoc vel illo modo sint, utrum sint separata secundum esse a sensibilibus sive singularibus, an in ipsis sensibilibus posita sint. Et alia quædam circa tales difficultates circumstantia in hoc libro dicere recusabo. Hujusmodi enim negotium altissimum est, quia altis-

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In libro de cœlo et mundo, in I. tex. com. 92.

<sup>2</sup> AVICENNA, In primo libro logicæ suæ.

simæ scientiæ proprium, et ideo majoris et subtilioris egens est inquisitionis : altioris quidem quoad subjecti nobilitatem, majoris autem inquisitionis quoad demonstrationum subtilitatem. In his enim duobus scientiæ differunt, ut Aristoteles dicit in principio libri *de Anima*<sup>1</sup>. Illud vero quod de his dicendum videtur probabiliter quemadmodum de his tractaverunt antiqui Philosophi, et horum maxime Peripatetici (quos hic sequi suscepimus) nunc tantabo demonstrare modo introductionis.

## CAPUT IX.

*Quomodo universale prædicatur de quinque universalibus, et de sufficientia ac ordine quinque universalium?*

Quia autem inter incompleta primo de universalibus occurrit tractandum : videntur prius est qualiter universale dicitur de quinque quæ sunt inducta. Universale enim simplex natura est, sua simplicitate communicabile et determinabile ad particulare in quo ipsum est nomine et ratione. Dico autem ratione essentiali quæ competit universali quod prædicatur : et hoc dico propter proprium et accidens, quæ-etsi ut universalia perfectas diffinitiones habere non possunt, tamen secundum quas habent, prædicantur de his de quibus prædicantur sicut de substantiis, ut album de hoc albo, et risibile de hoc risibili, et sic de aliis.

Cum ergo quodlibet istorum quinque dicatur universale, sciendum quod universale non dicitur communiter de ipsis ut genus, sed ut commune proportionis ad unum quod vocatur commune secundum analogiam. Unum autem ad ejus proportionem universale dicitur de his quinque, est aptum natum esse in multis et de multis. Hoc autem nec per unam rationem convenit his quæ substantia-

liter (hoc est per hoc quod substantiale est) sunt in multis et de ipsis, et his quæ per accidentale aliquod sunt in multis et de multis : nec per unam rationem convenit ei quod per accidentale consequens naturam est in multis et de multis, et ei quod per accidens commune quod est accidens individui. Adhuc autem nec de his quæ per essentiale sunt in multis et de multis convenit per essentialem rationem : quædam enim istorum sunt in multis et de multis per essentiale quod est quid, et quasi subjecta substantia in ipsis, sicut genus quod est quasi fundamentum in quo formatur et fundatur esse speciei : et sicut species quod est totum esse substantiale individui, quia quidquid sequitur speciem, est accidens individuans, aliud etiam est in multis et de multis per quale quid quod facit esse fundamentum in genere. Et sic patet, quod non per unam rationem sunt hæc in multis et de multis : et per prius hoc convenit generi et speciei, per posterius autem differentiae. Adhuc cum esse in multis et de multis prius conveniat ei, quod in multis et de multis est specie et numero differentibus, quam ei quod est in multis et de multis solo numero differentibus : constat quod per prius convenit universale generi, et per posterius speciei. Hæc enim est ratio communitatis analogicæ, ut in quinto primæ philosophiæ docet Aristoteles, quod commune analogice simplex est in uno, in aliis autem non est nisi secundum quamdam proportionem ad illud. Et per hoc patet, quod universale non prædicatur de his ut genus, vel ut species, vel ut differentia, vel ut proprium, vel ut accidens : sed prædicatur de his ut commune secundum analogiam ad communitatem generis proportionatam.

Numerus autem horum universalium ex hoc patet. Omne quod est in multis et de multis, aut est in illis et de illis per substantiale, aut per aliquod accidentale.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In I. tex. com. 4.

Siquidem est in illis per aliquod, quod in illis est substantiale, non debet dividi, quod aut insit per substantiale quod est pars esse, aut per id quod est totum, sicut quidam dicunt : quia quod est pars, non prædicatur de eo in quo est secundum quod est pars. Sed sic dividi debet, quod si est in multis et de multis, aut est in eis per id quod est esse secundum potentiam inchoationis : aut in eis est per essentiale quod est totum secundum actum perficientis esse ipsum : aut est in eis secundum totum esse perfectum et constitutum. Et primo quidem modo est genus, secundo autem modo differentia, tertio vero modo species. Et patet quod divisio sufficiens et ex immediatis est : quia substantiale quod est in multis et de multis, aut est principium, aut principiatum. Et si est principium : aut est principium secundum potentiam, aut secundum actum. Si autem est principiatum et in substantiali esse perfectum, tunc est altero modo a duobus dictis modis. Si autem est in multis et de multis secundum esse accidentale existens in illis, non potest esse in eis, nisi aut secundum accidens naturæ communis per quam refertur ad singularia, et hoc est proprium : aut secundum accidens individui aut singularis, per quod refertur ad naturam communem, et tunc est accidens. Socrates enim est risibilis per communem naturam quae est in Socrate. Homo autem est albus per hoc quod Socrates est albus, in quo natura hominis est. Et patet iterum per hoc, quod illa divisio ex immediatis est : quia in nullo est, nisi vel

natura communis, vel hypostasis sive suppositum vel singulare quod substat naturæ communi. Et cum commune quod est in multis et de multis pluribus modis verificari non possit per immediatam divisionem : ideo universalia non possunt esse formaliter differentia nisi quinque.

Per hoc etiam patet ordo istorum Ordo quinque universalium. quae universalium : constat enim quod ea quæ sunt in multis et de multis per essentiale quod est in illis, sunt priora eis quæ sunt in multis et de multis per accidentale quod est in illis. Adhuc autem quod est in multis et de multis per accidentale fluens a natura, prius est quam id quod est in multis et de multis per accidentale individui quod est accidens infinitum. Adhuc autem quod est in multis et de multis per essentiale quod est in illis secundum inchoationis potentiam, prius est quam id quod est in multis et de multis per actum ad esse speciei distinguenter et determinantem : quia semper in eodem potentia præcedit actum. Utrumque autem est constitutum ex his, sicut et principium et principiatum. Et sic prius est genus, consequenter autem differentia, et tertio species. Et quamvis hic ordo sit universalium natura, secundum quod etiam in antehabitis enumerata sunt : tamen in ordine tractatus ponemus tractatum de specie ante tractatum de differentia : quia propter correlationem generis et speciei, unius tractatus dependet a tractatu alterius : eo quod unum relativorum diffinitæ cognosci non potest, nisi cognoscatur et reliquum.

**TRACTATUS III**

## DE UNIVERSALIBUS IN PARTICULARI.

## CAPUT I.

*De diversis signis generis.*

Primo igitur in tractatu de universalibus de genere loquendum est. Sed quia genus secundum intentionem logicam diffiniri non potest, nec diffinitate cognoscit, nisi prius multiplicitas hujus nominis, *genus*, determinetur: ideo in primis determinanda est et distinguenda nominis *generis* multiplicitas, et maxime in his modis qui aliquam habent similitudinem ad intentionem illam generis, secundum quam logici genere utuntur. De aliis intentionibus<sup>1</sup> quia ad propositam intentionem non valent, est omittendum. Nihil enim confert ad propositum scire masculinum genus, vel foemininum, vel activum, vel passivum in grammaticis non ad propositam intentionem. Et ideo de similibus generis intentionibus non est hic interponendum.

Dicitur autem per similitudinem et per proprietatem, ad quod etiam genus per similitudinem dictum transfertur. Per similitudinem autem dicitur dupliciter. Uno scilicet modo dicitur genus multitudine aliorum uno quodam modo se habentium ad unum aliquod, quod sui aliquid habet in tota multitudine illa, ita quod est in singulis ipsorum: in quo etiam communi existente in omnibus quodam modo secundum convenientiam se habent ad invicem, ita quod quilibet ad alium habeat similitudinem in illo quod inest sibi ex illo uno primo, quod

Romanorum  
etiam dubi-  
tatione.

causa est similitudinis in tota alia collectione. Secundum quam significationem Romanorum genus dicitur collectio tota parentelæ quæ a Romulo descendit per successivam generationem. Hoc enim totum dicitur Romuleum genus secundum habitudinem qua se habet ad unum primum parentem, scilicet Romulum. Et in hoc genere distinguitur illa collectio ab illa collectione quæ ab aliquo alio parente descendit, sicut a primo genere Priami cum quo tota collectio ista Priami genus vocatur. Hoc autem advertendum est in ista generis significatione, quod unum est in omnibus illis qui ad illam pertinent generationem. Et hoc est semen propagationis a Romulo perfusum in tota illa collectione.

Secundo modo adhuc dicitur genus per annexum modum ad ante habitum, id quod est uniuscujusque generationis sive multitudinis generatæ principium, quo fortissime generatum et a quo fortissima virtute exortum est. Et hoc duplice dicitur: vel a patre, qui primus genitor est in genere illo: vel ab eo loco in quo quis genitus est. Et priori quidem modo dicimus Orestem quidem a Tantalo proavo suo habere genus; Hilum vero dicimus habere genus ab Hercule, a quo sicut ab atavo genitus est. Secundo autem modo (secundum quem patria sive locus principium generationis est) dicimus Pindarum Thebanum esse genere, Platonem vero dicimus genere Atheniensem. Sicut enim pater est principium generationis per translationem seminis ex quo in omnes

<sup>1</sup> Scilicet *notionibus*.

funditur ex uno virtus formativa multorum secundum propagationem, sic etiam patriam sive locum generationis dicimus esse principium, quia in loco et centro loci generationis tota virtus periodi cœlestis adunatur, ut dicit Ptolemæus, et in omnes in illo loco natos diffunditur. Et ideo frequenter magis accedunt ad unum colorem et ad unum morem, qui ex uno loco nati sunt. Unde etiam elementa in diversis locis valde sunt diversa in virtutibus suis quibus convenientiunt ad generorum constitutionem. In isto etiam modo patet, quod multitudo ab uno patre vel ab uno loco natorum ad unum refertur in quo continetur per unum quod in omnibus est, et ab illo quod principium illius multitudinis est, in omnes derivatur.

Differunt autem istae duæ generis significaciones : quia prima est unius partiti in multa, secunda autem est multorum recipientium ad unum, quod est principium generationis eorum secundum modum parentis vel loci in quo generatur aliquis ad illius loci complexionem vel figuram. Quod enim quidam dicunt patriam et locum non esse principium generationis, nisi quoad figuram, penitus falsum est : quia sic tota destrueretur scientia generationis uniusejusque, quam in libro qui dicitur arabice *Adarba*, *quadripartitum* autem latine Ptolemæus ostendit : in quo ostendit periodi virtutem in centro loci ejus qui nascitur congregari : et ex virtute sic in centro nati congregata natum accipere complexionem et formam et figuram et colorem et morem et fortunam.

Et hæc quidem secunda generis significatio (propter hoc quod est in uno in multa se diffundendo secundum suæ virtutis potentiam, in quo omnia uniuntur et continentur) videtur promptissima ad generis logici declarationem. Secundum hanc rationem sunt et dicuntur, qui ex genere Romuli descenderunt. Nec collectio illa diceretur genus unum, nisi esset unum continens ea sicut principium a quo per generationem descenderunt. Et hoc

modo dicuntur multi Cecropidæ, qui ex genere successive descenderunt primi Cecropis : et horum proximi secundum linéam ejusdem consanguinitatis. Sic enim multa essent ab uno, sicut in genere logico ab uno genere primo per divisionem differentiarum essent multæ species, in quibus omnibus salvatur generis natura potestate sive virtute ad speciem determinatam, sicut et semen generantis primi per successivam generationem formatur ad hunc et ad illum. Patet igitur, quod primus modus generis causatur a secundo, et reducitur ad ipsum sicut ad causam. Et ideo secundus modus principalior est, quam primus, et promptior ad designandum genus logicum, sicut per similitudinem potest describendo designari.

Per prius ergo quoad istam similitudinem dicitur genus uniuscujusque generationis principium. Dehinc autem et per posterius dicitur genus et multitudo collecta eorum quæ ab uno principio ut Romulo descenderunt, sicut dictum est in prima generis designatione. Hujus autem probatio est : quia multitudinem sive collectionem dividentes sive discernentes et ab aliis separantes, qui sunt alterius generis, dicebamus ante illam collectionem genus esse Romanorum vel Romuleorum, et in hoc ab aliis collectionibus separari : nec multitudinem genus esse diceremus, nisi prius intelligeretur unum generationis principium, a quo illa descendit multitudo. Et ideo primus modus generis non dicitur genus, nisi per secundum, et ideo reducitur primus ad secundum sicut ad causam. Fuit etiam prius a nobis positus, quia minus facit ad propositum : sicut et de ambabus istis significationibus prius dicimus, quam de genere logico, ut minus intenta dimittantur, et longius a proposito ponantur. Et ut sciatur, quod similia paulatim et gradatim perficiuntur ad propositi declarationem. Et ideo etiam genus intentum post omnia similia dicimus ultimo.

Est autem attendendum, quod a matre una a qua multi descenderunt, non sumi-

Removet  
dubia.

tur ad genus logicum similitudo : quia mater non est principium formale multorum, sed materiale, et sicut formatum, et non sicut formans. Genus autem logicum principium est ut forma : quia aliter non prædicaretur de eo cuius est genus : sed est ut forma indistincta, quæ totum est esse speciei secundum esse informe et indistinctum, distinguibile tamen ad formam speciei.

Et quamvis a loco similitudo trahatur ad generis logici designationem, tamen a tempore non trahitur aliqua similitudo : quia tempus est mensura et numerus motus et mutationis. Et ideo est in fieri, et non est in esse generatorum principaliter. Genus autem natorum est et in esse constitutorum. Propter quod etiam in libro de intelligibilibus dicitur locum esse mensuram entis, tempus autem esse mensuram motus dicitur, quia ejus esse est in motu et mutatione.

Est autem attendendum, quod Avicenna dicit<sup>1</sup> quod isti ambo modi<sup>2</sup> extenduntur etiam ad artificialia. Aliquando enim dicuntur *coriariorum* omnes, qui sunt de collectione *coriariorum* ab uno aliquo qui excellebat in illo artificio : sicut nautæ dicuntur *calepsitæ* a quodam Calepso, qui floruit in arte nautica : et fabri dicuntur *Tubalcitæ* a Tubaleaim, qui artem fabrorum invenit : et musici dicuntur, *pythagorici* a Pythagora, qui perfecit ea quæ in arte sunt musica. Hoc tamen est minus proprium : quia id quod est in omnibus ex isto principio, non est substantiale et naturale, sed accidentale illis in quibus est. Genus autem logicum omnibus speciebus inest ut natura et substantia. His ergo modis genus dicitur in quolibet. Aliter autem accipitur apud Philosophos, sicut in sequenti patebit capitulo<sup>3</sup>.

Colligentes igitur summatim quæ dicta sunt, dicimus quod videtur neque genus neque species simpliciter sive modo uno

et in una intentione dici. Dico autem videtur, et non, est : quia istæ generis acceptiones magis sunt in nostra acceptione et cognitione, quam in rei natura et existentia. Et primo quidem quoad nos dicitur genus collectio multorum quodammodo uno modo se habentium ad unum aliquod, quod est illius collectionis secundum generationem principium, et quæ se aliquo modo habent ad invicem in uno quod a principio suæ generationis est in singulis ipsorum secundum totam illam collectionem. Secundum quam significacionem Romanorum collectio genus dicitur ab habitudine unius, dico autem Romuli. Et dicitur genus multitudinis illius per relationem aliquo modo ad invicem secundum id quod est in eis ex Romulo. Et hoc est, quia habent ad invicem eam quæ ab illo Romulo est cognationem secundum divisionem vel separationem ab aliis generibus aliorum avorum, quæ dicitur vel denominatur ab aliis patribus vel avis.

Dicitur autem et aliter rursus genus quod est unius generationis principium ab eo parente qui genuit, vel ab eo loco in quo quis generatus est propter causam quæ in ante habitis posita est. Sic enim Orestem dicimus a Tantalo quidem habere genus : Hilum autem cum domo et familia sua genus habere ab Hercule. Et rursus quidem a loco denuntiantes Pinidarum Thebanum esse, Platonem vero Atheniensem. Etenim patria uniuscujusque generationis principium est, quemadmodum et pater, ut in prehabitis expositum est. Hæc autem secunda generis acceptio videtur esse promptissima generis significatio. Romani ideo dicti sunt Romani, quia illi a genere descenderunt Romuli : et Cecropidae sunt, qui ex genere descenderunt Cecropis : et horum proximi per eamdem causam sunt de eodem genere. Et prius quidem, hoc est, per prius appellatur genus uniuscujusque ge-

<sup>1</sup> AVICENNA, In. I libro suæ logicæ.

<sup>2</sup> Scilicet due primæ singificationes generis.

<sup>3</sup> Cf. caput 2.

nerationis principium : dehinc autem et per posterius dicitur genus etiam multitudine eorum qui descenderunt ab uno principio, ut a Romulo Romulei. Cujus signum est : namque dividentes hoc genus sive discernentes et ab illis generibus separantes ipsum, dicebamus omnem illam Romanorum collectionem esse genus Romanorum.

In quibus dissimilantur a genere logico.

Est autem in duobus dissimilitudo ad genus logicum. In uno quidem : quia principium generationis non secundum substantiam et secundum se totum est in collectione quæ genus dicit, ita quod sit in quolibet totum. Genus autem logicum secundum se totum et secundum substantiam est in collectione specierum et in qualibet specie : propter quod etiam non prædicatur nomine et ratione principium generationis de collectione multorum qui descenderunt de ipso nisi denominative. Dicuntur enim Romani vel Romulei, non Romuli. Genus autem logicum prædicatur prædicatione substantiali de his quorum est genus. In alio etiam est dissimilitudo : quia collectio quæ dicitur genus, est quasi totum integrale ad genus vel in genere, cuius quilibet est pars integralis, et omnes sunt totum. Genus autem logicum est totum essentiale, cuius qualibet species est pars subjectiva. In hoc tamen aliquid similitudinis est : quia quamvis genus logicum secundum totam essentiam salvertur in qualibet specie, tamen non salvatur in qualibet specie secundum totum ambitum sua potestatis. Et hoc habet aliquid similitudinis cum toto integrali prædicativo, cuius potestas ex multis potestatibus particularis integratur.

## CAPUT II.

*De genere philosophico, et quomodo assimilatur aliis?*

Sic ergo (ut in civilibus accipitur genus) non utuntur genere philosophi : sed utuntur genere in illa significationis intentione, qua dicitur, genus est cui sup-

Genus logi-  
cum quid.

ponitur species directa et immediata suppositione. Genus enim consequitur differentiam, et differentia in genere est potestate, et ideo aliquo modo est sub ambitu communitatis generis : sed tamen non ponitur ut substans sub genere, sed adjungitur lateraliter ad generis determinacionem et contractionem. Erit autem de genere ad potestatis ipsius divisionem. Et ideo nec differentia divisiva, nec etiam differentia constitutiva directe supponitur generi, ut substantia stans sub genere. Nec etiam species sic supponitur differentiae. Sed differentia constitutiva est in genere ad determinandam generis potestatem et contrahendum ad speciem constitutam, et quasi lateraliter venit ad speciem : propter quod non supponitur generi, ut quid generis, vel ut quale quid sicut species : et ideo differentia non est cui supponitur in ordine naturæ species, sed totius est speciei et generis. Quamvis autem individuum generi supponatur, non tamen immediate substat positione. Adhuc nec subsistit : genus enim non contrahitur in ipso pro se, sed species : nec in eo contrahitur species, sed potius secundum esse dividitur divisione materiae et divisione accidentis, et individuantis : quod non proprie est substare in ordine substantis et superstantis : sed est diffusio substantis et superstantis ad multiplicationem materiale. Proprium etiam post speciem est secundum ordinem naturæ. Nec etiam proprium secundum quod proprium substare habet, sed potius in esse, et post illud accidens.

Et ideo solum genus est per se et proprium, cui supponitur species. Genus enim cum dicat ordinem superioris ad inferius apud Philosophos, optime notificatur sua significatio, quando determinatur per id ad quod dicit ordinem. Et cum determinetur significatio generis apud Philosophos, fortasse haec intentio dicta est sic : quia in hac intentione habet similitudinem quamdam ad genus dictum in civilibus secundum utramque præinductarum intentionem. Genus enim sic dictum, principium

quoddam est specierum quæ sunt sub ipso, non quidem materiale, sed etiam effectivum, ut pater. Pater enim est, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, qui aliquid sui habet in filio. Id enim quod aliquid sui habet in filio formaliter effectivo, est totus pater: pater enim totius secundum principium formativum est in semine, ut artifex in artificato. Propter quod etiam Plato opinatur semen esse parvum animal, quod egreditur a generante, et quod est ut parvus pater quantitate, sed totus et integer pater virtute. Et similiter genus est totum in specie secundum substantiam: a quo etiam producitur differentia formans speciem et constituens in esse formato. Et sic genus est sicut generationis principium, quod in ante habitis principalem dicimus esse generis significationem in civilibus. Est autem etiam principium ut locus speciei, in quo fundatur species secundum substantiam: et ex eo determinatur species ad quid et substantiam per se substantem, et in alio quodam fundatam: sicut res fundatur in loco suæ generationis et salvatur. Propterea differentia non habet loci similitudinem: quia ipsa constitutiva existens fundatur in alio quodam, et magis proprium, et accidentis. Species autem quid locatum in genere, et non locus solum. Genus igitur est ad ipsam se habens ut pater, et ut locus, prout pater et locus generationis sunt principia. Habet autem etiam similitudinem ad genus quod in civilibus secundario dicitur quadammodo habentium se ad aliquid, et ad se invicem, in hoc quod genus in eo quod genus est, necessario continet multitudinem quamdan specierum quæ sunt sub eo.

Nec potest esse genus unius solius speciei contentivum: eo quod species non exit a genere, nisi per oppositas differentias divisivas: quæ (cum eductæ fuerint a genere) plures et oppositas constituent species de necessitate. Non sic autem se

habet species ad individuum. Non enim species sui divisione constituit individuum, sed tota est in individuo per substantiam et potestatem: unde materiae determinatione ex accidente individuante individuatur. Solum ergo genus ambiens species et multitudinem, continetur in una generis natura. Differentia enim cum se habeat ad genus ut divisiva, non est continens, sed separans et in multitudinem agens. Proprium autem cum sit consequens speciem, et accidens commune consequens individuum, continentis non potest habere rationem, sed potius sunt contenta in aliis secundum suum esse et rationem. Cum autem tripliciter in usu loquentium dicatur genus, de tertio est sermo apud Philosophos et in philosophia: quod ut dictum est, fortasse dictum est ad similitudinem aliorum. Dico autem fortasse, ne videatur aliter dissimile propter duas dissimilitudines in praecedenti capitulo determinatas. Et hoc quidem summarim perstringere possumus, dicendo *alter autem rursus dicitur genus.*

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 8 Ethic. Tex. 8 et 9 in com. 2.

## CAPUT III.

*De diffinitione vel descriptione generis physici.*

Genus physicum quid.

Genus ergo cum tripliciter dicatur apud Philosophos, secundum tertiam sumitur suæ significationis intentionem. Et secundum hanc generis intentionem describunt genus dicentes : Genus est quod de pluribus et differentibus specie in eo quod quid est prædicatur. Quæ descriptio est generis prout genus dicit ordinem unius ad alterum, sicut superioris ad inferius, non simpliciter, sed in ipsa re quæ sic ordinatur : sicut animal est genus, et corpus animatum, et substantia : substantia enim et vivum et animal sunt ea quibus accedit genera esse. Sed generalitas quæ est in ipsis rationem dicit hujus ordinis sive habitudinis quibus ordinantur ad sua inferiora : propter quod in ante habitis dictum est, quod genus est cui supponitur species sive specierum multitudo.

In omnibus communibus substantialibus sic est, quod ex ipsa communitate qua unum substantialiter est in alio, aliæ plures resultant analogiæ, sive proportionis communitates. Ex hoc enim, quod animal est in homine et de homine, et est in asino et de asino, et sic de aliis speciebus, ex simili quodam respectu animalis ad species suppositas resultat, quod est commune et universale ut genus : quia generis nomen est animali impositum a tali respectu : et sic de specie, et de simili respectu hominis et asini et aliorum ad animal : quæ omnes species quia participant animalis nomine et ratione, surgit communitas alia, quia unumquodque inferiorum sic superius respicientium dicitur species : ad talis enim respectus similitudinem imponitur nomen speciei. Et sic est in respectu individuorum ad speciem : ex simili enim respectu hujus ad hominem et illius et alterius, et sic de aliis, efficitur quod hic est suppositum hominis et illi et omnes alii. Ex hoc an-

tem, quod una similitudine in qualibet natura commune determinatur, quilibet dicitur particularis homo : et ex hoc, quod similiter omnes accidente discernente particulariter naturam communem determinantur, quilibet dicitur individuum. Et sic ex respectibus naturæ communis ad inferiora, et respectibus inferioris ad superius, multæ causantur communitates : et secundum quodlibet nomen fit universalis prædicatio. Quia tamen unum solum est, quod nomine et natura et ratione generis prædicatur, unum solum est id quod est genus, et aliæ sunt prædicationes per modum generis prædicatæ per accidens, quod accedit prædicato vel subjecto ex tali respectu ad invicem, vel tali ad superius. Et ex tali est, quod non sequitur cum dicitur : homo est animal, et homo est species, ergo animal est species : vel homo est animal, animal est genus, ergo homo est genus : vel Socrates est homo, Socrates est individuum, ergo homo est individuum. In talibus enim omnibus est fallacia accidentis : talis enim communitas ab accidente causatur, quod fundatur in modo respectus superioris ad inferius, vel inferioris ad superius, vel etiam respectu particularis ad naturam communem : qui omnes respectus ex hoc causantur, quod natura communis intelligitur in natura minus communi, quæ species est vel individuum. Et ideo patet quod non sequitur, genus prædicatur de pluribus differentibus speciebus : ergo genus est genus : et sic iretur in infinitum. Soli enim quod est genus per naturam quæ est in pluribus differentibus specie convenit esse genus : ita ut genus dicat rationem ordinis, et prædicationis : animal autem id quod est sic prædicatum, prædicatur ut genus.

Attende autem, quod prædicari idem est quod attribuere per notam compositionis : quando enim unum alteri attribuitur mediante compositione, quam significat hoc verbum, *est*, tunc prædicatur : et quando unum ab altero dividitur mediante

Quid est  
prædicari.

negatione talis compositionis, sicut cum dicitur, homo non est lapis : tunc lapis dividitur ab eo. Et hoc fit in intellectu componente vel dividente : in re enim ipsa sine nota compositionis vel divisionis, unum in altero est, vel non est. Sed intellectus componens vel dividens hic sine nota compositionis vel divisionis, hoc significare non potest : et, ut hoc significet, invenit modum compositionis unius cum alio : et hoc est prædicare unum de alio, vel negare unum ab alio. Fit autem hoc quandoque essentialiter, quandoque autem accidentaliter. Essentialiter autem quando unum accipitur in alio per naturam et substantiam. Et hoc tripliciter contingit : aut enim accipit ut priorem naturam in posteriori, aut naturam communem in materia determinatam, aut convertibilem, et idem in convertibili. Primo quidem modo prædicatur ut genus, secundo autem ut species, tertio vero modo ut diffinitio de diffinito. De differentia vero inferius tractabitur. Genus igitur est id quod dicto modo prædicatur.

**E**nunciatio non habet ali- quod est communis sub- stantiae vel diffi- cultatis.

Non enim aliquod commune substantiale per quod diffiniatur genus potest ponи : quia sic omni generi supponeretur substantiale commune quod non est verum : quando enim dico *animal*, est quod prædicatur de pluribus differentibus specie. Et si quæreras quid est animal, dico quod animal est vivum sensibile quod de pluribus differentibus specie prædicatur. Sed cum dico, *genus*, est quod prædicatur de pluribus differentibus specie. Si quæratur, quid est genus ? non possum assignare quid est genus per aliquid communius illo : quia sicut jam dictum est, genus est nomen impositum ab accidente quod est ratio ordinis, et respectus superioris naturae ad inferiorem, in qua est substantialiter et acceptum in intellectu ipsius. Et id nomen transcendens est, nec potest notificari per aliud significationis

certae nomen aliquod : sed oportet quod notificetur per infinitum, hoc est, per nomen significationis non diffinitae, dicendo : genus est quod prædicatur. Et est idem ac si diceretur : illud quod prædicatur de pluribus differentibus specie vocatur genus : quamvis id in quantum infinitum, ignotum sit et incertae significationis. Et sic poni potest in notificatione descriptionis vel diffinitionis.

Quod autem additur de pluribus differentibus specie, est ideo, quia genus ad speciem non deducitur nisi divisum per differentias: quæcum opposite sint et divisivæ respectu generis, constitutivæ autem respectu speciei, oportet plures esse. Differentia divisiva, ut dicit Damascenus, est causa materici formarum, sicut divisio per materiam est causa numeri individuum. Et ideo communitas generis ambit species constitutas oppositis differentiis.

Quod etiamsi poncretur, quod non esset nisi una species, ut diceremus non esse nisi hominem et nullam aliam speciem animalis, adhuc prædicaretur animal de homine ut genus : quia de potestate et ambitu naturali animalis est et de aptitudine generis, quod dividatur oppositis differentiis. Non enim solum universale est quod prædicatur, sed quod aptum natum est prædicari de multis, ut jam in ante habitis dictum est<sup>1</sup>. Et si illa multa differunt formis (quam differentiam et numerum facit divisio differentiarum, quæ potestatem naturae dividit primum et per se) tunc prædicatur de pluribus differentibus specie, quia genus differentiis divisa sua potestate. Alia enim potestate genus est in specie una, et alia in alia : et non talis divisio est speciei per materiam : eadem enim potestate species est in uno individuo et in alio, nec est divisa, sed secundum esse integrum manente sua naturali potestate est in quolibet individuum.

Genus non potest continere unam tantum speciem.

Sufficit genus esse aptum prædicari de multis, licet actu non prædicetur nisi de uno.

<sup>1</sup> Nota quod D. Albertus non contradicit his quæ dixit vel dicet in cap. de *Specie*, nec vult

propter hoc quod genus possit conservari in una specie tantum.

Quod autem additur in eo quod quid est, ideo additum est, quia omnesuperius quod per essentiam et nomen et differentiam est in inferiori, est quid ipsius, secundum quod quid est quidditas. Et si aliquis di-

**Objectio.**  
**Solutio.**  
Genus dicit totum esse speciei secundum ali quem modum.

cat, quod non est tota quidditas, dicimus quod est totum esse ipsius, sed non est perfectum esse ipsius speciei : totum enim esse est in potentia : et nihil est de esse quod in potentia non sit ante ultimum actum ad quem terminatur motus potentiae : esse autem in potentia est esse in genere, et hæc est causa vera quod genus prædicatur. Non ideo tantum quia est forma, sed quia est forma et secundum aliquem modum totum esse dicit. Et quod sic se habet ad subjectum, prædicatur de illo non per denominationem accidentalem, sed essentiali prædicatione.

**Quomodo non omnis forma totius predicatorum in recto, nisi totum esse significet.**

Et hoc est quod a multis dicitur, quod est forma partis quæ non prædicatur, et est forma totius quæ prædicatur. Sed oportet addere, quod forma quæ prædicatur, totius sit, et totum esse significet, et non significet essentiam cuius est actus proprius : animalitas enim non prædicatur, nec etiam humanitas : quamvis animalitatis esse sit animal, et humanitatis esse sit homo. Talis ergo forma designans formam totius et esse, prædicatur, et non aliter : et anima sensibilis loco animalis posita non prædicatur, quia animal non est anima sensibilis : et similiter anima hominis non prædicatur de homine : hæc enim dicit formam partis, et non totius esse. Animalitas autem et humanitas non prædicatur de his quorum formæ sunt : non enim designant formas ut esse subjecti, sed ut essentias. Animal autem et homo prædicantur, quia designant formas, ut esse totum subjecti, vel in potentia vel actu : subjecti dico de quo prædicantur. Et sic etiam in formis accidentibus omnibus. Et ideo homo est risibilis, et non risibilitas ; et homo est albus, et non albedo. Hoc est igitur quod dicitur, quod genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod

quid est : quod enim quid est et esse ipsius est de quo prædicatur. Et ideo genus est universale quod immediata et substantiali prædicatione est in multis speciebus et de multis.

Sic ergo demonstratum est, quod genus est universale et inter universalia primum; et qualiter communitas generis differt ab aliis communitatibus posterioribus ab accidentibus denominatis.

#### CAPUT IV.

*Quod diffinitio generis nec abundet, nec deficit, et ejus declaratio.*

Quod autem inducta diffinitio generis ab omnibus aliis separetur, et in se nec superfluum aliquod contineat nec in aliquo deficiat, sic probatur. Eorum enim quæ prædicantur, quædam quidem de uno solo prædicantur, ut individua, ut Socrates, et Plato : et per nutum demonstrationis appropriata, ut hic et hæc et hoc, secundum omnem modum demonstrationis ad hoc singulare. Alia vero de pluribus prædicantur quemadmodum genera, et species, differentia, proprium, et accidens, quæ sunt universalia. Dico autem accidens, quod est commune accidens, et non proprium alicui individuum. Accidens enim uni individuo proprium, est accidens quod vocatur individuans : et hoc quia soli convenit, de uno solo prædicatur, ut Socrates, vel Socratis accidens, quo homo individuus efficitur, dicendo, Socrates est Socrates, et Plato est Plato, et hic est hic et non aliud, vel etiam aliquis homo est aliquis homo et non aliis. Sed cum dicimus, homo est animal, et dicimus cum hoc, quod asinus est animal, et multa alia. Et similiter in specie dicimus, quod Socrates est homo, et Plato est homo, et multi alii : et quod Socrates est rationale, et etiam Plato, et multi alii. Et similiter est de proprio et de accidente, quorum quodlibet de pluribus prædicatur. Ab hoc, de pluribus prædica-

**Accidens individuans vocatur accidens proprium.**

tur, habet genus, quod est universale, et differt ab eo quod est singulare quod de uno solo prædicatur.

Quod autem dico particulare sive singulare prædicari de se et de uno solo, non est proprio dictum : quia proprio loquendo, ut in *Prædicamentis* dicit Aristoteles, in prima substantia nulla est prædicatio. Et hoc probatur ex ratione prædicationis quæ in ante habitis posita est. Prædicari enim de alio est hoc in illo, et de illo esse, et intelligere, et per compositionem designare. Cum autem nihil in seipso sit, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, non potest prima substantia in seipsa aut esse de seipsa, nec proprio potest de seipsa esse designari. Et ideo prima substantia non prædicatur proprio de seipsa. Sed quando hoc fit quod de seipsa prædicatur, hoc fit quoad nos, et non secundum seipsum. Nisi forte diceretur, quod in talibus prædicationibus secundum id quod est subjicitur, et secundum id quod est ad ipsum prædicatur. Sic enim aliqua diversitas posset esse subjecti et prædicati, et sic prædicatum intelligitur, ut esse in subjecto, et esse de seipso : et sic est etiam in omnibus ubi idem de seipso prædicatur. Et sic intelligitur quod dicit Boëtius, quod nulla propositio est verior ea in qua idem prædicatur de seipso. In illa enim idem prædicatur de eodem ut id quo est. Et sic concedi potest, quod prima substantia de seipsa ut de uno prædicatur.

Particulare autem quod de seipso prædicatur, tripliciter designatur, scilicet ut singulare in nomine, ut Socrates et Plato. Secundo in nutu demonstrationis ad hoc, ut hic et hæc et hoc : hoc enim nutu demonstrationis ad unum solum non potest nisi de uno solo prædicari. Sed tertio ab

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 4 Physic. tex. com. 25.

<sup>2</sup> Cf. ALB. MAG. *Phys.* lib. I, tract. I, c. 6.

« Vagum individuum non dicitur vagum, quia « in natura non sit determinatum, quia natura « determinatur, quando dicitur aliquis homo, « et aliquis bos ; sed dicitur vagum, eo quod « ipsum per accidentia sensibilia non est de- « monstratum, sicut hic homo, et hic bos. Di-

Aristotele designatur in *Prædicamentis*, ut vagum, ut aliquis homo, et aliquis bos. Et de hoc potest esse dubium, utrum de uno solo, an de pluribus prædicetur : est enim Socrates aliquis homo, et Plato aliquis homo<sup>2</sup>.

Sed est in talibus considerandum, quod cum dicitur aliquis homo, scilicet ex parte naturæ inclinatae ad partem per signum particulare, scilicet ad partem hanc vel illam non determinatæ. Et sic consideratum habet speciei prædicationem aliquo modo, et quoad hoc de pluribus differentibus numero prædicatur, vel generis prædicatione, ut cum dicitur, animal quoddam, vel aliquod animal. Sic ergo non prædicatur propria prædicatione, sed naturæ quæ ad partem inclinat. Genus autem est, quod propria prædicatione et immediata de pluribus differentibus specie prædicatur. Potest etiam considerari aliquod animal, vel aliquis homo ut particulare, sive ex parte particulantis ad partem determinatam, et sic non habet nisi prædicationem partis, et sic non prædicatur nisi de uno solo. Et sic id quod dicitur de particulari, quod de uno solo prædicatur, intelligitur de propria et immediata prædicatione, et non de illa quam individuum vagum habet mediante natura communi, sive generis, vel speciei, per ipsum ad partem inclinatæ.

Per id ergo quod de pluribus prædicatur, differt genus a particulari sine singulare quod de uno solo prædicatur. Nam propria prædicatione, nisi forte unum et idem particulare multis modis synonymis designaretur, ut Socrates decorus crispus et hujusmodi, quæ synonyma sunt, ut ensis, mucro, sica, gladius, sicut dicitur Marcus Tullius Cicero : nihil prohibet

« camus ergo quod individuum vagum est cuius « natura contracta et particulata certificatur « per suppositum indeterminatum. Signatum « autem est, cuius contrahitur natura et parti- « culariter certificatur in supposito determinato « demonstrabili, ut hic homo, demonstrato « Socrate.

singulare sub uno nomine notius esse, quam sub alio, et sic notius prædicari de se secundum quod est sub nomine minus noto : ut si queram, quis sit talis ? et dicitur mihi, Tullius est Marcus : videtur enim aliquo modo propinquius esse propriæ prædicationi. Sic ergo genus distinguitur ab individuis per hoc quod est de pluribus prædicari.

A speciebus autem differt genus : quia quamvis de pluribus prædicetur, non tamen prædicatur de pluribus specie differentibus quoad naturæ aptitudinem, quæ secundum quod species est, per differentias oppositas formaliter secundum potestatem naturæ divisibilis non est : sed in pluralitatem agit numeralem per materiæ propriæ divisionem, et accidentis individuationem, sicut patet per antedicta. Et ideo cum dicitur, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, intelligitur per causam efficientem : ita quod pluralitas formæ et speciei facta per differentias constitutivas fecit illa differre.

**Objectio.** Sed si quis sophistice objiciat, quod homo, et asinus, et leo non differunt, sed convenienter specie : quia quodlibet corum

**Solutio.** species est. Erit constructio in habitudine causæ formalis : et sic incidit sophisma secundum amphibologiam. Per hoc quod est prædicari de differentibus specie, separatur et discernitur genus a specie, et prædicatio generis a prædicatione speciei.

A proprio autem differt genus, sive a proprii prædicatione differt prædicatio generis in hoc, quod proprium proprium sumptum quod convenit omni et soli et semper, de una sola specie (quam immediate consequitur) prædicatur. Et mediante illa communi specie, per quam transit ad individua, prædicatur de individuis illius speciei, sicut risibile prædicitur de solo homine et de individuis hominis, ut Socrate et Platone. Genus autem non ut consequens, sed ut prius natura prædicatur de pluribus speciebus et individuis illarum specierum : quia quod

essentialiter est in subjecto, inferioribus nomen suum dat et rationem. Proprium enim (ut in sequentibus dicetur) consequitur speciem et est accidens speciei per commune speciei : quia quod essentiale est, particularibus nomen et rationem suam dat inferioribus et naturam : et trahitur mediante natura etiam proprium ad particularia, et prædicatur de illis ut proprium, sicut de specie. Et tamen talem modum prædicandi non habet genus secundum seipsum per hoc quod est in inferioribus et de inferioribus prædicatur. Sic ergo per eumdem modum diversimode acceptum (quod est de pluribus differentibus specie prædicari) genus differt a specie, et a proprio quod est accidens speciei.

A differentia vero differt et communiter accidentibus in eo quod genus prædicatur in quid : sed differentia et communiter accidentia prædicantur in quale. Quamvis enim etiam proprium in quale prædiceatur. Cum tamen genus in duobus differat a proprii prædicatione, scilicet in eo quod est prædicari de pluribus differentibus specie, et etiam in prædicari in quid et non in quale : prius differt a proprio in hoc quod prædicatur de differentibus specie, quam in hoc quod prædicatur in quid. Et hoc probatur per hoc, quod si genus sumatur ut commune, sic est quædam qualitas speciei : esse enim commune respectu ejus quod subiectur sibi, ut qualitas quædam est ipsius. Et ideo dividit Aristoteles ex proposito quale quid contra hoc aliquid. Et quoad hoc in modo prædicandi non differt a proprio. Substantialior igitur et prior differentia generis ad proprium est prædicari de pluribus differentibus specie, quam prædicari in quid, ut dictum est.

Est autem advertendum, quod cum dicitur, differentia prædicatur in quale, et communiter accidentia in quale : non sumitur uno modo quale, nisi in voce, et non secundum rationem : secundum enim rationem perfectivam qualis, tunc quale

Quomodo  
differentia  
et accidentia  
prædicantur  
in quale,  
sed diversi-  
modo.

Quale mul-  
tipliciter  
capitur.

est qualitatis informatio et dispositio secundum quam quales dicimur: et hoc modo quale est, quod non convenit substantiae nec generi alicujus accidentis nisi qualitatis. Alio modo et posterius dicitur quale, quod est consequens quid perfectum: et hoc modo accidens omne quale est, quod est accidens individui: et tunc dividitur quale contra quid perfectum in esse et substantia. Tertio modo dicitur quale, quod est consequens essentialia speciei et naturae: et hoc modo dicitur proprium quale. Et hoc minus habet de quali quam id quod est consequens esse individui. Quarto modo quale dicitur, quod est potentiae determinativum ad esse speciei: et hoc ideo dicitur quale, quia est consequens quid sive subjectum primum quod est genus rei.

Nec dicitur quale, quia sit in genere primo modo dicto, vel quia sit consequens quid speciei: sed tantum ideo, quia est consequens aliquid generis sicut actus consequens potentiam in eodem in quo est aliquid secundum potentiam et aliquid secundum actum. Et hoc quantum ad essentiam suam est substantia et substantiae effectivum, licet habeat modum praedicandi in quale, in quantum est quid generis consequens: et hoc modo differentia praedicatur in quale. Et convenit cum quali accidente in quantum utrumque est ad quid consequens: quamvis quid ad quod consequitur accidens, sit ejus quod est hoc aliquid in individuo. Quid autem ad quod consequitur differentia, est quid imperfectum: ideo differentia consequens est perfectiva potentiae illius secundum substantiam: et quantum ad essentiam est de genere substantiae. Quia vero accidens commune est consequens quid perfectum in eo quod est hoc aliquid et post hoc aliquid, nihil est addere ei quod est esse secundum substantiam. Ideo quale id remanet in natura accidentis, quod cum sit in aliquo, non est

in eo sicut pars quedam: quod differentiae (quæ consequitur quid imperfectum) convenire non potest: non enim potest consequi quid et imperfectum, nisi id quod est pars esse ejus in quo est. Sic ergo et tot modis dicitur quale.

Alio etiam modo dicitur quale quid secundum quod dividitur contra hoc aliquid: et sic quale sumitur termino infinito, per quem queritur quale, nec sumitur sive determinatur quæstio quousque stetur in hoc aliquid. Dicentes enim, quod Socrates est animal, querimus quale animal: et dicimus, homo. Et querentes, qualis homo, dicimus, quod est hic homo: et sic quod habet commune quale quid est respectu sui inferioris. Et etiam genus non praedicatur quidem in quale nec in quid determinatum, sed praedicatur in quale quid indeterminatum, et similiter species, et in quid determinatum sola praedicatur prima substantia.

Similiter etiam id quod dicitur praedicari in quid, dicitur multis modis. Dicitur enim praedicari in quid quod est de natura et modo praedicandi in quid: et hoc est solum illud quod est de natura sua subjectum in quo alia fundantur, sicut in prima substantia fundantur et secundæ substantiae et accidentia communia, et sicut species in qua fundantur propria, et sicut genus in quo fundantur differentiae. Dicitur etiam in quid quod non naturam, sed modum habet illius, sicut genera accidentium praedicantur de sibi subjectis speciebus et individuis, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>. Si quis albedine posita dixerit colorem esse, quid est dicit, et qualitatem significat. Adhuc autem dicitur praedicari in quid, quod totam dicit subjecti quidditatem, sicut diffinitio de diffinito praedicatur in quid.

Et ex his quæ dicta sunt, facile patet quod a differentia et communiter accidentibus differt genus in modo praedicandi: quia quamvis differentia de pluribus differentibus specie praedicetur, ut irra-

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In primo Topicorum, tex.

com. 7.

tionale quod de asino et leone prædicatur: et similiter commune accidens quamvis de differentibus specie prædicetur, ut album de nive et cygno: non tamen differentia et commune accidens prædicanter in quid, sed in quale. Genus autem per seipsum ut subjectum primum in quid et non in quale prædicatur. Interrogantibus enim nobis, qualis est corvus? respondemus, quod niger, commune accidens respondentes: est enim rationale differentia, nigrum vero communiter accidens. Cum vero quid est homo interrogemur, respondemus, quod est animal: eo quod animal proximum subjectum est in esse hominis in quo fundatur differentia constitutiva. Animal autem genus est hominis: genus igitur in quid prædicatur.

Ex omnibus ergo quæ dicta sunt, patet quod id quod ponitur in diffinitione generis, scilicet prædicari de pluribus, dividit genus ab his quæ de uno solo prædicantur, quæ sunt de numero eorum quæ sunt individua. Hoc autem quod in diffinitione ponitur, differentibus specie, separat genus ab his prædicabilibus quæ sunt species et quæ sunt propria. Quamvis etiam proprium assignetur generalissimum, ut Aristoteles in *Prædicamentis* dicit, quod proprium est substantiae secundum sui mutationem esse susceptibile contrariorum: tamen proprie et immediate proprium est speciei, nec assignatur generi nisi per speciem, et sic transit ad genus: hoc ipsum enim quod est susceptibile esse contrariorum sui mutatione, substantiae non convenit nisi per substatre: quod primæ substantiae non in quantum est hæc vel illa, sed in quantum est substantia, maxime convenit. Quod in diffinitione ponitur, in eo quod quid sit prædicari, dividit genus a communiter accidentibus et differentiis, quæ ut dictum est, non in eo quod quid sit prædicatur, sed in eo quod quale sit.

Patet ergo ex quo diffinitio dicit omnia quæ sunt de esse generis, et separat

*Assignatur  
proprium  
generalissi-  
mum.*

genus ab omnibus universalibus aliis quæ secum dividunt hoc commune quod est universale: nihil superfluum, et nihil diminutum continet generis dicta descrip-  
tio. Hoc igitur est, quod dicere de genere intendimus in quantum est universale prædicabile.

## CAPUT V.

*De recapitulatione eorum quæ de sermone generis dicta sunt.*

Capitulariter igitur ea quæ de generis diffinitione dicta sunt colligentes, dici-  
mus, quod aliter quam in civilibus rur-  
sus dicitur genus, cui immediata et di-  
recta linea non transversaliter supponitur  
species. Ad horum generum, quæ in ci-  
vilibus sunt, fortasse aliquam similitudi-  
nem dictum: hujusmodi enim genus est  
principium quoddam earum quæ directe  
sunt sub se specierum. Et hoc convenit  
cum acceptione generis secunda. Videtur  
etiam genus sic dictum omnem multitu-  
dinem specierum et individuorum conti-  
nere in una sui natura, et nomine quod  
largitur eis. Et sic convenit cum accep-  
tione generis, de qua est sermo apud  
Philosophos. Unde etiam taliter dictum  
genus desribentes, dicunt et assignave-  
runt dicentes, quod genus est quod de  
pluribus et differentibus specie in eo  
quod quid est prædicatur, ut animal quod  
de homine et de asino in eo quod quid est  
prædicatur. Eorum enim quæ prædican-  
tur, alia quidem de uno solo prædican-  
tur, sicut individua (quamvis hæc prædi-  
catio non sit propria) ut Socrates, et Pla-  
to: et ut generaliter dicatur in omni ge-  
nere individuorum, ut hic et hæc et hoc.  
Alia vero prædicabilium prædicanter de  
pluribus quemadmodum genera, et spe-  
cies, et differentia, et proprium, et acci-  
dens commune, sive accidentia commu-  
nia, quæ non sunt alicui propria. Est au-  
tem ex. gr. genus quidem ut animal, spe-  
cies autem ut homo, differentia ut ratio-

nale, proprium ut risibile, accidens ut album, nigrum, et sedere, et hujusmodi.

Ab his ergo quæ de uno solo prædicantur, differunt genera per id quod in diffinitione inducta positum est: eo quod ipsa genera per diffinitionem præinductam assignata sunt in eo quod de pluribus prædicantur.

Ab his autem speciebus quæ de pluribus prædicantur, differunt genera: quoniam non prædicatur species de pluribus differentibus specie sicut genus, sed prædicatur de pluribus solo numero differentibus, non quidem secundum quod numerus est accidens, sed secundum quod numerus est in rebus numeratis: propter quod dicit Aristoteles, quod numero differunt quæcumque differunt materiae divisione: homo enim cum sit species, de Socrate prædicatur, et de Platone, qui non specie differunt ab invicem, sed numero solum et divisione materiae, quia materia Socratis non est materia Platonis. Animal autem cum sit genus, de homine prædicatur, et de bove, qui specie differunt a se invicem, et non numero solum.

A proprio vero differt genus: quoniam proprium quidem de una sola specie prædicatur, cuius est proprium, mediata et consequenti prædicatione, et de his individuis quæ sunt in illa una specie, quia per speciem proprium transit ad individua, quorum totum esse formale est ipsa species, quemadmodum risibile prædicatur de homine solo et particularibus hominibus qui sunt sub homine: genus autem non de una sola specie prædicatur, sed de pluribus et differentibus specie.

A differentia vero differt genus et ab aliis quæ sunt communiter accidentia:

quia etsi de pluribus et differentibus specie prædicantur et differentia et communiter accidens, non tamen in eo quod quid sit prædicantur, sed in eo quod quale sit. Cujus ratio est: quia aliquibus interrogantibus nos id de quo ut de subiecto prædicatur hæc differentia et accidens, non in eo quod quid sit dicimus illa prædicari, sed magis in eo quod quale: et interroganti alicui et dicenti, qualis est homo? dicimus quoniam rationalis. Et interroganti qualis est corvus? dicimus quoniam est niger. Est autem rationalis differentia quæ est essentialis qualitas hominis: nigrum autem est accidens commune et corvo et Æthiopi. Cum autem quid est homo interrogemur, respondemus quod est animal. Est autem genus hominis animal, et primum in esse homini subjectum.

Prædicari ergo de pluribus genus dividit sive separat ab his quæ de uno solo prædicantur, quæ sunt de numero eorum quæ sunt individua. Per id autem quod dicitur prædicari de differentibus specie, separatur genus ab his quæ ut species vel sicut propria prædicantur. In eo autem quod quid sit prædicari dicitur, dividitur genus à communiter accidentibus et a differentia, quæ non in eo quod quid sit, sed in eo quod quale sit prædicantur.

Nihil ergo nec superfluum nec diminutum continet generis dicta a Philosophiæ descriptio. Et ideo talis diffinitio terminus vocatur, diffinitum perfecte (per omnia quæ sunt de esse ipsius) determinans, et ab omnibus aliis distinguens et separans. Hæc igitur quantum ad logicam intentionem pertinet de genere dicta sunt.

# TRACTATUS IV

## DE SPECIE.

### CAPUT I.

*De diversis intentionibus specierum.*

Ratio ordinis et quare post genus tractavit de specie. Tractatur de specie tanquam secundo universalis, cogimur differre tractatum de differentia, et tertio loco inter universalia ponere: quia quamvis differentia constitutiva sit de essentia speciei et principium essentiale ipsius, nec possit esse species, quae non ex genere et differentia constituatur: tamen quia genus diffinitur per speciem, et species per genus, propter hoc quod genus habet dependentiam ad speciem, et species ad genus, eo quod correlativa sunt, et unum diffinita et certe cognosci non potest sine reliquo: ideo oportet tractatum de specie immediate ponere post tractatum de genere. Cujus tamen aliam rationem dicit esse Avicenna<sup>1</sup> hanc: quia differentia non est in qua est genus per essentiam, cum differentia sit actus sive forma simplex: in specie autem per essentiam est genus. Adhuc autem differentia non est in genere nisi potestate: species autem est in genere sicut in continente ipsum: et ideo immediatus se habet species ad genus secundum rationem speciei, differentia secundum rationem differentiae: quamvis in constitutione speciei differentia sit ante speciem, quia a genere non constituitur species, nisi potestas generis per differentiam determinetur et restringatur. Hac igitur de causa agendum est de specie post tractatum de genere immediate: et ponendæ sunt intentiones<sup>2</sup> speciei, ut

sciatur in qua acceptione vel significatio sit species intenta apud Philosophos.

Sicut autem de genere dicimus, quod non curamus ponere hic nisi illas generis intentiones quae ad illam generis significacionem quae apud Philosophos est, aliquam habeant similitudinem: ita non curamus ponere intentionem speciei, quae non habet similitudinem ad intentionem speciei apud Philosophos acceptam. Et ideo non curamus primitiva specie vel derivativa, quae apud grammaticos consideratur: sed speciem in natura invenimus, et in civilibus, secundum quam similitudo quædam est ad speciei intentionem quae apud Philosophos est. Avicenna enim dicit, quod genus uniuscujusque primum essentiale et informe subjectum est: quod primum dicitur, quia in eo est prima potentia et prima inchoatio ad esse rei secundum substantiam et quidditatem ipsius: vel potius ipsum est prima potentia et inchoatio esse rei cuius est genus, et ideo est materia proxima et propria. Materia autem appetit formam, sicut turpe bonum sive pulchrum, ut dicit Aristoteles<sup>3</sup>, in fine primi physicorum. Pulchrum igitur et bonum et divinum, quo determinatur potentialis turpitudine materiae, forma est ad speciem determinans.

Removet dubium.

Et ideo dicitur, quod species dicitur, Primum significatum hujus termini in species. quae est uniuscujusque forma et pulchritudo, sive elegantia in commensuratione compositionis corporis et complexionis et staturæ et coloris, per similitudinem ad

<sup>1</sup> AVICENNA, In logica sua, cap. 8.

<sup>2</sup> Scil. *notiones*.

<sup>3</sup> ARISTOTELES, In fine I Physic. Tex com. 84.

formam naturalem, quæ turpitudinem materiae terminat ad pulchrum, bonum, et divinum<sup>1</sup>. Sunt autem quædam (sicut in primo *Ethicorum* determinatum est<sup>2</sup>) concomitantia felicitatem in eo qui felix est. Non enim felix est qui specie turpissimus est. Et etiam in civilibus species quæ talis formositas est, hac de causa refertur ad ea quæ maxime felici competit in potestatibus et honoribus, secundum quod dicimus, quod species Priami Trojani regis (quiforma elegantissima fuit) digna est imperio: quia ex elegantia formæ demonstratur dispositio ad virtutes et ad perfectos actus felicitatis, sicut in signo. Quia sicut dicit Averroes<sup>3</sup>: omnis diversitas quæ est in corpore quoad compositionem membrorum, est ex diversitate potentiarum quæ sunt in anima: et hoc modo etiam species ad intentionem philosophicam de specie habet similitudinem: quia sic dignitas attribuitur vel indignitas his quæ in specie sunt constituta, sicut homo dicitur dignissima creaturarum, bufo autem animal contemendum. His ergo modis accepta species ad speciem sive speciei intentionem (quæ in philosophia est) habet similitudinem: et ab ista similitudine, ut dicit Avicenna, ad intentionem speciei Philosophorum nomen est translatum.

Secundum autem intentionem quæ est apud Philosophos dicimus speciem describentes, quæ est posita positione ordinis naturæ et participationis sub assignato genere. Dico autem assignatum genus idem quod certum: quia non potest esse species vaga sub genere ad hoc et ad illud genus inclinata: sed individuum vagum potest esse sub specie ad hoc vel illud suppositum inclinatum, sed ad nullum determinatum et distinctum sive discretum. Et hujus causa est: quia genus certum est in ipsa specie quidditate conceptum: propter quod sub genere non potest esse vagum. Positionem autem or-

dinis vocamus: quia sicut genus secundum quod genus, dicit superius: ita species secundum quod species, dicit inferius secundum prædicationis et consequentiæ ordinem. Participationis autem positionem vocamus: quia species de necessitate participat genus, et addit supra ipsum differentiam, quæ coarctat in ipsa specie generis potestatem: et ideo sub genere posita est, et contenta ab ipso. Et hoc modo apud Philosophos solemus dicere hominem esse speciem animalis: cum animal ordinis positione et participationis sit genus hominis. Et sic est in aliis quorum essentiæ sunt perfectæ et absolutæ: hoc enim modo album sive albedinem, quæ color albus est, dicimus speciem coloris esse: quia utraque positione, scilicet naturæ ordinis et participationis albedo est sub colore. Hoc etiam modo dicimus triangulum esse speciem figuræ, cum secundum utraque predicta triangulus sit sub figura. De aliis autem generibus non ponemus exemplum, quia esse non habent absolutum, sed in comparatione ad quædam alia diffiniuntur. Sic ergo species est quæ sub assignato genere posita est.

Dictum autem est in ante habito tractatu<sup>4</sup>, quod genus est cui supponitur species: et sic et genus per speciem, et species per genus diffinitur: et videtur esse circularis diffinitio; et idem notius et ignotius altero, et idem notius et ignotius seipso, quia accidit idem diffiniri per seipsum. Cum enim dicitur, species est quæ sub assignato genere ponitur, species diffinitur per genus. Et si loco generis ponatur diffinitio generis, sicut dicit Aristoteles<sup>5</sup>, tunc species est, quæ ponitur sub eo cui supponitur species: et sic species est in diffinitione speciei: et sic idem diffinitur per scipsum, quod valde videtur esse inconveniens. Idem etiam accidit per illam generis diffinitionem qua

Dubitatio  
Posita in  
textu.

<sup>1</sup> Cf. cap. 3 sequens.

<sup>2</sup> Cap. 12.

<sup>3</sup> AVERROES, super 2 de anima, Com. 60.

<sup>4</sup> Cf. cap. 2 tract. III, in princ.

<sup>5</sup> ARISTOTELES, In topicis, in 6, c. 19.

dictum est, genus est quod de differentibus specie in eo quod quid est prædicatur: si enim tunc loco generis ponatur diffinitio, tunc species est quod supponitur ei cui supponitur species, et quod de differentibus specie in eo quod quid est prædicatur: et sic iterum idem per seipsum diffinitur.

**Solutio.** Sed ad hoc dicimus, quod si supra in priori tractatu, *de Genere*, genus per diffinitionem assignantes in diffinitione generis meminerimus speciem, dicentes genus esse per diffinitionem, quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid est prædicatur: nunc autem etiam speciem diffinientes dicimus speciem esse id quod est sub genere: nosse ad hujus dubii solutionem oportet, quod genus relativum vere est: est enim genus alicujus genus, et species alicujus species: est enim genus speciei genus, et species generis species: et ideo relativorum quæ sunt simul natura, unum diffinitur per reliquum, quorum utrumque dependentiam habet ad alterum: necesse est in utrorumque relativorum rationibus uti nominibus et diffinitionibus utrorumque. Non enim est inconveniens,

*Non inconvenit unum ponni in diffinitione sui ipsius, ut patet in relativis.*

quod unum relativorum ponatur in diffinitione alterius, et e converso. Quod etiam idem in diffinitione sui ipsius si loco nominis positi in diffinitione diffinitio ponatur: quia relativorum esse est hoc ipsum quod est ad aliquid se habere, et quod ad aliud se habet secundum esse quod est: et cum diffinitio dicat esse rei, non potest diffinitio sciri res, nisi per id ad quod se habet: et sic oportet utrumque diffiniri per reliquum.

**Relativa tripliciter considerantur.** Tripliciter enim relativa considerantur, scilicet in quantum simul sunt natura, et in quantum sunt ad invicem dependentia, et in quantum sunt ea quæ sunt relativa per aliquam relationem quæ in ipsis est causativa. In quantum enim simul sunt natura, oportet necessario, quod una natura sive una forma sit in eis, quæ aequaliter sit in utroque ipsorum: et hæc for-

ma est ipsa relatio, quæ ut via media sumpta est eadem, per terminos autem differens in utroque relativorum: et secundum hoc paternitas et filiatio in medio idem sunt, terminis autem differunt, sicut motus et via quæ est de Thebis usque ad Athenas, et de Athenis ad Thebas: terminis autem differunt, et in patre quidem est paternitas, in filio autem filiatio: et sic est inter genus et speciem et e converso.

Si autem secundum dependentiam unius ad alterum consideretur, non est inconveniens utrumque esse notius et prius, et ignotius et posterius altero. In quantum enim genus dependet per intellectum ad speciem, dicitur genus non suum, sed speciei genus: oportet quod intellectus generis sumatur per speciem, et sic species notior et prior est genere. In quantum autem species non est sua vel absolta, sed alterius species, et dicitur esse generis species: genus erit prius et notius quam species. Idem autem prius et notius esse reliquo, et e converso non est inconveniens, non secundum idem, sed secundum diversa: habito enim respectu generis ad speciem, species genere notior est. Si autem habetur respectus speciei ad genus, nihil prohibet genus quam species notius esse, et sic utrumque per reliquum diffiniri.

Si autem consideretur id quod est relativum secundum causam quæ relationem inducit, nihil prohibet unum relativorum esse causam alterius, et non e converso: sicut si consideretur persona quæ est pater secundum actum generationis, per quam causa est filii, nihil prohibet patrem causam, et non e converso filium esse causam patris: quia sicut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, pater est qui sui aliquid habet in filio: filius autem nihil sui habet in patre. Et hoc modo genus, sive id quod est genus, principium speciei est, per id quod genus est principium speciei, et per id quod genus est in specie differentia

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 8 Ethic. cap. 8.

constitutiva formatum et distinctum. Species autem nihil sui habet in genere per modum illum. Et sic unum diffinitur per reliquum, et non e converso. Et haec est distinctio Alfarabii et Avicennæ.

Dicendum est ergo secundum eos, quod quædam diffinitio relativorum est sicut demonstrationis medium, et quædam sicut conclusio. Illa enim quæ datur de relativo secundum quod unum est causa alterius et non e converso, est sicut demonstratiois medium, vel sicut demonstratio positione differens. Illa autem qua relativa per se invicem diffiniuntur, est sicut conclusio : quia enim pater generando causa filii est, ex hoc concluditur, quod pater filii pater est, et diffinitur per filium : et quia filius a patre genitus est, inde est, quod filius non suiipsius, sed patris filius est et diffinita non cognoscitur nisi per patrem : et sic est inter genus et speciem, quia ex hoc quod genus principium speciei est, concluditur quod genus non suum, sed speciei genus est: et ex hoc quod species principiata est a genere hoc modo principiationis quo genus mediante differentia determinante et distinguente genus constitutat speciem, concluditur quod species non sua, sed generis species est : et sic diffinita non cognoscitur nisi per genus. Hoc igitur modo ea quæ videntur esse inconvenientia, nihil habent de inconvenientia : sunt enim primo simul natura. Secundo modo unum est prius altero. Tertio autem modo utrumque prius alio, et e converso diversis respectibus.

Plurimi autem, et maxime Peripatetici quos hic imitamus, adhuc etiam sic assignant diffinientes speciem, dicentes quod species est quæ ponitur sub genere, et de qua genus in eo quod quid sit prædicatur. Et patet, quod in hac assignatione duo sunt de essentia speciei. Unum quidem secundum quod species principiatur et constituitur a genere : sic enim per determinationem differentiæ constitutivæ species ponitur sub genere et ordine et participatione. Alterum autem est secundum ordinem speciei ad genus, speciem ipsam

constituens. Sic enim genus est, quod prædicatur de specie hoc modo, quod respondet ad quæstionem quid sit, et non ad quæstionem factam per quale. Cujus ratio jam ante dicta est : quia genus in omni eo in quo est per participationem, est quid, et non quale : est enim primum subjectum differentiis essentialibus determinatum et distinctum ad esse speciei. Subjectum autem quod substans in esse rei non potest esse quale, sed quid : propter quod etiam ipsum commune sic determinatum et distinctum non quale quid dicitur, quamvis non sit hoc aliquid. Ergo causa est, quod duo sunt in assignatione sive diffinitione ejus. Consideratur enim duplum, scilicet secundum constitutionem ipsius a genere, et secundum ordinem ad genus constituens quod est ens ratione ipsius : et quia per constitutionem accipit ordinem, ideo oportuit ponit in assignatione quod ponitur sub genere : quia ex hoc causatur, quod genus de ipsa in eo quod quid sit prædicatur.

Si autem quis contra hanc assignationem objiciat, quod etiam individuum ponitur sub animali, de quo genus in eo quod quid prædicatur : et sic individuum videtur esse species sic diffinita. Dici potest, quod individuum non ponitur sub genere positione immediata. Species autem immediata positione ponitur sub genere.

Sed tunc objiciunt quidam de individuo generis : hoc enim sub genere ponitur immediate, ut scilicet hoc animal sub animali : non enim hoc animal est mediante specie, quamvis forte hoc animal sit hic homo vel ille. Et sic videtur, quod hoc animal sit species : quod falsum est. Ad hoc autem quidam dicunt, quod est positio ordinis, et est positio participationis. Et quantum ad positionem participationis individuum generis immediate ponitur sub genere : quia non mediante specie participat individuum generis naturam, sed seipso genus participatur ab ipso. Et secundum positionem coordinationis prædicabilium et scibilium dicunt,

objecio.

solutio.

objecio.

solutio alteri  
quorumi.

quod non ponitur immediate sub genere nisi species, et individuum per speciem quod post speciem ordinatur.

**Refutatio.** Sed hæc solutio non est perfecta : quia participatio est causa ordinis. In omnibus enim participantibus et participatis, participatum est superius in ordine prædicabilium, et participans est inferius et subjectum : et ideo si immediatum est in participatione, erit etiam immediatum in ordine.

**Solutio propria.** Propter quod aliter dici oportet, quod est positio quæ tota principiatur ex genere secundum id quod est in ejus potestate : et sic species ponitur sub genere, ita quod genus est principium suæ positionis. Et est positio quæ non causatur a genere, sed potius ex materia : et hæc est individui positio, et ideo hæc non sic ponitur sub genere, quod genus sit illius positionis principium. Unde cum dicitur, quæ ponitur *sub genere*, illa præpositio *sub* non tantum notat ordinem, sed etiam causam positionis sive principium.

**Objectio Avicennæ.** Aliter autem Avicenna hanc impugnat diffinitionem : punctum enim species est quædam : et tamen non ponitur sub genere, nec de ipsa genus prædicatur sicut quantitas, nec prædicatur de puncto in eo quod quid sit. Sed haec instantia nulla est : quia punctum non est in genere ut species quantitatis, sed potius ut terminus continuationis. Unde quod dicitur, quod punctum species quædam est, falsum est : quia si esset species, esset quantitas, quod est falsum. Hic autem modus speciei translatus est a naturalibus et politicis : quia in physicis dicitur species ex potentia materiae ad esse determinatum, ut homo et asinus. Et in politicis dicitur species per elegantiam formæ et staturæ et figuræ, dignitati vel indignitati idoneam, sicut in ante habitis dictum est.

**Tertia diffinitio speciei** Amplius autem sic quoque assignant speciem in philosophia. Species est, quod de pluribus differentibus numero in eo quod quid sit prædicatur. Et sic patet quod hæc assignatio de specie est secun-

dum quod species est prædicatum : anterior autem de ipsa data est in quantum est subjectum. Nec est inconveniens plures ejusdem rei esse assignationes secundum diversa vel diversos modos vel rationes quæ sunt in ipsa : cum tamen una sola sit ejus diffinition secundum quidditatem et substantiam data, sicut unum est esse et substantia et quidditas. Dicit autem Avicenna<sup>1</sup> quod cum dicitur, quod de pluribus differentibus numero prædicatur, intelligendum cum præcisione, ut addatur differentibus numero solo : et tunc non tenet quod objicitur de genere, quia genus de pluribus differentibus numero prædicatur : non enim prædicatur genus de pluribus solo numero differentibus, sed etiam de differentibus specie. Hæc quidem solutio est Avicennæ. Posset tamen (ut videtur) melius dici, quod id quod prædicatur, prædicatur ut participatum, et quod participatur alio quodam prius participato, prædicatur per aliud et non per seipsum. Unde cum individui participatione non participet immediate nisi species, de differentibus numero non prædicatur immediate nisi species. Differentia enim numero non est per differentia divisivam, sed per materiam, ut dicit Aristoteles. Talis autem divisio non est propria generis, sed speciei specialissimæ : et ideo non proprie prædicatur de differentibus numero immediata divisione : non enim genus dividitur et multiplicatur per materiam, sed per differentias secundum formam suam ipsum genus dividentes.

Patet ergo, quod hæc ultima speciei assignatio solum convenit speciei specialissimæ, quæ non prædicatur nisi de differentibus numero solo. Aliæ vero assignationes in ante habitis positæ non sunt speciei specialissimæ, sed etiam specierum non specialissimarum. Hæc sunt igitur assignationes datae de intentionibus speciei.

Limitatio  
tertiæ diffi-  
nitionis.

Propria li-  
mitatio.

<sup>1</sup> AVICENNA, In cap. 9 suæ logicæ.

## CAPUT II

*De duabus quæstionibus circa prædicta.*

Alfarabius et Avicenna duas hic inducunt quæstiones. Una quidem : quia cum <sup>I quæstio.</sup> duæ sint assignationes, una speciei subalternæ, altera speciei specialissimæ, ad quam illarum nomen speciei prius translatum sit a similitudine ista, qua species dicitur uniuscujusque forma et speciositas. Altera autem est quæstio : cum duæ sint speciei diffinitiones, ut dictum est, secundum quam illarum species est universale unum de quinque universalibus quæ in ante habitis enumerata sunt.

Et circa solutionem primæ quæstionis dubitationes invenit Avicenna<sup>1</sup>, et nescire se fatetur, ad quam primo significandam translatum sit nomen speciei. Species enim subalterna quæ sub assignato ponitur genere, et de qua genus in eo quod quid sit prædicatur, prius occurrit descendantibus, et ab uno quod principium speciei est in multitudinem venientibus : tunc enim subalterna species est, ad quam primo formatur et distinguitur generis potentia. Et sic videtur primo nomen speciei translatum esse ad illam. Adhuc autem id quod primo occurrit intellectui, est genus, et sic per divisionem devenir ad speciem. Patet autem, quod prius occurrit ea quæ est et genus et species, quam illa quæ est species tantum. Videtur ergo nomen speciei prius translatum esse ad illam.

Ad oppositum autem hujus est, quod formatio potentiae generis secundum substantialia perfecta non est nisi in specie specialissima : id enim quod est formatum in specie subalterna, adhuc est in potentia ad alteram formam : ergo suæ naturæ plenam non habet speciositatem. Id autem minus transfertur nomen plenæ est speciositatis, ita quod secundum illam rei attribuimus dignitatem secun-

dum felicitatem dictam determinatam. Videtur ergo, quod nomen hoc prius transfertur ad speciem specialissimam, quæ perfectam habet sui generis et potentiae formationem. Inter has rationes dubitare se dicit Avicenna, quod potissimum dicatur : utrumque enim dicit rationabiliter posse dici secundum inductas rationes.

Sed sine præjudicio dici si potest, quod <sup>Ad primam.</sup> cum translationes secundum similitudinem fierint debeat, quod magis proprie et prius transfertur nomen speciei ad speciem specialissimam, quam ad speciem subalternam. Species enim subalterna aliquid habet generis, et aliquid potentiae, et aliquid privationis : nec tota est deducta ad speciei dignitatem sicut species specialissima. Et quod dicitur, descendantibus prius occurrit species subalterna : nihil facit ad translationem nominis : translatio enim non fit per rationem divisionis : nec etiam per rationem resolutionis, vel etiam compositionis : sed per solam rationem similitudinis. Ratione autem similitudinis planum est, quod prius transfertur ad speciem specialissimam, posteriorius ad speciem subalternam.

De secunda autem quæstione dubitare <sup>Ad secundam.</sup> videtur Avicenna, scilicet secundum quam illarum diffinitionum species habeat quod est universale, quamvis valde modica videatur esse ratio dubitationis. Secundum primam enim speciei subalternæ diffinitionem species subjectum est et non prædicatum. Universale autem secundum quod universale est, et est et diffinitur in rationem prædicati et non subjecti. Videatur ergo, quod species per rationem illam qua subjectum est, non habeat quod sit universale : et conceditur fere ab omnibus antiquis.

Quod tamen aliquibus videtur non esse verum : quia scimus quod Aristoteles<sup>2</sup> in *Topicis* docet terminare de omni problemate, non docet formare vel terminare problema de specie : eo quod in

<sup>1</sup> AVICENNA, In cap. 9.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, in libro I topic.

omni problemate subjicitur species, et sic videtur quod species est, subjici habet in problemate et non prædicari.

**Secunda.** Adhuc species secundum quod specia-  
lissima est, non prædicatur nisi de dif-  
ferentibus numero solo. Quæ autem nu-  
mero solo differunt, sensibilia singularia  
sunt, et eorum non potest fieri disciplina.  
Nec subjecta igitur videntur esse, nec  
prædicata in disciplina. Cujus signum est,  
quod scientia de prædicabilibus usque ad  
illa non descendit, nisi accipientur ut  
stantia in natura et specie communi, ut  
aliquis homo, et aliquis bos. Et sic vide-  
tur, quod species per se non prædicatur  
de individuo, sed per accidens: accedit  
enim speciei in individuo esse, et sic ac-  
cedit ei prædicari.

**Ad primam** **objectionem** Ad hæc autem et similia videtur, quod omne universale in ratione prædicati habet determinari: universale enim secundum quod universale est, diffinitur quod est in multis et de multis. Non autem est de multis, nisi quia prædicatur de illis. Et ideo species habet quod est universale per diffinitionem illam qua diffinitur ut prædicatum, et non illam qua diffinitur ut subjectum. Quod autem dicitur, quod species subjectum est in problematibus, dicendum, quod verum est hoc: quia problemata non formantur nisi de his quæ insunt speciei vel simpliciter ut accidens, vel ut genus assignatum de specie, vel ut proprium quod fluit de natura speciei, vel ut diffinitio quæ totum dicit esse speciei. Et hac consideratione species non est universale. Est autem universale secundum quod est prædicatum.

**Ad secun-**  
**dam.** Et quod dicitur, quod species specia-  
lissima non prædicatur nisi de his quæ differunt numero solo, in quibus speciei accedit esse, dicendum quod non sic ac-  
cedit speciei esse in individuis, quod sit accidens eis, vel accidens in ipsis: quia, sicut dicit Boetius, species est totum esse individuorum, vel individuorum essen-  
tialis similitudo. Et ideo individua pos-  
sunt dupliciter accipi, scilicet vel ut par-

**Individua**  
**dupliciter**  
**accipi pos-**  
**sunt.**

ticularia in materia determinata, vel ut res naturæ communis in quā stat: vel in qua stat naturæ fluxus, qui fluxus est naturæ diffusio, et sic individuum sic sumi-  
tur, ut aliquis homo: et hoc individuum proprie et per se subjectum est, et est sub-  
jectum speciei: et hoc modo primum prædicatum de ipso est species, et secun-  
dum quod apta nata est esse in pluribus secundum totum esse substantiale, sic est universale. Et sic diffinitur, quando dici-  
tur, quod species est, quæ prædicatur de pluribus numero differentibus in eo quod quid est. Per hoc autem quod aliud præ-  
dicatur de specie cui supponitur, accedit speciei quod sit universale: de quo enim aliud prædicatur, potest esse universale, et potest non esse universale.

Sic ergo dictum est de intentionibus Recapitula-  
tio. speciei et assignationibus sive diffinitio-  
nibus quæ datae sunt de intentionibus il-  
lis. Hoc autem sub compendio colligi po-  
test, ut dicatur, quod secundum vulga-  
rem in physicis vel politicis usum vel  
consuetudinem species dicitur, quæ est uniue-  
susque forma sive formositas, se-  
cundum quam intentionem speciei vulga-  
riter dictum est, quod species sive specio-  
sitas Priami digna est imperio. Dicitur autem ad hujus aliquam similitudinem species apud Philosophos ea quæ est sub assignato sive certo et determinato gene-  
re posita per differentiam constitutivam,  
quæ generis potestatem determinat et coarctat ad actum ad quem prius fuit in  
potentia: secundum quam intentionem speciei solemus dicere in philosophia ho-  
minem quidem speciem esse animalis,  
cum sit genus assignatum hominis ani-  
mal: album sive albedinem solemus di-  
cere coloris speciem esse, cum assigna-  
tum genus albedinis sit color. Et secun-  
dum quam solemus dicere triangulum  
esse speciem figuræ, cum figura sit ge-  
nus assignatum.

Quod si etiam supra in præcedenti trac-  
tatu, qui de genere habitus est, genus Dubitatio  
per diffinitionem assignantes, speciei me-

minimus ponendo speciem in generis diffinitione, quando dicimus, quod genus est quod de differentibus specie prædicatur in eo quod quid sit : et nunc tractando de specie dicimus, quod species est id quod ponitur *sub genere* : et sic genus ponimus in diffinitione speciei : nemio reputet hoc inconveniens. In talibus enim nosse oportet, quoniam et genus non est absolutum, sed relativum : ideo genus alicujus est genus, et species est non absolutum quid, sed species alicujus species est, quia generis. Et ideo necesse est in utrorumque, scilicet generis et speciei, rationibus diffinitivis utrisque uti : ita quod genus in diffinitione speciei, et species in diffinitione generis ponatur. Assignant ergo Philosophi per diffinitionem prædictas intentiones de specie, etiam sic speciem diffinientes : Species est quæ ponitur sub genere, et de qua genus in eo quod quid est prædicatur: prædicatur enim ut substantia et subjectum in specie, quod differentia constitutiva individuatur et formatur in specie, quod est quid speciei et non quale.

Amplius adhuc ipsi Philosophi sic quoque assignant diffinientes speciem : Species est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid est : et sic est formale quid individuorum, et totum esse ipsorum. Esse enim quod est post speciem in individuis, est et de individuantibus, et non est idem esse simpli citer, quia materia nulli dat esse, nec est proprie de esse : sed est actus essentiae in eo quod est materia. Et ideo materiæ non est prædicari : quia in ante habitis jam diximus, quod non prædicatur nisi forma : nec etiam forma prædicatur secundum quod forma, sed forma totius : nec adhuc forma totius ut forma totius prædicatur, sed in quantum est notio totius esse vel in potentia vel in actu.

Inter hanc tamen assignationem et prædictam differentia est : quia hæc secunda assignatio est solum speciei specialissimæ : aliae vero duæ præcedentes con-

veniunt et speciebus non specialissimis. Quid autem hic dictum sit, non potest sciri, nisi ponatur tota ordinatio prædicabilium in generalissimis et specialissimis et mediis : et ad hoc deinceps attinemus.

### CAPUT III.

*Qualiter inveniatur species specialissima, et de coordinatione prædicamentali.*

Qua autem arte inveniantur species specialissimæ secundum diversas intentiones, de quibus dictum est, planum et manifestum erit hoc modo. In unoquoque enim prædicamento secundum omnia genera prædicamentorum sunt quædam in supremo secundum totam illius generis prædicabilium coordinationem, quæ dicuntur generalissima : non quia in uno sint plura, quia hoc impossibile est, et id quod per superabundantiam dicitur in uno ordine rerum, non nisi uni soli potest convenire, sed quod in quolibet genere est unum, et in eodem ordine prædicabilium sunt quædam secundum suas communitates et universalitates infima, quæ dicuntur specialissima, et in quolibet sunt plura, propter hoc quia quamvis specialissima in uno et eodem genere prædicabilium necesse est stare in uno, ubi resolvuntur ad unum, non tamen propter hoc secundum viam divisionis et compositionis (quæ ab uno incipit) necesse est, quod divisio stet in uno sicut in infimo : quia divisio multis viis procedit ex uno : et illæ viæ non sunt nisi per diversas formas et oppositas, quæ differentiæ vocantur, quas uniri ad unum est impossibile, et ideo divisio ex uno stat in multis ultimis : et quodlibet illorum est indivisible secundum formam, non habens sub se commune, et ideo quodlibet illorum est specialissimum.

In tali autem prædicabilium ordine supremum ideo dicitur generalissimum, quia non habet supra se genus superius

Removet  
dubium.

superveniens sibi, quod ut genus prædicitur de ipso. Specialissimum autem dicitur, quod in tali ordine est indivisibile secundum formam et naturæ potestatem: propter quod sub se non habet aliquod commune quod sit species, et modum prædicandi habeat speciei: quamvis sub se habeat individua, in quibus omnibus est ipsa species secundum totum suum esse et secundum totam suam potestatem. Hoc autem modo (ut in ante habitis dictum est) non est genus in speciebus: in nulla enim specie secundum se est genus secundum totum ambitum suæ potestatis. Nec aliquis miretur, quod per intentionem loquentes dicimus generalissimum, generalius, et generale, et specialissimum, specialius, et speciale: quia sicut in ante habitis determinatum est, id universale quod est genus, per accidens quoddam (quod sibi accedit) genus vocatur: et in illo potest intendi et remitti, maxime secundum prius et posterius dicta intentione, potius quam secundum accessum ad terminum aliquem vel recessum ab illo: magis enim genus est id quod in omnibus genus est, quam id quod genus est ad quædam: et similiter est de specie, quod magis est species quod omnibus est species, quam id quod non est species nisi ad quædam.

Inter generalissimum autem in summo, et specialissimum in infimo, sunt media quædam, quæ eadem in substantia existentia sunt genera et species, sed ad aliud et aliud comparata sive per comparationem sumpta.

Gratia autem exempli potest hoc in uno prædicamento esse manifestum, ut in aliis omnibus similiter esse intelligatur, in ordine prædicabilium quæ sunt in genere substantiæ. In genere substantiæ primo ponitur substantia, quæ sine conversione ut genus prædicatur de omnibus quæ in genere sunt substantiæ: et ideo generalissimum est vocatum. Proximum autem quod sub hac ponitur per differentiam constitutivam, est substantia corporea quæ vocatur corpus. Cum autem iterum corpus per animatum, et in animatum divi-

ditur, proximum sub hoc communi quod est corpus, constitutum est corpus animalium, quod uno nomine vivum vocatur, communitate sua ambiens et vegetabilia et sentientia quæ dicuntur animalia. Corpus autem animatum iterum per opposita dividitur, scilicet sensibile, et insensibile: et cum adjunctum fuerit corpori animato sive vivo sensibile, proximum sub ipso positum erit animal. Cum vero animal iterum per rationale et irrationale dividitur, quæ sunt oppositæ differentiæ, et rationale adjunctum fuerit animali, fit rationale animal complectens deos secundum Stoicos et homines. Cum autem ipsum quod est rationale animal, per mortale et immortale dividitur, et mortale junctum fuerit animali rationali, constituitur homo: qui ulterius per differentiam non est divisibile, quia secundum totam suæ naturæ potestatem est in quolibet suorum suppositorum. Sub homine ergo non est commune aliquod, sed particula-ria, ut Socrates, et Plato, qui sunt parti-culares homines.

Sed inter omnia substantia quidem est generalissimum: et ideo est id quod est tantum genus, quia nullo modo potest fieri species: omnis enim species est quæ sub assignato genere ponitur. Et cum substantia non habeat superveniens genus, constat quod non potest fieri species. Homo vero inter haec est species specialissima, et quæ nullo modo potest fieri genus: cum enim genus sit (sicut in ante habitis dictum est) cui supponitur species, et cum nihil commune nec genus nec species supponatur homini in quo homo sit secundum partem suæ naturalis potestatis, et non secundum totum, patet quod homo non potest esse genus. Est ergo species solum, et non genus.

Omnia autem intermedia inter sub-stantiam que est genus tantum, et hominem qui est species tantum, sunt simul genera et species respectu diversorum, si-cut corpus sive substantia corporea, quæ proxima est substantiæ in supremo: est quidem species substantiæ, quia species

est quæ sub assignato genere ponitur : genus vero est idem corpus corporis animatisive vivi, cum genus sit cui supponitur species, et in qua genus est secundum partem suæ naturalis potestatis. Omnino autem eodem modo id quod substat tertium in ordine secundum descensum a substantia (quod est corpus animatum sive vivum) est species quidem corporis, cui tanquam generi supponitur : genus vero est animalis, quia sibi animal tanquam assignato generi supponitur.

Animal vero secundum Stoicos species quidem est animati corporis sive vivi : genus vero est animalis rationalis, eo quod non habemus unum nomen, quo id commune significemus, quod continet hominem et Deos : quoniam secundum Stoicos substantiae incorporeæ sunt animalia, ut dicit Apuleius in lib. de Deo Socratis. Homo vero species quidem est animalis rationalis, quia illi tanquam generi assignato supponitur : genus autem non est alieujus, quia in nullo communi (quod post ipsum sit) est secundum partem suæ naturalis potestatis, sed in quolibet secundum totum esse, et secundum totum esse suæ potestatis. Patet ergo, quod est species animalis rationalis, et non est genus particularium hominum.

Sic ergo patet quod omnia hæc tripli-  
cem habent modum et suæ positionis rationem : unum quidem supremum quod non potest esse species, aliud inter communia infimum indivisibile secundum suæ naturæ potestatem, et intermedia quæ respectu superiorum sunt species, respectu inferiorum sunt genera.

Comparemus ergo extrema ad invicem, et dicamus, quod quemadmodum substantia cum supra eam nihil sit quod possit esse genus ad ipsam, et ideo genus est generalissimum : sic homo quod infimum est in hac ordinis dispositione, est species specialissima, post quam non est alia inferior species ad quam possit esse genus : cum non post hominem sit aliquid eorum communium, quod dif-

ferentiis oppositis possit dividi, vel in quibus sit secundum partem suæ naturalis potestatis, sed sola individua, quæ individua sunt post hominem : individua enim sunt Socrates, et Plato : quæ indivisibilia sunt, non quidem secundum materiam et quantitatem, sed sunt indivisibilia secundum formam suæ communitatis et secundum potestatem : quia homo remanet in quolibet eorum secundum suum esse totum, et secundum totam suæ naturæ potestatem. Et ideo erit species sola quæ non poterit esse genus, et erit ultima species, in qua stat hujusmodi formalis secundum potestatem divisio, et erit species, ut dictum est, specialissima.

Ea vero quæ sunt in medio istorum extre-  
marum, ad utraque referuntur extre-  
ma. Eorum enim quæ sunt supra ipsa in  
ordine secundum ascensum, sunt species  
et subjecta secundum illam rationem specie-  
ei qua species dicitur, quæ sub assignato  
genere vere posita est, et de qua genus  
in eo quod quid est prædicatur. Eorum  
vero quæ post ipsa sunt in ordine ipsius  
positionis secundum descensum, erunt  
genera secundum illam generis diffinitio-  
nem, qua dicitur, quod genus est cui sup-  
ponitur species. Relinquitur ergo ex his,  
quod illa quidem quæ sunt media, duas  
habent habitudinum comparationes. Ha-  
bent enim habitudinem ad priora secun-  
dum ascensum, secundum quam habitu-  
dinem priorum species esse dicuntur. Ha-  
bent etiam habitudinem ad posteriora se-  
cundum descensum, secundum quam ha-  
bitudinem posteriorum genera esse dicun-  
tur. In prima enim habitudine sunt in  
ipsis secundum esse et essentiam sua su-  
periora, et sunt de ratione ipsorum, sicut  
genera sunt de ratione specierum. In se-  
unda vero habitudine ipsa secundum es-  
sentiam suam et secundum suum esse  
sunt in posterioribus, et sunt de ratione  
ipsorum, sicut genera sunt de ratione spe-  
cierum. Et hæc est causa, quod in priori  
habitudine sunt species, et in secunda ha-  
bitudine sunt genera.

Attendendum autem est, quod hæc me-

Quomodo  
individua  
sunt indivi-  
sililia.

dia alterius rationis sunt quam media quæ dicuntur per participationem extremorum, sicut in coloribus, et saporibus, et odoribus sunt media : illa enim (quia participatione utriusque extremi media sunt) ab extremis causantur et principiantur. Et ideo secundum naturam posteriorum sunt utrorumque extremorum. Ista autem quia non participatione media sunt, sed ordinis et positionis inter extrema, quia quodlibet meddium est in toto medio universaliter, ideo superius quidem causa est et principium medii, et medium principium est et causa posterioris<sup>1</sup>. Et ideo medium natura est posterius superiore, et prius est inferiore. Et medium participat totum superius, et participatur totum ab inferiori, et non participat utrumque extremorum. Nec participat unum extremorum illo modo participationis, quo medii colores vel medii sapore participant extremos colores vel sapore. Sensibilia enim media extrema sua non participant secundum essentias suas totas, et secundum totum esse, sed potius secundum mixtionem quamdam et intentionem et remissionem participant alterum. Sed secundum totam essentiam et secundum totum esse participant alterum suorum extremorum, et secundum totum esse participant ab altero, sed secundum potestatem totam non participant id quod participant, nec secundum totam potestatem participantur ab eo a quo participantur. Taliter igitur media vocantur, et sic positione et ordine media dicto modo duas habent habitudines.

Extrema vero quæ simpliciter extrema sunt, ita quod non possunt esse media (quæ tantum duo sunt, generalissimum scilicet et specialissimum) unam tantum habent habitudinem. Generalissimum enim (cum supra se habeat nullum genus) eam habitudinem quæ est ad superiora habere non potest, nisi secundum negationem, sicut scilicet quod superius

genus non habet. Illa autem sic per negationem dicta habitudo nihil ponit in genere generalissimo : per hanc enim nec est genus nec species : sed potius per eam habitudinem quam habet ad inferiora, habet generis rationem, quia genus est cui supponitur species. Sed per negationem habitudinis ad superiora, non habet quidem generis nec speciei rationem, sed excessum in generalitate. Et per specialitatis negationem, quod scilicet sic genus sit, quod non possit esse species, hoc est, quia superabundantia est, et in termino generalitatē significat : notificari non potest, nisi negatione, quia nihil habet quod affirmetur de ipso : et hoc est propter suam simplicitatis rationem sive perfectionem : et ideo per talem negationem nihil imperfectionis concludi potest de ipso. Adhuc autem sic per negationem notificatum et determinatum est (quamvis negatio secundum se sit infinita et indeterminata) quia negatio per quam determinatur, finitur : quando dicitur, quod ex abundantia simplicitatis et generalitatis et superioritatis superius habere non posse.

Si quis autem instet et dicat, quod substantia habet superius. Ens enim est ante substantiam per intellectum : quia omnis substantia est ens, sed non omne ens est substantia. Et non potest dici, quod per accidens prædicatur de substantia. Et similiter potest dici de quolibet quod genera transcendit, ut est res, unum, et aliquid. Inferius quidem subtleriter huic satisfaciemus objectioni : hic autem ad præsens sufficiat, quod cum ens prædicatur de substantia, vel res, vel unum, vel aliquid : non prædicatur prædicatione generis, cum non sit una ratione prædicatum de his de quibus prædicatur, sed per prius et posterius : sed talia prædicantur prædicatione principii non generis<sup>2</sup>. Et hoc probat Avicenna et Alfarabius et Algazel et omnes Arabes

*Genus ge-*  
*neralissi-*  
*mum a quo*  
*habet, quod*  
*sit genus :*  
*et a quo,*  
*quod sit*  
*generalissi-*  
*mum.*

*Quare nega-*  
*tione difini-*  
*tur genus*  
*generalissi-*  
*mum.*

*Objec-tio.*

*Solutio.*

<sup>1</sup> Nota genera intermedia non esse media per participationem extremorum, sed positione et ordine.

<sup>2</sup> Ergo *transcendentia* non prædicantur de substantia prædicatione generis, sed prædicatione principii.

sic. Sequitur enim, si homo est, animal est : et si animal est, corpus animatum sive vivum est : et si vivum est, corpus est : et si corpus est, substantia est, propter intellectum generis in specie. Sed non sequitur, si substantia est, ens est : quia sive sit aliquod, sive non, semper genus sequitur ad speciei positionem : eo quod secundum rationem et naturam genus concipitur in specie : et non potest intelligi species, nisi genus intelligatur in ipsa. Cum autem dicitur ens absolute, non intelligitur nisi ens actu existens : et ideo non sequitur si substantia est, ens est, quia esse ens accidit omni ei quod est : accidit enim omni ei quod actu esse potest. Patet ergo quod cum dicitur, substantia est ens, ens quod prædicatur est idem quod substantia, quia simpliciter ens non est nisi substantia.

Et si dicatur objiciendo contra hoc, quod secundum hoc debet converti consequentia : dicendum est, quod causa ejus quod non convertitur consequentia, non est quod ens genus sit substantiae, vel communitas generis quae sit in ente ad substantiam : sed causa illius est, quia est commune secundum prius et posterius dictum, et in hac communitate excedit substantiam : et ideo non convertitur consequentia ab ente ad substantiam. Et quando prædicatur de substantia, non prædicatur essentialiter vel accidentaliter : sed prædicatur ut idem cum substantia, quia ens simpliciter est idem cum substantia. Relinquitur ergo quod supremum quod est generalissimum, unam tantum habet habitudinem secundum quam genus est et vocatur generalissimum : est enim supremum et primum (omnium quae in illa coordinatione sunt) principium : quoniam ab ipso essentialiter omnia inferiora principiantur.

E contrario vero specialissimum unam tantum quidem habet habitudinem quae est ad superiora, secundum quam etiam species dicitur : superiorum enim est species, eo quod sub superioribus est : et ex

illa nomen et rationem habet speciei. Eam vero habitudinem (secundum quam aliquibus inferioribus insit ut prædicatum substantiale, quod secundum partem suæ potestatis participetur ab illis) non habet : et secundum hanc habitudinem ad inferiora negationem constituitur in specialitatis abundantia et termino. Et ideo dicitur specialissima per excessum : quamvis enim habeat inferiora quae sunt individua, non se tamen habet sicut genus ad illa : est enim in quolibet eorum secundum totum esse, et secundum totum suæ potestatis esse : quod generi non convenit, quando suis inferioribus inest. Et ideo secundum habitudinem quam habet ad superiora, species est. Sed species est ad superiora, sicut a superioribus contenta, secundum hoc quod species est, quae sub assignato ponitur genere. Species autem inferiorum individuorum sicut continens individua : continet autem in hoc, quod adunat ea in forma speciei, quod est totum esse individuorum secundum omnem suæ potestatis perfectionem. Sic ergo in specialissimo sunt tres intellectus se communicantes : ex hoc enim quod superioribus supponitur species, speciei habet intellectum. Ab hoc autem quod ad inferius habitudinem generis non habet, accipit intellectum specialissimi. Ab hoc autem quod perfecte in uno continetur individuo, accipit quod est prædicatum in quid de differentibus solo numero, et eis totum quid, et esse formale totum : esse autem formale ipsorum est substantiale. Hac ergo arte accipienda sunt generalissima, et specialissima, et intermedia etiam in aliis prædicamentis.

#### CAPUT IV.

*Qualiter ea quae dicta sunt ad compendium reducantur.*

Capitulariter autem ista ab antiquis tradita sunt dicentibus hic, quod dictum est planum esse hoc modo, quod in uno quoque prædicamento sunt generalissima

quædam, ita quod non in uno plura, sed in singulis singula. Et rursus in uno quoque sunt quædam alia specialissima. Et inter generalissima et specialissima sunt quædam alia intermedia. Est autem generalissimum quidem, supra quod secundum ordinem superpositionis vel superveniens non est genus. Specialissimum autem, post quod non erit inferior species quæ sibi supponatur ut generi, et in qua sit secundum partem suæ potestatis. Inter generalissimum autem et specialissimum secundum ordinem positionis omnia quæ sunt, genera sunt et species, ad aliud quidem et ad aliud comparata.

*Qualiter maluit exemplifi- care de substantia quam de aliis pre- dicamentis.*

Sic autem hoc quod dictum est, per exemplorum positionem in uno prædicamento substantiæ manifestum est: substantia enim perfectius genus est, et in ipsa exempla sunt magis nota: substantia enim est quid, et ipsa est genus, quia non habet cui ut generi supponatur, ut species fiat: et ideo tantum genus est, et non species. Sub hac autem substantia est corpus, sive substantia corporea. Sub corpore vero sicut sub genere est animatum corpus, sub quo sicut sub genere est animal. Sub animali vero sicut sub genere est animal rationale secundum Stoicos: quamvis Avicenna et Arabes dicant, quod animal rationale est ut genus ad hominem et ad Angelos: quod falsum est, quia Angelus nullo modo proprie est animal, sed dicitur animal aliquando propter vivere secundum intellectum. Et si rationalis Angelus dicitur, æquivoce dicitur rationale quod est differentia hominis: sed propter Stoicos et Epicureos dictum est, qui deos terrestres, sicut Cererem et Æsculapium, et deos infernales, sicut Plutonem et Vulcanum, animalia rationalia esse dicebant. Sub animali autem rationali sicut sub genere est homo: sub homine vero non sicut sub genere, sed sicut sub specie sunt Socrates, et Plato, qui sunt particulares homines.

Sed omnium horum substantia quidem est generalissimum: eo quod genus sit


solum, et species esse non possit. Homo vero est specialissimum: eo quod species sit solum, et genus esse non possit. Corpus vero species quidem est substantiæ, cui tanquam generi supponitur: genus vero est corporis animati, quod sibi ut generi supponitur. Et animatum corpus species quidem corporis est, cui ut generi supponitur: genus vero est animalis per eamdem rationem quæ dicta est. Et animal secundum eamdem rationem species est corporis animati: genus autem animalis rationalis. Sed rationale animal eodem ordine species quidem animalis: genus autem hominis. Homo vero species est animalis rationalis: non est autem genus particularium hominum, sed species solum. Id autem quod ad individua proximum est, ut leo, et asinus, et equus, species erit solum et non genus.

Quemadmodum igitur substantia quæ est suprema (eo quod nihil sit genus supra eam) est generalissimum: sic et homo (cum sit species post quam non est alia inferior species, nec aliquid eorum quæ possunt dividi formaliter per oppositas differentias, sed sola individua sunt post eam, individua enim sicut diximus, sunt Socrates, et Plato) species erit sola ultima, in qua stat formalis divisio: erit autem species, ut dictum est, specialissima. Quæ vero sunt in medio extremorum eorum quidem quæ supra ipsa sunt, erunt species: eorum vero quæ post ipsa sunt, erunt genera.

Quare hæc quidem media duas habent habitudines: eam scilicet quæ est ad superiora, secundum quam species eorum dicuntur esse: et eam quæ est ad posteriora, secundum quam eorum genera esse dicuntur. Et sic via naturæ extrema in summo et infimo unam tantum habent habitudinem. Namque generalissimum solum ad ea quæ sibi posteriora sunt, unam solum habet habitudinem, cum secundum illam sit genus omnium posteriorum id quod est supremum. Eam vero habitudinem quæ est ad superiora non

habet, cum sit supremum et principium primum, ex quo per divisionem omnia alia principiantur: et quod per nomen et rationem est substantia, hoc est, secundum id quod in omnibus est inferioribus. Specialissimum similiter unam habet tantum habitudinem, eam scilicet quæ est ad superiora quorum est species: eo quod supponitur omnibus illis ut generibus. Eam vero quæ est ad inferiora ut ad communia non habet: quia non superponitur communibus. Sed individuorum species dicitur, de quibus prædicatur ut indivisum secundum substantiam et potestatem. Alter ergo individuorum dicitur species, et aliter superiorum. Dicitur enim species inferiorum quidem in eo quod est esse formale ipsorum eam continens. Species autem dicitur superiorum, sicut quæ ab his (in eo quod per differentias et potestate divisa sunt) continentur.

Et ad hunc modum figura per modum



arboris scribi consuevit, quæ si secundum esse et essentiam consideratur, radices quibus principiantur, superius habet. Si autem secundum esse actuale consideretur, radices quæ sunt in individuis, habet inferius.

## CAPUT V.

*De manifestatione eorum quæ dicta sunt ex consequentibus et similibus.*

Hæc autem quæ dicta sunt, adhuc manifestabimus per ea quæ sequuntur ad ipsa et similia. Resumentes ergo ea quæ dicta sunt, dicimus, quod ex dictis patet, quod Philosophi determinant generalissimum per hoc quod cum genus sit, non species est: hoc enim sequitur ad hoc, quod id est supremum cui omnia supponuntur: per hoc enim quod omnia supponuntur ei, et prædicatur de eis in quid, sequitur quod sit non subalternum sed generalissimum, quod non potest utique esse species alicujus. Sequitur etiam ex prius habitis, quod non habet sibi superveniens genus: quia si hoc esse posset, jam esset subalternum, et esset species illius generis quod sibi in ordine positionis superveniret, et esset medium, non extreum. Ex quo sequitur ulterius, quod non esset simplex sed compositum, et esset participans aliud et participatum ab alio, et multa alia quæ inconvenientia sunt. Si enim esset subalternum, hoc modo esset subalternum, quia sub altero esset positum. Sequeretur ergo, quod non esset supremum et primum principium, quod est contradictorium ad illud quod de ipso ante probatum est.

Specialissimum vero iidem Philosophi determinant, quod cum sit species, non est nec esse potest genus: est enim secundum utramque suam habitudinem species: secundum enim habitudinem quam habet ad superiora, species est et non genus, quia ipsum est quod supponitur generi, et de quo genus in eo quod quid est prædicatur. Secundum autem habitu-

dinem quam habet ad individua, non dividitur differentiis, ut secundum partem suæ potestatis sit in inferioribus, sed est in quolibet secundum totam suam essentiam, et secundum totam suam potestatem: quod non convenit generi, sed speciei, non in quantum species est, sed in quantum species specialissima, quæ nihil habet sub se nisi individuum, quod solum per materiam est numerabile et non per formam, in eo quod in materia totum esse et posse diffundit forma. Hoc ergo specialissimum cum sit species, nunquam dividitur vel dividi potest in species: quia divisio in species non est nisi generis per differentias formaliter oppositas: non ergo dividitur nisi per materiam. Et quia, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, divisio est causa numeri, et divisio materialis est causa numeri materialis: sequitur quod prædicatur de pluribus differentiis solo numero materialiæ in eo quod quid sit: quia ipsum est quid et quidditas individuorum et totum esse ipsorum. Ea vero omnia quæ sunt secundum ordinem positionis in medio istorum extermorum participantia et participata per substantiam, et per id quod sunt, vocantur quidem subalterna, et simul non secundum idem sunt genera et species: et ideo unumquodque talium simul genus et species esse potest: possunt ergo omnia talia genera esse et species, ad aliud quidem et ad aliud secundum comparationis habitudinem sumpta. Et sic omnia quæ secundum ordinem a specialissimo usque ad generalissimum disposita sunt secundum ascensum ab inferiori ad superiorius, sive a composito ad simplex, sive a posteriori in prius, secundum naturam et genera dicuntur et species, et dicuntur genera subalterna, et species subalternae. Genus autem subalternum non dicitur quod sub se habeat genus: quia sic generalissimum esset subalternum, habet enim sub se aliud genus: sed dicitur subalternato ge-

nere positum. Et similiter species specialissima non dicitur non subalterna, propter hoc quod generi non supponatur, generi enim supponitur: sed ideo dicitur non subalterna, quia nulla ei supponitur species communis; hoc enim <sup>in quo</sup> sonat nomen *subalterni*, quod scilicet alternato ordine participato supponatur et participant supponatur: et quod non habet nisi unum istorum, non est subalternum. Superponitur enim generalissimum omni se participant, sed alternato ordine nihil participat. Supponitur autem specialissimum omni participato, sed a nullo communi participatur. Et ideo hæc duo non habent alternatum ordinem, et ideo non sunt subalterna.

Dubii

Attende autem, quod cum dicitur genus subalternum, videtur esse oppositio in adjecto: quia genus ut genus dicit superponere in ordine prædicabilium, et dicit id quod est principium et diffinitum ejus quod sibi supponitur. Subalternum autem cum dicat id quod in ordine est alternatum, aliquo modo dicit id quod supponitur, et quod est principiatum et diffinitum. Sed hoc facile solvitur, si consideratur qualiter dicitur genus subalternum: genus enim esse habet ex ratione prioris et principii, et superpositionis: sed subalternum esse habet a suppositione alterna in superpositione. Et quia sic generalitas et subalternatio ad diversa referuntur, sequitur quod unum non privat et diminuit rationem alterius.

Solt

Adhuc autem cum dividitur genus per istas differentias, subalternum et non subalternum, pro certo divisio est subjecti in accidens. Accidit enim illi naturæ quæ est genus, quod sit in ordine prædicabilium stans in uno situ, vel quod sit alternata secundum ordinem positionum diversarum. Idem autem intelligendum est de specie subalterna et non subalterna: hoc enim accidit illi naturæ quæ est species: hæc enim nomina *subalternum* et *non subalternum*, rationes accidentium

*Divisi  
neris e  
ciei p  
balter  
et noi  
balter  
est di  
subjec  
accide*

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 3 Physic. tex. com. 68.

positionis in ordine tali prædicabilium nominant in natura prædicabilium hujusmodi. Et ideo cum dicitur, prædicabilium quædam sunt secundum prædicationem subalterna, quædam non subalterna, est divisio subjecti in accidentia secundum rei veritatem.

Sed hoc verum est, quod si consideretur causa hujus divisionis et positionis, tunc preintelligitur quædam alia divisio, quæ est, quod natura prædicabilium talium alia est simplex, alia composita: et composita natura quædam est numerabilis et divisibilis per differentias, eo quod est composita ex genere et differentia: quædam autem est numerabilis numero solo, eo quod per differentias ultimas dividi non potest: et hæc divisio est generis in species, quia numerabilis natura per differentias, est genus compositum: numerabilis autem per materiam et non per differentias, est species specialissima.

Nec est aliquo modo dicendum, quod subalternum dicatur vel genus vel species, quod sic subalternari non potest, ut sit subtus et supra: sicut quidam dicunt, quod genus subalternum dicatur, quod est sub alio tantum: et species dicatur quæ super aliud: hæc enim non est ratio subalterni: alternum enim est, quod alternatim supponitur et superponitur, sicut dictum est. Si enim diceretur subalternum in genere, cui superponitur genus, et subalternum in specie, cui supponitur species, sicut quidam dixerunt, esset subalternum alterius et alterius rationis, quod falsum est. Unde subalternum simul ab utroque dicitur, secundum quod alternatim ponitur subtus et supra, potest esse genus et species. Et ideo generalissimum non potest esse subalternum: quia alternare se non potest, ut fiat subtus et subjectum ut species. Et specialissimum non potest esse subalternum, quia subalternare se non potest, ut respectu alicujus communis fiat subjectum et prædicatum.

Subalternorum autem et generalissimorum et specialissimorum quæ non su-

balternantur, exemplum et similitudo est in familiis, a quibus ut in tractatu *generis* dictum est, primo logicum genus est transsumptum. Si enim familia Jovis,

camentalis  
per exem-  
plum in fa-  
miliis.

hoc est quæ a Jove descendit, per domos sive familias distinguatur, dicemus quod Agamemnon sive domus et familia Agamemnonis, quæ ultima et inferior est, reducitur ad Atridem a quo descendit, et ab Atride duxit genus et originem: et sic Atrides genus dat Agamennoni, Atrides autem duxit genus a Pelopide, et Pelopides genus traxit a Tantalide, Tantalides autem a Jove: quoniam Deus sublimis est et primus in ordine: quare generalissimi locum tenens, eo quod alii non subiiciatur. Jupiter autem deus sublimis ab omnibus antiquis appellabatur: omnes ergo intermedii et patres sunt et filii. In extremis autem Agamemnon filius tantum accipiens et non perfundens genus: Jupiter autem dans et non accipiens in illo ordine ab aliquo. Quia si etiam Jupiter filius Saturni esse dicatur: tamen quia patrem expulit de regno, in dignitate regali et familia regni et gradu honoris priorem non habuit: et ideo familia regalis stat in Jove in supremo, in Agamemnone autem in infimo. Intermedii autem alternatim sunt: et accipientes et dantes familiam ad regnum pertinentem. Et hoc est sicut in generibus subalternatim et non subalternatim positis, sicut ex prædictis manifestum est.

Sed in hoc est dissimilitudo: quia in familiis quidem omnia descendentia plerumque ad unum reducuntur principium. Dico autem *plerumque* in omni familia quæ ab uno descendit, ad unum principium fit *reductio*: quando autem ab uno non fit *descensus*, tunc ad unum reduci non possunt: ut si dicamus, quod in diversis quartis mundi divisa fuerunt hominis principia. Sola enim una terræ quarta nobis nota est, ut probat Ptolemaeus in Almagesto, et in hac nostra habitibili omnes familæ ad Adam reducuntur. In aliis autem quartis si habitabiles

Dissimili-  
tudo.

*Quod ens  
non si ge-  
nus ad om-  
nia prædi-  
camenta.*

sunt, alia et alia habuerunt principia. Sed in generibus et speciebus logicis non sic se habet: quia omnia quæ sunt in omnibus generibus et speciebus tam substantiae quam accidentium non ad aliquid unum (quod sit secundum unam rationem omnium principium) reduci possunt, eo quod ens (ad quod omnes aliquo modo reducuntur) non est commune omnium genus tam generum substantiae quam generum accidentium. Non enim omnia et substantiae et accidentia sunt ejusdem generis: sic enim accideret, quod omnia aut essent substantia, aut omnia essent accidentia, eo quod primum genus est quidem omnium aliorum: et unum genus non est principium nisi ejus quod est quidem unius et ejusdem rationis. Tunc ergo unius generis prædicamenta essent omnia tam substantiae quam accidentia, si sumatur unum genus in illa generis ratione: quemadmodum in *Prædicamentis* dicit Aristoteles, quia scilicet nomine et substantiae ratione in quid sic prædicatur de his quæ sunt in specie, sicut in genere.

Entia ergo secundum sui diversitatem in diversis generibus posita sunt, sicut in *Prædicamentis* ab Aristotele dictum est. Sunt enim decem genera quasi prima decem principia, quorum unum ad alterum reduci non potest. Et si omnia docet Aristoteles<sup>4</sup> reducere ad substantiam, haec reductio omnium ad unum non est sicut ad unum genus, sed sicut reductio aliquorum ad unum subjectum: propter quod si quis dicat, quod omnia sunt entia, et quod ens sit commune prædicatum de omnibus, æquivoce, ut inquit Aristoteles, et non univoce omnia entia nuncupabit. Si autem unum commune genus esset omnium hoc ipsum quod dicimus ens, adhuc omnia univoce entia dicerentur, quia genus nomine et ratione prædicatur de his quorum est genus. Cum enim decem sint principia prima communia et generalissima, si hæc di-

cuntur entia, erit prædicatio secundum communitatem nominis solum, et non erit communitas secundum rationem definitionis, quæ secundum nomen est assignanda. In talibus enim ens simpliciter est substantia, et alia non simpliciter entia sunt, sed sunt entis passiones, ut quantitas mensura entis, qualitas autem non ens simpliciter, sed entis dispositio: et sic de aliis. Tamen quia in talibus respectus est ad unum quod est simpliciter ens, ideo non simpliciter est æquivocum. Quare non omnium ad unum respiciendum est idem modus et ratio respiciendi: unum enim est ut mensura, alterum ut dispositio. Ideo quoad hoc est æquivocum. Et ideo totum simul analogum, hoc est, commune secundum proportionem vocatur, quod medium est inter univocum et æquivocum: quod simpliciter, ut dicit Boetius, a casu et fortuna æquivocum est. Et univocum quod simpliciter per unitatem nominis et unitatem diffinitæ rationis est univocum. In tali enim univoco et ad quod multa respiciunt, unum et idem est esse in substantia, et in omnibus quæ respiciunt ad id, est unus modus et una ratio respectus et respiciendi ad ipsum.

Hæc quidem igitur decem quæ sunt prima omnium principia, sunt generalissima, et sunt numero finita denario. In his enim decem stat tanquam in generibus omnium resolutio. Specialissima vero (quæ sunt ante individua proxima, et oppositis non possunt dividi differentiis) sunt in numero quodam certo quidem secundum naturam, non tamen diffinitus et certus est quoad nos. Quod autem secundum naturam certus sit quantum ad hanc intentionem, sufficienter probatur ex hoc, quod nullum genus est cuius potentia sit infinita. Potentia autem generis determinatur ad actum speciei constitutivis differentiis. Constitutivæ ergo differentiæ sunt finitæ: quia aliter finitam generis potentiam non finirent. Ad nu-

*Quomodo  
ente est  
analogia r  
spectu su  
stantiæ e  
ac identit*

*De numer  
generalissi  
morum sp  
cialissimo  
rum et indi  
viduorum.*

merum autem finitum differentiarum constitutivarum generis potestatem finientium finitur numerus specierum. Numerus ergo specierum specialissimarum est finitus quoad naturam. Individua autem quæ sunt post specialissima quoad naturæ potestatem sunt infinita : est enim per naturæ potestatem divisibilis materia in infinitum per continuam allationem et ablationem primi generantis et dividentis materiam : oportet ergo, quod potestate materiæ individua sint infinita, et accidens individuans sic vel sic potentia naturæ est infinitum. Quamvis ergo loco et tempore et singula et omnia actu sint finita, tamen naturæ potestate, et divisione materiæ, et individuantis modo sunt infinita. Et ideo nec scientia nec arte comprehensibilia. Propterea Plato præcipit, quod descendens a generalissimis per divisionem, et usque ad specialissima deveniens, quiescat et non ulterius dividat : cuius rationem inducit, quia a generalissimis descendantem oportet ire et descendere per media : quia ab extremo in extremum non venitur nisi per medium, nec sic descendere potest nisi dividendo extremum in media specificis differentiis, ad quarum numerum multiplicatur numerus specierum. Est enim generis essentia numerabilis specificis differentiis, quæ in genere sunt, sicut actus in potentia: infinita autem potentia materiæ. Individua, inquit Plato, relinquenda sunt, quia de ipsis per divisionem certam et determinatam non potest sciri disciplina: et ideo nec scientia nec arte sunt determinabilia.

**P**ropositorum. Totum autem quod in hoc capitulo dictum est, sub compendio colligitur sic, quod Philosophi et maxime Peripatetici determinant describentes, quod generalissimum est, quod cum sit genus, non potest esse species : et ideo non alternatur ratio generis in speciei rationem. Et rursus generalissimum determinant dicentes, quod ipsum est genus supremum, super quod non est aliud superveniens

genus, quia in illo ordine non potest esse aliquid superius supremo. Specialissimum vero e contrario dicunt esse, quod cum sit species, non est genus, nec alternari potest ut generis sumat rationem. Et rursus idem specialissimum determinant, quod cum sit species, nunquam dividitur in species, quia non est essentia numerabilis vel divisibilis per specificas differentias, sed numeratur divisione materiæ. Et ideo specialissimum est, quod de pluribus differentibus numero solo in eo quod quid sit prædicatur. Ea vero genera et species quæ sunt in medio extremonum prædictorum subalterna vocantur genera et species: quia unaquæque et genera esse possunt et species alternatim vel suppositive, quando ad aliud et ad aliud alternatim posita et comparata sunt. Ea vero quæ sunt a specialissimo usque ad generalissimum ascendendo, et genera dicuntur et species. Et dicuntur genera subalterna ut in familiis ab uno descendantibus, in quibus quilibet mediorum et genus dat et sumit, ut Agamemnon, Atrides, Pelopides, et Tantalides, et sic per omnes familias ascendendo usque ad ultimam Jovem familiam, a quo omnes illæ familiæ genus traxerunt, sicut a primo suæ generationis principio.

Sed in hoc dissimile est, quia in familiis plerumque omnia media ad unum reducuntur, quod vere est omnium principium; verbi gratia ad Jovem primum patrem. In generibus autem et speciebus non sic se habet. Et hoc ideo est, quia non est idem commune genus omnium id commune quod dicitur ens: nec omnia generalissima reducta in ens, sunt ejusdem generis in ente, secundum quod unum genus est sumptum, quemadmodum dicit Aristoteles, debere sumi genus quod secundum unam rationem æque prædicatur de speciebus. Sed posita sunt genera in ente secundum prius et posterius, quemadmodum in *Prædicamentis* dictum est. Secundum enim illam doc-

trinam sunt genera generalissima quasi decem prædicabilium principia prima, quæ ulterius ad aliud principium quod sit principium eorum ut genus non reducuntur. Unde si omnia quis entia vocet, ita quod ens prædicetur de quolibet genere, æquivoce, inquit Aristoteles, entia nuncupabit, non univoce. Si enim unum et idem esset genus omnium prædicamentorum, scilicet ipsum ens, univoce dicerentur entia omnia prædicamenta, et univoce et æqualiter susciperent entis prædicationem. Cum enim, ut saepius dictum est, decem sint prima omnium principia, nec essent principia si supra se haberent aliud principium, patet quod communitas quam habent in ente secundum nomen est solum, et non secundum rationem diffinitionis etiam quæ secundum nomen est: quia si ens una ratione de omnibus prædicaretur, aut omnia essent substantia, aut omnia accidens, quod impossibile est. Hæc ergo quidem sunt generalissima. Specialissima vero in numero sunt quodam quoad naturam finito, non tamen quoad nos in numero definito et certo. Individua autem quæ sunt post specialissima sunt infinita quoad materiæ potestatem. Quapropter usque ad specialissima a generalissimis descendenter jubet Plato quiescere dividendo. Jubet autem Plato descendere per media quæ sunt genera et species dividentem quodlibet illorum immediate generi specificis differentiis. Infinita enim, inquit Plato, relinquenda sunt, neque eorum quæ infinita sunt dicit Plato posse fieri disciplinam.

#### CAPUT VI.

*De modo veniendi a generalissimo ad specialissima, et e converso.*

Quia autem in coordinatione extremorum et mediorum via est veniendi de extremo in extremum per media, oportet tangere qualiter procedit, quid de supremo prædicabili usque ad infimum vadit

per media, et qualiter procedit, qui e contrario de infimo per media procedit ad supremum. Dicimus quod qui de supremo per media procedit ad infimum (quod specialissimum vocatur) necesse est, quod descendat a priori secundum naturam in posterius, et sic semper procedat descendendo usque ad prædicabile proximum. Et sic descendenter necesse est ire per multitudinem. Non enim devenitur in posterius, nisi per divisionem superioris. Divisio autem si perfecta sit, omnes partes divisi segregando, semper est causa multitudinis. Ideo enim est perfecta ex parte divisibilis divisio: quoniam per divisionem accipit omnes partes ejus quod est divisibile: propter quod quando corpus accipitur sub substantia, prius intelligere oportet substantiæ divisionem per corpoream et incorpoream substantiam, et tunc una differentia constitutiva conjuncta cum genere accipit corpus, et sic fit descensus per multitudinem, quam totam causat præintellecta et perfecta divisio. Accipere enim unam partem de toto non divisam ex opposito cum alia parte, imperfecta est divisio: non enim explicat perfecte quid partium est in toto.

Et e contrario autem si quis ascendat a specialissimis ad generalissima, necesse est colligere multitudinem in unum, ex quo per divisionem accepta est: resolvit enim sic ascendens et reducit omnia divisa (quæ non nisi per divisionem multa sunt) in unam formam ejus quod divisum est. Et sic ex multis procedit ad unum. Cujus causa est, quia id quod est commune multorum, est propter collectionem hoc modo quo collectio dicitur multorum in unam naturam quæ in eis est adunatio et resolutio. Sic enim multorum quæ divisione materiæ multa sunt collectivum in unam speciei naturam est species: quia una natura speciei in omnibus est individuis ejusdem speciei: non enim sic est in uno, quod non sit in alio: sed cum sit in uno, est etiam in alio per aptitudinem naturæ et formæ,

quamvis non secundum quod est in uno, sit etiam in alio sicut in principio et universalibus dictum est. Magis autem est collectivum et adunativum genus, quam species, in hoc quod plura colligit quam species, etsi etiam species magis secundum intentionem sit una, quam forma generis: minus enim a se distant et magis unum sunt quæ sunt unum in specie, quam ea quæ sunt unum in genere, cum plura uniat in se et colligat genus quam species: unit enim et colligit multas species et omnia quæ in speciebus colliguntur.

Particularia vero et singularia secundum quod hujusmodi sunt, semper sunt in multitudine: cuius multitudinis causa est divisio materiæ, et ideo per contrarium modum collectionum communis speciei, dividunt id quod est unum in natura in multa, non quidem divisione formæ, sed divisione materiæ, ut dictum est.

Dividitur autem totius universalis divisione, quod divisum per esse dividitur, et per naturam et formam, secundum totam suam essentiam et potentiam est in singulis. Et e contra species multa sicut divisa in unum colligit et unit: *participatione enim speciei plures homines sunt unus homo*. Non quidem sic, quod iste homo qui est unus homo per materiam, sit plures homines divisi per suas materias et sua supposita: sed quia ipsa participatione unius quod participatur a multis secundum quod ipsum in natura et essentia unum est, plures uniuntur, et unum sunt secundum hunc modum. Et hoc est idem ac si dicatur quod Socrates et Plato et alii singulares homines unum sunt in homine, secundum quod homo dicit naturam speciei prædicatæ de ipsis. Et si sic participatione speciei plures homines sunt unus homo, non sequitur ex hoc, quod simpliciter plures homines sint unus homo: quia unus homo et plures homines simpliciter dicuntur a materiæ subjectæ pluralitate vel unitate. Econ-

tra vero particularibus sive particulatis per materiam hominibus, unus homo, una natura, et una forma communis omnium efficitur plures homines secundum esse singulare: et per subjectum divisus in omnes, indivisus tamen manens secundum naturam communem et formam et secundum esse universalis. Id enim quod singulare est et determinatum secundum esse et subjectum, semper est divisivum communis sui proximi et determinativum. Quod autem commune est et universale, semper est collectivum et adunativum.

Quamvis autem colligere et adunare sint idem in substantia, differunt tamen secundum rationem. Collectio enim incipit a multis, et terminatur ad unum: adunatio incipit ab uno, et terminatur ad multa, quæ in uno uniuntur. Hoc autem ut melius manifestetur, explanetur in pluribus. Est enim collectio tantum in unum locum continentem, sed non uni-

Differentia  
inter collec-  
tionem et  
adunatio-  
nem.

entem, sicut acervus lapidum dicitur colligi. Et hæc proprie dicuntur nomina collectiva, ut acervus, turba, populus, et alia hujusmodi. In talibus quidem perfecta est collectio, sed imperfecta adunatio. Et ideo talia de suis partibus non prædicantur: quia singuli lapides non sunt acervus, nec singuli homines sunt populus vel turba.

Nota quin-  
que modos  
quibus plura  
in unum  
colligi di-  
cuntur.

Est item collectio multorum ad unum movens et ad unum finem: sicut est collectio exercitus in movente duce, et fine, qui est victoria. Et hæc collectio magis adunat quam antecedens, etiam et hæc non perfectam facit secundum naturam adunationem. Et ideo totum de parte non prædicatur, quia unicus miles non est exercitus, sed quia omnes in movente et fine uniuntur, ideo sequitur quod singuli moventur in singulis et duce, et singuli secundum analogiam suæ operatio- nis perficiunt victoriam.

Est item collectio in unam perfectæ quantitatis figuram, sicut dicuntur fundamentum, et paries, et tectum colligi in

unam totius integri formam: quia forma non est in partibus divisim, sed simpliciter quidem in partibus conjunctim sump-tis, et in qualibet divisim non est nisi secundum quid: ideo ista forma quamvis colligat partes et adunet eas sibi, non tam-en prædicatur de partibus omnibus nisi conjunctim, et non de qualibet divi-sim.

Juxta hanc erit adhuc alia forma, quæ quamvis colligat partes, et aliquo modo uniat, non tamen cuilibet totam suam addit potestatem perfectam, sicut est for-ma regni, et generaliter totius potestas regni constituitur potestatis ut parti-bus, ut est præsidis, palatini, et ducis, et comitis potestas, ex quibus omnibus con-ficitur regnum. Et hæc forma quæ non unit secundum totam potestatem, iterum de partibus prædicari non potest sim-pli-citer: quia præsidatus non est regnum. Talis enim forma suam potestatem parti-bus ordinatim communicat, et ideo quæ-libet pars est aliqua regni potestas, et in talibus verum est, quod quidquid potest inferior, potest et superior, sed non con-vertitur.

Et secundum modum isti aliquo modo similem, forma naturalis colligit et unit sibi partes materiae quas terminat. Et ideo de materia vel de partibus materiae non prædicatur, quia ipsa in potestate partes excedit: et sic animal non est vi-sus, vel auditus, vel aliud hujusmodi, cum potest quod potest visus, et plus, et sic est in omnibus aliis. Est tandem forma quæ perfecte colligit et unit partes, ita quod singulas colligit et unit sibi, ita quod esse ejus in singulis idem est cum esse singulorum, vel non diversum ab ipso, et ideo prædicatur de singulis parti-bus: et talis forma est generis et speciei et aliorum quæ sunt universalia. Et hoc modo intelligimus hic, quod ascendens a specialissimo ad generalissimum, colligit et adunat multitudinem in unum, et quod commune sit collectivum et adunativum.

Assignato autem sic genere, et assi-gnata sic specie, quid sit utrumque per diffinitionem, palam est ex prædictis, quod in omni divisione proxima generis in species, semper genus unum est et plu-res species in quas dividitur. Semper enim unius et ejusdem generis divisio est in plures species: cuius ratio est, quia diffe-rentia non dividit nec habet actum nisi per oppositionem. Nihil autem sibi ipsi oppositum est, sed ei opponitur cui contrariatur. Omnis ergo differentia quæ di-vidit genus, sibi oppositam habet diffe-rentiam: et ideo genus conjunctum cum una differentia facit speciem aliam illi oppositam, quia alietas, ut dicit Boetius, causatur ab oppositione: propter quod dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quod si aliquis in diffi-nitione aliquid assignaverit pro differen-tia, considerandum est si oppositum ejus est etiam ejusdem generis differentia. Si enim non est oppositum differentia, nec hoc quod assignavit, fuit vera differentia: genus enim non dividitur nisi per oppo-sitas differentias sive formas quæ sunt differen-tiae: oppositæ autem differen-tiae conjunctæ cum genere non unum, sed plures species semper constituunt.

Sunt tamen qui contra hoc quod dic-tum est objiciunt per id quod a principio de universali dictum est, quod scilicet ab aptitudine existendi in pluribus et dicen-di de pluribus universale dicatur, et non ab actu: quod scilicet actu sit in plu-ribus et de pluribus: quia aliter sol non esset universale. Ex hoc enim volunt in-ferre, quod genus est quod non habet plures species, sed quod aptum natum sit habere plures species. Et sic non oportet genus semper in plures species dividi. Sed ad hoc dicendum, quod non est verum de genere, sed de specie specialissima so-lum: quia genus non dividitur nisi per ea quæ potestate naturali et substanciali sunt in ipso, et ideo per se dividitur: et oportet quod dividatur in plura quæ actu plura sunt. Species autem non dividitur

Quare divi-sio generis semper est in plures species.

Utrum suffi-ciat genus habere plu-res species aptitudine, an requirat actu plures.

Solutio.

Quare ge-nus requirat multas spe-

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 6 Topicorum, cap. 8.

~~Hoc actu non  
sunt aperte  
plura  
individualia  
homo sed po-  
tentia tan-  
tum.~~

per ea quæ sunt in ipsa : nec dividitur secundum suam substantialiem potestatem, sed potius multiplicatur et numeratur quam dividatur per id quod totum substantialiter est extra naturam et essentiam ipsius, scilicet per materiam quæ nihil est formalis essentiæ suæ potestatis. Et ideo accidit speciei esse in ipsa : propter quod sola sufficit aptitudo in specie ut sit apta existere in pluribus, ad hoc quod sit universale, etiamsi actu non sit nisi in uno solo, vel forte in nullo, dummodo sit forma quæ secundum aptitudinem apta nata sit esse in pluribus<sup>1</sup>.

Est ergo sciendum, quod genus non est, quod non habet plures species. Unde si ponamus non esse aliquam speciem animalis nisi hominem, tunc quidem sequitur, si homo est, animal est : sed non sequitur, quod animal sit genus propter causam quæ dicta est. In specie autem specialissima sola quidem, ut dictum est, sufficit aptitudo ad hoc quod sit universale secundum aptitudinem. Si autem hæc aptitudo ad actum reduci debeat, oportet quod actus sit in pluribus et de pluribus : et non solum est universale secundum actum, sed secundum aptitudinem solam. In his autem in quibus aptitudo ad actum reducitur, per divisionem materiæ ad actum reducitur, sicut dictum est : quia naturæ aptitudo ad plura, non est ad tot, quin possit esse ad plura : ideo continue sic in infinitum potest reduci ad actum.

In omni autem tali prædicabilium coordinatione genus quidem substantialiter et universaliter de specie prædicatur, et omnia superiora de inferioribus substantialiter et universaliter prædicantur : species autem sive subalterna sit, sive specialissima, neque prædicatur substantialiter et universaliter de proximo superiori sibi genere, neque prædicatur de superioribus sibi generibus non proximis, sed per medium sibi conjunctis. Hujus autem causa est : quia inter talia superiora de

inferioribus prædicata substantialiter et universaliter prædicatio non convertitur, eo quod prædicatum in plus est quam subjectum. Unde non sequitur, si homo substantialiter et universaliter est animal, quod animal substantialiter et universaliter sit homo : est enim aliquid animal quod non est homo, ut asinus, vel leo : animal enim quamvis de intellectu sit hominis (et ideo necesse sit prædicari de ipso) non tamen e converso homo est de intellectu animalis : propter quod animal sine homine esse potest.

In omni autem ordinata prædicatione (in qua secundum naturalem ordinem prædicabilium unum de altero prædicatur) oportet æqua sive paria de æquis, sive paribus prædicari, sicut prædicatio convertibilium, sicut omne hinnibile est equus, et omnis equus est hinnibilis. In talibus enim subjectum est conversum prædicati : et ideo nec prædicatum relinquit subjectum, nec subjectum relinquit prædicatum. Aut oportet majora de minoribus prædicari : et in talibus prædicatum est de ratione subjecti : et ideo subjectum nunquam relinquit prædicatum, quamvis prædicatum possit relinquere subjectum : et talis prædicatio est ut quando animal de homine prædicatur sine conversione.

Et si instet aliquis, quod homo de animali prædicatur, cum dicitur, aliquid animal est homo, vel hoc animal est hic homo. Nulla est instantia : quia hæc prædicatio non est substantialis et secundum ordinem prædicabilium, quia per accidens : accidit enim animali hoc animal esse quod est homo vel hic homo. Minor vero de majoribus secundum hunc modum prædicationis minime prædicantur : neque enim animal universaliter dicis esse hominem, quemadmodum hominem universaliter et substantialiter dicis esse animal<sup>2</sup>.

Hæc prædi-  
catio non est  
substantialis,  
sed per  
accidens.

Secundum autem totam coordinatio-  
sed per accidens, sequitur quod non est per se  
in primo modo, ut voluit Paulus Venetus, I Post.

<sup>1</sup> Considera quomodo hic dicta non contradicant dictis supra, in tract. de genere, cap. 5.

<sup>2</sup> Cum hæc prædicatio non sit substantialis,

nem prædicabilium de quibuscumque species prædicatur sive subalterna sive specialissima, de omnibus eisdem prædicabitur universaliter et illius speciei genus, et illius generis genus, et sic usque ad generalissimum, quod ultimum in ascendendo, et primum in descendendo prædicatum est in illa prædicamentorum coordinatione. Cujus exemplum est, quod si verum est Socratem esse hominem, hominem autem animal, animal vero substantiam: verum est, quod et Socrates est homo, et quod Socrates est substantia: semper enim et substantialiter et universaliter in tali coordinatione superiora de inferioribus prædicantur et de individuo. Generalissimum autem et de genere sibi proximo sub eo posito prædicabitur, et de generibus omnibus inferioribus, si plura sint media subalterna inter ipsum et specialissimum: et prædicatur de specie specialissima, et de individuis quæ sub ipsa sunt.

Attende autem, quod sicut dictum est, forma quæ prædicatur, non prædicatur nisi sit notior, et nomen totius esse rei. Esse autem rei totum vel est in potentia remota, et sic nominatur per generalissimum: vel in potentia propinqua, et sic nominatur genere subalterno: vel in potentia propinquissima, et sic vocatur genere immediato: vel est in actu, et sic nominatur nomine speciei. De prædicatione autem differentiæ, proprii, et accidentis, inferius pertractabitur. Et ideo dicit Aristoteles quod non est vivens et animal, nec animal et homo simul. Talis ergo modus prædicandi concluditur ex eo qui dictus prædicabilium ordine.

Hæc autem quæ dicta sunt, in compendio dicuntur sic, quod descendantibus ad specialissima necesse est ire per multitudinem specierum dividendo genus oppositis differentiis. Ascendentibus autem a specialissimis ad generalissima necesse est colligere multitudinem in unam generis divisi naturam. Collectivum enim in unam communem naturam species est, et magis collectivum multorum est id

quod est genus: particularia vero et singularia semper in multitudine existentia, e contrario dividunt in multitudinem id quod est unum commune: et sic participatione speciei plures homines sunt unus homo. Particularibus autem sic speciem dividentibus, et in multitudinem distractis, unus et communis homo est plures homines: divisum enim semper communis est id quod est singulare: collectivum autem et adunativum plurium in unum est id quod commune est.

Assignato autem sic genere et specie per diffinitivam rationem quid sit utrumque ipsorum, et genere quidem uno existente, speciebus vero pluribus per divisionem oppositarum differentiarum, semper erit in plures species divisio generis per causam superius assignatam. Genus quidem in tali ordine semper universaliter et substantialiter de specie prædicatur, et omnia superiora de inferioribus. Species autem nec prædicatur de proximo sibi superiori genere, neque de superioribus non immediate conjunctis: nec enim talis prædicatio convertitur qua genus de specie prædicatur. In omni enim substantiali ordinata prædicatione oportet aut æqualia de æquis prædicari, ut hinnibile de equo: aut oportet prædicari majora, hoc est, communiora de minoribus, ut animal prædicatur de homine, cum animal in plus sit quam homo. Minor a vero de majoribus secundum hunc modum prædicabilium minime prædicantur, nisi per accidens, ut dictum est. Nec enim animal universaliter dicis et prædictas hominem esse, quemadmodum hominem universaliter dicis esse animal. De quibus autem species universaliter et substantialiter prædicatur, de his necessario et speciei genus prædicabitur, et generis genus usque ad generalissima. Si enim exempli gratia verum est dicere Socratem esse hominem, hominem autem animal, animal autem substantiam: verum est et Socratem animal dicere atque substantiam. Semper ergo naturaliter superiora de inferioribus prædicantur. Spe-

cies quidem substantialiter de individuis prædicatur. Genus autem prædicatur de specie et de individuo. Generalissimum autem prædicabitur et de genere subalterno et de generibus omnibus, si plura sint media et subalterna inter specialissimum et generalissimum: prædicabitur autem de specie specialissima et de individuis secundum totam hujusmodi prædicabilium coordinationem. Sic enim in omnibus verum est, quod quando alterum de altero prædicatur ut de subjecto, in quo specialiter per intellectum concipiatur: quæcumque substantialiter de prædicato prædicantur, omnia prædicari de subjecto sit necesse. Et negative similiter quæcumque universaliter negantur de prædicato, necesse est illa etiam negari de subjecto: animal enim cum non sit lapis, necesse est etiam hominem lapidem non esse.

## CAPUT VII.

*De modo prædicabilium quæ prædicantur.*

Ex omnibus autem quæ dicta sunt, constat quod generalissimum dicimus prædicari de omnibus quæ sub ipso recto ponuntur ordinem tam generibus quam speciebus et individuis. Genus enim quodlibet quod est immediate ante specialissimum, prædicatur de omnibus specialissimis, ut animal de homine et de asino et leone et speciebus aliis: prædicatur etiam et de individuis illarum specierum per hoc quod essentialiter est in illis et de illis. Id autem quod sic est species, quod solum species est, et non genus, quod est species specialissima, non prædicatur per se nisi de individuis. Individuum autem quod est certum, non prædicatur, nisi de uno solo discreto et signato, illa prædicatione quæ in antehabitis determinata est: quamvis individuum vagum de pluribus prædicetur, hoc est, prædicatione speciei, et non individui, ut dictum est. Individuum enim quod discernitur ab aliis sub eodem com-

muni positis particularibus, dupliciter formatur: substantia enim formatur per accidentia quæ signa sunt talis discretio-nis, quæ in proprio nomine importantur, ut cum dicitur Socrates. Quia autem accidens non individuatur nisi per substanciam, ideo individuum accidentium per demonstrationem ad rem stantem sub accidente designatur, sicut hoc album, et hoc veniens, ut accidens tam sine tempore et motu, quam cum tempore et motu designetur. Discernitur etiam aliud per circumlocutionem, ut discretio Socratis designatur per generantem, vel locum generationis, ut cum dicitur Sophronici filius, si solus Socrates sit ejus filius: a generante enim principaliter trahit originem, quia hic generat hunc dictum: et in talibus aliquando ad majorem discretionem notandam mutamus appellationes dicendo Sophronici filium, notantes quod sub hac appellatione magis discrete noscitur, quam sub appellatione Socratis.

Individua enim dicuntur hujusmodi proprietates individuales secundum Boetium septem sunt

tur: tunc accidentia sunt nomina in ratione concepta, et de essentia individui sic designati: quamvis non sint aliqua pars particularis substantiae secundum quod substantia est, haec enim non componitur nisi ex hac forma.

Sed proprietates quae sunt communis hominis per hoc quod communis homo est in pluribus, inveniuntur etiam in pluribus, ut risibile, et mansuetum natura, et disciplinæ perceptibile, et hujusmodi. Haec enim in pluribus, et plus est, in omnibus hominibus particularibus inveniuntur: sunt enim in eis per commune quod est in eis, et ideo convenienter eis in eo quod homines sunt. Directo enim prædicabiliū ordine continetur individuum sub homine, siue generaliter loquendo sub specie. Species autem continetur sub genere. Est enim genus totum quoddam universale, et id quod est genus secundum quod genus est, non nisi totum. Individuum autem non est totum, sed tantum pars subjectiva totius universalis. Species vero quae est in medio, est inter genus et individuum, et totum est et pars diversis comparata: sed pars quidem alterius generis quod est totum ad ipsam. Species enim pars est generis potestate: quia genus non secundum totam suam potestatem est in specie. Totum autem est species, non totius alicujus: quia nihil participat eam secundum partem suæ potestatis, sicut ipsa species participat genus, sed est totum omnibus aliis individuis: quia ipsa species, ut dicit Boetius, totum esse est in individuis. Nec referuntur individua ad speciem ut partes ipsius, sed potius ut singularia secundum totum esse et potestatem, in se habentia speciem et participantia.

*Compendiose ergo dicendo generalissimum quidem de omnibus sub se secundum suam coordinationem positis speciebus, generibus, et individuis dicimus sive prædicamus. Genus autem subalternum, quod ante specialissimum de omnibus specialissimis et individuis prædicamus. Species autem prædicamus de individuis*

omnibus sub se positis. Individuum vero de uno solo non propria prædicatione prædicamus. Individuum enim sub descriptione nominatum Socrates, vel in accidentibus hoc album vel hoc nomen per demonstrationem vel per circumlocutionem manifestioris loquelæ Sophronici filius: si enim plures haberet, tunc tali circumlocutione non discerneretur Socrates. Individua ergo voce discretionis dicuntur hujusmodi: quoniam quantum ad suam discretionem ex talibus proprietatibus consistit unumquodque eorum, quorum collectio nunquam in alio eadem erit. Socratis enim discretiva proprietas nunquam in aliquo alio esset particulari homine. Haec vero proprietates quae sunt communes proprietates, erunt eadem in pluribus. Illæ enim sunt proprietates communis et non singularis secundum quod singulare est. Et, ut plus dicatur, communis hominis proprietates sunt in omnibus in quibus est una natura communis: participantia enim naturam communem, participant etiam propria illam naturam consequentia. Tales ergo hominis communes proprietates erunt in omnibus particularibus in eo quod homines sunt. Secundum ergo prædictum prædicabiliū ordinem continetur individuum sub specie, species autem sub genere. Est enim genus totum quoddam in quantum genus est. Individuum autem secundum quod individuum est, pars quædam. Species vero est et totum et pars. Sed pars quidem est alterius, hoc est, generis quod secundum partem suæ potestatis participat: totum autem non est alterius quod ipsius partem participet, sed est totum aliis: partibus enim totum est, quarum quælibet ipsum totum participat.

Quod autem ea quae de genere et specie dicta sunt ad invicem propter correlationem dependeant, uno epilogo patet: de genere quidem et de specie quid generalissimum, et quid specialissimum, et de aliis quae eadem sunt genera et species sicut subalterna. Adhuc autem quae etiam sint individua, sive certa, sive vaga, vel

per demonstrationem vel circumlocutionem certificata. Adhuc autem quot modis genus dicitur, et quot modis species dicitur, quantum ad præsentem spectat intentionem logicam, sufficienter dictum est.

# TRACTATUS V

## DE DIFFERENTIA.

### CAPUT I.

*De distinctione nominis differentiæ quod multipliciter dicitur.*

Ratio ordinis differentiæ. Consequenter de universalis quod differentia vocatur, pertractare est. Hæc enim quia constituit speciem, et prædicatur de specie et de ratione diffinitiva ipsius speciei, ideo ante speciem erat ponenda, nisi obstitisset correlatio ad invicem speciei ad genus, et generis ad speciem, quemadmodum in præhabitibus dictum est. Antequam autem notificemus differentiam quæ sola una est de quinque universalibus, et determinemus de ipsa, oportet nos distinguere multiplicitatem nominis differentiæ : hæc enim multipliciter dicitur secundum prius et posterius.

Differentia divisa est analogia. Differentia igitur multipliciter dicitur, ut dicit Avicenna, non sicut genus et species : quia in genere et specie primo fuit usus horum nominum in physicis et politicis, et ab illis hæc nomina ad usum philosophiæ sumpta sunt. Sed in differentia factum est e converso. Nomen enim differentiæ primo fuit in usu Philosophorum, et ab illa transsumptum est ad usum communiter loquentium. Hæc igitur est causa vera, quod multipliciter dicitur nomen differentiæ, communiter scilicet, proprie, et magis proprie.

Differentia communiter dicta. Communiter autem dicitur differentia, quæ est apud communiter loquentes considerando ea quæ sensibus primo objiciuntur. Communiter ergo alterum ab altero differre differentia dicitur, quando unum ab altero alteritate quadam cuiuscumque communiter apprehensibilis accidentis differre dicitur, quocumque modo

secundum omnia genera formarum accidentium. Nec tales differentiæ communes ideo dicuntur, quia rebus insint communiter quas faciunt differre : si enim sic esset, non dicerentur differentiæ, sed convenientiæ. Sed dicuntur differentiæ communiter, quia a communiter loquentibus sunt in usu. Vulgus enim assignando differentias rerum, talibus res differre facit, qualia forinsecus in rebus per sensum communiter apprehendit.

Removet dubium.

Sic autem in tali differentia individuum unius speciei differt ab alio individuo eiusdem speciei, ut Socrates a Platone differt accidentium sensibilium alteritate quadam, sicut dicit Apulejus, quod Plato latuus fuit facie, Socrates autem non. Hac etiam differentia unum individuum unius speciei differt a seipso in duobus temporibus, sicut Socrates jam vir vel senex existens, differt a se puer per accidentia juventutis et senectutis, quæ non cito derelinquunt subjectum. Sic etiam Socrates differt a seipso quando aliquid facit, scribit, vel legit, quiescente seipso a tali opere, quæ sunt accidentia cito separabilia. Et ut generaliter dicatur, hæc differentia semper consideratur secundum aliquem modum diversimode se habendi ad seipsum, vel ad alium alteritatibus quibuscumque : vel cuiuslibet generis accidentia cito vel non cito separabilia. Hæc igitur est acceptio differentiæ secundum intentionem nominis dicta apud communiter loquentes : propter quod etiam communis vocatur differentia, hoc est, quam attendunt communiter loquentes.

Juxta istum modum magis vicine ad verum modum accipitur differentia quæ Differentia proprie dicta. vocatur propria : eo quod ei in quo est, per causam connaturalem est appropria-

ta, ut quando unum differre dicitur ab altero per accidens inseparabile: quod ideo inseparabile est, quia causam habet quæ est in subjecto in quo est, sicut est nasi simitas in simo, cuius nasus simiæ comparatur: vel cicatrix aliqua indurata vel inseparabilis, cum ex vulnere occuluerit: simitas enim inest per naturam, sed cicatricem habens differt ab eo qui cicatricem non habet, et aliquando idem cicatricem habens nunc a seipso antequam cicatricem haberet. Hæc autem dicitur propria: quia per aliquam rationem accedit ad illam, quæ vero nomine differentia vocatur: hæc enim quamvis non sit de essentia ejus in quo est et quod differre facit, habet tamen causam in essentialibus ipsius sive sint essentialia complexioni, si-  
ve sint essentialia compositioni ipsius, et sic accedit ad veræ differentiæ rationem. Quando autem dicimus, quod talis differentia causam habet in subjecto in quo est, et quod differre facit, non intelligimus de subjecto quod est specie tantum, sed de illo in numero subjecto in quo est id quod differre facit, sicut simitas in naso, vel claudatio in tibia. Hanc differentiam considerare per rationem necesse est: et ideo jam ad usum verum differentiæ (secundum modum quo philosophia utitur differentia) appropinquat.

**B**onita pro-  
ductio.  
Secundum autem modum magis et maxime proprium alterum ab altero differre dicitur: quoniam sub alia et universalis et specifica differentia differt, sicut differt homo ab equo specifica differentia: quæ quidem differentia est qualitas essentialis hominis, quæ ratio dicitur. Hæc enim differentia quamvis sit forma essentialis hominis, tamen est qualitas naturalis generis et perfectiva potentiae ipsius et determinativa communitatis et confusionis ejus, ut dicit Avicenna, et ideo substantialis est speciei, et substantia et principium substantiæ sicut forma: et perfectiva est materiæ, et determinativa confusionis ejus, et principium rei quæ composita est ex materia et forma.

Igitur ista distinctio differentiæ vel di-

visio est multipliciter dicti per analogiam ad unum actum qui est facere differre unum ab altero: qui quidem convenit veræ, hoc est, secundum veram rationem differentiæ magis propriæ, aliis autem secundum quod plus vel minus faciunt differre. Et ideo prima differentia vocatur simpliciter ea quæ dicitur magis propria, secundario illa quæ vocatur propria, tertio autem illa quæ vocatur communis. Quoad nos autem per prius dicitur differentia quæ communis est: propter hoc quod prima facie notitiæ nostræ se objicit. Secundario autem dicitur ea quæ dicitur propria: quia minus communiter est apprehensibilis. Ultimo vero quæ paucioribus substantia et intellectu utentibus innotescit.

Hac igitur divisione sic posita, per proprios effectus uniuscujusque membra declaremus partes hoc commune dividentes, quod est differentia. Dicamus igitur, quod in hoc convenientiunt duæ primæ, ea scilicet quæ est communiter differentia, et ea quæ est proprie vocata differentia, quod id in quo sunt et differre faciunt per id quod est causa differentiæ, non faciunt suum subjectum nisi solum alteratum quando cuilibet subjecto adveniunt. Illa autem differentia quæ est magis propria per id quod est causa differendi, facit aliud in substantia esse id quod differt ab eo a quo differt.

Concluditur ergo proprius effectus differentiarum, quod differentiarum quædam per id quod faciunt differre, faciunt alteratum esse solum id quod differt ab eo a quo differt. Aliæ vero per id quod differre facit, faciunt aliud in substantia esse quod differt ab eo a quo differt. Hujus autem causa est, quia differentia communis et propria non faciunt differre nisi per accidens, quod aut habet causam in subjecto, aut non habet causam in subjecto: et quocumque modo sit accidens, nullo modo potest esse perfectivum vel constitutivum substantiæ: et ideo per se non potest facere aliud, quia aliud non est nisi quod secundum substantiam est

prius dicatur nomen differentia.

aliud. Et quamvis simum et aquilum sit aliud per substantiam nasi, hoc tamen non est per similitatem et aquilinitatem quæ sunt accidentia, sed potius per diversitatem substantiæ simi nasi, et per substantiam nasi aquili: sicut risibile et hinnibile differunt per substantiam, sed hujus differentiæ non est causa risibile vel hinnibile, sed formæ specificæ, et differentiæ substanciales, quibus substancialiter differunt homo et equus.

Ex hoc autem iterum surgit istarum differentiarum dividentium manifestatio, quod illæ quidem differentiæ quæ faciunt aliud in substantia et specie per id quod facit differre, dicuntur esse specificæ differentiæ, hoc est, ad speciem pertinentes et in specie constituentes. Illæ vero quæ alteratum solum faciunt, dicuntur simpliciter differentiæ: non ita quod nomen differentiæ prædicetur simpliciter de illis ratione absoluta et perfecta, sed quia super nomen differentiæ nihil addunt quod ponat eas in formam veræ et propriæ differentiæ: sicut cum dicimus, quod ens in potentia dicitur simpliciter ens, non ita dicimus hoc, quod ens in potentia entis simpliciter habeat nomen vel rationem, cum sit ens secundum quid et non simpliciter, sed dicitur ens simpliciter, hoc est, sine determinatione alicujus per quod ad ens actu trahatur et determinetur.

Hoc autem quod dictum est manifestatur exemplariter: quia huic generi quod est animal, rationale adveniens in diffinitione hominis vel Dei facit id quod in substantia est alicujus aliud ab eo a quo differt per illam differentiam, facit enim rationale animal, et facit speciem subalternam animal. Illa vero quæ est communiter differentia per id quod est causa differentiæ, ut movendi quo differt aliquis a quiescente, non facit nisi alteratum et non aliud, quantum est de eo quod est causa differentiæ quod est separabile accidens. Concludit ergo quod quædam differentiarum facit aliud secundum sub-

stantiam, quædam autem non facit nisi alteratum.

Ex his igitur ostenditur, quod in processu istius libri dictum est, quod scilicet notitia universalium valet et utilis est ad divisiones et ad diffinitiones: quia secundum differentias quæ faciunt aliud, divisiones faciunt generum in species: et secundum easdem et per easdem diffinitiones specierum assignantur, eo quod diffinitiones veræ sunt ex genere et talibus differentiis. Sed secundum eas quæ solum faciunt alteratum et non aliud, alteratio sola in accidente consistit generaliter dicta secundum omne accidens et secundum aliquem modum se habendi per mutationes secundum omne genus prædicamenti, sive in ipso sit motus per se, sive ad ipsum sit motus per accidens. Alteratio enim proprie solum est in una specie qualitatis quæ est passio vel passibilis qualitas. Motus autem per se non est nisi in tribus prædicamentis quæ sunt qualitas, quantitas, et ubi. Per accidens etiam in omnibus est, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, et hoc modo dicimus communiter sumi penes alterationem accidentalem quamcunque sive sit per se sive per accidens: quia sequitur actum differentiæ, qui est differre facere unum ab alio, vel idem a seipso.

Sumuntur enim differentiæ istæ ab accidentibus communibus sive propriis. Et hujusmodi accidentis triplex consideratio est: si enim in se consideretur, tunc est accidens vel proprium, quæ sunt duo de quinque universalibus e diverso dividentia cum differentia hoc commune quod est universale: et sic nec differentia est accidens, nec proprium. Considerantur etiam in comparatione ad subjectum in quo sunt, et sic sunt comparata ad sua singularia de quibus prædicantur, et est similis comparatio sicut speciei ad individua. Considerantur etiam secundum quod per ea est convenientia vel differentia ad illa comparata, et sic ab ipsis su-

Corollarium  
quod hic lib.  
ber sit utilis  
ad divisiones  
et diffinitiones.

Nota quod  
accidentia  
communia  
vel propria  
possunt tri-  
pliciter con-  
siderari.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 5 Physic. Tex. com. 6.

muntur duo differentiae modi, qui sunt communis, et propria differentia.

**F**orma spe-  
cie potest  
enalterari  
duplitter.  
Illa autem differentia quæ facit aliud, sumitur a forma specifica, quæ etiam tripliciter consideratur, in se scilicet prout est substantia quæ est forma substantiam faciens, et prout est in specie constituta, et sic est specificata : et prout per ipsam id quod ea formatum est comparatur ad aliud secundum convenientiam vel differentiam, et hoc solum modo differentia vocatur, primo autem modo forma, secundo vero modo species, secundum quam species unum est quinque universalium, dividens hoc commune quod est universale cum differentia et aliis universalibus.

**E**narratum duplitter, vel  
qualitati, vel  
essentiali,  
differentia  
essentiali.  
Et ista quidem differentia est unum ex quinque universalibus, cuius assignationem secundum diffinitionem primam dat Avicenna dicens, quod est universale simplex prædicatum de specie in quale quid. Hæc enim est differentia magis proprie vocata differentia, quæ aliud facit, et non alteratum. Dico autem alteratum vel qualitate accidentalis vel essentiali. Sed differentia magis propria non tantum alteratum, sed etiam facit aliud, quia alteratum qualitate essentiali aliud factum est. Hæc est igitur differentia magis propria, quæ est unum de quinque universalibus in quale prædicatum de specie : eo quod differentia qualitas substantialis est generis : sicut qualitas non substantialis, sed ex substantialibus manans sive fluens, est proprium : et sicut qualitas individui accidentalis non ex substantialibus fluens, est accidentis commune.

**O**bjectio. Nec valet argumentum si quis objiciat: Differentia substantialis facit alteratum : id autem quod alteratum facit, est accidentis proprium : ergo differentia substantialis est accidentis vel proprium. Quia alteratum esse contingit duplitter, qualitate scilicet essentiali vel accidentalis, arguit autem ac si solum qualitate accidentalis fieret alteratum. Hæc omnia autem dicta, sunt ab antiquis sub compendio com-

prehensa tali modo, quod differentia communiter, et proprie, et magis proprie dicuntur, secundum divisionem multiplicis, quod medium est inter æquivocum et univocum. Communiter autem differre alterum ab altero dicitur, quando alteritate quadam differt : et quocumque modo cujuscumque accidentis quod est causa differentiæ vel a seipso in diverso tempore: differt enim Socrates a Platone alteritate quadam cujuscumque accidentis quod est in Socrate, et non in Platone. Et ipse Socrates differt a seipso in diversis temporibus : sicut Socrates jam vir factus, differt a se puero : sicut Socrates faciens aliquid, differt a seipso quiescente a tali opere. Et causa hujus differentiæ est propter aliquem modum se habendi in aliquo accidente, quod alteritatibus aliquibus per se vel per accidens inducitur. Proprie autem differre dicitur alterum ab altero, quando inseparabili accidente alterum ab altero differt : et ideo inseparabili, quia causam inseparabilem habet in subjecto : unde quamvis inseparabile sit actu, tamen est separabile intellectu, eo quod subjectum intelligibile est sine illo, potest enim intelligi nasus sive curvitate, et homo sine risibilitate. Inseparabile autem accidens est ut nasi simitas, et cicatrix cum ex vulnere occaluerit. Magis proprie tam alterum ab altero differre dicitur, hoc est, per magis propria et per magis substantiæ intrinseca, quando specifica differentia differt, quemadmodum differt homo ab equo specifica differentia, rationali scilicet qualitate, quæ est essentialis qualitas generis, potentiam generis determinans et perficiens.

Et quia hæc differentiæ ab actu differendi dicuntur, quia scilicet differre faciunt, ideo sciendum est quod omnis differentia facit alteratum adveniens cuilibet : alteratum dico essentiali vel accidentalis qualitate. Sed ea differentia quæ communiter et proprie dicta quantum est de se cum utraque sit accidentis, facit alteratum solum. Illa autem quæ est magis proprie

Compen-  
dium dicto-  
rum in hoc  
capitulo.

dicta differentia, facit aliud in substantia per hoc quod alteratum facit in qualitate substantiali. Differentiarum quidem igitur aliæ faciunt alterationem sive alteratum tantum : aliæ vero facit aliud. Illæ quidem quæ faciunt aliud in substantia formalis, specificæ vocantur. Illæ vero quæ faciunt solum alteratum, vocantur simpliciter differentiæ sine additione aliquijs determinationis, per quam et ad magis et vere propriam differentiam inclinentur. Huic ergo generi quod est animal differentia adveniens quæ est rationale, aliud facit, quia speciem animalis facit, quæ substantia est perfecta in forma et specie. Illa vero differentia quæ est causata per moveri vel quiescere, solum facit alteratum, et non aliud : differt enim qui movetur a quiescente. Quare hæc quidem differentia magis propria facit aliud : illa vero communis facit alteratum solum. Secundum igitur differentias aliud facientes divisiones fiunt generum, et sic dividuntur genera in species. Et secundum illas differentias diffinitiones assignantur, quia diffinitiones veræ sunt ex genere et hujusmodi differentiis. Secundum autem eas quæ solum faciunt alteratum, alteratio large et universaliter dicta sola consistit in eo quod aliquo modo se habet aliquid secundum permutationes quascumque quæ in aliquo genere fieri possunt.

## CAPUT II.

### *De manifestatione modorum differentiæ et partium divisionis præinductæ.*

Ad manifestationem autem omnium eorum quæ de differentiæ modis dicta sunt, rursum inchoandum est a partibus præinductæ divisionis, ut omnes partes, tum per effectum, tum per causas, tum etiam per sibi convenientia manifestentur, ut sic melius intelligatur hoc quod dicendum est de differentia magis propria : hanc enim querimus secundum intentionem propositam. A superioribus igitur iterum inchoantes dicimus, quod differen-

tiarum quidem aliæ sunt separabiles, aliæ vero sunt non separabiles. Sed hic dicamus differentias formas esse essentiales vel accidentales, a quibus sumuntur differentiæ, et quæ sunt causæ differentiarum. Moveri enim et quiescere, et hujusmodi cito et facile separabilia sunt : cum tamen multa ad invicem comparata differentiantur illis : id enim quod movetur, differt ab eo quod non movetur, et id quod quiescit, differt ab eo quod non quiescit. Sanum autem esse et ægrum sunt accidentia non cito separabilia, et tamen separabilia : et his differt sanum a non sano, et ægrum a non ægro. Separabilia igitur sunt quæcumque per aliquam causam subjectum derelinquent facile vel non facile, ut sunt ea quæ dicta sunt, et quæ his proxima per similitudinem sunt, et sunt separabilia. At vero aquilum e converso et simum esse, quæ sunt accidentia nasi causam stantem et manentem in naso habentia. Simitas enim ex nasi curvatione et medii nasi depressione causatur : aquilum vero ex retorsione anterioris partis nasi super labium superius causatur, quando medium nasi elevatur, et cartilago nasi anterius ad modum rostri aquilæ ad superius labium recurvatur. Hæ autem causæ cum sint de nasi compositione, stantes et manentes sunt in naso. Et ideo accidentia ex talibus figuris causata, inseparabilia sunt, quia stante causa quæ est per se causa, stabit effectus. Similiter in qualitate essentiali a qua sumitur differentia, inseparabilia sunt, ut rationale et irrationalis, qui sunt actus et formæ perficientes et determinantes potentiam generis : et ideo causam habent inseparabilitatis tali actu talem potentiam determinandi. Tales igitur et tali de causa sunt differentiæ separabiles et inseparabiles.

Inseparabilem autem differentiarum duo sunt modi : quædam enim earum sunt ex his sumptæ, quæ sunt *per se* de ipsius rei (quæ differre dicitur) essentiali constitutione. Aliæ vero inseparabilem differentiarum sunt per accidens, ita scilicet quod id a quo sumitur differentia, non

est de rei essentia et substantia, sed est inseparabile accidens. Et ideo hic strictius accipimus *per se*, quam in primo *Posteriorum* determinetur ab Aristotele : ipse enim dicit esse per se sive prædicatum sit de ratione et diffinitione subjecti, sive subjectum in diffinitione prædicati, secundum quem modum *per se* est hæc, homo est risibilis, nasus est simus vel aquilus. Nos autem *per se* hic non vocamus, nisi id quod est essentiale et veniens in rei substantiale constitutionem, ut genus et differentia. Sic enim rationale *per se* inest homini et mortale, et per intellectum disciplinæ esse perceptibile, et hujusmodi. Aquilum autem esse vel simum vel risibile esse insunt homini per accidens : non enim est diffinitio nasi ut nasus est depresso in medio, vel repansus in anteriori. In omnibus autem his differentiis vocamus formas, a quibus sumuntur differentiae, quando res secundum convenientiam vel differentiam comparantur. Illæ igitur differentiae quæ sunt per se essentiales, accipiunt in ratione diffinitiva data secundum substantiam rei diffinitæ : quia diffinitio colligit secundum ordinem omnia substantialia rei a prima potentia ipsius in qua esse rei inchoatur, usque ad ultimum actum ipsius a quo res est secundum quidditatem suam totam.

Et quia differentiae sic dictæ accipiuntur ab hoc quod sunt formæ substantiales et perfectivæ ipsius esse, ideo faciunt aliud secundum substantiam ab eo aquo differt : quia si unum completivum esse substantialis facit unam substantiam, necesse est quod oppositum illius faciat aliam substantiam, quia diversarum substantialium formarum diversi et oppositi sunt effectus secundum substantiam. Illæ vero differentiae quæ sumuntur a formis accidentalibus, quæ esse rei non constituunt, sed potius causantur a subjecto, et esse non habent nisi in subjecto, nec ingrediuntur in ratione diffinitiva substantiæ sive substantialis quidditatis rei, non faciunt aliud se-

cundum substantiam quantum est de se, sed faciunt alteratum solum secundum formam accidentalem.

Unde quamvis aliquando non conveniant nisi aliis et aliis secundum substantiam, ut aquilum esse et simum non conveniunt eidem, sed homini, et asino, qui sunt aliud et aliud secundum substantiam : tamen substantiæ alietatem non faciunt, sed potius fiunt ab alia et ab alia substantia secundum formam et naturam.

Adhuc autem et per aliud manifestatur differentia talium differentiarum, qua illæ quidem differentiæ quæ per se sunt (ita quod sunt sumptæ a substantialibus formis, quæ diffinitionem substantiale perficiunt in eo in quo sunt) non suscipiunt per intentionem magis et minus. Cujus causa est, quia tales formæ substantiales simplices sunt, suis oppositis sive contrariis formis non permixtibiles, sicut rationale impermextibile est irrationali, quia formæ a quibus sumuntur illæ differentiæ, humanitas scilicet, et asineitas vel asinitas sunt incommixtibiles. Cum enim fiat intentio secundum ascensum ad terminum, ad veram nominis impositionem secundum majorem vel minorem contrariis admixtionem, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, constat quod illæ formæ quæ simplices sunt et nihil de contrario habent admixtum, semper in termino sunt, et ideo intendi non possunt. Illæ vero differentiæ quæ sunt per accidens, ita quod a forma accidentaliter sumuntur, quamvis forte hoc accidens sit inseparabile, tamen suscipiunt intensionem et remissionem.

Habet tamen id quod dictum est dubitationem : quia risibile vel rudibile vel aquilum esse vel simum, sunt formæ, quæ permixtibiles invicem sibi non sunt : et ideo secundum inductam rationem non suscipiunt magis et minus ; quod falsum est, quia est simo simior, et aquilo aquilior, et risibili risibilior, et sic de aliis. Contra quod etiam quidam objiciunt dicentes, quod quæcumque æqualiter par-

Removet  
dubium.

Objectio  
prima.

Secunda.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 4 Topic. cap. 9.

Tertia.

ticipant aliquod commune, aequaliter debent participare id quod est illud commune universaliter consequens : participatur autem hoc commune quod est homo aequaliter ab unoquoque individuorum : videbitur etiam forte alicui, quod risibile quod est universaliter consequens hominem, ab unoquoque homine aequaliter debeat participari. Adhuc autem etiam illæ quæ sunt *per se* differentiæ videntur suscipere magis et minus : videmus enim quod est unus homo rationabilior alio. Præterea in *Ethicis* quidam vocantur peculiares sive brutales homines, et quidam longius ab usu rationis remoti vocantur homines arborei : videtur igitur quod et differentiæ substanciales magis et minus suscipiant, et sic verum non esse videtur quod dictum est.

*Ad primam et secundam.  
Duplex est intentio, et duplex intentionis causa.*

Sed ad hæc omnia respondet Avicenna. Ad primum quidem dicens, quod duplex est intentio, et duplex est intentionis causa. Una quidem per contrarii majorem vel minorem admixtionem, ut dictum est : et illa sunt in quibus motus est de uno ad alterum, sicut est in qualitatibus quæ dicuntur sensibiles qualitates, sive passiones, vel passibiles passiones inferentes, vel illatæ. Cum enim motus sit actus de potentia ad actum, vel forma post formam fluens, ut dicit Averroes<sup>1</sup>, oportet quod in toto motu actus privationi permixtus sit : privatio autem est in contrario, et ideo unum in toto motu suo contrario permixtum est. Et ideo in talibus intentio est secundum contrarii separationem : per talem enim separationem continue accedit ad esse in termino cui vere nomen impositum est. Hoc enim nomen *album* veræ albedini est impositum, sive vere albo : verum enim album est, cuius albedo nihil contrarii habet admixtum. Hic ergo unus modus est intentionis, et hanc quæ dicta est habens causam. Secundus modus est in his quæ permixtilia non sunt, sed causantur a subjectis in quibus sunt. Hæc igitur quia sunt esse

subjecti consequentia, necesse est accidentia esse : quia omne quod sequitur esse subjecti in quo secundum naturam et intellectum est, est accidentis, cum omne quod est substantiale alicujus sit principium esse ipsius : principium autem est ante id cuius est principium secundum naturam et intellectum. Taliter autem formæ accidentiales sunt ea quæ dicuntur propria, et ab habitudinibus principiorum essentialium causantur. Et ideo illis habitudinibus magis et minus existentibus, necesse est etiam tales formas intendi vel remitti : propter quod habilius ad admirandum, risibilior est, et minus ad admirandum habilis, minus risibilis est, et nasus curvior, est simior, et minus curvus, minus est simus, et sic de aliis. Et in his formis non est motus, sed sunt suorum subjectorum motus quosdam consequentes, sicut motum quemdam nasi sequitur simum esse vel aquilum, et sic est in aliis. Omnes enim sequuntur suorum motus ac mutationes subjectorum, et ex illis suscipiunt magis et minus, et non ex seipsis.

Ad hoc autem quod de differentiis es- *Ad tertiam.* sentialibus et substantialibus objicitur, solvit Avicenna sic, quod forma substantialis a qua sumitur differentia, tripliciter consideratur, scilicet ut forma esse conferens : et ut differentia, quia una species comparatur ad aliud alterius speciei : et ut actionis naturalis sive substantialis principium. Et primo quidem modo magis et minus non suscipit. Tertio autem modo consideratur actio cuius ipsa est principium, dupliciter : scilicet ex parte formæ quæ actionis est principium, et ex parte subjecti sive ex parte compositi, cuius ipsa actio est sicut agentis proprie. Et primo quidem modo magis et minus non suscipit : secundo autem modo aliquando habet in subjecto ea quæ ad agendum promovent: aliquando autem quæ ad agendum impediunt. Et hoc modo secundum actionem videtur magis et minus suscipere, et hoc est per accidentis, et non per se,

<sup>1</sup> AVERROES, 3 Physic. cap. 4. et 5 Physic.

et ideo per se nec magis nec minus suscipiunt. Hoc autem per inductionem probatur: quia nec genus secundum magis et minus prædicatur de eo cuius est genus: cum tamen genus sit forma quæ est notio ejus quod est in potentia. Non enim animal secundum magis prædicatur de homine, et secundum minus de asino, sed æque de utroque. Nec differentiæ generis quæ dividunt genus et cum genere constituunt speciem, secundum magis et minus prædicantur de speciebus quarum sunt differentiæ: quia homo non est magis rationale, et asinus minus irrationalis, sed æque. Illæ enim differentiæ sunt, quæ uniuscujusque speciei complent rationem diffinitivam, et sunt actus compleentes esse ipsius. Esse autem uniuscujusque substantiale sive dicatur nomine generis secundum quod est in potentia, sive significetur nomine differentiæ secundum quod est in actu, est unum et idem non suscipiens magis et minus secundum quod est effectus substantialium principiorum. Sic enim nec intentionem nec remissionem suscipiens est. Sed aquilum esse vel simum vel coloratum esse, aliquo modo intensio nem vel remissionem suscipiunt: eo quod, sicut dictum est, plures modi sunt intentionis et remissionis.

Declaratum est igitur quod a superioribus rursus inchoanti dicendum est differentiarum alias quidem esse separabiles, alias autem inseparabiles. Moveri enim et quiescere, et sanum esse et ægrum, et omnia quæ his proxima sunt et a talibus facile vel difficile mobilibus sumuntur accidentibus, sunt separabiles sive separabilia quædam. At vero aquilum vel simum esse, vel rationale vel irrationalis, sive ab accidentibus separabili bus, sive a formis substantialibus sumpta, sunt quædam inseparabilia. Inseparabilem autem differentiarum, aliae quidem sunt per se, hoc est, a formis substantialibus sumptæ: aliae vero per accidentem, hoc est, ab accidentibus inseparabili bus sumptæ. Nam rationale per se, hoc est, per substantialiem formam inest ho-

mini, et mortale, et perceptibile disciplinæ. At vero aquilum esse vel simum, vel risibile, secundum accidens inest homini, et non per se. Illæ igitur differentiæ quæ per se insunt, in subjecto ratione diffinitiva accipiuntur, et faciunt aliud secundum substantiam ab eo a quo faciunt differre. Illæ vero quæ sunt secundum accidens, nec accipiuntur in substantiæ ratione diffinitiva, nec de se faciunt aliud, sed alteratum solum. Et illæ quidem quæ per se sunt et substantiales, non suscipiunt magis et minus. Illæ vero quæ sunt per accidens, quamvis inseparabiles sint, tamen aliquo modo intentionem suscipiunt et remissionem. Nam neque genus cum sit forma substantialis secundum magis et minus prædicatur de eo cuius fuerit genus. Similiter neque generis differentiæ secundum quas dividitur genus: ipsæ enim sunt quæ uniuscujusque rationem complent diffinitivam, et non suscipiunt magis et minus. Cujus causa est, quia esse quod est rei quidditas uniuscujusque, unum et idem est secundum quod a principiis essentialibus formaliter constituitur. Sic enim nec intentionem nec remissionem suscipiens est, quamvis secundum quod est in subjecto, per diversas materiae preparatio nes in accidentibus magis et minus impeditum vel expeditum sit. Aquilum autem esse vel simum vel coloratum, aliquo modo sive per mixtionem contrarii, vel per causam quam habent in subjecto, intenduntur, vel remittuntur.

### CAPUT III.

*Qualiter differentiæ substantiales sunt constitutivæ, et qualiter sunt divisivæ.*

Omnibus autem divisionibus et speciebus differentiarum sic determinatis, illa sola differentia est unum de quinque *Prædicabilibus*, prout hic de universalibus intendimus, quæ est per se et substantialis differentia. Hoc autem sic probatur: quia cum tres modi differentiæ,

*Essentia generis non dividitur per differentias, sed solum potestas.*

ut prædictum est, considerentur, scilicet communis, propriæ, et magis propriæ; adhuc autem cum quædam quidem sint separabiles, quædam autem inseparabiles propter rationem quæ in antehabitis dicta est; et rursus cum inseparabilium differentiarum quædam quidem sint per se, quædam per accidens, ut nuper dictum est: patet quod si eas quæ sunt per se consideremus per comparationem ad ea quorum sunt differentiæ, inveniemus quod per se differentiarum quædam sunt secundum quas dividimus genera in species, potestatem et non essentiam generis dividentes. Essentia enim generis in omnibus per divisionem acceptis integra manet et indivisa in quolibet: potestas autem partitur, et secundum aliquid ejus est in uno dividentium, et secundum aliquid manet in alio, et in nullo secundum totum. Aliæ autem earum differentiarum quæ per se et substantiales sunt, tales sunt secundum quas ea quæ per divisionem generum accepta sunt, specificantur.

Hæc autem divisio differentiarum per se non nisi modi divisio est: qui modus sumitur a proprio differentiæ effectu. Si enim differentia in oppositione actuali accipitur ad id a quo facit differre, pro certo hoc modo divisiva est et separativa. Oppositiō enim dividit et separat, nec potest esse una et eadem potestas oppositorum secundum actum acceptorum. Si autem accipiatur differentia ut actus completivus actu potentiae generis et determinativus, sic differentia generi et potentiae adveniens, in speciem genus determinat, et constituit speciem. Si autem forma a qua sumitur differentia, in se secundum id quod est consideratur, eadem differentia est quæ genus dividit, et speciem constituit. Sed tamen secundum rationem prius est differentia dividens quam differentia constituens: quia oportet quod differentia prius per divisionem quam facit a genere exeat, antequam adveniens generi speciem constituat.

Hoc autem facilius scitur si exempla subjiciantur. Per se enim differentiæ om-

nes sunt hujusmodi, animatum, inanimatum, per quæ dividitur corpus: sensibile, insensibile, per quæ dividitur vivum: rationale, irrationale, per quæ dividitur animal: mortale, et immortale, per quæ dividitur rationale animal, et sic de omnibus aliis quæ a formis substantialibus sumuntur, et sunt notiones ejus quod est secundum substantiam, etiam illæ eadem sunt constitutivæ: quia illa quæ erit animati sensibilis, ita quod animatum sensibile determinetur per actum essendi, erit differentia constitutiva animalis: est enim animal per diffinitionem substantialiem substantia animata sensibilis, planta autem substantia animata insensibilis, lapis autem substantia inanimata insensibilis. Ea vero differentia quæ est mortal is immortalis, et rationalis irrationalis, sunt differentiæ divisivæ quidem animalis: quia per ea genera animalium dividimus in species duabus sibi succendentibus divisionibus sic: Animalium aliud mortale, aliud immortale; aliud rationale, aliud irrationale. Per has ergo animalis species divisionem accipiunt. Sed haec quidem differentiæ eadem quæ per sui oppositionem divisivæ dicuntur generum, sunt et completivæ et constitutivæ specierum, quando una earum sumitur ut complementum potentiae generi adveniens: tunc enim cum ex potentia et actu compositum completum sit et perfectum, species constituta sic completa est. Dividimus enim primo hoc genus quod est animal rationali et irrationali differentiis, potentiam animalis in duo partientes: et rursus rationale animal dividimus oppositis differentiis, mortali scilicet et immortali, et eisdem differentiis constituimus species animalis, quia differentia quæ est rationalis conjuncta cum ea quæ est mortal is, constitutivæ sunt hominis, cum genere conjunctæ quod est animal. Est enim homo secundum diffinitionem quæ dicit esse substantiale, animal rationale mortale: opposita autem differentia quæ est immortale, conjuncta cum animali rationali, constitutiva est dei secundum quod de

**Balio de Mol-** diis Stoici locuti sunt. Quos etiam diffi-  
niunt, quod dii sunt natura optimi, sicut  
dicit Socrates, natura animales, mente  
rationales, tempore autem aeterni. Illæ  
vero quæ sunt differentiæ dictæ irratio-  
nale et mortale, cum genere conjunctæ,  
constitutivæ sunt specierum animalium  
irrationalium, ut asini, et leonis, et alio-  
rum brutorum animalium.

Quamvis autem in insimis generibus  
subalternis magis sit perspicuum ad vi-  
dendum, tamen supremæ et supremorum  
generum differentiæ per eumdem se ha-  
bent modum, sicut differentiæ per quas  
dividitur substantia quæ est generalissi-  
mum : sicut si dicimus illas esse dif-  
ferentias, quibus differunt animatae sub-  
stantiæ ab inanimatis, cum dicitur, sub-  
stantiarum alia est animata, alia est ina-  
nimata : sive non proximas accipiendo  
dicimus, quod substantiarum alia est sen-  
sibilis, alia insensibilis : eadem enim  
erunt inferiorum specierum constitutivæ:  
differentia enim animata et sensibilis ad  
substantiam sicut ad genus congregatæ et  
adjunctæ ut actus ad potentiam, animal  
perficiunt, quod est species substantiæ :  
est enim animal per diffinitionem sub-  
stantia animata sensibilis. Substantia  
enim quamvis aliquando dividatur per  
corporeum et incorporeum, tamen non  
est propria divisio : quia corporeum pro-  
prie mathematicum est, quod proprie lo-  
quendo non est substantia : et ideo hic  
non tali utimur divisione. Corpus autem  
animatum et inanimatum dicimus dif-  
ferentias.

**Mixtio.** Quidam impugnant per id quod Aristoteles in libro de *Anima* dicere videtur<sup>4</sup>, quod partes animalium quorumdam an-  
ulosorum animatae sunt, et quod non con-  
valescant, causam esse, quia organa nu-  
trimenti non habent in partibus, ut os,  
et stomachum, et universaliter ea per quæ  
fit cibi digestio et egestio : partes tamen  
illæ non sunt animalia. Non igitur esse  
animatum sensibile animal esse videtur :

quod est contra ea quæ dicta sunt. Hæc  
autem objectio nihil valet penitus : et si  
valerer, naturalis esset, et nihil faceret  
ad propositam intentionem. Est enim  
animatum simpliciter sensibile, et est  
animatum sensibile secundum quid. Sim-  
pliciter quidem animatum est, cuius en-  
delechia est anima, qua fluunt virtutes  
sive potentiae particulares particulariter  
in membris, vitam et motum et sensum  
operantes : et esse sic animatum est ani-  
mal.<sup>5</sup> Animatum autem secundum quid est,  
in quo sensus et motus est per spiri-  
tum et fluxum ab anima, qui cum expi-  
rat, deficit sensus et motus. Causa autem  
expirandi est, quia organa reficientia et  
restituentia spiritum non habet. Resti-  
tuuntur autem spiritus per nutrimentum  
in organis in nutrimento operantibus : et  
hæc quia non nisi secundum quid anima-  
ta sunt, ideo animalia non sunt. Anima-  
tum igitur quod simpliciter animatum est,  
nihil prohibet differentiam animalis  
esse constitutivam.

Avicenna etiam hanc differentiam quam  
mortale diximus impugnare videtur, di-  
cens quod a privatione non tantum se-  
cundum nomen, sed etiam secundum rem  
nomen accipit. Privatio autem non est  
forma. Cum igitur omnis differentia a  
forma aliqua sumpta sit, videtur mortale  
differentia non esse. Ad hæc autem ipse-  
met Avicenna videtur respondere, quod  
ea quæ pro differentiis hic assignantur,  
gratia exempli ponuntur : et non est vis  
de nomine, dummodo per nomina res  
quocumque modo designentur. Sed aliter  
dicendum est, quod mortale dicitur du-  
pliciter. Uno quidem modo dicit actum  
in materia privationem ejusdem actus se-  
cundum potentiam concipientem : et sic  
*mortalis* est forma substantialis, et notio  
ejus quod potentiam habet ad morien-  
dum : et sic dictum mortale nihil prohi-  
bet esse differentiam, quando per talem  
formam ad sui oppositum vel disparatu-  
rum secundum eamdem formam compa-

**Solutio.****Alia dubita-  
tio, et est  
Avicennæ.****Solutio.****Quomodo  
mortale est  
differentia  
hominis.**

<sup>4</sup> ARISTOTELES, In libro de *Anima*, in 2, tex.

ratur. Dicitur etiam mortale simpliciter, in quo est privatio potentiae ad vitam perpetuam, et sic ab eo non sumitur differentia. Cum autem dicitur irrationalis et immortale differentiae quae per privationes importantur in nomine, positiones intelliguntur formarum oppositarum a quibus sumuntur differentiae. Et quia horum nomina non habemus, ideo necesse est, quod eas privatione suorum oppositorum significemus.

Ex his omnibus patet, quod eadem secundum quod sunt differentiae, acceptae alio et alio modo, et ad aliud comparatae, sunt et constitutivae et divisivae: et omnes sive divisivae sive constitutivae vocantur specificae, quae cum suis generibus conjunctae faciunt species et subalternas et specialissimas. Et his differentiis quia per se sunt et substantiales, maxime opus est ad divisiones generum quae in suas potestates particulares dividuntur. Et haec etiam perutiles sunt ad specierum diffinitiones, quae omnes tales a prima usque ad ultimam cum genere colligunt ad specie plenam diffinitionem, quae diffinitio non esset, nisi a primo usque ad ultimum finem (in quo complementum est) omnia essentialia per debitum ordinem congregaret, secundum quod res a prima inchoatione sui esse procedit usque ad ultimum complementum. His autem differentiis quae sunt secundum accidens inseparabiles, quia de esse rei non sunt: et his quae sunt secundum accidens separabiles, quae longius sunt ab esse rei quam inseparabiles, non utimur ad generum divisiones et diffinitiones specierum: et ideo non sunt de hac nostra intentione, nisi illae quae per se sunt et substantiales.

**Objectio.** Ad haec tamen quidam objiciunt dicentes, quod esse rei mortalis immaterialis est, quae propter contrariorum commixtionem in continua est passionum alteratione. Omnis autem passio magis facta, abjicit a substantia: propter quod dicit Aristoteles<sup>1</sup> quod non est eadem sanitas

in mane et vespere. Videtur ergo quod etiam esse rei intenditur et remittitur, et similiter rei essentialia principia, et sic non videntur differentiae esse quae dictae sunt: quia non secundum esse aequae participantur ab his, quorum sunt ut subjectorum. Adhuc ad idem inducunt, quod si esse rei staret secundum esse unum et idem penitus, tunc secundum esse non susciperent designationem praeteriti et futuri, sed praesentis tantum. Et hoc praesens esset instans et non movens se: et sic dicere non possemus, homo fuit, et homo erit, sed tantum homo est. Et ad hoc quidem dicendum est, quod esse rei duplicitate consideratur, si secundum comparisonem ad id in quo est et cuius esse est, et secundum comparisonem ad id a quo est formaliter constitutive ipsum. Et primo quidem modo esse mobilis mobile est, et esse temporalis est temporale: et hoc esse non est omnino idem mane et vespere ex parte ejus in quo est. Sic autem est et mobile et temporale, aliquid abjiciens, et aliquid suscipiens continue secundum quod determinatur ad praeteritum et ad futurum. Secundo autem modo consideratum est essentiæ simpliciter actus: quae, inquam, essentia secundum se incorruptibilis est, et ingenerabilis: neque generatur, neque corruptitur, nisi secundum accidentem, et sic esse immobile est et intempore. Differentiae autem cum ab actu differendi quem faciunt, dicuntur, sumuntur ab esse quod sic ambo haec habet, scilicet quod est actus essentiæ in eo quod est, et ideo utroque modo designantur.

Hoc igitur est, quod antiqui sub compendio de differentia dixerunt, quod cum tres species sive tres modi differentiae considerentur, et cum haec quidem sint separabiles, illae vero inseparabiles: et rursus cum inseparabilem quidem haec sint per se sive substantiales, illae vero per accidentem a formis accidentalibus sumptae: et rursus earum quae per se sunt diffe-

Solutio.  
Esse rei duplicitate consideratur.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 3 Physic. tex. com. 37.

Compendium dictorum in hoc cap.

rentiarum, aliæ sunt secundum quas dividimus genera in species, aliæ vero secundum quas ea quæ divisa sunt genera specificantur: sicut cum per se differentiæ omnes hujusmodi sint in prædicamento substantiæ, animatum, inanimatum; sensibile, insensibile; rationale, irrationale; mortale, et immortale quæ divisivæ sunt generum: ea quidem quæ est animati et sensibilis differentia cum substantia congregata constitutiva est animalis, secundum quod animal est species subalterna: est enim animal per diffinitionem substantia animata sensibilis. Ea vero quæ est mortal is et immortalis differentia, et rationalis et irrationalis, divisivæ sunt animalis differentiæ secundum quod animal est genus subalternum: per eas enim dividimus genera quæ sunt animal, et rationale animal, quod est circumlocutio generis subalterni quod sub animali continetur. Dividimus, inquam, genera illa in species, aut subalternas, aut specialissimas. Sed hæ quidem eadem differentiæ quæ generum dicuntur esse divisivæ, et completivæ et constitutivæ dicuntur esse specierum: dividimus enim animal ut genus rationali et irrationali differentia, et rursus rationale animal dividimus mortali et immortali differentia: sed eadem quæ est rationalis differentia, et mortal is animalis quidem divisiva, conjuncta ad genus, constitutiva efficitur hominis differentia. Rationalis vero et immortalis cum genere conjuncta, constitutiva est dei, prout Socrates de diis loquitur, et Apuleius dicit in libro de Deo Socratis. Illæ vero differentiæ quæ sunt irrationalis et mortal is, conjunctæ cum genere, animalium irrationalium specierum sunt constitutivæ. Sic etiam sunt supremæ substantiæ differentiæ, quæ sunt vocatæ animati sive sensibilis, congregatae ad substantiam quæ est supremum genus, animal perficiunt quod est species subalterna substantiæ. Quoniam ergo eadem differentiæ aliquo modo acceptæ sunt constitutivæ, alio autem modo sunt divisivæ, omnes tamen dicun-

tur specificæ et vocantur: quia potius a constitutione accipiunt nomen quam a divisione, quia divisio fit propter constitutionem. Et his differentiis maxime opus est ad divisiones generum, et specierum diffinitiones: sed non his quæ secundum accidens sumptæ sunt, quamvis sint inseparabiles. Magis autem ad divisiones et diffinitiones non utimur differentiis quæ sunt separabiles, ab accidentibus separabilibus sumptis.

## CAPUT IV.

*Qualiter per differentiam abundet species a genere, et qualiter potestate genus habet differentias.*

Omnibus (quæ de multiplicitate differentiæ dicenda videbantur) jam habitis, nunc intendendum est de differentia secundum quod unum est de quinque universalibus, et secundum quod de ea intenderunt Philosophi qui Peripatetici dicuntur. Hi enim differentiam determinantes sive describentes dicunt, quod differentia est qua abundat species a genere. Quod exemplariter simul et inductive probant: quia homo cum sit species tantum, et non genus, plus habet ab animali (quod est genus hominis) rationale et mortale quæ sunt differentiæ. Animal enim secundum quod est genus, neque ipsum secundum se acceptum, actu aliquid horum est. Neque enim animal est rationale secundum se ipsum: quia si secundum se esset rationale vel mortale, sequeretur quod omne animal esset mortale, quod falsum est secundum ea quæ ante determinata sunt.

Cum autem dicimus quod species differentia vel differentiis abundat a genere, intelligimus, quod id quod abundant aliquo, habet illud intra se quo abundant et actu et intellectu: ita scilicet quod posita specie intra ipsius essentiam, actu speciem constituens, ponitur differentia: et quod intellecta specie intelligitur differentia, et est principium intelligendi speciem: quorum neutrum facit genus. Si enim genus

Prima diffi-  
nitio diffe-  
rentiæ quæ  
est tertium  
prædica-  
bile.

**Si differentia actu haberet differentiam, omnia quæ esset actu in genere, tunc in diffinitione committeretur nugatio.**

Et si differentia prout est principium intelligendi speciem, esset in intellectu generis, non oporteret, quod in diffinitione speciei posito genere poneretur differentia: quia in nomine generis intelligeretur, et esset nugatio, quando in diffinitione cum genere poneretur. Igitur differentia nec actu nec intellectu est in genere: in specie autem et actu et intellectu. Differentia igitur est, qua abundat species a genere, sive superat genus et actu et intellectu. Abundat autem actu, ut species sit in actu sive in effectu: intellectu vero abundant, quia est de intellectu speciei differentia, nec intelligi potest in actu nisi per differentiam sine qua non intelligitur nisi in potentia.

**Quomodo diffinitio differentiae propriissime dictae non convenit differentiae communis, nec proprie-**

Tali autem assignatione non potest diffiniri neque differentia communis, neque differentia propria. Hæ enim, ut per an-

terea manifestum est, non constituunt simpliciter, sed secundum quid, sive secundum esse formæ accidentalis: et ideo non sunt in actu constitutionis in esse specifico, quando sunt in specie: sed sunt in ipsa sicut in subjecto, quod non constituitur ab accidente, sed potius in esse constituit accidentis quod est in eo: et hoc est quod dicit Avicenna, quod subjectum est ens in se completum, quod est occasio alteri, hoc est, accidenti existenti in eo. Hæ etiam differentiae, communis scilicet et propria, non sunt de intellectu speciei, sed principium intelligendi eam: quia accidentis, ut docet Aristoteles<sup>1</sup>, non diffinit subjectum, sed potius subjectum cadit in diffinitione ipsius loco differentiae, et non e converso: sicut patet cum diffinitur simum, et dicitur quod est nasi curvitas:

**Subjectum ponitur in diffinitione accidentis ut differen-**

Curvitas enim quod est formale ad simum, est ut genus ambiens et curvitatem in naso et in tibia. Nasus autem in diffinitione illa positus, contrahit curvitatem ad similitatem. Cum igitur differentia in diffinitione sit contrahens genus et deter-

minans ad speciem, patet quod subjectum est ut differentia: et curvitas quæ formale est, in diffinitione est ut genus: et hoc est ideo, quia accidentis causatur a subjecto, et non essentialiter ab eo quod formaliter est in ipso, eo quod essentialitatem propriam a seipso non habet, nec etiam est ens proprie loquendo, sed in hoc habet entitatem, quia est entis vel mensura vel dispositio vel aliqua alia passio ipsius. Planum igitur est, quod assignatio nec convenit communi, neque propriæ differentiæ, sed tantum ei quæ est magis propria et per se, et per essentiam differentiæ.

Si autem quæritur, cum proprium sit qualitas speciei, accidentis autem qualitas individui, sicut differentia est qualitas generis, quare differentia quæ est unum quinque universalium potius sumitur a qualitate generis quam a qualitate speciei vel individui,

Dubitatio.

**Solutio.**  
Quare differentia potius sumitur a qualitate generis quam a qualitate speciei vel individui.

Dicendum quod differentia in vero actu et effectu differentiæ sumi non posset, nisi ab eo quod vere facit differre, vere autem non facit differre, nisi illud quod facit aliud secundum substantialiam formæ, quia ea quæ differunt per materiam non differunt per verum esse: cum, sicut dicit Boetius, species sit totum esse individuorum. Cum igitur communis et propria differentia non faciant aliud, non potest ab eis sumi verum praedicabile quod est differentia, quod est unum quinque universalium. Sed remanent simpliciter propria vel accidentia, et secundum quid facientia differre ea quæ secundum ipsa comparantur ad invicem. Differentia autem per se et substantialis secundum respectum quem habet ad subjectum, est forma determinans materiam: et secundum hoc non est praedicabile, sed potius secundum respectum quem habet ad genus, quod dividit et determinat et habet deducere ad speciem. Et sic divisio

secundum intellectum prior est in ea quam constitutio : quia dividendo determinat ad speciem, et constituit eam. Et ideo per actum dividendi (qui prior est in ea) nomen accipit differentiae quæ est unum de quinque prædicabilibus, ut dictum est. Sic ergo patet quod assignatio conveniens est, qua dicitur quod differentia est, qua abundat species a genere.

**Bibliotheca  
Porphyrii.** Sed his sic determinatis, quæstio est, unde species habent differentias quibus sic abundant a genere : aut enim habebunt a seipsis, aut a nihilo, aut a genere. Et siquidem habent eas a seipsis, tunc idem est constituens seipsum seipso : et sic idem erit faciens et factum, et formatum : eo quod differentia est faciens et formans et constituens speciem. Si enim species a seipsa habet differentiam, tunc oportet quod differentia secundum seipsum sit species, et species secundum seipsum sit differentia : quia aliter species a seipsa et secundum seipsum non haberet differentiam : secundum seipsum enim habere, et essentialiter habere idem est.

Si autem a nihilo haberet differentiam, tunc sequeretur aliquid fieri perfectum in esse ex nihilo : quod omnes negaverunt Philosophi. Sequeretur etiam, quod differentia esset ens primum creatum, quod solum fit ex nihilo. Fit enim non supposito quodam alio per intellectum. Hoc autem falsum est, quia differentia supposita quoddam aliud supponitur secundum intellectum, sicut patet in hoc quod est rationale : supposito enim rationali supponitur vivum, et substantia, et ens. Patet igitur quod non habet ex nihilo.

Si autem haberet eas ex genere, tunc cum non sit differentia, nisi per oppositionem, eo quod oppositio causa est differendi, sequitur quod habet oppositas in genere : non enim est ratio, quod una unius speciei differentia sit in genere, et non alia sibi opposita. Adhuc autem op-

posita nata sunt circa idem fieri. Si autem sic est, tunc sequitur quod opposita sunt simul in eodem : quod est impossibile.

Solvunt autem hoc antiqui Philosophi Solutio Porphyrii.

Peripatetici dicentes, quod potestate omnes differentiae positæ sunt sub genere in eodem genere, et a potestate generis sunt in specie, sed actu non sunt simul in ipso genere. Nec est inconveniens, ut dicunt, in eodem potestate esse opposita. Et sic dicunt quod ex hoc non sequitur, quod ex nihilo aliquid fiat : fit enim ex aliquo quod est in potentia aliquid quod est in actu. Nec etiam sequitur quod opposita secundum actum simul sint in eodem.

Hæc autem determinatio Peripatetico-  
rum multas videtur habere difficultates. Prima ob-  
jetio contra  
solutionem  
Porphyrii. Videtur enim genus actu habere differentias oppositas simul. Istæ enim actu veræ sunt, animal est rationale, animal est irrationale : sicut istæ actu simul sunt veræ, homo est albus, homo est niger : nec essent simul veræ nisi actu animal esset rationale, et actu animal esset irrationale : videtur ergo, quod in hoc genere quod est animal, simul actu sint differentiae oppositæ, quæ sunt rationale et irrationale.

**Secunda.** Sed adhuc quæritur, concesso quod potestate et non actu oppositæ differentiae sint in uno et eodem genere, qualis sit illa potestas : aut est materialis, aut activa, aut formalis, aut finalis ; oportet enim, quod secundum aliquam sit aliquius causæ potestatem. Si enim materialis est, tunc oporteret quod per motum vel per mutationem educeretur de illa : quia, sicut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, potentia passiva sive materialis est principium transmutandi ex alio secundum quod est aliud : et tunc oporteret assignare quod esset movens in educendo hujusmodi potestatem ad actum : eo quod, sicut vult Aristoteles<sup>2</sup> et Averroes<sup>3</sup>, nihil est in potentia in aliquo, nisi quod uno motore educitur

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In libro 5 primæ philosophiæ, tex. com. 17.

<sup>2</sup> Id. In lib. 9 primæ philosophiæ, tex. com.

7 et 20.

<sup>3</sup> AVERROES, In commento ibidem.

de illo ad actum. Quid autem sit movens ad hoc, quod potestas generis materialis in actum exeat, a Peripateticis non est assignatum. Postea quod est in potestate materiali, est sicut in imperfecto. Imperfectum autem causa perfecti esse non potest. Differentia autem causa est perfectionis speciei. Et sic differentia non potest esse in specie a potestate generis (ut videtur) etiam si dicatur potestate esse in genere. Adhuc autem Peripatetici dicunt quod differentiae in genere sunt potestate. Quæritur igitur, utrum idem sit habere differentias potestate, et habere differentias potentia? Si enim hoc dicatur esse idem, tunc videtur quod differentiae sint in genere sicut formæ sunt in materia. Materia autem nullo modo causa est quod forma sit, vel quod actu sit: et sic videtur quod genus nullo modo sit causa quod differentia sit, vel quod actu sit. Adhuc autem quæritur, an differentia sit in genere per hoc, quod genus habet potestate differentias? Si enim in genere sit differentia, cum idem sit esse in genere et esse sub genere, tunc differentia erit generi supposita. Suppositum autem generi species est. Videbitur ergo differentia species esse, quod omnino falso sum est. Adhuc autem si differentia esset in genere, esset ut genus participans secundum essentiam et intellectum, quod omnino est absurdum: quia tunc differentia esset composita ex genere et quodam alio contrahente, quod contrahens non posset esse nisi differentia, et sic differentiae esset differentia: et tunc idem sequeretur de illa differentiae differentia, et abiret hoc in infinitum.

Si autem non est in genere, tunc videbitur falsum quod in ante habitis determinatum est, quia decem genera sunt sicut prima decem rerum principia: non enim primum principium in ordine rerum esse potest, ad quod non omnes res illius ordinis reduci possunt: differentiae enim substantiæ, substantiæ sunt, quia substantiam perficiunt: et tamen ad substantiam ut ad genus primum reduci non

possunt, ut videtur per inductam rationem.

Si forte aliquis dicat, quod sunt in genere potestate secundum potestatem causæ formalis, tunc sequetur quod genus sit forma differentiæ: quod penitus est falsum, cum Porphyrius dicat quod genus est sicut materia, et differentia ut forma, species autem sicut constituta ex materia et forma: Adhuc autem si genus esset sicut forma, esset genus ut qualitas essentialis. Prædicaretur ergo in quale, et non in quid, quod est contra ea quæ de genere prædeterminata sunt.

Quod autem non sint in genere sicut in potestate causæ finalis, ex eodem probatur: quia in naturis eorum idem est forma et finis secundum rem, quamvis differant secundum rationem suæ causalitatis, quia finis est secundum quod quiescit in ea motus moventis, forma autem secundum quod dat esse ei, quod est secundum formam.

Quæratur ergo, si sunt in genere secundum potestatem causæ efficientis? Hoc enim videtur dicere quidam, quia quæstio hæc quam fecerunt Peripatetici, unde habeant species differentias, nihil videtur querere, nisi de causa efficiente. Si enim detur quod sint in genere sicut in potestate materiali differentiæ, adhuc restat querere, unde sive quo movente et educente differentiam de genere ad actum species habeat differentias, et sic videtur differentia esse in genere secundum potestatem causæ efficientis. Si autem hoc concedatur, videbitur accidere inconveniens: quia potestas efficientis per hoc est completa ad agendum, quod agit ad speciem et formam qua ipsum agens est actu. Genus ergo similiter agens ad actum differentiæ, est in actu differentiæ. Et sic genus ut genus habet actu differentias. Et sequitur inconveniens supra dictum, quod scilicet in eodem essent actu opposita, quod absurdum est. Videtur ergo, quod nullo modo potestatis differentiæ potestate sunt in genere.

Si forte aliquis dicere velit, quod sunt

in genere sicut in semine sive in causa seminativa vel causa seminali : dicit enim Aristoteles <sup>1</sup> quod semen per virtutem seminativam quæ in ipso est, in spiritum naturalis seminis (præter substantiam sicci et humidi quæ in ipso sunt sicut materia) est causa movens, sive unde, sive efficiens : et quod genus hæc duo in se habeat, scilicet subjectum, quod quidem formabile est per differentiam, et virtutem formativam differentiæ, qua ipsum genus formatur ad speciem. Quæratur de ipsa formativa virtute, unde sit in genere : non enim genus habet eam a seipso, secundum quod ipsum primum subjectum est : secundum enim quod est subjectum, non est formativum, sed formabile, nec de facili videri potest aliquid aliud in genere, a quo concipiatur hujusmodi virtutem. Adhuc autem concessu quod talis virtus formativa sit in genere, quæratur ex quo format differentiam quam præducit in specie : non enim format eam de formabili specie, quod est generis substantia, quia sic formabile et formans essent idem, quod esse non potest. Si autem format ex alio, quæratur quid sit illud, et qualiter sit in genere : hoc enim et hujusmodi valde difficile est invenire, et ab antiquis videntur esse non tacta per determinacionem sufficientem.



Ad omnia autem hæc determinanda prænotandum est, quod ut dicit Averroes <sup>2</sup>, genus non est materia, sed forma generalis, et confusa, et indistincta, et diffusa in materia non determinata per formam : quam diffusam formam et confusam vocant quidam formæ inchoationem : propter quam inchoationem formæ in materia diffusam ipsa materia a quibusdam antiquis locus formæ dicebatur, in quo latent formæ : et ideo latentiam formarum principium fecerunt, ut dictum est in *Physicis*, et erat hoc dictum Anaxagoræ : propter quod etiam Aristoteles et omnes Peripatetici dixerunt educi de ma-

teria omnes formas, et non esse eas a datore extrinseco. Cum autem jam ante probatum sit, quod forma non prædicatur secundum quod est forma materiæ, nec etiam secundum quod est forma totius, sed prædicatur prout ipsa est notio totius esse, vel in potentia existentis, vel existentis in actu, sequitur necessario quod genus est forma totius existentis in potentia, et quod nomen generis et res prædicatur secundum quod genus per abstractionem intellectus dicit notionem totius existentis in potentia. Differentia autem dicit notionem actus totum esse determinantis, secundum quod est actu indeterminato : quia aliter prædicari de specie non posset. Species autem dicit notionem totius sic determinati et distincti, et ideo quia quod distinctum dicit et determinatum, in quid et non in quale prædicatur. Similiter autem et genus, quia quid distinguibile dicit, in quid et non in quale prædicatur. Differentia autem, quia actu distinguens dicit, et non distinguibile secundum potentiam, nec distinctum secundum actum, ideo in quale et non in quid habet prædicari. Si autem esset notio differentiæ nomen, quod diceretur distinguere potentia, et non actu distinguens, prædicaretur in abstracto et non in concreto, et diceretur quod homo esset rationalitas, et non rationalis, quod absurdum est.

Dicemus ergo, quod differentiam habet species a genere, et differentia est in generis potestate sicut distinctio in indistincto confuso: sicut color secundum esse formale est in lumine indistincto et confuso diaphani sive perspicui, qui distinguitur non alio quodam distinguente, sed esse formale ipsius ejusdem luminis diffusione determinata ad superiorem determinati corporis : propter quod dicitur, quod ipsum lumen et ex se et de se format colores secundum esse formale quod est in ipsis. Et hæc est Avicennæ determinatio, sicut colligi potest

Quomodo  
genus habe-  
at in se  
differen-  
tiæ.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 2 Physic. tex. com. 83.

<sup>2</sup> AVERROES, In commento primæ philosophiæ,

**Differentia** in *prima philosophia* ipsius. Propter quod inter potentiam et potestatem dicitur genus potestate habere differentias potius quam potentia : quia potentia ad esse et non esse indifferens est, potestas autem est potentia stans per actus inchoationem. Et haec est causa, quare inter genus et differentiam cum in una et eadem diffinitione colliguntur, non est naturarum diversarum congregatio : quia si hoc esset, diffinitio esset multa et non unum. Non tamen hoc dicere intendimus, quod genus et differentiae non sint diversæ naturæ. Sed intendimus quod non sunt naturæ diversorum generum, sicut sunt substantia et accidens, quantitas et qualitas : sunt enim naturæ ejusdem generis ordinabiles ad unum idem sicut potentia et actus. Nec posset aliquis dicere quod actus hujus potentiae esset actus, et non alterius, nisi per aliquid actus esset inchoatus in potentia : neque haec potentia inchoaret hunc actum, nisi aliquid simile actui esset inchoatum in potentia.

**Ad primam objectionem solutio.** Sic ergo et tali potestate genus habet potestate differentias : et non est inconveniens sic habere simul oppositas, quia opposita sibi non repugnant, nisi distincta, non confusa : aut cum omnium oppositorum sit radix una ex qua oriuntur, non est inconveniens ea sic simul esse in eodem : propter quod generaliter verum est unum esse genus oppositorum, sicut in Phædone dicit Socrates unum esse caput omnium oppositorum<sup>1</sup>. Et sic dicit Empedocles multorum capite germanorum in prima confusione fuisse sine cervice : cervix enim distinguit capita germana, ita quod unum est unius, et alterum alterius. Hoc igitur modo differentiae sunt in generis potestate.

**Ad secundam objec-**  
**tionem.** Quod autem queritur: secundum quam causam sit illa potestas, dicendum, in veritate est, sicut et Averroes dicit quod est causæ formalis confusæ in materiæ confusione : quæ tamen similis est potes-

tati materiae, quæ materia non est materia per hoc quod est nudum subjectum formæ ab omni forma denudatum, sed potius in materia ad formam per inchoationem formæ in ipsa. Et ideo dicitur<sup>2</sup> quod materia desiderat formam, sicut foemina masculum : non in quantum est foemina, sed in quantum est imperfecta. Nec imperfectum est (supple quod est impossibile ad perfectionem) sed potens perfici imperfectum : nec perfici potest, in quo non est aptitudo ad perfectionem. Aptitudo autem illa necessario aliquid est perfectionis, quia aliter non appeteret ad perfectionem. Per hoc autem quod est simplex subjectum non in potentia ad formam, sed in composito est alterum componentium. Genus ergo quod est notio existentis in potentia, secundum totum esse formale ipso suo nomine significat, sicut dictum est potestate in se habere differentias.

Et quod objicitur de potestate finis, patet jam esse solutum : quia sicut idem est forma et finis, sic etiam una est potestas formæ et esse finalis : et ideo forma finis est desiderii quod materia habet quando desiderat formam, non ut imperfectionis tantum, sed prout distinguens et determinans est causa perfecti.

Quod autem de potestare causæ effientis objicitur, et de causa seminali, valde est conveniens : quia per inchoationem confusam differentiae quasi seminaliter sunt in genere. Et ideo, ut dictum est, ad idem secundum naturam pertinent cum genere, et non ad diversum. Virtus autem quæ ex generante effectivo est in semine, (et formativa vocatur in physicis), aliquid simile etiam habet in genere: et hoc est lumen intelligentiae agentis, quod agit omnes formas : virtute enim illius luminis (quod expansione spirituali non corporali confusum perducit ad distinctum per distinguens et determinans)

<sup>1</sup> Infra cap. de *univocis* dicitur quod illa propositio : Idem simul non habet opposita, intellegitur de eodem numero et non genere aut

specie.

<sup>2</sup> AVERROES, In fine I Physic. tex. com. 81.

actualiter differentiam educit de genere in ipso esse speciei: et hoc modo genus habet in se aliquid de virtute efficientis: propter quod etiam supra in tractatu de *Genere* genus ipsum patri est assimilatum. Sic igitur intelligitur genus habere differentias potestate.

Et quod quaeritur, an differentia sit in genere, jam planesolutum est. Cum enim genera sint prima rerum principia, oportet quod differentiae sint in genere, si non sunt in genere sicut genera, vel species, vel individua. Et generaliter dicendo non sunt in genere, sicut ipsum genus per essentiam et intellectum participantes, sed sunt in genere, sicut in principio confuso suae inchoationis. Multipliciter enim aliqua sunt in genere: aliqua enim sunt in genere, sicut coordinata sub genere per modum participantis, et participati: et hoc modo sunt in genere genera, et species, et individua. Quædam sunt in genere sicut via ad rem generis: et sic motus et mutatione sunt in genere. Quædam vero sunt in genere sicut principia rei generis illius, sicut forma et materia dicuntur esse in substantia sicut in genere. Quædam tandem sunt in genere ut in principio suae inchoationis, et hæc secundum potestatem sunt in genere, et non secundum actum participantia genus: et sic differentiae cuiuslibet generis sunt in genere. Quædam etiam in genere sunt sicut principia, unde fluunt naturæ generum secundum imaginacionem, sicut punctum et unitas sunt in genere quantitatis. Pro eis quæ dicta sunt, patet quod differentia simplex actus est, constituens speciem cum genere, et qualiter potestate differentia est in genere, et qualiter species habet differentiam ut formantem, genus autem est in specie, ut imperfectum formabile, vel formatum: et sic facile est solvere omnia quæ sunt quæsita, vel dubitata.

## CAPUT V.

*Qualiter diffinitur differentia secundum quod est universale de specie prædicabile.*

Habito qualiter differentia species abundant a genere, et qualiter differentia in genere est, et qualiter species differentiam acquirit a genere restat dicere qualiter, ut universale prædicabile de specie diffinitur. Sic autem considerata diffinitur hoc modo. Differentia est universale quod essentialiter de pluribus, et specie differentibus in eo quod quale est prædicatur. Cum enim dicitur, quod est universale, dicit Avicenna quod hoc in hac diffinitione ponitur ut genus. Cum enim quodlibet istorum quinque universale sit, universale hæc quinque continet ut genus: et hoc primum in diffinitione est ponendum cujuslibet istorum quinque: quod tamen antiquiores Peripatetici non fecerunt, quia cum ponerent quod de pluribus prædicatur, dixerunt intelligi quod genus sit universale, quia nihil prædicatur de pluribus nisi universale, quia universale est quod est in multis et de multis: et ideo cum ponesse, prædicatur de pluribus, intellexerunt quod esset universale, et quod universale non oporteret in diffinitione explicite ponere.

Hoc autem quod dicitur essentialiter, ponitur, ut dicit Avicenna, ad accidentis exclusionem, quod secundum quod universale est, prædicatur de pluribus differentibus specie, et prædicatur in quale: sed non est essentialie prædicatum, quod sit per se in subjecto et actu et intellectu, sicut differentia. Aristoteles autem dicit quod de pluribus specie differentibus ponitur ad speciei exclusionem, quæ non prædicatur de pluribus nisi numero differentibus, eo quod non comparatur communitas ejus nisi ad individua. Primus autem respectus comparisonis differentiæ non est ad individua, sed ad species: et ideo non oportuit, quod diffiniretur ad individua, sed ad species. Ad genus enim

Differentia  
ut universa-  
le quid sit,  
et declaratio  
diffinitionis  
ejus.

(ut genus est) ut universale est, diffiniri non poterat : quia prout universale est, non continet genus, nec continetur a genere nisi potestate tantum, et ideo prædicari de genere non potest. Cum igitur prædicandi speciale modum habere debat, oportuit quod ut prædicabile ad speciem haberet respectum : non autem potuit prædicabile esse de uno, quia sic esset individuum : oportuit ergo quod esset prædicabile de pluribus specie differentibus. Adhuc autem non potuit diffiniri ut prædicatum convertibile cum specie in quale, quia sic esset proprium : nec ut prædicatum convertibile in quid, quia sic esset diffinitio vel synonimum. Relinquitur ergo, quod diffinietur non ut convertibile, et sic diffinitur ut prædicatum de pluribus differentibus specie.

Quia vero et genus prædicatur de pluribus differentibus specie, ideo additur quod prædicatur in quale. Genus enim de pluribus specie differentibus prædicatur in eo quod quid. Hæc igitur fuit necessitas propter quam antiqui sic differentiam diffinierunt. Et ut hæc melius intelligantur, sciendum quod quale in hoc differt a qualitate, quod qualitas est accidens secundum quod aliud dicitur quale : quale autem dicitur subjectum qualitate formatum.

*Quid sit  
prædicatum  
in quale : et  
quare diffe-  
rentia præ-  
dicatur in  
quale, et non  
in quid.*

Unde prædicatum in quale dicitur id quod prædicatur ut est in subjecto, quia aliter de subjecto prædicari non posset. Nihil enim prædicari potest de subjecto, nisi quod est in subjecto, et nisi sit acceptum et signatum prout est in subjecto, de subjecto non prædicatur nec prædicari potest. Unde rationalitas, vel animalitas, vel humana, vel risibilitas, vel albedo non prædicantur, sed rationale, et animal, et homo, et risibile, et album sunt prædicata de suis subjectis. Unde logice loquendo tria qualia sunt composita. Species cum differentia est quale essentiale, et dicitur quale secundum differentiam et non secundum se, et quale ipsum differentia in subjecto existens. Secundum autem quale est pro-

prium, quod quale secundum qualitatem dicitur proprietatis, id est, proprii. Tertium est quale accidentis, quod quale dicitur secundum qualitatem accidentis. Talis igitur est hujusmodi diffinitionis explanatio.

Hoc autem adhuc melius manifestatur in exemplis : quia rationale et mortale quæ sunt differentiae hominis, a qualitatibus quæ sunt rationalitas et mortalitas sumpta prædicantur de homine, non in eo quod quid est, cum nullo modo dicant quid formatum talibus formis, sed potius dicant formas id quod quid est formantes et distinguentes : forma enim subjective et formabilitate non est quid, sed quale vel qualitas formans, nullo modo formabilis, quia actus est et ideo formari non potest : sola enim potentia formabilis est per actum : propter quod etiam species aptitudine quasi potentiali formatur per proprium, ut in sequentibus habebitur : et subjectum prout est in se perfectum et occasio alterius existendi in eo, per ipsum quod occasio est alteri, potentialiter se habet ad ipsum, et formatur accidente secundum quod est hujusmodi. Hæc igitur vera causa est secundum Philosophos, quare differentiae non in quid, sed in quale prædicari competit.

Cujus adhuc ulterior manifestatio est, quia interrogatis nobis ab aliquo quærente de natura et subjecto hominis et dicente, quid est homo? conveniens est nobis dicere ad hanc quæstionem respondendo, quod homo est animal : animal enim proximum substantiale subjectum est non formans, sed formabile forma hominis in homine. Et ideo homo in animali est sicut in potentia formabili ad hominem : et cum de hac potentia movetur ad formam, prius est animal quam homo, ut dicit Aristotleles<sup>1</sup>. Si autem ulterius procedat quærens dicens, quale animal sit homo? convenienter respondemus ad hanc quæstionem, quod homo est animal rationale mortale significantes quod potentia distincta per hunc actum, qui est rationale mortale, et

*Qualia com-  
posita sunt  
tria.*

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 11 de animalibus, cap 3.

formata est homo : designantes quod homo in rationali et mortali non est sicut in quid potentiae et subjecti formabilis, sed est in eo sicut in actu formante et distinguente secundum esse actuale et formatum et distinctum.

Quod adhuc in simili poterit manifestari : quia enim ars imitatur naturam, ideo quae in arte sunt, secundum aliquid similia sunt his quae sunt in natura. Rebus igitur ex materia constantibus in his quae habent materiam, vel constantibus ex talibus suae compositionis principiis quae sunt in eis ad similitudinem et proportionem materiae, sicut in his quae non habent materiam, sed componuntur a duabus naturis formalibus, quarum una proportionatur materiae, et altera formae, sicut genus et differentia componunt speciem : ostenditur nobis hoc, quod jam dictum est, sicut est videre in statua, sive imagine, vel idolo. In statua enim idoli æs de quo fit, est sicut materia formabilis, et est in ære idoli in potentia forma quae dari esse idolum vel statuam : quae statua dicitur, quia statuit imaginem quam intendimus : ipsa, inquam, forma hoc faciens et perficiens est figura inducta per artificem. Sic est in his quae non habent

materiam, sicut est homo communis acceptus in specie, non acceptus ut hic et illi qui sunt ex materia : communis autem homo qui est in pluribus et est specialis sive in communitate speciei acceptus, consistit in sua compositione secundum quamdam similitudinem et secundum quamdam proportionem, quamvis secundum veritatem non sit compositus ex materia et forma, sed totus sit in esse formaliter sumptus, quia aliter non esset communis, nec prædicabilis de aliqua respectum veram prædicabilis rationem : secundum quamdam enim similitudinem et secundum quamdam ad materiam proportionem est in eo genus ut primum subjectum proportionaliter formabile et distinguibile ad hominem, et est in eo diffe-

rentia ut formans et distinguens ad speciem hominis, totum esse entiale sic perfectum et constitutum, quod est animal rationale mortale, est homo secundum speciem proportionaliter, quemadmodum in artificialibus totum constitutum ex ære et figura fuit statua secundum imaginem, cujus similitudinem statuit ante oculos eam intuentium.

Hæc igitur est antiquorum Peripateticorum de differentia data diffinitio, et, ut dictum est, declaranda et intelligenda. Et ideo quæstio nulla est, quam quidam quærunt, utrum scilicet sic in materia (quae genus dicitur) sit dispositio ad formam et necessitas, sicut est in materia naturali ad formam, et in materia artificiali. Hoc tamen quæri posset, si genus vere esset materia : nunc autem hoc non dicitur, sed tantum quia secundum quamdam similitudinem et secundum quamdam proportionem sit materiae comparatum, in eo quod homo in potentia inchoationis est in animali, et sicut in subjecto quod secundum id quod est, formabile est actu hominis. Dispositio enim et necessitas non sunt nisi in materia, quae mutationi subjecta per agentia procedit ad esse generati. Talis igitur quæstio nulla est.

Nec dicitur species componi ex genere et differentia tanquam ex duobus diversis, quorum utrumque sit pars compositi, quia sic diffinitio in qua ponuntur genus et differentia, non esset unum sed multa. Et si sic esset, neutrum per se esset prædicabile de specie, sed totum simul compositum tantum de specie prædicaretur. Genus enim totum esse dicit speciei, sed in potentia, ut dictum est : et nomen generis notio est totius esse speciei in potentia, quia aliter non posset de specie prædicari. Et differentia ut quale non ut qualitas sumpta, dicit totum esse speciei, sed in actu : et secundum quod est notio totius esse in actu, sic prædicatur de specie : et diffinitio dicit totum esse in potentia et actu, et ideo prædicatur convertibiliter.

Quæstio  
quorum-  
dam.

Solutio.

Quomodo  
genus, dif-  
ferentia et dif-  
finitio dicunt  
totum esse  
speciei, di-  
versimode  
tamen.

Differentia autem, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, cum sit generalis, ad prædicationem generis non convertibilem habet reduci, sicut probatur in sequentibus.

Compendium dictorum in hoc cap. et praecedenti.

Hoc igitur est quod antiqui de differentia prout de specie prædicabilis est, dixerunt, quod quidem sub compendio dici potest, quod antiqui determinantes differentias sive describentes dicunt, quod differentia est qua abundat species a genere, habens differentiam in se et actu et intellectu, quam non habet genus nisi potestate: homo enim ab animali plus habet rationale et mortale: quæ conjunctim posita differentiam hominis constitutivam perficiunt. Animal enim genus ipsum secundum seipsum nihil horum est actu et intellectu, quod ex hoc patet: nam quæritur unde habeat species differentias: a genere non habet, ita quod actu sint in genere: neque enim genus oppositas habet differentias: non enim in eodem simul actu sunt opposita. Sed de hoc est quemadmodum probant Philosophi Peripatetici, quod genus potestate quidem sub se habet omnes differentias, actu vero nullam: ac si nihil contingit inconveniens, quia sic non sequitur, quod aliquid sit ex his quæ non sunt, si diceretur quod a nihilo haberet differentias: nec sequitur quod opposita sint in eodem vel circa idem, sed sit id quod sit ex his quæ in genere sunt potestate.

Diffiniunt etiam Peripatetici hoc modo propter ea quæ dicta sunt: differentia est universale quod de pluribus differentibus specie in eo quod quale est prædicatur. Rationale enim et mortale de homine prædicantur, non in eo quod quid, sed in eo quod quale est. Quid enim est homo interrogatis nobis ab aliquo, conveniens est dicere sive respondere animal. Quale autem animal sit homo inquisiti ab aliquo, quod rationale mortale animal sit, respondemus convenienter: quia sic formam assignamus quæ dat speciem. Rebus enim

ex materia et forma constantibus in natura vel arte, vel constantibus rebus ad similitudinem proportionemque materiae et formæ in logicis constitutionem habentibus, quemadmodum statua ex materia aeris est, et forma figura: sic et homo communis et specialis qui in multis est, ex materia quidem similiter proportionaliter consistit, genere scilicet, et ex forma differentia: quæ tamen ut partes divisæ non compositæ sunt, sed dicuntur partes essentiales, quia duobus modis divisis esse significant speciei, scilicet in potentia, et in actu: totum autem hoc quod est animal rationale mortale homo, est species, quemadmodum illic in arte totum constitutum ex ære et figura, est statua.

## CAPUT VI.

*De dubitationibus contra diffinitionem differentiæ, et erroribus male solvendum, et de vera omnium solutione.*

Hæc sunt quæ de differentia prout est universale de specie prædicabile antiqui tradiderunt Peripatetici: et sunt circa ea multæ dubitationes et errores. Aristoteles<sup>2</sup> et ibidem Averroes in comment. expresse dicunt et probant, quod ultima differentia cuiuslibet speciei constitutiva convertibilis est cum ea, ita quod non convenit eam nisi de illa specie prædicari. Differentia ergo illa non nisi de illa specie prædicatur: non ergo prædicatur de pluribus differentibus specie, ut videtur.

Hoc autem idem dicit Boetius in libro *Divisionum* dicens, quod si non esset penuria nominum, in qualibet diffinitione non nisi duobus terminis uteremur, nomine scilicet generis, et nomine differentiæ ultimæ, quæ ad speciem genus restringit et coarctat. Si ergo illa tunc differentia convertibilis esset cum specie, hujusmodi convertibilitatis causa cum non possit esse genus, relinquitur ergo quod et com. 43, et Averroes, in comment. hujuscetext.

Contra definitionem differentiæ et quod dicitur differentia ultima. Prima autem toritas.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, I Topic. tex. com. 3.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, In 7 primæ philosophiæ, Tex.

talis differentia causa esset convertibilitatis. Sequitur ergo necessario, quia illa sit convertibilis : non ergo prædicabilis est de pluribus specie differentibus.

Hoc autem dicit Averroes, dicens quod omnia intermedia inter genus et ultimam differentiam circumlocutio sunt proximi generis, qua circumlocutione opus non esset si nomina proximorum generum haberemus. Adhuc autem hoc ratione inevitabiliter probatur sic : aut enim ultima differentia convertibilis est, et soli illi speciei conveniens, aut communis illi speciei et aliis. Si est convertibilis, habetur propositum. Si autem illi et aliis communis, ergo illa species ab alia specie non differt, sed convenit. Quod autem principium convenientiae est, non est principium differentiae : ergo illa ultima differentia non fuit. Si autem dicatur quod illa differentia habet aliam differentiam per quam differt, tunc quærō iterum de illa differentia, utrum sit communis, vel propria : et sequitur idem quod prius, et ibit hoc usque in infinitum : vel oportet dicere, quod ultima propria est, et illi soli speciei conveniens quam constituit. Non ergo differentia omnis prædicatur de pluribus specie differentibus : et sic diffinitio inducta vitiosa esse videtur.

Adhuc autem si omnino quod differt, differentia differt, quæratur qua differentia differentia differt a differentia. Si enim illa differt alia differentia, tunc hoc ibit in infinitum, quia de illa differentia quæreretur sicut de prima.

Ad hoc etiam quidam respondere videntur, quod in divisione generum per differentias et specierum constitutiones sic se habet, quod quanto species sunt inferiores, tanto sunt certiores, id est, quod certissimæ species sunt quæ specialissimæ dicuntur, et quanto differentiae per quas sit divisio sunt superiores, tanto sunt certiores. Et ideo notiores sunt primæ dividentes genus generalissimum, quam dividentes genus subalternum : ita quod tandem differentiae specierum in paucis sunt notæ et nominatæ, quamvis illæ notissi-

mæ sunt et certæ. Et quia primæ generales differentiæ notæ et certæ de pluribus differentibus specie prædicantur, ideo de omnibus dictum est logica probabilitate, cui sufficit quod in pluribus verum sit, quod differentia de pluribus et differentibus specie prædicatur. Sed hæc responsio in philosophia valde irridenda est, quod hoc generaliter per diffinitionem determinetur, cujus contradictorium convincitur esse verum. Concluditur enim de necessitate, quod differentia quædam non prædicatur de pluribus specie differentibus. Scitur enim et notum est omni Philosopho, quod diffinitio debet convenire omni et soli. Ergo si differentia diffinitur per prædicari de pluribus differentibus specie, hoc debet omni differentiæ convenire et soli, quæ magis propria est differentia : et ideo ridiculosa est ista solutio.

Propter quod dicunt alii, quod est differentia simplex, et differentia composita.

Et simplicem dicunt illam quæ in una sola consistit, sicut generalissimæ differentiæ quæ sunt corporeum et incorporeum, vel corporis differentiæ, quæ sunt animatum et in animatum, vel animati differentiæ quæ sunt sensibile et insensibile. Sed differentiæ ultimæ specierum constitutivæ dicunt, quod non sunt nisi duarum vel plurium congregatione sufficientes ad constitutionem. Rationale enim solum speciem non facit, nisi addatur mortale vel immortale : et hoc non fuit in superioribus differentiis, quarum una sola conjuncta generi facit et sufficit facere speciem subalternam. Dicunt ergo quod illæ differentiæ quæ simplices sunt, per se solas specierum cum genere constitutivæ, prædicantur de pluribus differentibus specie. Quæ autem nec perse sunt sufficientes, nec constituunt speciem nisi una alteri conjugatur, non sunt differentiæ solum, sed aliquid simile differentiæ. Et ideo illæ non de pluribus specie differentibus prædicantur, sicut rationale mortale simul sumpta non prædicantur nisi de homine.

Hæc autem solutio magis adhuc deridenda est quam prior : quia rationale mor-

Improbatio  
solutionis.

Alia solutio.

Improbatio  
secundæ so-  
lutionis.

tale dicta de homine circumlocutio sunt unius simplicis differentiæ, quæ est unicūs et simplex actus, cuius est unum esse quod perficit : et quamvis illius aliquando nomen non habeatur, tamen in talibus licet nomina fingere. Dicamus igitur quod illa differentia vocetur *A* : tunc *A* differentia prædicabitur de una sola specie, et non de pluribus specie differentibus, et tunc sequitur diffinitionem vitiosam esse sicut prius.

*Tertia solu-*  
*tio.*

*Improbatio*  
*eius.*

*Quarta solu-*  
*tio.*

Propter hoc dicunt alii, quod cum dicitur, universale est quod prædicatur de pluribus sibi subjectis, hoc dictum est, non quod actu prædicetur de multis, sed quod aptitudinem habet quod sit in multis, quamvis actu non sit nisi in uno solo, ut sol est universale unum. Unde cum species subjectum sit de quo prædicari habet hoc universale differentia, dicunt quod aptitudine prædicatur de pluribus, quamvis aliqua differentia actu non sit nisi in una sola specie. Et hanc opinionem recitat Avicenna, et est omnino nulla. Quod statim patet, quia species certa non est certa, nisi quia unica differentia est constituta, quæ nullo modo habet aptitudinem quod sit in alia specie. Falsum ergo est, quod aptitudinem habeat ad hoc quod prædicetur de pluribus specie differentibus.

Dicit autem iterum Avicenna, quod quidam dictam diffinitionem inductam sic intelligunt, quod sit sensus, quod differentia prædicetur de pluribus quæ quidem plura differunt specie : quia ex differentia constitutiva non habent, quod differant numero, sed specie tantum. Et tunc sensus est, quod differentia prædicatur de hoc quod in pluralitate est, quorum quodlibet differt specie ab altero, et non quod differentia dicatur de pluribus speciebus semper. Dant exemplum sicut quando dicitur, quod omnis homo percutit gladio : non enim sensus est, quod quilibet homo singulariter gladio aliquo percutiat, sed quicumque percutit, non nisi gladio percutit : ita dicunt, quod omnis differentia prædicatur de pluribus differentibus specie, non

quod omne de quo prædicatur differentia sit plura secundum speciem, sed quod omne de quo prædicatur differentia, differt aliqua specie a suis oppositis vel disparatis. Hanc autem expositionem Avicenna dicit extortam, et non contineri in intellectu hujus orationis qua dicitur, quod differentia prædicatur de pluribus specie differentibus. Diffinitio enim cum detur causa innotescendi, ut dicit Aristoteles, plene debet notificare diffinitum. Adhuc autem cum de genere dictum est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, sic intellectum fuit quod prædicatur de pluribus speciebus. Cum ergo dicat Aristoteles quod differentia cum sit generalis cum genere collocanda est, videtur quod eumdem modum prædicandi cum genere retineat. Et sic prædicari de pluribus differentibus specie, idem est quod prædicari de pluribus speciebus. Sic redit idem inconveniens quod supra dictum est vel inductum est.

*Improbabil*  
*eius.*

Omnibus autem his erroribus abjectis, dicendum cum Avicenna quod differentia in se tria habet, scilicet quod est simplex divisiva, et per hoc est differentia ; et quod est simpliciter constitutiva, et hoc habet ab eo quod est divisiva ; habet et tertio quod est ad certam speciem determinativa, et hoc non habet ex hoc quod est divisiva, nec ex hoc quod est constitutiva, sed hoc habet ex hoc quod est certa rei specialis natura et forma propria et essentialis. Quod autem ex hoc quod est divisiva, habeat quod sit differentia, probatur ex eo quod divisio separatio est. Separatio autem causa est differentiae separatorum. Et quod ex hoc quod divisiva sit constitutiva, ex hoc probatur, quod divisio est ex hoc quod separat, separata contrahit et coarctat ab ambitu generis divisi : et hoc est constituere sub genere et generis communitate. Quod autem certificat et appropriat, ex nullo habere potest. Et ideo est quod generalissimum non habet differentias nisi divisivas, et specialissimum non habet nisi constitutivas. Et quod proprium efficitur, habet a propria

*Solutio vi-*  
*que est A*  
*cennæ, Al*  
*rabii, &*  
*Averrol*

natura, per quam ex consequenti differt ab aliis, et per hoc quod illa natura in aliis non invenitur ; et illa natura in se continet quasi virtutem termini diffinitivi, quia sic est in talibus, quod semper prior differentia est in consequenti, sicut corporeum in animato, et animatum in sensibili, et sensibile in rationali, sicut trigonum in tetragono. Et ideo quod proprium est unius naturæ, non vero nomine est differentia, nec est simplicis virtutis : quia quamvis sit simplex actus, tamen non est unius simplicis virtutis, sed virtus omnium aliorum est ex quibus fluit secundum ordinem, sicut ex causis primariis. Quod ergo dicitur, quod differentia prædicatur de pluribus differentiis speciebus, intelligendum est de his quæ sunt veræ differentiæ, simplicis virtutis, quæ simpliciter dividunt, et dividendo sub genere constituent, et de his est verum. Quæ autem certificant et determinant, non veræ differentiæ sunt, sed veræ quibus aliquid alteri comparatum potest differre. Nec sunt virtutis simplicis differentiæ, sed sunt virtutis simplicis ut terminus diffinitivus. Et est sententia tam Avicennæ quam Alfarabii, et Averrois. Et hoc est quod dicit Aristoteles<sup>1</sup>: differentia cum sit generalis, cum genere ordinanda est. Generalis enim non est, quæ ad certam naturam determinat.

Quod autem queritur, quomodo differt differentia a differentia : dicendum quod seipsa, et non ibitur in infinitum, principia enim omnia differunt seipsis. Et per hoc patet solutio omnium inductorum. Nec potest dici, quod generalis, ut quidam dicunt, quia sit pars essentialis vel speciei sicut genus. Ex hoc enim cum genere in modo prædicandi in problematis ordinanda non esset, sed potius in modo differendi cum genere esset ordinanda.

Ex hoc autem patet illud quod dicit Aristoteles<sup>2</sup>, quod scilicet partes in diffinitione sunt in plus, totum autem in æquæ. Ibi enim docet venari diffinitionem per

divisionem. Veræ autem differentiæ sunt, quæ sunt divisivæ, ut dictum est. Differentia enim divisiva eo quod generis est divisiva, pars est esse rei in potentia, et non in actu : esse enim in potentia pars est esse, et non totum, et ideo quælibet talis est in plus. Totum autem duplex est, scilicet explicite totum esse, et in potentia et in actu colligens, et sic diffinitio dicit totum esse. Dicitur etiam totum quod in se virtute habet esse totum, quia præcedentia omnia sunt virtute in ipso, sicut in causis formalibus ultimum continent omnia quæ præcedunt ex quibus fluit, sicut vita habet esse et sentire in se habet esse et vivere, et esse rationale habet in se et esse et vivere et sentire, ut nuper ante dictum est. Et ideo etiam hoc totum est quod est in æque cum eo quod constituit : quamvis enim sit actus purus et simplex, secundum essentiam tamen omnia præcedentia virtute et causalitate sunt in potentia, et in eo influunt super causatum sicut causæ primariæ influunt in causas secundarias, sicut in prima propositione libri *Causarum*.

Ex omnibus quæ dicta sunt patet quod differentia duos habet respectus immediatos : unum scilicet ad genus quod dividit, et secundum hoc cum divisione prædicatur de genere sic, quod animal est aut rationale, aut irrationalis : dividentis enim est prædicari sub divisione de eo quod dividit. Alterum autem ad speciem quam constituit, et de illa prædicatur absolute. Sic homo est rationale. Et hi sunt respectus mediati ejus ad particulare, ad quod non respicit nisi per speciem quam ipsum particulare participat : sicut cum dicimus, hic homo est rationalis. Et ideo non habet particulare proprium quod sibi respondeat immediate, sicut habet genus et species. Et hoc est ideo, quia a forma sumitur quæ secundum se est speciei et communis, et per speciem est particularis speciem participantis.

Quomodo  
differentia  
prædicatur  
de genere,  
et quomodo  
de specie  
tantum.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 1 Topic. com. 3

<sup>2</sup> Id. In Posterioribus, in 2, tex. com. 17.

## CAPUT VII.

*De descriptione differentiæ prout respicit genus.*

Propter multas comparationes differentiæ quibus habet comparari, tum ad genus, tum ad speciem, multas habet a Philosophis descriptiones: quamvis diffinitionem propriam non habet, eo quod omnis diffinitionis est ex genere et differentia: et ideo si differentia diffinitionem haberet, oporteret quod illa constaret ex genere et differentia, et sic differentiæ diffinitionis esset ex differentia, et hoc abiret in infinitum. Adhuc autem cum nihil diffiniri possit proprie nisi species, si differentia diffinitionem in vera ratione diffinitionis haberet, oporteret quod differentia esset species, quod esse non potest. Potest tamen habere descriptiones ex fine, vel ex posteriori, vel ex effectu, vel ex comparatione ad ea ad quæ comparatur.

Differentiæ considerate per respectum ad genus.

Quamvis ergo descripta sit ex comparatione ad speciem quam constituit, cum dicebatur, quod differentia est id quod prædicatur de pluribus differentiis specie in eo quod quale est, tamen adhuc Peripatetici describunt hujusmodi differentiam per respectum quem habet ad genus hoc modo, differentia est quæ aptata est dividere ea quæ sunt sub eodem genere. Illa enim est (ut dictum est) quæ prædicatur de pluribus differentiis specie. Proprius enim effectus differentiæ nomen accipit.

Hanc autem differentiæ desceptionem Peripatetici introductionis modo per exempla manifestant: quia rationale et irrationale, quæ oppositæ differentiæ sunt, hominem et equum a se invicem dividunt, qui sub eodem sunt genere quod est animal: quamvis una sola forma sive differentia quæ a forma sumitur, præsentia et absentia facit mutationem ab esse ad non esse, vel a non esse ad esse, sicut et animal est, aut rationale, aut irrationale: et sic quando fit per contradictionem divisio,

fit una differentia per affirmationem, et alia per negationem accepta: tamen quia disparata sunt quæ sunt sub eodem genere, et unumquodque dividentium in sua differentia et forma accipitur, oportet quod fiat divisio per differentias oppositas sic: animalium aliud rationale, aliud irrationale. His enim differentiis a se invicem differunt quæ sunt sub eodem genere. Quamvis enim, sicut dicunt Avicenna et Alfarabi, irrationale et alia similia privative, vel negative accepta, non dicant vero nomine differentias (eo quod differentia non nisi positive potest significari), tamen quia propria nomina differentiarum non habemus, unam notam differentiam ponimus, et aliam per privationem ejusdem significamus, quæ est speciei subalternæ quæ ponitur sub genere.

Sed valde notandum est, quod etiam ante diximus, quia quando dividitur genus, non dividitur nisi secundum potestatem, et non secundum essentiam. Essentia enim generis cum simplex sit, tota simul potest esse in omnibus dividentibus ipsum: unde tota est in homine, et tota est extra hominem in equo: et hæc est in equo, quia nec hoc aliquid est, nec hic, nec nunc, sed ipsa est quodlibet, et ubique, et semper, sicut jamdudum de universalis diximus: non enim est hoc aliquid per materiam, nec hic per loci circumscriptionem, nec nunc est per temporis vel temporalis differentiæ determinationem. Et ideo tota est in quolibet, et tota est extra quodlibet secundum se acceptum, quod proprium est naturæ simplicis. Et quamvis tota sit comprehensa a rationali, quando rationale conjungitur ad conjunctionem speciei, et simul cum hoc tota comprehensa ab irrationali, quando irrationale conjungitur idem ad alterius speciei constitutionem cum partem et partem in essentia non habeat, tamen secundum quod comprehensa ab irrationali, a rationali non comprehensa est. Et ideo non sequitur, quod animalitas cum rationali comprehensa eadem est animalitas secundum esse in rationali, et ir-

Quomodo  
essentia ge-  
neris non  
dividitur per  
differentias,  
sed tantum  
potestas  
ejus.

Non est ea-  
dem anima-  
litatis in ho-  
mine et asi-  
no.

rationali. Sic enim rationale transmutatur in irrationale, quod negat Aristoteles<sup>1</sup> fieri posse. Hoc autem ideo est, quia animalitas una inchoatio est et rationalis et irrationalis, et unum et idem inchoationis principium in essentia: quod tamen ut comprehensum est ab uno, tractum est ad esse principiati. Et ideo secundum hoc non potest esse comprehensum ab alio: quod secundum partem suæ potestatis est in alio.

**Bulletto.** Et si quis objiciat, quod potestas sive virtus radicatur in essentia, et ideo videtur sequi, quod in quo genus est secundum totam suam essentiam, in eodem etiam sit per totam suam virtutem et potestatem: dicimus, quod hoc non sequitur. Essentia enim generis simplex est natura. Potestas autem non radicatur in ea prout unica est et indivisibilis essentia, sed potius in ambitu suæ communitatis, et ideo nihil prohibet quod diviso ambitu communitatis essentia simplex maneat indivisa.

Attendendum etiam est, quod quamvis differentiae in genere sint potestate, tamen secundum quod dividunt genus, oportet quod actu sint acceptae per intellectum dividentem: cum non intellectus dividat, nisi actu acciperet id quo dividit: quo autem dividit, est differentia, et sic oportet differentiam actu esse, et genus secundum ambitum suæ communitatis esse in potentia divisibile. Secundum autem quod genus est principium inchoationis differentiarum, sunt in genere differentiae potestate. Sed ex illa potestate ad actuale esse per intellectum adducuntur quando per ipsas dividitur generis potestas.

**Bulletto.** Sic ergo intelligitur quod Peripatetici dicunt, quod differentia est quod aptum natum est dividere ea quæ sunt sub eodem genere. Diximus enim in antehabitis, quod differentia per hoc quod dividit, contrahit genus, et id quod per divisionem acceptum est, ponit sub genere, et sic constituit speciem secundum quod species est id quod sub assignato ponitur generè.

Et ideo et ea quæ sunt sub genere per divisionem differentiarum dividuntur, et ipsum genus dividitur alio et alio modo. Genus enim dividitur, quia potestas partitur. Ea autem quæ sub genere sunt, dividuntur, quia per differentiarum divisionem (quam faciunt ab invicem) separantur: sed genus dividitur quantitate communitatis suæ. Ea autem quæ sub genere sunt, dividuntur separatione suæ oppositionis ab invicem.

Hoc ergo est quod dicunt Philosophi qui hoc modo describunt differentiam, quod differentia est quod aptum natum est per suam oppositionem dividere sive sejungere ea quæ sub eodem sunt genere: et hoc manifestum faciunt tali exemplo, quod rationale et irrationale hominem et equum qui sub eodem sunt genere quod est animal dividunt sive sejungunt: utentes privatione rationis (quæ per irrationale signatur) loco communis differentiæ, quam nos brutalitatem consuevimus nominare. Et hoc patet, quia si non esset aliquod animal nisi homo et equus, et hinnibile esset differentia equi constitutiva, divideremus sic, animalium aliud rationale, aliud hinnibile, et privatione differentiam non faceremus.

### CAPUT VIII.

*[Descriptio differentiæ prout ponit differentiam.]*

Adhuc autem eamdem differentiam antiqui Peripatetici describunt et assignant per respectum, per quem unum differentium refertur ad alterum secundum differentiam qua differunt ab invicem, diffinientes eam sic: Differentia est qua differunt a se singula. Ea enim quæ differunt, differentiis suis a se invicem differunt, Suas autem et proprias habent singula differentias, quibus differunt ab omnibus aliis, in quibus sunt differentiæ. Proabant autem hanc assignationem hoc modo:

Diffinitio  
differentiæ  
prout ponit  
differentiam  
et per pro-  
prium effec-  
tum ejus.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In libro Ethic.

quia ea quæ oppositis differentiis differunt, et quæ ab uno et eodem oriuntur genere, non differunt secundum genus, sed potius in genere conveniunt, cum æqualiter actu et intellectu genus participent: quia genere non differunt, nisi quæ sunt in diversis generibus vel generalissimis vel proximis: et secundum hoc quod genere differunt, sic genus est quod facit differentiam inter ea: et hæc sunt, quorum una natura non est in communi proximo quod est primum subjectum formabile et determinabile ad esse per proprias differentias communes, secundum ea quæ per unam et eamdem divisionem diversarum differentiarum ab uno et eodem genere exeunt: illa vero differunt secundum genus. Et hoc per exempla manifestatur. Sumus enim animalia et nos homines, et etiam irrationalia sunt animalia. Et sic genere non differimus ab eis: sed appositorum nobis hominibus rationale pro differentia disjungit nos ab illis, et ita essentialiem habemus ad ea differentiam, quamvis in genere conveniamus cum illis. Ab alia autem parte secundum quod convenimus cum diis in hoc genere quod est rationale animal, eo quod nos et dii sumus animalia rationalia, appositorum nobis mortale essentialiter separat nos ab ipsis: quia ipsi secundum Stoicos sunt immortalia animalia, nos autem mortalia. Cum autem sic dicunt antiqui, quod differentia est qua differunt, diffiniunt vel describunt differentiam et proprium effectum ipsius: et est aliqua nominis manifestatio, quamvis non sit vera diffinitio. Nec etiam antiqui has assignationes pro veris induxerunt diffinitionibus.

Objectio.

Si vero objiciatur, quod secundum antecedentia quæ dicta sunt de figura arboris describentis a generalissimo usque ad specialissima, duo sunt, animal rationale et animal mortale, quorum unum est sub alio. Talia autem unam æque immediatam speciem non dicuntur habere, sed potius unum debet esse species alterius, et id quod inferius est, habere sub se spe-

ciem specialissimam. Contrarium autem similiter videtur, quando dicitur quod homo est animal rationale mortale. Et dicendum ad hoc, quod in rei natura secundum opinionem antiquorum Stoicorum sic est ut procedit objectio. Et cum dicitur quod homo est animal rationale, ponitur hoc totum complexum pro circumlocutione proximi generis, et mortale additum est differentia ulterius determinans ad speciem specialissimam: et hoc non est inconveniens, quinimo necessarium quod differentia superioris generis cum differentia inferioris et proximi generis in eadem specie conjugatur in diffinitione speciei. Sed differentiae divisorum generum non subalternatim positorum sunt oppositæ, et illæ non conveniunt in eadem speciei diffinitione. Attendendum est cum dicitur, qua differunt singula quod singula quidem ab aliis differunt suis propriis quæ illis et non aliis convenient. Sed tamen in ante habitis dictum est, quod propria (cum sint accidentia et non dividant substantiam) non propriam faciunt alietatem, sed per alteritatem ostendunt alietatem quasi jam ante propria factam per propriam differentiam substantialem, quæ propria est speciei, quia sic convenit uni quod non alii. Et ideo differentia essentialis est, qua primo et per se differunt singula, aut per formam, aut per materiam, aut per proprium esse formæ in hac materia vel illa.

Solutio.

Removet dubium.

Si autem quæritur, cum dicitur quod differentia est qua differunt a se singula, utrum differant per unam aut per plures differentias: Dicendum quod per unam differunt ab omnibus differentiam illam secum non communicantibus, sicut per rationale differt homo ab omnibus rationem secum non communicantibus, sed ab his quæ secum communicant in una, differunt in alia.

Dubitatio.

Si autem quis objiciat dicens, quod singularia numero sunt infinita ad minus quoad nos, et sic videntur differre ab in-

Solutio.

Dubitatio.

**Solutio.** finitis : Dicendum quod nihil est inconveniens.

**Objectio.** Si ulterius arguet, quod qui novit diffinitive unum contrariorum, diffinitive novit et alterum. Novit autem homo suam qua a singulis differt differentiarum : igitur videtur quod diffinitive novit infinitas singularium differentias, quibus ab ipso differunt, et sic momento novit quasi omnia.

**Solutio.** Dicendum, quod sequitur quod noscat omnia illa in quantum cum ipso non conveniunt, et hoc est nosse in universali, et in potentia, et non proprie secundum naturam uniuscujusque : et hoc non est inconveniens, quod momento aliquo modo universali et potentiali noscat multa vel infinita.

**Objectio.** De exemplo autem quod antiqui induxerunt de mortali, quod habent pro differentia, cum differentia sit pars esse rei, et mortale causam abesse dicere videatur : Dicendum quod si mortale dicat viventis passionem, pro certo tunc dicit causam abesse, et non est differentia constitutiva alicujus viventis. Si autem dicit compositi viventis formam quæ est notio tali vita viventis, pro certo est differentia constitutiva et hoc modo est essentia incorruptibilis, sicut et aliæ differentiæ.

Quod autem dicunt rationale esse formam in qua communicant homines et dii, pro certo secundum opinionem quorundam Stoicorum dictum est, qui dicebant univoce et nos et deos esse rationalia animalia : et animal non dicebant per denominationem ab anima, sed per hoc quod est forma animati corporis et moti voluntatis motu, cui postea ex inferiori genere (quod est compositum ex corpore commixto ex contrariis et anima) advenit sensus. Et ideo non sequitur, si Deus est animal, quod Deus sit substantia animata sensibilis, eo modo quo deos animalia Stoici esse dicebant, sicut superius jam expositum est, et in libro *de natura deorum* invenitur.

Assignant etiam Peripatetici hoc modo, videlicet dicentes quod differentia est qua

differunt a se singula : namque secundum genus non differunt quæ ab eodem genere per eamdem accipiuntur divisionem. Cujus exemplum est, quod sumus et nos homines animalia, et irrationalia per eamdem rationem sunt animalia sicut et nos : sed additum generi quod est animal, rationale pro differentia hominis constitutiva et Dei, disjungit nos et deos ab illis quæ sunt irrationabilia. Adhuc nos et dii rationales sumus in genere quod est animal rationale non differentes, sed mortale pro differentia constitutiva appositum ad animal rationale quod est genus, separat nos homines a diis immortalibus.

## CAPUT IX.

*De diffinitione quæ soli differentiæ magis propriæ convenit.*

Subtiliorem autem adhuc omnibus præinductis assignati onibus Peripatetici differentiæ diffinitionem quantum ad intrinseca et essentialia sibi sunt perscrutantes, et speculantes eam per ea quæ non conveniunt nisi differentiæ, quæ differentia dicitur magis propria : et nullo modo nec per se, nec ex consequenti conveniunt differentiæ quæ dicitur propria, nec etiam ei quæ dicitur differentia communis. Propriæ enim ex consequenti ad minus convenire potest, quod per ipsam species abundet a genere. Et etiam hoc quod dicitur prædicari de pluribus differentibus specie in eo quod quale est, potest ex consequenti convenire communi differentiæ. Et similiter id quod dicitur, quod aptum natum est dividere ea quæ sunt sub eodem genere, propriæ differentiæ potest convenire. Et similiter id quod differentia est qua differunt a se singula: propriis enim differentiis differunt a se singula. Et ideo nulla talium assignationum per intrinseca differentiæ data videtur esse.

Sed interius eam perscrutantes, et subtiliter per essentialia speculantes, quæ soli magis propriæ differentiæ dictæ conveniunt, dicunt, quod non quodlibet eo-

*Diffinitio  
conveniens  
soli differen-  
tiæ magis  
propriæ.*

rum quæ sunt sub eodem genere, et dividunt ea quæ sunt sub eodem genere, duo oportet modo divisionis est differentia magis proprie dicta. Et dicunt hoc solum esse differentiam magis proprie dictam, quod conductit ad esse, et quod ejus quod est ratio rei pars est. Quod autem hoc differentia sit probant, quia propria sunt de his quæ sunt sub eodem genere dividentia ea quæ sub genere sunt. Dicamus enim dividendo ea quæ sub genere sunt. Animalium aliud aptum natum est arte nautica navigare, et aliud non: cum tamen aptum esse arte nautica navigare sit proprium hominis, et non de esse et essentia ipsius: talibus enim differentiis sæpe utimur genus dividentes, cum tamen talia sint propria consequentia esse speciei. Quæ autem sunt esse consequentia, non possunt esse completiva esse ipsius, nec perfectiva substantiæ, nec pars essentialis esse ipsius substantialis: quamvis compleatur in esse quodam quod non est esse simpliciter, sed est aptitudo quædam esse substantialie consequens. Et ideo talis differentia propria non est, quales sunt differentiæ magis proprie, quæ specificæ dicuntur differentiæ, quia sunt speciei in esse specifico constitutivæ. Erunt ergo specificæ illæ solæ quæcumque essentiali qualitate alia aliam faciunt speciem, et quæcumque in eo quod quale de specie constituta prædicantur. Differentiæ enim, sicut superiorius dictum est, et ad genus et ad speciem comparantur, et ad utrumque illorum habent respectum: ad genus quidem prout sunt divisivæ, ad speciem autem prout sunt constitutivæ. Et ideo sunt sub genere et genus contrahentes, et sunt species sub ipsis. Et species antecedentes sunt ipsæ differentiæ: quia sunt actu et intellectu in ipsis speciebus sicut constituentes in eisdem.

**Objectio.** *Utrum differentiæ sint generum prout genera sunt, et omne accidentia generum.*

Cum autem consequentes sint in esse generum prout genera sunt, et omne quod sequitur esse alicujus, sit de gene-

re accidentium, ut dicit Avicenna, videbitur forte alicui, quod sint accidentia generis, sicut propria sunt accidentia speciei, eo quod propria sunt de consequentibus esse specierum. Sed ad hoc dicendum, quod non est similis habitudo generis ad differentiam, et speciei ad proprium. Species enim se habet ad proprium ut ens perfectum quod est de ratione proprii: sicut subjectum est de ratione passionis non existens de essentia ipsius, sed tantum subsistere faciens in seipso. Genus autem se habet ad differentiam et ponitur ut ens imperfectum perficiendum per differentiam, sicut materia per formam, et ut ad eductum de potestate ipsius sicut forma educitur de materia. Et quia nihil perficit substantiam ad esse substantiæ, nisi substantia, ideo genus perficitur ad esse speciei per differentiam. Species vero est substantia. Oportet ergo, quod differentia sic respiciens genus et speciem, sit substantia et substantialis forma.

Et quod dicitur quod est consequens esse generis: Dicendum quod esse generis ut genus, est esse imperfecti. Et ideo quod consequitur ipsum sic, est sicut actus qui consequitur potentiam, propter quod oportet quod sit substantia. Si autem generis esse, perfecti esset esse, de necessitate sequeretur quod differentia esset accidentis generis: et tunc non posset esse substantia speciei: quia quod est uni accidentis, nulli potest esse substantia, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>. Si tamen consideretur genus non ut genus, sed ut universale prædicatum de pluribus, quod propria habet individua sicut animal prædicatur de hoc animali, et illo, sicut in tractatu de *Genere*, est determinatum. Dicunt quidam, quod sic consideratur ut opinio quorundam.

Solutio.

Quomodo differentiæ non sunt accidentes generis, licet insequantur genus.

Quomodo differentia comparata ad genus non est accidentis.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, I Phys. tex com. 26 et 27.

naturam accidentis : sed in hac consideratione modum habet accidentis, et non naturam : quod patet in prædicatione qua differentia prædicatur de genere solo, ut cum dicitur, animal est rationale : vel sub disjunctione ad oppositam differentiam, ut cum dicitur, animal est rationale vel irrationale : utraque enim istarum propositionum est in secundo modo dicendi per se, in quo subjectum est de ratione prædicati. Et in illo modo subjectum quidem est causa esse prædicati, et nihil est de essentia ipsius : et hoc est ideo, quia, sicut vult Aristoteles<sup>1</sup>, accidentis potius est esse quam essentia. Sic enim aliter se habet subjectum ad rationem prædicati, quam in ea in qua prædicatur vere accidentis : cum enim dicitur, animal est rationale, non potest intelligi sic subjectum in ratione prædicati ut positum absoluta natura a re prædicati, sed cum potestate progrediente in actum, et in qua jam inchoatio est differentiae ut prædicatum sit in subjecto. Sed quando proprium prædicatur de specie, species quidem est de ratione proprii, ita quod proprium non est in specie ut in potentia, sed in specie jam completum esse habente per solam naturæ aptitudinem ad quædam, quæ nihil naturæ sunt in esse : sicut patet cum dicitur, homo est risibilis : in hoc enim quod homo est animæ intellectivæ, quæ nata est suspensi et admirari ea quæ apprehensione ejus objiciuntur, efficitur risibilis ad cognita lætificantia, et flebilis ad cognita contrastantia : cum tamen admiratio talis nihil sit naturalium, hoc est, eorum quæ sunt de constituentibus naturam hominis. Sic autem non se habet genus ad differentiam quando de ipso prædicatur : et ideo quamvis prædicatione illa reducatur ad secundum modum ejus quod est per se, tamen etiam aliquid habet de primo : sed quoad hoc est inordinata prædicatione, quia secundum rem ipsam potius subjectum debet esse prædicatum, quam e converso.

Quomodo  
homo est  
risibilis.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 7 primæ philosophiæ, tex. com. 14, 15, 16, et 18.

Sic ergo differentia ad genus se habet. Ad speciem autem habet se sicut substantia formalis et perfectiva et determinativa potentiae generis, sicut in ante habitis determinatum est in tractatu de *Specie*.

Secundum igitur ea quæ dicta sunt, patet quod genus est primum principium differentiae et speciei, et per consequens etiam proprii et accidentis : quia etiam genus primum subjectum est in natura, a quo habet species, quod subjectum est individui : sicut enim saepius dictum est, principium formabile et determinabile in natura omni primum est subjectum in illa natura, sicut materia primum formabile, est primum subjectum in physicis. Est autem et species subjectum secundum aliquid formabile a proprio. Et individuum est subjectum secundum aliquid formabile ab accidente. Etenim subjectum cum sic inveniatur in pluribus per unam rationem communem existentem in illis, oportet quod sit in uno primo quod est causa quare conveniat omnibus aliis, sicut docet Aristoteles<sup>2</sup> : et hoc modo ad genus substantiae reducuntur et species et individua et differentiae et propria et accidentia : hoc enim modo genus omnium principium est.

Eo autem modo quo genus est principium eorum quæ in una sunt coordinatione prædicabilium, sic genus principium est differentiae et speciei : et ideo tota coordinatio illa reducitur ad genus, et non ad differentiam : quamvis enim differentia sit formalis respectu generis, et in hoc videatur esse dignior quam genus : tamen quia principiatur a genere, et non est principium generis, reducitur ad genus ut ad principium : et cum summa in prædicabilibus et prima sint sicut prima principia, ut in ante habitis determinatum est, oportet quod prima ad quæ reducuntur omnia alia, sint prima genera, et non propriæ differentiae.

Est tamen etiam in differentiis ordo qui <sup>In differen-</sup> <sub>tis est ordo.</sub>

<sup>2</sup> ARISTOTELES, In principio lib. 2 primæ philosophiæ, tex. com. 4.

Quomodo  
tam genus  
quam spe-  
cies et indi-  
viduum sunt  
principia  
formabilia.

Quomodo  
tota coordi-  
natio prædi-  
cabilium ad  
genus  
reducitur.

est superiorum ad inferiores : qui est ordo superioris et inferioris, quo differentiae inferiores per additionem ad genera fiunt compositiores et minoris communitatis : sicut est ordo in causis formalibus primariis et secundariis, in quo ordine primariae causæ virtus est in secundaria, et remanet virtus superioris in causato, quando secundaria subtrahit a causato suam causalitatem. Etiam in hoc ordine quidquid causalitatis habet secunda, totum habet a prima. Sed iste ordo non est ad primum recurrens principium, quia primum omnium principium est genus. Et hæc est vera causa quare differentia non potest esse primum et generalissimum, sed oportet quod primum vel generalissimum esse generi attribuat.

Hoc est ergo quod Peripatetici de differentia tradiderunt dicentes quod intellectus perscrutans et speculans differentiam, non quodlibet eorum quæ sunt sub genere eodem dividentium esse facit differentiam, sed quod conducit ad esse, et quod ejus quod est esse rei pars est. Et dant exemplum : neque enim quod aptum natum est navigare per scientiam nauticam, erit differentia hominis, quamvis soli conveniat homini et sit proprium hominis : dicimus enim animal dividentes, animalium quædam apta nata sunt ad navigandum, illa vero minime, proprie animal dividentes ab his quæ non sunt apta nata ad navigandum : sed hoc proprium quod est esse aptum natum ad navigandum non erit essentialie principium completivum : neque enim pars est essentialis, sed aptitudo quædam ejus, et idcirco proprium non est talis aptitudo, quales sunt quæ specificæ et substantiales dicuntur differentiae.

Ex his ergo quæ dicta sunt, patet quod erunt specificæ differentiae, quæ alteratione qualitatis essentialis aliam faciunt speciem, et cum hoc in eo quod quale est prædicantur. Quale enim quid non est simpliciter quale, sed est quale essentialie quid substantiam perficiens : propter quod manifestum est, quod differentia est

id quod ad esse speciei adducit, et quod est pars esse illius rei quæ simpliciter et perfectum esse habet : conducebat enim ad speciem quæ est totum esse individuorum, et est pars esse illius formalis, et conducebat ad esse rei quæ est individuum, cuius totum esse est species : et conducebat ad esse speciei, et est pars esse rei, hoc est, diffinitionis quæ est dicens esse rei diffinitæ : quia diffinitio constat ex genere et differentia sicut ex partibus, quarum utraque est assignatio totius : sed dicuntur partes, quia una dicit totum in potentia, altera dicit totum in actu : cum totum consistat ex potentia et actu sicut essentialibus partibus : non est enim inconveniens, quod totum essentiale sit in qualibet sua parte secundum esse diversum : et secundum hoc diffinitio totum dicens esse, constat ex genere et differentia, quia quamvis differentia sit ut forma totum dicens esse in actu, tamen sola non potest diffinire sine genere propter duas causas, quarum prima est quia differentia sine generis positione caderet a ratione differentiæ, non enim differentia est aliquorum nisi in genere convenientium : et si non poneatur genus, non haberet differentia differentiæ rationem et actum, quia nesciretur inter quæ poneret differentiam. Secunda autem causa est quia tunc diffinitio non respiceret nec in se haberet primum esse ipsius et principium, quod genus est, sicut diximus, et non differentia et sic non esset diffinitio, quia a fine uno usque ad alium esse rei non explicaret : est enim unus finis, a quo incipit genus quod est finis secundum potentiam. Alius autem finis est in quo terminatur esse secundum actum quod est differentia. Et ideo diffinitio dicitur diffinitio, quia a fine uno ad alterum, et totum esse finita complectitur. Et sic de differentiis communibus et propriis et magis propriis quantum ad intentionem logicam spectat, ista quæ dicta sunt sufficiunt : alia enim quæ sunt, spectant ad primum Philosophum.

Quare genus  
et differentia  
dicuntur  
partes diffi-  
nitionis, cum  
dicunt totum  
esse diffini-  
ti.

Quare diffi-  
nitio sic di-  
catur.

## TRACTATUS VI

## DE PROPRIO.

## CAPUT I.

*De intentione proprii secundum quam de ipso intendit logicus.*

Post tractatum de *Differentia* quæ perficit speciem ad esse speciei, intendendum est de *Proprio*, quod ut dicit Boetius, manat de essentialibus speciei jam per differentiam præconstitutæ per intellectum: non enim manat de genere secundum quod est genus, quia tunc esset indistinctum: nec manat de differentia secundum quod est hujusmodi, quia ultima differentia est una, et sic proprium non esset nisi uno modo, quod falsum est: et si sequeretur naturam aliarum differentiarum, tunc multiplicaretur secundum habitudines illarum differentiarum, et hoc iterum est falsum. Est ergo proprium quod manat de substantia speciei jam constitutæ per differentiam conjunctam generi in speciei constitutione.

Hujus autem substantiæ quæ est species, diffinitivum habens esse ex genere et differentia, duplex est consideratio. Consideratur enim prout substantia absoluta et species, et consideratur prout habet esse per inclinationem ad materiam in qua est. Et primo quidem modo non sequitur speciem aliqua habitudo, ex qua manat aliquid aliud quam species, aut non solum illud accidens quod est specialitas et universalitas et hujusmodi quæ non sunt propria hoc modo quo logicus intendit de proprio, et secundum quod proprium est unum de quinque universalibus. In secunda autem consideratione

qua consideratur per inclinationem sive per respectum ad materiam in qua est secundum naturam, multas habet habitudines, ex quibus oriuntur multa consequentia propria. Sicut ex parte quidem materiæ hominis hominem esse carnis nitidæ, equum autem et asinum esse carnis duræ, et hominem esse latorum unguium, rapacia autem ut leones esse rotundorum unguium et acutorum, et hujusmodi: et ex parte formæ hominem esse disciplinæ perceptibilem propter subtilitatem sanguinis et spiritus claritatem, quædam autem animalia esse indisciplinabilia et quædam media esse, et hujusmodi quæ consequuntur formam complexionis: et ex parte quidem animæ intellectualis, hominem esse animal admirativum de auditis et visis et generaliter de sensu apprehensis, quædam animalia non esse hujusmodi: ethominem esse risibilem vel fleabilem, quædam autem non: et multa talia sunt quæ speciem per respectum inclinationis ad materiam talem et debitam speciei consequuntur naturam, et non consequuntur individuum secundum quod est individuum hoc vel illud: et si convenienter in individuo, hoc est, quia individuum illud speciem participat: propter quod etiam proprium de sola specie immediate prædicatur, et non habet proprium individuum, sed prædicatur de individuo speciei per speciei participationem.

Jam ergo manifestum in parte, quod proprium de quo intendit logicus, est unum quinque universalium, et quartum inter ea, quod est accidens communem naturam speciei consequens in materia speciei de-

terminata secundum naturam: et secundum quod illa natura variatur in materia speciei debita, sic multiplicantur propria. Non ergo proprium logicum est solum quod vocatur proprio proprium, quod convenit omni, soli, et semper, sed hoc etiam est proprium logicum, quod convenit omni et non soli, sicut esse bipedem: et id quod convenit soli speciei etsi non omni individuo ejusdem speciei, ut esse medicum, vel agricolam, vel navigatorem, per artem medicinæ, vel agriculturæ, vel navigations disciplinam: et etiam quod convenit omni et soli, sed aliquando et non semper, sicut hominem in senectute canescere, vel albescere senem, aut in processu temporis ætatis nigrescere, et cygnum in ultimo ætatis albos omnes dentes habere, et hujusmodi multa inveniuntur. Propter quod Aristoteles tripliciter assignat proprium. Proprium igitur quando, et proprium ad aliquid, et proprium simpliciter: quia proprium ad aliquid duo comprehendit, scilicet quod convenit omni, sed non soli, et quod convenit soli, sed non omni: et secundum hanc intentionem proprii est unum de quinque universalibus, et prædicatur de specie non essentialiter, quod respondetur ad quæstionem factam per quale, et non de genere, sed de specie. Interrogatis enim nobis quid sit Socrates, convenienter respondemus, quod homo est: rursus autem interrogatis nobis, qualis homo sit Socrates, vel qualis species animalis, convenienter respondemus, quod est risibilis, vel bipes, vel medicus, vel canus.

Attendatur quod proprium prout est universale prædicabile illo modo, cedit in modum prædicandi accidentis, quia accidentis prædicatur ut commune: quia ex communibus causatur uni speciei et alii, et ex communi uni individuo et alii, et non causatur ex principiis adæquatis speciei secundum naturam illius speciei, quam sufficientia habet in propria materia. Illa enim principiorum proprii. cipia aut sunt adæquata omnino principiis proprii, aut sunt excessa a principiis pro-

prii, vel excedentia proprii principia. Si sunt adæquata: aut sunt intramutabilia, propter hoc quod se tenent ex parte speciei: aut transmutabilia, propter hoc quod se tenent magis ex parte materiæ. Et siquidem sunt adæquata principiis speciei et intramutabilia: tunc manat ex illis proprium quod convenit omni et soli et semper, et convertibiliter prædicatur de specie, sicut risibile de homine. Si autem transmutabiliter adæquata: tunc aut est transmutatio ex necessitate naturæ: aut est per voluntatem vel appetitum animæ. Et si per necessitatem naturæ: tunc est proprium quando, quod convenit omni et soli et non semper. Si autem non est per necessitatem, sed per appetitum animæ: tunc est proprium ad aliquid, et non semper, illud scilicet quod convenit soli et non omni, et est proprium ad illa ejusdem speciei quibus convenit, et non ad alia ejusdem speciei quibus non convenit. Si autem principia speciei excedentia sunt principia intrinseca propria, tunc convenit soli et non omni. Si vero e converso principia speciei excedantur a principiis essentialibus proprii, tunc erit proprium quod convenit omni, sed non soli.

Oportet enim scire, quod principia speciei substantiæ sunt: quia species est substantia quæ ex principiis speciei fit: non autem fit substantia ex non substantiis, et ideo principia speciei necessario substantiæ sunt. Cum autem proprium sit de natura accidentis, quod non est pars esse substantialis, relinquitur quod principia suæ essentiæ essentialiter ipsum constituentia sunt accidentia: hæc tamen principia proprio essentialia causantur ab illis principiis quæ sunt speciei substantialia. Cujus exemplum dat Avicenna satis convenientis: ex hoc enim quod homo est animal rationale, vel intellectuale per principia homini essentialia, sequitur quod sit admirativus de visis et auditis, et quod vehementer sit calor et spiritus ad faciem, ubi sunt sensus perceptivi protensus vel propensius. Prætenso autem calore et spiritu ad faciem, fit faciei et mem-

Principia  
essentialia  
proprii sunt  
accidentia.

Quare homo  
est risibilis.

**Mitigatio.** brorum in facie positionum dilatatio. Est igitur aptus natus ad ridendum, etiamsi actu non rideat. Econtra autem si non desiderata sed contraria percipiat, sequitur ad cor caloris et spiritus retractio et cordis constrictio, cujus constrictionem sequitur faciei constrictio et cerebri, quo constricto et per panniculos cerebri compresso sequitur hujus lacrymabilis expressio distillans per poros cerebro continuatos, per venas et nervos, et tunc fluit per oculos, per nasum et os, quod est esse fleabile. Quas proprietates non possunt participare animalia, quae hujusmodi prudentiam et admirationem de apprehensione habere non possunt. Proportionabiliter autem est in aliis propriis, quae propria sunt quando et ad aliquid, ut facile patet cuilibet principia speciei in materia intuenti per modum qui paulo ante dictus est.

**Dubium.** Ex hoc autem solvitur difficultas quam quidam induxerunt dicentes, quod si proprium manet ex principiis speciei, principia autem speciei substantiae sunt, ex substantiis non fit non substantia : ergo patet, ut videtur, quod proprium sit substantia. Ad hoc autem si dicatur, quod duplia sunt principia : quedam essentialia proprio, quae sunt habitudines principiorum per speciem constituentium, et haec sunt accidentia. Sunt etiam principia remota, quae sunt essentialia speciei, et haec sunt substantiae, et sunt principia istorum quae sunt principia essentialia proprio. Adhuc autem concludere videntur quod intendunt per propositionem hanc, quod quidquid est principium principii est principium principiati : et si principia speciei sunt principia principiorum proprii, tunc sunt etiam principia proprii : et tunc videatur sequi idem quod prius. Est autem solutio hujus, quod quamvis eadem sint principia speciei et principia proprii, non tamen eodem modo : sed per habitudinem actus ad potentiam sunt principia speciei, et per habitudinem essentiae totius ad actus vel passiones consequentes naturam speciei in materia sunt principia proprii : et ideo non oportet quod sit proprium

substantia, quia talis habitudo consequitur esse perfectum, et ideo est de accidentalibus. Sed ad hoc objiciunt fortius dicentes, quod cum prædicatur proprium de specie, sicut cum dicitur, homo est risibilis, in ista propositione subjectum est de ratione prædicati, ut dicit Aristoteles : est igitur subjectum in intellectu acceptum et clausum in prædicato : quod enim secundum intellectum conceptum est et clausum in alio, per se et essentialiter convenit illi : ergo idem est essentialie principium illius, et quod per se et essentialiter est principium alicujus est de essentia ipsius. Cum ergo subjectum sit substantia, oportet quod etiam prædicatum quod est proprium sit substantia. Adhuc idem confirmatur sic : cum proprium prædicatur de specie, species est causa proprii : aut ergo est causa per se et univoca, aut per accidens et æquivoca. Si sit per accidens et æquivoca, tunc haec non est per se, homo est risibilis, quod est falsum, quia est in secundo modo dicendi per se. Si autem est per se et univoca causa, sed causa per se et univoca causato dat naturam sui essentiam et nomen : et si dat naturam et essentiam et nomen, est essentialis causa, et quid de essentia prædicati : et sic cum subjectum fit substantia, erit prædicatum substantia, ut videtur, et sic non erit passio, vel proprium, sed species, et sic non erunt quinque universalia, sed quatuor tantum, ut videtur.

**Objectio.****Confirmatio.**

Hæc autem faciliter et cito solvuntur si ad memoriam revocentur ea quae in antehabitis determinata sunt : cum enim subjectum est in ratione prædicati, non est in ratione ejus sicut quid existens de essentia ejus, sed est in eo sicut causa per modum qui est dictus, scilicet aptitudinis consequentis esse subjecti : et ideo non sequitur quod proprium sit substantia sicut subjectum, sed sequitur quod subjectum quod est quid et substantia, sit causa quod talis passio consequatur ipsum, et sit in ipso, cujus inherenteria in ipso causa est, quod prædicatur de ipso : sed si esset in ipso sicut quid vel esset principium ipsius, tunc

**Solutio.**

*Essentiale  
dupliciter.*

bene sequeretur id quod conclusum est. Id autem quod objicitur de essentiali, dicendum quod essentialie dupliciter dicitur: est enim essentialie quod est quid essentiæ, et de hoc verum est quod probat objectio. Est iterum essentialie quod est causa non derelinquens essentiam, cum tamen non sit quid essentiæ, et de hoc non est verum. Hoe modo subjectum est essentialie prædicato et conceptum in ipso, quando proprium de specie prædicatur, et generliter propria passio de subjecto: tale ergo est proprium quod quartum est inter quinque. Sic ergo proprium est universale.

*Objectio.*

Quamvis proprium et universale secundum rationem nominum proprii et universalis repugnare videantur, quia proprium est quod uni soli convenit, universale autem quod convenit multis. Sed ad hoc est dicendum, quod quamvis proprium conveniat soli, hoc tamen solum est species communis, quæ est in multis potentia, vel actu, vel simul actu et potentia: et quamvis sic soli conveniat, tamen est in multis et de multis, in quibus et de quibus est illud solum cuius ipsum est proprium: et hoc non est contra rationem universalis, ut in ante habitis in tractatu de *universalibus* in communi determinatum est. Attendendum est enim, quod vere proprium est, quod convenit omni et soli et semper, et conversim prædicatur de illis: et per respectum ad illud accipiunt alia propria, scilicet illud quod convenit soli, sed non omni, aut omni, sed non soli, aut omni et soli, sed non semper. Diffinitio autem convenit omni et soli semper, sed est quid, sed non quale. Prædicacionem ergo universalis habet proprium, quanquam individua propria non habeat, ut dictum est.

*Removet  
dubium.*

Ideo contra hoc quidam objiciunt dicentes, quod si hoc universale quod est proprium, non habet particulare, ergo non habet particulare, nisi per aliquid: si autem non habet particulare nisi per aliquid, cum universale dicatur ad particolare, videtur sequi quod non est universale nisi per aliquid: quod autem non est

universale nisi per aliquid, est universale per accidens: proprium ergo non est universale nisi per accidens, et sic non quinque sunt universalia per se, quod est falsum. Sed ad hoc dicendum est, quod proprium revera prædicatur de specie cuius est proprium, immediata prædicatione. Sed, ut dictum est, respicit speciem prout est in materia et particulari, ideo prædicatione ejus per se refertur ad particularia: et sic per se et non per accidens est universale.

*Solutio.*

Si autem dicatur quod duorum universalium quorum unum sub altero non continetur, non debent esse eadem particularia: sicut diversorum generum et non subalternatim positionum diversæ sunt species et differentiæ, etiam ita debent esse diversa individua. Dicendum quod est verum de generibus et speciebus: sed de universalibus sic est, quod plura eorum referuntur ad invicem sicut genus ad speciem et species ad genus, et similiter differentia refertur ad utrumque illorum, et sic etiam proprium refertur ad speciem: et ideo possunt habere individua eadem, non tamen eodem modo. Alius enim modus individui est hoc animal, et hic homo, hoc rationale, et hoc risibile: quamvis per suppositum omnia hæc eadem sint, est enim Socrates hoc animal, et hic homo, et hoc risibile. Et si individuum formaliter accipiatur, tunc formaliter diversa sunt individua, sicut diversa sunt universalia. Sed in hoc est differentia, quod hoc animal non habet esse hoc rationale per hoc quod est hic homo, sed per se: sed hoc risibile habet esse hoc risibile per hoc quod est hic homo, quia risibile principiatur ab homine sive ab hominis specie, animal autem et rationale ab homine non principiantur, sed potius principia sunt hominis. Hoc igitur est quod intendimus de proprio secundum logicam intentionem.

*Objectio.*

*Solutio.*

## CAPUT II

*De definitione proprii et explanatione portium ejus.*

Hoc autem totum facile patet si considerentur dicta antiquorum in proprii divisione. Proprium Peripatetici quadrifariam dividunt: quadrifariam autem dividere est quatuor modis fari, quia divisio ejus est multipliciter data. Quod non est omnino æquivocum, nec est pure univocum, sed plurium convenientium in uno nomine relatorum ad unum, cui principalius et perfecta ratione convenit ratio nominis. Nam dicitur proprium quod soli alicui convenit speciei, et si non omni convenit individuo ejusdem speciei, tamen erit proprium quia manat de substantialibus principiis speciei, quamvis principia essentialia proprii non adaequantur principiis speciei, et per transmutationem voluntariam referuntur ad principia speciei: et hoc modo medicum esse vel geometram proprium est homini, et est proprium ad aliquid suæ speciei. Et est proprium, quod omni individuo speciei accidit, sed non soli accidit speciei, eo quod principia proprii excedunt propria principia speciei, quamvis non excedant omnia principia ipsius: quemadmodum proprium est homini esse bipedem. Et est proprium, quod convenit soli speciei et omni individuo ejusdem speciei per aptitudinem naturæ communis, quamvis per accidens impediatur in aliquo, sed non convenit semper, sed aliquando, ut canescere in senectute. Cum enim homo habeat cerebrum maximum respectu sui corporis et humidissimum, quod non terminatur nisi quamdiu calor naturalis fuerit fortis, necesse est, quod procedente ætate frigescente calore resolvente ipsum, et non dirigente, nec terminante ipsum, putrescere incipiat: et tunc canescit et albescit secundum naturam. Quamvis hoc per accidens impediatur in his in quibus est subtile et pinguis humidum facile per

modicum calorem terminabile: propter quod qui molles et subtile pilos habent, aut non canescunt, aut tarde: mollities enim et subtilitas pilorum, signum est subtilis et pinguis humidi, et hoc est proprium quando. Est etiam proprium quod omni convenit individuo speciei, et soli speciei, et semper convenit, eo quod principia proprii adæquantur penitus principiis speciei et immobiliter manant ex ipsis: et hoc est proprio proprium: sicut risibile convenit homini per aptitudinem naturæ hominis, etiam quando non ridet secundum actum et operationem usus, dicitur esse risibile, non quod actu rideat, sed quod aptus natus ad ridendum est, et hoc modo equo convenit esse hinnibilem, et asino esse rudibilem, et bovi esse mugibilem: et sic sua propria habet quodlibet animal, et etiam quælibet specierum, quamvis nomina proprietatum non sint posita, propter hoc quod nobis sunt incognita.

Dicimus tamen quod species et res sub speciebus contentæ multas habent operationes non a qualitatibus activis et passi- vis quæ sunt in ipsis, sed a tota specie, sicut seamonea dicitur purgare cholera, et saphyrus tremores et antraces pellere: et hoc dicitur esse eis proprium. Hæc autem sic dicuntur proprie propria, quoniam etiam convertuntur et conversim prædicantur de specie universaliter: quidquid enim est equus, est hinnibile, et quidquid est hinnibile, est equus.

Attendendum est, quod quamvis risibile sit proprium hominis, tamen risibilitas non est ejus proprium, quia proprium est universale prædicabile: risibilitas autem de homine prædicari non potest, sicut nec prædicatur in differentia rationalitas, sed prædicatur rationale. Et hujus causam dicit Avicenna satis convenientem: quia cum universale notio sit totius ejus de quo prædicatur, et dicat ipsum totum vel secundum potentiam vel secundum actum vel secundum naturalem potentiam consequentem ipsum in eo in quo est, sic di-

Risibilitas  
non est pro-  
prium ho-  
minis, sed  
risibile.

*Per quam  
tempora ho-  
menescat  
in senectute.*

*Quandoque  
impeditur  
canescere  
in senectute.*

cit totum proprium. Taliter autem totum non potest significari per abstractum, sed significatur per concretum. Oportet enim universale concretionis more significari per nomen.

Quamvis enim sic quatuor universalia quæ sunt genus et species, differentia et proprium, concretionis modo significari habeant, non tamen propter hoc sunt denominativa, sed sunt totius esse nomina nomen et rationem dantis ei de quo prædicantur: quod non faciunt denominativa, quia ista non sunt nisi vel essentiala ejus

de quo prædicantur, vel ex essentialibus principiis manantia: denominativa autem formantur ab aliena natura, quæ per causam non essentiale, sed infinitam esse habent in subjecto, et ideo non essentialiter, sed denominative possunt prædicari: sicut cum dicitur, homo est albus vel niger vel aliquid hujusmodi. Hæc autem in doctrina prædicamentorum habent determinari. Talis ergo est intentio proprii apud logicos, et talis est divisio ipsius. De proprio ergo hæc dicta sufficient.

---

**TRACTATUS VII**

## DE ACCIDENTE.

## CAPUT I

*De differentia proprii et accidentis prout accidens est quintum prædicabile.*

Antequam de assignationibus accidentis tractemus quibus Antiqui accidens descripserunt, oportet nos de differentia proprii et accidentis secundum quod est unum de quinque universalibus determinare. In hoc enim Avicenna dicit antiquos qui de quinque tractaverunt universalibus esse diminutos, qui descriptiones accidentis posuerunt antequam distinguerent in qua significatione accidens accipitur, secundum quod est unum quinque universalium.

Cum enim omne quod est sit substantia, vel accidens, ut dicit Aristoteles, et proprium propter hoc quod consequitur esse completum speciei sit accidens, videbitur de necessitate, quod proprium sit accidens. Et sic si accidens sumitur pro omni eo quod non est substantia, videtur quod proprium non sit divisum ab accidente, et universalia non sunt quinque, sed quatuor tantum.

Adhuc autem proprium non potest dici essentiale speciei: quia ex quo proprium sequitur totam compositionem speciei, et completum esse ipsius, species intelligitur sine proprio: et cum non sit essentiale speciei, erit ut accidentale speciei, et sic est in natura sicut accidens: et cum in comparatione ad proprium subjectum sit accidentale, totum ponetur in naturam et essentiam accidentis: non ergo erit in aliqua consideratione nisi accidens, et sic

iterum sequi videtur, quod non sint quinque universalia, sed quatuor tantum. Si autem aliquis dicere velit, quod duplex est comparatio accidentis ad subjectum: idem enim accidens comparatur ad subjectum ut ad substantiam tantum, et hoc est accidens: aut comparatur ad subjectum non ut ad subjectum, sed ad causam, et hoc emanat de principiis subjecti, et est proprium subjecto, et sic differt proprium ab accidente. Hoc stare non potest: quia omne accidens, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, causatur a substantia et stabilitur et ordinatur ab ipsa, et sine ipsa est fluens et indeterminatum: et sic sequeretur quod omne accidens sit proprium, et sic iterum sequeretur, quod non essent nisi quatuor universalia, scilicet genus, differentia, proprium, et accidens. Hoc etiam probatur ratione: quia omne quod secundum ordinem naturae est prius aliquo, est causa ad illud, ut determinatur in libro *Causarum*, et in libro *fontis vitæ*: non potest autem negari quin ordine naturae substantia sit ante accidens: accidens ergo sic comparatur ad substantiam sicut ad subjectum et ad causam. Hoc autem etiam dicit ratio nominis *substantia* quæ dicitur a *substantio*, eo quod accidenti substet ut subjectum et causa.

Adhuc accidens dividitur in accidens separabile, et inseparabile. Inseparabile autem accidens est, quod causatur a principiis subjecti: proprium autem est accidens a principiis subjecti causatum. Videtur ergo quod proprium sit pars acci-

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 9 primæ philosophiae, tex.

dentis, et in minori ambitu communitatis quam accidens.

**4. argumentum.** Adhuc Avicenna quærit, quid vocatur accidens, quando accidens dicitur unum quinque universalium? Si enim accidens dicitur id cuius tota natura est accidens, ut color, vel albedo: cum talia sint et genera et species et differentiae et propria, videtur quod quinque universalia non differant re, sed modo tantum, ut videtur. Postea talia quædam sunt modum tantum quemdam dicentia, sicut cum dicitur, corpus est creatura, vel non creatura, vel factum, vel æternum: tunc talis prædicatio nihil de subjecto prædicaret, nec talis prædicatio posset reduci ad aliquem modum prædicationis quinque universalium. Si autem talis natura non dicitur accidens, sed accidens vocatur denominatum ab accidente, ut album, tunc accidens est idem quod accidentale, quod omnino falsum esse videtur, quia accidentale dicit plus quam accidens, et dicit subjectum quod non est de essentia vel natura accidentis.

**5. argumentum.** Adhuc quæritur de comparatione hujus universalis quod est accidens ad individua de quibus prædicatur. Si enim non habet propria individua, sed habet individua substantiae, tunc videtur quod non sit proprie et per se universale. Si autem habet individua propria et per se non ab alio universali: tunc sequitur quod cum omne universale habeat esse completum et perfectum quando est in suis individuis, quod accidens completum esse habeat et perfectum, quando est in suis individuis, ut album in hoc albo: et sic accidens completum esse habere potest sine substantia, quod omnino est impossibile.

Restat ergo quæstio, quid sit accidens secundum quod est unum quinque universalium secundum Avicennam et Alfarabium?

**Solutio.** Ad hæc et similia non est difficile respondere si bene revocentur ad memoriam, quæ in tractatu primo de *universalibus* dicta sunt. Dictum est enim quod omnia ista quinque quantum ad commu-

nem modum prædicandi de pluribus universalia sunt, ita quod sunt in multis et de multis, et quod non æquivoce prædicantur de multis in quibus sunt, et quod suis particularibus dant nomina sua et rationem, ita quod unumquodque suo particulari nomen suum dat et rationem, genus scilicet ut genus, species ut species, differentia ut differentia, proprium ut proprium, et accidens ut accidens: sicut album dat nomen et rationem suam secundum prædicationem accidentis huic albo, de quo prædicatur ut accidens, et cui accidit sive inest ut accidens.

Et quod quæritur de differentia proprii et accidentis secundum quod sunt diversa universalia prædicabilia de suis subjectis, *Dicendum* quod differunt in hoc quod proprium est accidens manans de principiis essentialibus speciei, et maxime proprio proprio, cuius principia principiis speciei immobiliter sunt adæquata, quemadmodum in tractu de *Proprio* dictum est. Sunt autem sub principiis speciei principia substantialia individui componentia ipsum, sicut talis anima, et tale corpus, et talis complexio, et talis membrorum compositio, et talis habitudo, et hujusmodi, ex quibus oritur et manat accidens individui, quod secundum quod totum esse significat, et est notio totius sub esse talis accidentis, prædicabile de ipso est, nec idem est ipsi: et hoc sub hoc communi, quod est universale prædicabile de inferioribus, speciale dicunt modum prædicandi, qui non est aliquis aliorum quatuor modorum, et ideo ipsum est universale quintum, et ideo etiam vocatur accidens in dividui, cum proprium dicatur accidens speciei propter causam quæ sæpius dicta est: et ideo differunt prædicabilia nisi apponenter taliis quatuor prædicabile accidens. Ideo etiam dicitur accidens commune, quia talis habitudo principiorum communiter in diversis generibus et speciebus particularium invenitur. Ideo etiam vocatur accidens infinitum, quia principia stantia non sunt, sed mobilia motu per accidens, qui in

Quomodo  
differunt  
proprium  
et acciden-  
tum  
quod est  
quintum  
prædi-  
cabile.

omnibus est et infinitus. Et ideo etiam dicitur accidens per accidens, quia talia principia essentialia individuis non sunt determinate de intellectu accidentis, ita quod concipiatur in ratione diffinitiva accidentis sicut determinata subjecta, quemadmodum concipitur determinatum subjectum in diffinitione accidentis per se. Tale ergo universale prædicabile de multis per hoc quod notio totius est sub esse accidentalii hujus accidentis (ut dicit Alfarabius) est universale quintum quod vocatur accidens. Et quia nullum abstracte significatum potest esse notio totius subjecti secundum quod est sub esse substantiali vel accidentalii, propter hoc accidens in solo genere accidentis signatum, ut color, vel albedo, non potest esse universale sic prædicabile ut accidens, quamvis possit esse universale ut genus, vel species, vel differentia, vel proprium. Quod dicit Avicenna, quod accidentale hic accidens vocatur, quando accidens quintum universale dicitur esse, quamvis etiam hoc subjectum dicat et accidens, quae sunt diversarum naturarum non ad idem ordinatarum, ut potentia et actus, tamen non prædicatur nisi secundum esse accidentis, quod habet in subjecto, et ideo totum prædicatum vocatur accidens.

**Ad primum argumentum.** Quando enim dicitur quod omne quod est, aut est substantia, aut est accidens: hoc verum est secundum quod substantia est ens per se, et accidens est ens per aliud in alio: hæc enim divisio reducitur ad hanc quæ est, quod omne quod est, aut est per se ens, aut non per se ens, quæ dividuntur per affirmationem et negationem: et sic proprium, ut dicit Boetius, est de genere accidentium. Secundum autem quod sunt diversi modi entis per se, secundum quos variatur prædicatum substantiale in quid et in quale, sic sunt diversi modi entis in alio et per aliud, secundum quos variatur modus prædicatio-

nis sive prædicabilis accidentalis. Quodam enim est in alio et per aliud, ita quod principia ejus sunt adæquata isti, et immobiliter sunt in ipso: et hoc habet modum proprii quod simpliciter est proprium, quia proprium quando et proprium ad aliquid deficiunt a proprio simpliciter: et ideo accipiunt secundum aliquid modum accidentis. Propter quod dicit Aristoteles<sup>1</sup> quod nihil prohibet accidentis fieri proprium quando, et ad aliquid. Unde talia sunt accidentia aliquid convenientiae habentia cum proprio.

Ad hoc quod dicit, quod accidens per se non est essentiale subjecto, eo quod subjectum secundum esse perfectum natura et intellectu est ante illud. Dicendum quod quidem verum est, quod proprium non est essentiale speciei et subjecto de quo prædicatur: nec hoc dictum fuit, sed potius e converso, quod subjectum per principia universalia specificata est essentiale proprio, quia subjectum est in ratione proprii, et non proprium in ratione subjecti: nec dicitur subjectum essentiale proprio sive per se accidenti, quia sit aliquid de natura prædicati, sed quia est causa ipsius a qua fit et in qua fit secundum esse: et ideo dicitur essentiale sibi sicut non derelinquens ipsum actu et intellectu, et non sicut conceptum ut quid: vel quale essentiale ipsius, sicut genus et differentia componuntur in intellectu speciei. Hoc autem modo substantia non se habet ad accidens commune sive ad accidens per accidens, sed habet se tantum ut terminus ad quem terminatur esse accidentis sine quo fluidum et incertum est accidens, et sicut fundamentum quo fundatur: et hoc habet substantia ut substantia est, et non ut hæc substantia vel ista, et ideo non per se accipitur in ratione sive diffinitione accidentis. Et ideo hæc non est per se, sed per accidens, cum dicitur, homo est albus: quamvis hæc sit per se, homo est risibilis. Cum enim dicitur homo est albus, notatur hominem subjectum esse

Ad secun-  
dum argu-  
mentum.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 1 Topic. cap. 4.

fluxus albedinis, et illud in quo fundatur album, ut sit albedo in ipso, et subjectum non dicat causam quare accidens sit tale in ipso. Cum autem dicitur homo est risibilis, homo dicit causam quare risibilitas sit in ipso, et ideo diversus est modus prædicandi hic et ibi.

*Ad tertium argumentum.*

Ad hoc autem quod dicitur de accidente separabili et inseparabili, quod unum comparetur ad subjectum ut ad subjectum tantum, alter autem comparetur ad subjectum ut ad subjectum et ad causam, et sic proprium sit pars accidentis: *Dicendum* quod quamvis accidens inseparabile comparetur ad subjectum ut ad causam, tamen non sequitur quod proprium sit pars accidentis. Comparatur enim proprium ad subjectum quod est species per principia incorruptibilia et immobilia, ut sæpius dictum est: accidens autem inseparabile comparatur ad principia individui quæ sunt mobilia et corruptibilia ut ad complexionem hanc vel ad compositionem hanc facientia, quamvis propter aliquam causam non mutetur subjecto manente, sicut nigredo ad Æthiopem, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quia semen in matrice decoquitur decoctione forti, et ideo resolvitur humidum clarum, et remanet nigrum terrestre et non clarum. Et cum alia sit comparatio propria et inseparabilis accidentis ad subjectum, patet quod proprium non est pars accidentis, nisi forte proprium quando, et ad aliquid, quæ sunt simpliciter de natura accidentis, et secundum quid propria, ut dictum est.

*Ad quartum argumentum.*

Ad hoc autem quod quæritur, quid hic dicatur accidens, jam patet responsio in supradictis. Quod autem quæri posset, quæ differentia sit accidentis et accidentalis, ex quo accidens hic dicitur accidentale, ut dicit Avicenna, solvendum est per eumdem Avicennam dicentem, quod *accidens* dicitur per oppositionem ad substantiam: *accidentale* autem denominatum est ab accidente et ratione esse accidentalis quod habet prædicatum, et non ratione esse

*Differentia inter accidens et accidentale.*

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In libro causarum particula-

substantialis quod habet subjectum: et ideo dicit quod album non dicit albedinem, sed rem albam sub esse albedinis designatam. Et hoc quia in præcedentibus determinatum est universale non prædicari nisi per hoc quod est notio totius esse sui subjecti, hoc sæpius dictum est.

*Ad hoc autem quod de individuo hujus universalis quæritur: *Dicendum* quod (sicut alia) quædam propria habet individua: quia aliter non esset per se et univoce universale sicut alia: et hoc verum est,*

*Ad quintum argumentum.*

*quod universale ut universale non habet perfectum esse secundum actum et natum, nisi in suo particulari: et sic hoc album dat perfectum esse albo in universali designato. Sed ex hoc ulterius non sequitur, quin hoc accidentale esse dependeat ad substantiam, ut ad terminum sui fluxus, et sui esse fundamentum, et sic indiget individuo substantiæ. Et hoc ideo, quia est universale quod est accidens, et in quantum universale habet individuum. Et in quantum hoc universale quod est accidens, indiget individuo substantiæ, sicut et de proprio dictum est in antehabito tractatu: propter enim talen diversum modum prædicandi diversum est ab illis hoc universale. Sic igitur secundum Peripateticos posteriores determinandum est de intentione accusantis, antequam procedatur ad assignationes accidentis. Propter quod Avicenna Porphyrium redarguit, quod omissa determinatione accidentis, cuius intentio nota non erat, statim processit ad descriptiones ipsius.*

## CAPUT II.

*De prima assignatione accidentis data a Porphyrio.*

Assignationes accidentis datae a Porphyrio et ab aliis Peripateticis, multipliciter dicuntur esse vitiosæ et reprehensibles, et dicta de accidente prout universale est ab Avicenna et Algazele et Alfarabio

*Rationes contra definitionem Porphyrii de accidente.*

et Jacob filio Alchindi, minus veritatis habere, et esse multipliciter imperfecta, in quibusdam non vera, et in quibusdam imperfecta, et in quibusdam ad rem non pertinentia.

**Prima.** Quod enim dicunt antiqui in prima accidentis assignatione, quod accidens est quod adest et abest præter subjecti corruptionem, debuit esse generis. Debuit ergo dici quod accidens est universale. Universale enim quinque generibus est pro genere. Adhuc addi debuit differentia contrahens ad prædicabile, quod est accidens, et separans ipsum ab aliis in modo de pluribus prædicandi: ut diceretur sic, accidens est universale prædicatum de pluribus non essentialiter, sed in quale et non in quid: hoc enim esset quare adest vel abest ei de quo prædicatur præter subjecti corruptionem. Adhuc sicut abest præter subjecti corruptionem, ita abest præter subjecti constitutionem, motus enim secundum accidentia, sicut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, est de subjecto ad subjectum eodem subjecto remanente et salvato sub utroque terminorum motus: et hæc est causa quare adest et abest præter subjecti de quo prædicatur corruptionem.

**Secunda.** Dicit etiam Avicenna vitium esse in hoc quod secundum hanc assignationem accidentis dividunt accidens in accidens separabile, et inseparabile: dicentes quod dormire vel sedere est separabile accidens, nigrum vero esse corvo et Æthiopi inseparabiliter accedit. Et si objiciatur quod hoc oppositum esse videtur ei quod dicitur in assignatione accidentis, quia si eidem adest et abest præter subjecti corruptionem, tunc omne accidens videtur separabile et nullum inseparabile subjecto manente. Dant responsionem valde calumniosam dicentes, quod accidens separabile est a subjecto secundum intellectum, quia potest subintelligi corvus albus et Æthiops nitens candore sive colore: nitens autem color non est nisi albus. Hæc autem responsio valde videtur debilis, quia separabile se-

cundum actum, et separabile secundum opinionem vel intellectum, sunt separabilia æquivoce et talia in assignationibus diffinitionum poni non debent.

Adhuc autem falsum videtur quod dicunt, quod præter subjecti corruptionem possit intelligi corvus albus et Æthiops nitens candore: nigredo enim comparatur ad corvum et ad Æthiopem, ut ad subjectum et ad causam substantialem materiæ et subjecto corvi et Æthiopis: et ideo manente corvo secundum quod corvus est, non potest intelligi corvus albus, ut videtur: quia corvo positio ut subjecto, ponitur causa nigredinis, et posita causa nigredinis non potest intelligi quod albedo insit corvo: vitiosa igitur, ut videtur, talis accidentis assignatio est: et hæc omnia concedit Avicenna.

Adhuc autem etiam falsum videtur: quia mors accidit homini, et combustio domui: et neutrum illorum adest præter subjecti corruptionem: adhuc autem generatio. Sic ergo Arabes Philosophi hanc Porphyrii accidentis reprehenderunt descriptionem.

Ad hoc quidam Latinorum finixerunt Solutio pri-  
mæ. quasdam responsiones, quas quia deliramenta reproto, de eis nullam faciemus mentionem. Est autem veritas de his quæ Antiqui dixerunt, quod accidens est quod abest et adest præter subjecti corruptionem. Ex prima enim universalis divisione in quinque universalia subintelligi volunt universale, ut sit sensus. Accidens est universale, quod de subjecto prædicatur non essentialiter, et ideo potest inesse subjecto eidem, et abesse ab eodem: nec oportuit ponere, quod per divisionem a quolibet subintelligi poterat. Similiter dixerunt de hoc quod dicitur de modo prædicandi non essentiali: hic modus intellegitur ex determinatis in aliis, quæ omnia essentialiter prædicantur secundum primum vel secundum modum dicendi per se, sicut in ante habitis dictum est. Et cum solum accidens residuum sit inter

**Tertia.**

**Quarta.**

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 3 Physicorum, tex. et com. 7.

universalia et ultimum, eo quod minus habet de ratione prædicabilis, relinquatur quod non essentialiter prædicatur; et sic indifferenter ad affirmandum et negandum habet se ad suum subjectum, quod adest et abest eidem subjecto, subjecto eodem remanente incorrupto: quod non convenit alicui aliorum universalium quæ se non habent ad subjecta de quibus prædicantur modo affirmando et modo negando: quia ipsa insunt subjectis actu et intellectu, vel subjecta insunt ipsis prædicatis secundum intellectum, quod non inest subjecto accidentis, nec etiam prædicto.

**Solutio secundæ.** Quod autem subjungitur de divisione accidentis, ratio est ut ostendatur assignatio vera de utroque accidente. Et de separabili quidem planum est quod dicitur. De inseparabili etiam verum est, quia docet Aristoteles quod alteratio est, quando eodem manente subjecto motus fit in suis passionibus: motu autem facto secundum inseparabile accidens non potest negari quin sit motus alterationis et non substantiae: oportet igitur quod maneat idem subjectum salvatum secundum esse substantiale: quia aliter motus esset aut de non subjecto ad subjectum, aut de subjecto ad non subjectum: et hæc est necessitas quæ compulit antiquos dicere, quod secundum inseparabilia accidentia prædicatio est accidentis, quod adest et abest præter subjecti corruptionem. Est enim constitutio subjecti duplex, scilicet secundum esse simpliciter, et secundum esse talis vel talis complexionis. Secundum esse simpliciter constituitur solis principiis substantiae quæ sunt forma et materia ad speciem vel ad individuum speciei determinata. Secundum autem esse talis vel talis complexionis constituitur ex qualitatibus principiorum substantialium et non ex ipsis principiis. Cujus signum est: quia si ovum corvi accipiatur, et argento vivo in humore viscoso sicut est unguentum anseris vel cati

(quæ fridiga sunt animalia) circumliniatur, et nidus in frigidissimo sit loco, sicut in summis montibus frigidis, erit ex ovo corvus albus, et aliquando erit albus ex sola loci frigiditate: et hoc non esset nisi principia substantialia a talibus accidentibus essent separabilia. Est enim manifestum quod Æthiops in locis frigidis paulatim albescit propter eamdem causam.

Quod autem objicitur, quod talia inseparabilia ad subjectum comparantur ut ad causam: et hoc est, quia subjectum ibi cum substantia et principiis substantiae talem in ratione et in nomine suo designant complexionem. Si autem subjectum sine tali complexione supponatur, tunc manente eodem subjecto adest et abest accidens. Et quod dicit separationem secundum opinionem vel intellectum, et separationem secundum actum esse in æquivocis, dicendum quod verum esset, nisi separabilitas illa non esset nisi in anima et non in subjecto: ille autem intellectus refertur ad rem, ut dictum est: et ideo non est peccatum æquivationis.

**Objectio.** Ex hoc patet solutio ejus quod objici potest, quod ita etiam subjectum proprii potest intelligi sine proprio, et sic separari secundum intellectum posset istud quod est proprie proprium. Quia patet quod hoc non est verum: quia proprium dependet per substantialia principia ad speciem. Et ideo intelligi non potest sine specie, quia species est in intellectu proprii, ut prius dictum est.

**Solutio.** Quod autem contra assignationis illius veritatem objicitur de morte et combustione: dicendum quod deliramentum est in veritate quod dicunt Latini, quod et post combustionem domus adhuc intelligatur: hic enim intellectus penitus est contra rei naturam. Quod etiam dicatur quod adhuc remanet in elementis mortuus vel in prima materia, absurdissimum est: quia yle, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, sub-

**Solutio ter-  
tiae.**

**Objectio.**

**Solutio.**

**Ad quar-  
tam.**

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 4 de generatione, tex. com.

jectum est generationis et corruptionis, et non motus illius qui est secundum accidentia: illius enim motus subjectum est subjectum in forma substantiali salvatum secundum Aristotelis doctrinam.

**Motu vel** Unde dicendum quod mors mortuo non est accidentale, nec etiam combustio combustibili domui, quinimo et per se et essentialiter est, hoc mortuum in esse substantiali interit, et combustum interit<sup>1</sup>, sicut hoc decollatum per se interit vel imperfectum interit secundum interfecionem: mors enim est dissolutio principiorum vitae substantialium in eo quod mortuum non est, et combustio dissolutio principiorum continentium figuram dominus: tale ergo prædicatum, mortuum non est, vel combustum non est, per se et essentialiter est in subjecto, et ideo inter accidentalia computandum non est: accidens enim de quo intenditur hic, non est id quod dividit ens cum substantia, sed est idem quod accidentale prædicatum, quod est accidentalis notio sive designatio.

**Objec.** Et si objiciatur quod tale accidens est fluxibile et corruptibile, et ideo universale non potest esse, quia universale est incorruptibile, *Dicendum* quod accidens ut hoc accidens vel illud in hac materia vel alia acceptum est corruptibile et fluxibile: sed ut abstractum ab hoc et illo in universalis acceptum, est per rationem incorruptibile, sicut et alia universalia. Sic enim salvatur dicta assignatio Peripateticorum.

### CAPUT III.

#### *De secunda et tertia assignatione accidentis data a Porphyrio.*

**Sic autem assignata accidentis descrip-**  
**tione per modum inhærentiae subjecto de-**  
**quo prædicatur, aliam etiam induxerunt**  
**accidentis assignationem penes causam**  
**inhærentiae sumptam, dicentes quod ac-**  
**cidens est quod contingit eidem inesse**

vel non inesse. Sic enim intelligitur quod dicunt, quod contingit eidem inesse et non inesse, ut contingens sit ad utrumque. Contingit enim inesse quod non habet suæ inhærentiae causam essentiale: et contingit eidem non inesse quod non habet essentiale causam quæ impedit quod non insit: et est conveniens omni accidenti, etiam inseparabili, sicut nuper ostensum est: principia enim quæ in subjecto accipiuntur et sunt accidentis inhærentis principia, contingentia et non essentialia sunt principia, et ideo quidquid ex talibus principiis contingit inesse, contingit etiam non inesse contingenter mutatis principiis. Et hæc assignatio separat hoc prædicatum quod est accidens ab omnibus aliis. Genus enim prædicatum est quod essentialiter inest ei de quo prædicatur, ut ens de ratione ejus de quo prædicatur. Similiter differentia tale est prædicatum, et eodem modo species: proprium autem non inest nisi per intellectum speciei in propria. Solum autem accidens per contingentem causam dicitur inesse, et per contingentem causam dicitur non inesse: propter quod etiam minime habet de ratione prædicationis, et per consequens minime habet de ratione universalis: quamvis forte de pluribus prædicetur quam genus, vel species, vel proprium, vel differentia. Est tamen universalis et prædicabile quod contingit totum et sub esse tali accidentalii designatur: et ideo nomen *tale* (esse totius subjecti designans) notio est ipsius, ut idem prædicatur de subjecto.

Propter quod etiam tertiam induxerunt Tertia diffi-  
nitio acci-  
accidentis assignationem dicentes, quod dentis.  
accidens est quod nec genus, nec species, nec differentia, nec proprium sit, semper autem subjecto inest subsistens. Quam definitionem non satis rationabiliter reprehendit Avicenna dicens, quod hoc quod apponitur, semper autem subjecto inest subsistens: omnino otiose apponitur, et contra intellectum eorum quæ in aliis assignationibus dicta sunt. Otiose quidem,

<sup>1</sup> Cf. 1 Topic. cap. de accidente.

quia cum accidens dicatur quasi cadens, eo quod non sit simpliciter ens, et sit potius entis quam ens, non oportuit ponere quod in subjecto est: non enim proprius est in subjecto, sed est aliquo modo subjecti aliquid potius quam sit, hoc est, esse habeat in subjecto: non enim habet esse in subjecto, sed subjectum secundum quod subjectum habet esse secundum ipsum. Et quod dicitur subsistens accidens, dicit Avicenna nihil significare: sed vox est non significativa, sicut buba, vel bultrix: accidens enim si accidens est, nullo modo subsistit, quia non habet subsistentiam aliquam, sed in subjecto tantum est, ita quod haec determinatio in subjecto determinat rationem essendi vel subsistendi. Et non est nisi secundum quid, quod non nisi in subjecto est, et sic superflue ponitur subsistens: et est sensus, quod accidens est subsistens, hoc est, quamdiu est, in subjecto est: et quando in subjecto non est, tunc non subsistit, nec est.

Hæc autem assignatio aliis impugnatur modis: quia eadem ratione posset dici de quolibet aliorum universalium sic, quod genus est quod nec accidens, nec species, nec differentia, nec proprium est, semper autem in subjecto est. Et similiter posset de aliis dici per negationem aliorum. Adhuc autem accidens non semper est in subjecto si adest et si abest præter subjecti corruptionem.

**Solutio.** His autem omnibus et similibus non est difficile respondere, consideratis secundum logicam intentionem universalibus: hoc enim modo accidens prædicatum maxime ab inhærentia subjecti deficiens est, et ideo per negationem aliorum describitur. Sed est privatio per negationem ha-

bitus, non quod penitus sit privatio, sed quia privationi simile et privationi propinquum, quia privatur inhærentiæ certa causa, et hoc non est in aliis. Quamvis negatio nihil certificet, tamen cum terminatur ad ea quæ negat, certificat aliquo modo.

Et quod dicitur, quod non semper est in subjecto: *Dicendum* quod ista objectio provenit ex malo intellectu illius assignationis: non enim vult dicere, quod simpliciter sit in subjecto, sed potius quod accidens prædicatum subsistens, hoc est, dum est, non habet esse nisi in subjecto, et ideo ad subjectum secundum suum esse semper habet inclinationem, et quando non est in subjecto, tunc non est. Hoc est ergo quod Antiqui de accidente dixerunt, quod accidens est quod adest et abest præter subjecti corruptionem. Dividitur autem in duo, scilicet in separabile, et in inseparabile. Dormire separabile accidens est, nigrum vero inseparabile est corvo et Æthiopi, et tamen utriusque accidit, potest enim subintelligi corvus albus et Æthiops nitens candore præter subjecti corruptionem.

Diffinitur autem accidens adhuc sic, accidens est quod contingit eidem inesse et non inesse. Adhuc ergo diffinitur sic, accidens est quod nec genus, nec species, nec differentia, nec proprium est, semper autem subjecto inest subsistens.

Omnibus his ergo universalibus secundum intentionem logicam sigillatim determinatis, quæ proposita sunt in enuntiatione superius habita in primo tractatu, dico autem genus, speciem, proprium, differentiam et accidens: dicendum deinceps quæ eisdem communia, et quæ propria sint.



**T R A C T A T U S   V I I I**

**DE COMMUNIBUS IN QUIBUS CONVENIUNT ET DIFFERENTIIS  
QUIBUS DIFFERUNT QUINQUE UNIVERSALIA.**

**CAPUT I.**

*De eo in quo communicant omnia quinque universalia.*

Omnibus autem quæ de universalibus sigillatim dicenda videbantur exsecutis, nunc demum restat dicere de omnibus in quibus conveniunt, et de differentiis in quibus differunt ad invicem. Primum autem dicemus de his quæ omnibus simul sunt communia. Dicemus autem quod commune est quidem omnibus simul, quod inest eis de pluribus prædicari. Hoc enim omnibus necesse est convenire, quia universale quod est genus ipsorum, etiam per hoc diffinitur: quia universale est quod est in multis et de multis: in multis autem esse causa est, quod prædicetur de illis, et de multis esse idem est ei quod est de multis prædicari. Hoc autem quamvis omnibus quinque commune sit, differenter tamen convenit eis, quia genus quidem de speciebus suis et individuis generis et speciei prædicatur per hoc quod est in illis secundum actum et secundum intellectum. Et similiter differentia cum sit generalis, prædicatur de speciebus et de individuis specierum per hoc quod ut quale essentiale est in illis secundum actum et secundum intellectum. Et quod de differentia ultima convertibili cum specie posset contra hoc objici, jam in tractatu de *Differentia* determinatum est. Species autem prædicatur de pluribus, quia prædicatur in quid de ipsis quæ sub ipsa sunt individuis. Similiter autem et proprium prædicatur de pluribus, quia quamvis de

una sola specie prædicetur, tamen quia species est in individuis ut totum esse individuorum, propter hoc etiam proprium prædicatur de omnibus illis speciei individuis et sic de pluribus prædicatur. Accidens autem etiam de pluribus speciebus et aliquando de pluribus generibus, ut album de cygno, et de nive, et cæteris, et etiam prædicatur de individuis tam generum quam specierum.

Hoc autem et inductione probatur et exemplo: animal enim quod est genus, de homine et de bove prædicatur, quæ sunt plures species et de equo: prædicatur etiam de hoc equo, et de hoc homine, quæ sunt individua. Irrationale vero quod est differentia vel loco differentiæ divisivæ positum, de equo, de bove, et de harum specierum particularibus prædicatur. Species autem specialissima quæ solum species est et non genus, prædicatur de pluribus: prædicatur enim de his quæ sunt illius speciei particularia, ut homo de his qui sunt particulares homines. Proprium vero quod est risibile, prædicatur de homine ut de una sola specie, et prædicatur de his qui sunt particulares homines. Nigrum autem quod est accidens inseparabile, prædicatur et de specie corvorum et de his qui sunt particulares corvi.

Sed differenter se habet in prædicando accidens ad proprium: quia prædicatio proprii per speciem venit ad individua. Prædicatio autem accidentis cum accidens sit in individuo per se, prius prædicatur de individuo, et per individuum venit ad speciem: et hoc quidem est accidens in-

separabile. Similiter prædicatur moveri de homine et de equo et de eorum individuis quod est accidens separabile. Sed, sicut dictum est, accidens principaliter prædicatur de individuo: secundo vero loco prædicatur de his speciebus quæ continent sub se individua.

Huic autem communitati adducunt Avicenna et Algazel ex ista aliam causam, quæ similiter omnibus coëmmunis est universalibus: et hæc est, quod quæcumque essentialiter prædicantur de prædicato, omnia etiam prædicantur de subjecto: ut si animal ut genus prædicatur de homine, omne quod substantialiter prædicatur de animali, prædicatur essentialiter de homine: ut si animal est vivum et substantia, erit homo vivum et substantia. Similiter in differentia si homo est rationalis, et rationale sensibile, et si sensibile animatum, et homo animatum erit. Similiter de specie: quia si Socrates est homo, et **homo animal**, et animal substantia, erit Socrates animal et substantia. Eodem autem modo est de proprio: quia si homo est risibile, et risibile admirativum, et admirativum suspensivum ad rerum investigationem, erit homo admirativum, et rerum investigativum. Et sic est de accidente: quia si homo est album coloratum vel visus disaggregativum, erit homo hujusmodi. Et sic est generaliter in omnibus. Et hoc est propter quod ista quinque univoce sunt universalia, et ideo quæcumque prædicantur de prædicato, omnia de subjecto convenit prædicari.

## CAPUT II.

### *De tribus communibus generi et differentiæ.*

Primum commune generi et differentiæ. Signata communitate omnium simul commune generi et differentiæ dicamus quæ prima sunt inter universalia, ut habitatum est in præmissis. Dicitur ergo quod generi et differentiæ commune est, quod utrumque species contineat in ambitu suæ communitatis: continet enim differentia species, quamvis non omnes illas species

contineat, quas continet genus: et hoc ideo est quod differentia est divisiva, et per hoc quod est divisiva, ponitur sub genere, et efficitur minus communis quam genus. Rationale enim quod est differentia, etiam quamvis non contineat ea animalia quæ sunt irrationalia, quæ opposita differentia constituuntur, quæ continet genus quod est animal divisum rationali et irrationali ut oppositis differentiis, continet tamen plures species, continet enim hominem et Deum vel deos, quæ secundum Stoicos sunt species animalis. Quod quidem exemplum, quamvis simpliciter inconveniens sit, tamen utimur eo, quia non discutimus hic de veritate exemplorum, sed utimur tantum eis ad propositæ intentionis manifestationem. Tam genus autem quam differentia prædicatur de pluribus speciebus, dicit Avicenna, quod quamvis non sit necessarium, tamen non est impossibile, quia in pluribus hoc invenitur.

Dubium tamen quod ex hoc oriri posset, in præcedentibus est solutum tam ex parte generis, quam ex parte differentiæ: sed certum est quod dicit Avicenna, quod quamvis non sit necessarium, tamen non est impossibile: quia in pluribus hoc invenitur, quod quantum est de aptitudine naturæ tam genus quam differentia in pluribus sunt speciebus.

Secundum autem quod generi et differentiæ commune est, hoc est, quia quæcumque prædicantur de genere ut genus subjecti sive de specie, et hoc essentiali prædicatione, prædicantur etiam de his speciebus quæ sunt sub ipso genere. Similiter quæ prædicantur de differentia essentialiter, ut differentia differentiæ ipsius, prædicabuntur etiam de specie quæ est sub ipsa differentia. Est autem sub differentia species constituta per differentiam. Hoc autem patet exemplo: cum enim genus sit animal, prædicatur de eodem substantia ut genus, et animatum ut differentia: et non solum de eodem animali hæc prædicantur, sed prædicantur etiam hæc eadem de his speciebus

Secundum commune generi et differentiæ.

quæ sunt sub animali usque ad individua, de quibus etiam prædicantur, quia illa ultima illarum specierum sunt subjecta. Similiter cum rationale sit differentia, de hac prædicatur ut differentia, quod est ratione uti: quod quidem ratione uti non solum prædicatur de differentia quæ est rationalis, sed prædicatur etiam de his speciebus quæ sub hac sunt differentia quæ est rationale, et de individuis eorum, et de homine, et de diis.

*Objectio.*

Quod autem dicitur aliquid prædicari de differentia ut differentia, convenire non videtur his quæ in tractatu de *Differentia* dicta sunt: ibi enim probatur, quod differentiæ non est differentia. Quamvis autem differentia non habeat differentiam ut formam, differentia tamen cum sit naturalis potentia, habet actum et finem: et sic ad actum et finem comparata, aliquid habet prædicatum de ipsa per modum differentiæ, et hoc non est contrarium his quæ in ante habitis dicta sunt.

*Tertium commune generi et differentiæ.*

Adhuc autem est tertia communitas generis et differentiæ, quod perempto generi et differentia, necesse est simul perimi species quæ sunt sub ipsis: si enim non sit animal, sequitur quod non sit equus vel homo, et similiter si non sit rationale quod est differentia, sequitur quod nullum erit utens ratione, sicut homo, vel Deus. Et hujusmodi causa est, quia genus est quid et substantia speciei, differentia autem forma essentialis: et ideo peremptis his necesse est destrui species quæ sunt sub ipsis.

### CAPUT III.

#### *In quibus differunt genus et differentia.*

*Prima differencia generi et differentiæ.*

Proprium autem est generis et differentiæ in quo genus et differentia distinguuntur, ita quod generi quidem convenit de pluribus prædicari quam differentia: quia cum differentia sit divisiva, partem accipit unam eorum de quibus prædicatur genus. In hoc autem etiam

a specie et proprio distinguitur genus: quia de pluribus quam species et proprium prædicatur, cum species de solis individuis, proprium autem de sola specie et de his quæ sub specie sunt individuis prædicetur. Genus autem ut genus prædicatur de his quæ continentur sub oppositis differentiis, et de speciebus pluribus quam accidens: quia cum accidens non individuetur nisi per substantiam, prædicabitur de substantiæ individuis non omnibus: genus autem et maxime generalissimum de valde pluribus prædicatur, et subalternis et specialissimis.

Et hoc quidem patet per inductionem et per exemplum: animal enim quod est genus, de homine, equo, ave, et serpente prædicatur, quæ differunt genere et specie bipedis et quadrupedis et volatilis et gressibilis et reptibilis: quadrupes autem quod est differentia, prædicatur tantum de quatuor pedes habentibus: homo vero quia est species, de solis individuis prædicatur, cum species sit et non genus, et sit species specialissima. Et hinnibile cum sit proprium de solo equo prædicatur, et de his particularibus quæ sunt sub equo. Accidens autem etiam similiter prædicatur de paucioribus quam genus, quia non potest esse quod unum accidens omnibus quæ sunt in genere conveniat, ut album, vel nigrum.

Quod aliquis autem instet sophistice contra ea quæ dicta sunt, quod genus scilicet de pluribus prædicatur quam differentia: *Dico* quod oportet accipere differentias quibus genus dividitur: quia illæ veræ sunt differentiæ, patet per hoc quia sunt generis divisivæ, et speciei sub genere constitutivæ: acceperunt enim partem generis quod dividunt et ponunt sub genere, et ideo in pauciora sunt quam ipsum genus.

*Removet dubium.*

Amplius autem secunda differentia est, quod genus continet differentiam potestate, ut in ante habitis determinatum est. Hoc autem per exemplum probatur: quia animal genus duo est per prædica-

*2. Differentia.*

tionem : est enim et hoc rationale, et hoc irrationale, et prædicatur de utrisque : differentia autem de altero tantum prædicatur.

**3. Differen-  
tia.**

Amplius tertia est differentia, quod genera quidem priora sunt natura his quæ sub se sunt differentiis : quia differentiæ exeunt de generis potestate, et ideo sunt posteriores natura : sed actus posterior est potentia in eodem. Hujus autem signum est : quia sublatis generibus simul auferuntur differentiæ quæ sunt sub genere, sed sublatis differentiis non oportet quod simul genera auferantur. Et hoc patet per exemplum : sublato enim animali quod est genus, simul auferetur rationale et irrationale, quæ sunt differentiæ animalis. Differentiæ autem sublatæ, non simul genus auferunt : nam si omnes divisivæ animalis differentiæ auferantur, adhuc tamen potest intelligi substantia animata sensibilis quæ est animal secundum esse animalis, ut est genus. Quamvis enim dicat Aristoteles quod destructis primis impossibile est aliquid aliorum remanere, hoc intelligendum est secundum esse perfectum quod habent superiora in inferioribus, sed secundum esse intellectuale quod superiora habent in suis principiis, nihil prohibet manere superiora etiam destructis inferioribus in quibus esse accedit ipsis.

**4. Differen-  
tia.**

Amplius quarta est differentia, quod genus quidem in eo quod quid est prædicatur : differentia vero in eo quod quale quid est prædicatur, quemadmodum in ante habitis de genere et de differentia dictum est.

**5. Differen-  
tia.**

Amplius quinto differentia est, quod genus quidem proximum unum est secundum unamquamque speciem quod in ea contrahitur ad speciem constituendam: differentiæ vero contrahentes sunt plurimæ, quæ licet secundum Averroem ut differentiæ generis sint determinatio-nes, tamen in eodem motu a potentia prima generis ad speciem dicunt formas secundum rationem sibi succedentes : eo

quod motus est forma post formam, si-cut dicit Averroes<sup>1</sup>, ut hominis id quod animal unicum est genus : differentiæ vero plurimæ, ut rationale mortale, men-tis disciplinæque perceptibile . Dicitur enim mens a *metior*, *metiris*, eo quod sicut dixit Pythagoras, omnia ratione mensurantur et intellectu : et sic homo ef-ficitur disciplinæ et scientiæ perceptibili-s. Et hæc est differentia illius differen-tiæ quæ est rationale, sicut prius dixi-mus, quia hoc modo in comparatione ad actum vel finem, nihil prohibet dicere differentiam esse differentiæ.

Amplius autem sexta differentia est, **6. Differen-  
tia.** quod genus quidem in constitutione spe-ciei consimile est materiæ per hoc quod formabile et distinguibile est : differentia vero simul est formæ per hoc quod est forma formans et distinguens, ut in ante habitis determinatum est.

#### CAPUT IV.

*De compendio dictorum circa generis et differentiæ tam communia quam pro-pria.*

Dicta autem Antiquorum de his quæ dicta sunt, brevi compendio et facili comprehendi possunt . Dicunt enim quod commune quidem omnibus universalibus est de pluribus prædicari: genus enim quidem de speciebus, et de individuis, et de differentiæ prædicatur. Species autem de his quæ sub ipsa sunt individuis. At vero proprium de una sola specie, et de his quæ sub una sola specie sunt indivi-duis prædicatur. Accidens autem et de speciebus et de individuis prædicatur. Hoc autem per inductionem probatur et per exemplum : nam quia animal de bove prædicatur, et de homine, et de equo, quæ sunt diversa specie : et de hoc equo, et de hoc homine, quæ sunt indivi-dua. Irrationale vero de bove, de èquo, et de particularibus omnibus quoque harum specierum prædicatur. Species au-

<sup>1</sup> Averroes, Super 3 Physicorum, com. 4.

tem, ut homo, solum de his qui sunt particulares homines prædicatur. Proprium autem quod est risibile prædicatur de homine, et de his qui sunt particulares homines. Nigrum autem de specie corvorum, et de his qui sunt particulares corvi prædicatur: quod nigrum est accidens inseparabile. Moveri autem de homine et equo prædicatur quod est separabile accidens: sed prius quidem de individuo prædicatur cum sit accidens individui, secundo vero loco prædicatur et de speciebus quæ continent individua.

Commune autem est generi et differentiæ: primo quidem continentia specierum, continet enim differentia species, etsi non tot quot continent genus: rationale enim, etsi non continent irrationalia, quemadmodum irrationalia continent animal, tamen continent hominem et Deum qui sunt species animalis. Commune etiam generi et differentiæ est, quod quæcumque prædicantur de genere ut genus, et de his quæ sunt sub ipso speciebus prædicantur. Et quæcumque de differentiæ, ut differentia prædicantur, etiam de ea quæ sub ipsa est specie prædicantur; nam cum genus sit anima, non solum de eodem genere prædicantur ut genus substantia et animatum sive vivum, quæ genera animalis sunt, sed prædicantur etiam de his quæ sub animali sunt speciebus usque ad earumdem specierum et generum individua. Cumque rationalis sit differentia, prædicatur de ea ut differentia id quod est uti ratione: et hoc non solum prædicatur de eo quod rationale, sed etiam de his quæ sunt sub rationali speciebus prædicabitur, scilicet ipsum quod est uti ratione. Commune est item generi et differentiæ, quod perempto genere et perempta differentia simul perimi species est necesse quæ sunt sub ipsis: quemadmodum si non sit animal, non est equus nec homo: aut si non sit rationale, nullum erit animal quod utatur ratione.

Proprium autem generis (quod genus distinguit a differentia) est de pluribus

prædicari, quam differentia, et species, et proprium, et accidens. Animal enim de homine, de equo, et ave, et serpente prædicatur. Quadrupes autem quod est differentia, non prædicatur nisi de quatuor pedes habentibus animalibus. Homo vero cum sit species, de solis prædicatur individuis hominis. Et hinnibile cum sit proprium, de solo prædicatur equo, et de his qui sunt equi particulares. Et accidens similiter de paucioribus prædicatur quam animal, quia non contingit unum accidens commune omnibus accidere.

Ne autem sophistice aliquis instet contra prædicta, dicimus quod oportet accipere differentiam divisivam qua dividitur genus, et non eas quæ complent substantiam generum in specierum constitutione, sicut actus compleat potentiam.

Amplius autem differunt in hoc quod genus quidem sue communitatis ambitu potestate continent differentias. Animal enim cum sit genus, est etiam hoc rationale, vel illud rationale. Amplius autem adhuc differunt, quia genera quidem priora sunt his quæ sunt sub se positæ differentiis: propter quod simul ablata auferunt differentias, non autem simul auferuntur ablatis differentiis, sublato enim animali auferuntur rationale et irrationale, quæ ejus sunt differentiæ. Differentiæ autem ablatæ non simul auferunt genus: nam si omnes differentiæ animalis interimantur, tamen substantia animata sensibilis potest intelligi: non autem posset intelligi, nisi secundum esse intelligibile remaneret. Amplius et in hoc differunt, quod genus quidem in eo quod quid est, differentia vero in eo quod quale quid est, quemadmodum dictum est, prædicatur. Amplius etiam in hoc differunt, quod genus unum est unitate essentiæ generis secundum unamquamque speciem: non constituitur enim species nisi in uno genere existente in ipsa, sicut hominis genus unum est id quod est animal. Differentiæ vero sunt plurimæ in unius speciei constitutione, propinquæ scilicet et remotæ, in homine

rationale mortale, mentis disciplinæque perceptibile, quibus ab aliis animalibus differt homo. Amplius etiam in hoc differt genus a differentia, quod in speciei constitutione, genus quidem consimile est materiae, differentia vero consimilis est formæ. Cum autem et alia multa sint communia in quibus convenient, et propria in quibus differunt genus et differentia, nunc ad propositam intentionem ista quæ dicta sunt sufficient.

### CAPUT V.

#### *De communib[us] et propriis generis et speciei.*

Primum  
commune  
generis et  
speciei.

Genus præ-  
dicatur de  
pluribus ut  
pars, species  
autem ut to-  
tum.

Secundum  
commune  
illorum.

Nunc autem assignanda sunt communia et propria generis et speciei. Dicimus ergo, quod genus quidem et species commune habent de pluribus prædicari, per hoc quod utrumque eorum universale est quod est in multis et de multis. Sed talis communitas quamvis convenient tam generalissimo quam generi subalterno, et similiter specialissimæ speciei subalternæ, tamen secundum quod hic communia generi assignamus et speciei, intendimus quod genus sumatur ut genus et non ut species, et species sumatur ut species et non ut genus: quamvis ad diversa comparata quædam istorum possint esse genera et species: ideo maxime ista convenient generi quod est genus tantum, et speciei quæ est species tantum: quamvis enim genus sumptum ut genus prædicatur de pluribus differentibus specie, et differentibus numero, et species sumpta ut species prædicatur de pluribus differentibus numero solum: tamen in hoc communi genus et species convenient, quamvis in modo differant: quia genus prædicatur ut pars, species autem ut totum esse eorum de quibus prædicatur: sed de differentibus hic modis non curamus.

Secunda autem communitate iterum convenient genus et species, quod utrumque prius est eo de quo prædicatur. Et hujus causa est, quia sunt principia es-

sentialia eorum de quibus prædicantur: principium autem natura et intellectu prius est eo cujus est principium.

Tertiam autem habent communitatem, quia utrumque illorum totum quoddam est ad ea de quibus prædicatur: continens autem totum est ad id quod continet, nec prædicatur de eo nisi ut ipsum est notio totius, sicut in ante habitis sæpius dictum est.

Tertium  
commune  
eorumdem.

Assignatis autem convenientiis inter genus et speciem, oportet etiam ponere differentias: quia quæ in omnibus convenient, et in nullo differunt, eadem sunt et non differentia. Differentia autem sunt genera et species, et ideo oportet distinguere differentias eorum ad invicem. Differentia autem prima differentia sump- Prima diffe- rentia gene- ris et spe- ciei

ta ex ambitu communitatis eorum, ex eo quod genus continet sub se species, species vero continentur et non continent genera per talem continentiae modum: quamvis contineantur genera alio modo, ut scilicet pars essentialis quæ quasi materia continentur in toto composito. Et est hoc compositum ex dictis Avicennæ. Probatio autem hujus differentiae est, quod genus in pluribus est secundum ambitum suæ quantitatis quam species, sicut patet ex antedictis.

Secunda differentia illorum.

Secunda autem differentia est, quod genera secundum intellectum præjacere oportet speciebus. Cujus probatio et causa est, quia genera non possunt perficere species, non informata specificis differentiis. Sed cum formatum constituit aliquid, præjacet illi, sicut cuprum præjacet formæ statuæ.

Propter quod concluditur tertia differentia, scilicet quod genera naturaliter, ut causa secundum intellectum sunt priora speciebus.

Tertia dif- ferentia.

Ex hoc iterum concluditur differentia quarta, quod interemptis scilicet generibus, simul interimuntur species, sicut principium corruptum interimit principiatum: sed non convertitur, quia sicut supra dictum est, omnibus differentiis et speciebus interemptis, adhuc salvatur ge-

Quarta dif- ferentia.

nus secundum esse intellectuale : et ideo species quidem cum sit posita, etiam genus de necessitate positum est, eo quod in specie est genus actu et intellectu : genus vero cum sit positum, non sequitur omnino quod sit species, quia species non nisi potentia est in genere, posita autem potentia, non propter hoc actu ponitur ens, quia in potentia ens non est secundum actum.

**Quinta differentia** est, quia genera quidem univoce de speciebus prædicantur, eo quod dant eis nomen suum et substantiam et rationem : quod solum vocatur univoce prædicari. Species vero de genere minime prædicatur ordinata prædicatione : non enim prædicatur de generibus nisi per accidens, ut cum dicitur, quoddam animal est homo. Secundum autem quod non est per se, non est univoca prædicatio quamvis quoddam animal homo sit, et ratio cujusdam homini conveniat universaliter.

**Sexta differentia** est, amplius autem sexta differentia est, quod genera quidem abundant de speciebus in continentia earum quæ sub genere sunt specierum : quia secundum ambitum communitatis species non continent genera. Species vero constitutæ abundant a generibus continentia propriarum differentiarum, per quas constituuntur : quia illæ in speciebus sunt actu contentæ, cum genus non habeat eas nisi potestate, ut in ante habitis dictum est.

**Sexta differentia** est in hoc, quod species secundum aliquem modum dicta sive specialissima sive subalterna nunquam potest fieri generalissimum, quia hoc est contra rationem generalissimi. Generalissimum autem est, quod cum sit genus, nunquam potest fieri species : et similiter id quod est aliquo modo genus sive generalissimum sive subalternum, nunquam fit specialissimum : hoc enim esset contra specialissimi rationem, quia ratio specialissimi est, quod cum sit species, nunquam potest fieri genus.

**Hoc autem totum** est, sicut dicit Porphyrius. Genus autem et species commu-

ne quidem habent de pluribus (quemadmodum dictum est) prædicari. Sumitur autem species ut species non ut genus, si fuerit idem genus et species. Commune autem est his, scilicet generi et speciei, etiam eorum priora esse, græcus enim genitivus pro ablativo ponitur, de quibus prædicantur. Commune est etiam eis quoddam totum esse eorum de quibus prædicantur, ita quod utrumque quoddam totum est subjectorum suorum.

Differunt autem ab invicem, eo quod genus continet sub se species continentia suæ communitatis. Species vero continentur et non continent genera. Et hoc ideo est, quia in pluribus est genus quam species, et ideo genera præjacere oportet speciebus, cum in speciebus sint formata specificis differentiis ad hoc quod possint perficere species : unde et priora sunt natura-liter genera.

Et ex hoc sequitur, quod ipsis interemptis, simul interimentia sunt species, licet simul non interimantur speciebus interemptis. Ex hoc iterum sequitur, quod species quidem cum sit positum sit genus, genus vero cum sit positum, non sequitur omnino quod sit posita species. Et genera quidem univoce de speciebus prædicantur : dant enim eis nomen suum et substantiae rationem. Species vero de generibus minime prædicantur, nisi per accidens : accedit enim animali cuidam hominem esse. Amplius quidem genera abundant continentia suæ communitatis earum quæ sub se sunt specierum continentia. Species vero abundat a generibus propriis differentiis, quas actu et intellectu in se habet, sue substantiae constitutivis. Amplius neque species quocumque modo species sit, unquam fiet generalissimum : nec genus quocumque modo genus sit, unquam fiet specialissimum.

## CAPUT VI.

*De convenientiis et differentiis generis et proprii.*

Prima communitas generis et proprii.

Nunc autem assignandæ sunt communitates et differentiæ generis et proprii secundum consequentiæ ordinem. Dicimus igitur quod prima inter genus et proprium communitas sive convenientia est, quod utrumque horum prædicabilium sequitur speciem de qua prædicatur. Sequi autem dicimus non secundum naturam, quia sic genus est prius specie, sed dicimus sequi secundum consequentiæ rationem: sequitur enim si homo est, animal est, et si homo est, risibile est. Sed quando proprium sequitur ad speciem, est simul cum consequentiæ ratione etiam ordo naturæ et intellectus: quia species est causa proprii, et non e converso.

Secunda communitas.

Secunda autem convenientia generis et proprii est, quod tam genus quam proprium, non secundum magis et minus prædicantur de speciebus, de quibus prædicantur quæ ipsum proprium participant.

Participare proprie est inferiorum de superioribus.

Participare hic autem large sumimus non proprie: proprie enim participant inferiora sua superiora quæ in substantiis eorum sunt nomine et essentia et ratione, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>; sed hic large sumimus participationem, prout tunc proprium participat speciem ut sui causam et subjectum: æqualiter enim et non secundum magis et minus homo et bos qui sunt species animalis sunt animal, quod est genus, participantes, et æqualiter Cato et Cicero (qui sunt speciei hominis individua) sunt risibile (quod est proprium hominis) participantes, large dicta participatione, nec participant suæ speciei proprium secundum magis et minus.

Tertia communitas.

Tertia enim convenientia est inter genus et proprium, quod commune est eis, quia genus univoce prædicatur de propriis

speciebus suis omnibus, ita quod dat eis nomen et substantiae rationem secundum nomen quo prædicatur de ipsis. Similiter et proprium (quorum est proprium de quibus prædicatur) dat eis nomen suum et rationem: quamvis aliter proprium quam genus suo subjecto nomen suum dat et rationem. Potest enim diffiniri proprium ut proprium, et tunc subjectum est in ratione proprii. Et si hoc modo rationem suam daret subjecto, esset idem in diffinitione ipsius, et idem prædicaretur de seipso. Est enim risibile prout diffinitur ut proprium homo aptus natus ridere. Si hanc rationem daret subjecto, tunc sic diceretur, homo est homo aptus natus ridere. Sed potest aliter diffiniri proprium prout dicit rem quæ est accidens ordinabile in genere prædicamenti: tunc risibile est aptum natum ridere, et isto modo suam dat ei de quo prædicatur rationem. Unde hæc communitas generis et proprii in communi sumpta est, ita quod de modo quo utrumque, genus scilicet et proprium, proprie univoce prædicatur, non sit cura quantum ad hujus communitatis intentio-

Differunt autem ab invicem genus et proprium in hoc, quod genus quidem prius est natura et intellectu eo de quo prædicatur. Proprium autem posterius est natura et intellectu eo de quo prædicatur, id est, specie de qua prædicatur. Cujus probatio est, quia quando genus de specie prædicatur sicut animal de speciebus animalium, ut de homine et leone, oportet quod animal sit prius ut principium specierum: et patet hoc sic, posito animali secundum intellectum antequam accipiatur in speciebus de quibus prædicatur: dehinc oportet ipsum dividi specificis differentiis, quæ sunt generi speciem constituentis propriæ. Propter quod prius actu et natura et intellectu est genus quam species, de qua ipsum genus prædicatur. Proprium autem cum causetur a specie de qua prædicatur et fluit de principiis

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 4. Topicorum.

speciei, sequitur speciem secundum naturam et intellectum.

Differunt autem secunda differentia, quod genus oportet de pluribus speciebus prædicari. Non enim potest esse genus quod plures species non habeat, sicut in tractatu de *Genere* determinatum est<sup>1</sup>. Proprium vero prædicari convenit de una sola specie cuius est proprium: quia si pluribus conveniret, non proprium esset salvata ratione nominis sui.

Adhuc autem tertia est differentia, quod proprium quidem conversim prædicatur de eo cuius est proprium: si enim risibile est, homo est, et e converso si homo est, risibile est. Genus vero de nullo sigillatim sumpto cuius est genus convertibiliter et universaliter prædicatur: quod patet, quia non sequitur, si animal est, homo est: nec sequitur, si animal est, risibile est: quamvis e converso sequitur, si homo est, animal est, si risibile est, animal est. Sed inter proprium et speciem est e converso: quia si homo est, risibile est, et conversim si risibile est, homo est.

Amplius quarta differentia inter genus et proprium est, quia proprium inest omni speciei de qua prædicatur et soli et semper. Genus autem omni quidem inest speciei de qua prædicatur, ita quod prædicatur de omni suo individuo: inest etiam semper, sed non inest soli illi speciei, quia inest aliis speciebus ejusdem generis, sicut animal non soli homini, sed etiam asino, et leoni, et aliis speciebus brutorum.

Amplius adhuc quinta differentia est, quia species quidem interemptæ non interimunt illa genera quorum sunt species, quia non sequitur, si homo non est, quod animal non sit: propria autem interempta simul interimunt ea quibus sunt propria, et e converso, quia interemptis substantiis sive speciebus quarum sunt propria, sequitur interemptio ipsorum proprietorum. Sequitur enim quod si equus

non est, hinnibile non est. His igitur genus differt a proprio.

Hoc autem Porphyrius et alii antiqui Recapitula-tio dictorum et in hoc capitulo. dixerunt, quod generis quidem et in proprii commune est quidem sequi species: nam si homo est, animal est, et si homo est, risibile est. Commune est etiam æqualiter et non secundum magis et minus genus prædicari de illis (quarum est genus) speciebus: et proprium æqualiter non secundum magis et minus prædicari de his quæ illo participant large accepta participatione: æqualiter enim et non secundum magis et minus homo et bos sunt animal, et Cato et Cicero risibile. Commune adhuc autem est eis, scilicet generi et proprio, univoce prædicari de his quorum sunt; genus quidem de speciebus suis, et proprium de his quorum est proprium, ea univocatione de qua dictum est.

Differunt autem genus et proprium, quoniam genus prius est his de quibus prædicatur, ut speciebus: posterius autem est proprium his de quibus prædicatur: oportet enim prius esse animal in esse generis, dehinc autem dividi differentiis magis proprii, et sic speciem constituit. Oportet autem et genus de pluribus prædicari speciebus, proprium vero de una sola specie cuius est proprium prædicatur. Adhuc autem quia genus de nullo conversim prædicatur, cuius est genus, sicut speciei vel proprio convenit: nam neque si animal est, homo est, neque si animal est, risibile est. Proprium autem conversim prædicatur: quia si homo est, risibile est, et si risibile est, homo est. Amplius proprium inest omni speciei cuius est proprium, et omni individuo, et soli speciei, et semper. Genus autem omni quidem inest speciei de qua prædicatur et semper: non autem soli, quia etiam de oppositis speciebus prædicatur. Amplius alia differentia. Species quidem interemptæ non simul interimunt genera quorum sunt species. Propria autem in-

<sup>1</sup> Considera quomodo dicta supra in tractatu

de *genere*, cap. 3, non contradicunt istis dictis.

terempta simul interimunt species quarum sunt propria. Et hæc ideo quia proprium fluit ex principiis speciei, et species est causa ipsius adæquata : cum proprio interempto effectu convertibili cum causa necessarium est etiam causam perimi, et e converso his speciebus quarum sunt propria interemptis, et ipsa propria necesse est interimi : quia destructa causa adæquata, necesse est effectum destrui.

### CAPUT VII

#### *De communitatibus et differentiis generis et accidentis.*

Convenientia generis et accidentis. Consequenter agendum est de communitatibus et differentiis generis et accidentis, secundum quod utrumque est universale. Dicimus igitur quod generis et accidentis commune quidem est, quod utrumque de pluribus prædicatur, quemadmodum sæpius dictum est : hoc enim competit utriusque eorum secundum quod sunt universalia. Et hoc quidem convenit tam accidenti separabili, quam inseparabili. Moveri enim quod est accidentis separabile, de pluribus et de multis valde prædicatur. Nigrum vero quod est accidentis inseparabile, prædicatur et de omnibus corvis, et de omnibus Æthiopibus, et etiā de aliquibus inanimatis, ut de carbone, et queru putrefacta, et de ebeno abscissa, et aliis multis hujusmodi.

Quamvis autem multæ sint communitates accidentis ad genus, tamen illæ ex prædictis vel per se sunt manifestæ, ut dicunt quidam, sicut est non conversim prædicari, et alia hujusmodi : omnis enim corvus est niger, sed non omne nigrum est corvus : sicut omnis homo est animal, sed non omne animal est homo. Differentia est inter genus et accidentis, primo quidem, quoniam genus sicut principium est ante species de quibus prædicatur : quamvis enim aliquod accidentis sit inseparabile, tamen secundum naturam prius est id cui accedit, quam

ipsum accidentis : subjectum enim oportet quod sit ens in se completum, ut dicit Avicenna, antequam sit occasio vel causa quod ens accidentis sit in ipso.

Secunda autem est differentia, quia omnia illa quæ participant genera ut genera, æqualiter et non secundum magis et minus participant illa. Et hujus quidem causa est, quia participant illa in termino, et quia esse unum est quod non recipit magis et minus. Genus autem principium est esse illorum quæ participant ipsum. Accidentia vero insunt et inæqualiter his quæ participant : ipsa enim accidentium participatio suscipit intentionem et remissionem, eo quod in termino ponitur nomen accidentis, vel secundum accessum ad veram nominis impositionem, vel secundum intensiōnem et remissionem causæ, quam habet in subjecto : sicut enim potest subintelligi per naturam corvus albus, ita salvo corvo per naturam potest intelligi corvus minus niger et magis niger. Generum vero participatio minime et nullo modo suscipit magis et minus propter causas quæ dictæ sunt.

Alia adhuc est differentia, quia accidentia principaliter et immediate subsistunt in individuis : quia accidentium communium propria sunt subjecta. Genera vero et species magis proprie naturaliter priora sunt individuis quæ eis substant. Genera enim sunt principia specierum, et species sunt totum esse individuorum : et quod est principium principii, est etiam principium principiati.

Adhuc autem et alia est differentia : quia genus quidem in eo quod quid est, prædicabile est de his quæ sub ipsis sunt speciebus (in quo tamen differt genus et a differentia et a proprio et ab accidente). Accidentia vero quæ absolutum habent esse, prædicantur in eo quod aliquid est quale, scilicet qualitas et quantitas. Quæ autem habent esse comparationis sive comparationi admixtum, ut ad aliquid, agere et pati, et hujusmodi alia, prædicantur in eo quod quomodo se habent

Secunda differentia

Tertia differentia

Quarta differentia

unumquodque eorum de quibus prædicatur. Si quis enim interrogatus fuerit, qualis est Æthiops? congrue respondet quia niger est. Si autem interrogatus fuerit, quomodo Socrates se habet in corporis dispositione? congrue respondet quia sedet vel stat. Si queratur quomodo se habet agendo, dicet quod ambulat vel aliquid aliud agit.

Nec apud  
dictorum  
hoc capi-  
tulo.

Hæ ergo sunt differentiæ generis et accidentis: et hoc quidem, sicut dicit Porphyrius. Generis autem et accidentis commune est de pluribus (quemadmodum dictum est) prædicari, sive de numero separabilium accidentium, sive de numero inseparabilium. Etenim moveri de pluribus prædicatur, quod est de numero separabilium. Nigrum quidem quod est de numero inseparabilium, etiam de pluribus prædicatur, ut de corvis omnibus, et de Æthiopibus, et de aliquibus inanimatis. Differt autem genus ab accidente, quoniam genus ante species est secundum naturam et intellectum, de quibus prædicatur. Accidentia vero speciebus de quibus prædicantur sunt posteriora secundum naturam: nam si etiam inseparabile sumatur accidentis, de quo tamen minus videtur, sed tamen prius natura est subjectum cui accedit quam id quod accedit sibi. Et genera quidem etiam in hoc differunt ab accidente, quod quæ participant genera, æqualiter et non secundum magis et minus participant ea. Accidentia vero ea quæ participant, non æqualiter participant. Intensionem enim et remissionem suscipit accidentium participatio. Generum vero participatio minime suscipit intensionem et remissionem. Est etiam differentia, quia accidentia quidem in individuis (de quibus prædicantur) principaliter subsistunt, et tunc individua priora sunt accidentibus quæ in ipsis sunt. Genera vero et species naturaliter priora sunt individuis de quibus prædicantur. Est autem adhuc differentia, quod genera in eo quod quid prædicantur de speciebus et individuis quæ sunt sub ipsis; accidentia vero præ-

dicantur in eo quod quale aliquid sit, vel qualiter se habeat unumquodque eorum de quibus prædicantur. Et hoc probatur exemplo: tu enim qualis est Æthiops interrogatus, dicas niger: vel interrogatus quomodo Socrates se habet in positione corporis vel actione, congrue dicas quoniam sedet vel ambulat.

Genus ergo in quo ab aliis quatuor differt, dictum est quantum ad præsentem sufficit intentionem. Contingit sive consequens est, post hoc dicere qualiter unumquodque aliorum a genere universalium differt ab aliis a se quatuor universalibus: comparato enim quolibet illorum quinque ad alia quatuor, viginti fient omnes differentiæ, quia quater quinque sunt viginti: sed semper posteriorum differentiis enumeratis, posteriorum comparatorum differentiæ superantur una differentia quam plus habent ipsis ea quæ ante comparata sunt: eo quod illa differentia jam ante comparatis sumpta sive habita est. Tertio autem loco comparata superantur a tribus. Quarto vero loco comparata superantur a quatuor differentiis. Relinquitur quod non restant dicendæ nisi decem differentiæ. Secundo vero loco quando differentia comparatur speciei et proprio et accidenti, et omittitur illa quæ fuit differentiæ ad genus, eo quod illa in comparatione generis ad differentiam habita est, et eadem est differentia generis ad differentiam, quæ est differentiæ ad genus: tunc separatur sequens comparatio in una, et iterum sequens superatur a præcedente: cum enim species comparatur ad proprium et accidentis, omittitur comparatio speciei ad genus et ad differentiam, eo quod illæ jam in comparatione generis ad speciem et in comparatione differentiæ ad speciem habitæ sunt. Et sic de aliis, quia semper sequens unam minus habet quam immediate præcedens: et tunc omnes quæ residuæ sunt, non fiunt nisi decem, quatuor scilicet in comparatione differentiæ ad alia, et tres in comparatione speciei ad alia, et duæ in comparatione proprii ad

Quot diffe-  
rentiis diffe-  
rant inter se  
quinque uni-  
versalia.

alia, et una in consideratione universalis ultimi et comparationis.

Vel si haec numerentur ex parte comparatorum ad invicem, tunc primo comparat differentiam ad alia tria, et quarta est habita prius, quæ est comparatio ad genus. Et tertio fit comparatio speciei ad alia duo, et duæ comparationis species sunt habitæ : una quidem comparatio speciei ad genus et alia comparatio speciei ad differentiam. Et quarto fit comparatio proprii ad accidens, et tres sunt habitæ, scilicet proprii ad genus, et proprii ad differentiam, et proprii ad speciem. Ultima autem est accidentis comparatio quæ quatuor habet ante, scilicet accidentis comparatio ad genus, et accidentis ad differentiam, et accidentis ad speciem, et accidentis ad proprium : genus enim differt a differentia, specie, proprio et accidente.

Quatuor ergo sunt differentiæ omnes ipsius generis ad alia quatuor. Differentia vero quo differat a genere dictum est, quando quo genus differt a differentia dicebatur. Relinquitur igitur dicere quo differentia differat a specie, proprio, et accidente, et sunt tres differentiæ. Rursus species quo differat a differentia dictum est, quando quo differat differentia a specie dicebatur. Residuum est ergo dicere quo differat species a proprio et accidente. Duæ ergo sunt istæ differentiæ. Proprium autem quo differat ab accidente relinquitur dicere, nam quo a genere et differentia et specie differat, dictum est in illorum differentiis ad ipsum. Quatuor ergo sumptis differentiis generis ad alia, tribus vero differentiæ ad alia, duabus autem speciei ad alia, una autem proprii ad accidens, decem omnes erunt differentiæ : quarum quatuor erunt generis ad alia, ut jam superius demonstravimus. De aliis consequenter dicemus.

## CAPUT VIII

*De communibus et propriis differentiæ et speciei.*

Dicamus igitur quod commune est differentiæ et speciei æqualiter et non secundum magis et minus a suis inferioribus participari. Et hoc est manifestum per exempla : hominem enim quod est species, æqualiter et non secundum magis et minus participant particulares homines, et similiter non secundum magis et minus participant rationale quod est differentia. Et hujus causa jam superius assignata est : quia scilicet species est totum esse individuorum, et differentia est pars esse speciei et individuorum, et non recipit magis et minus : si enim magis et minus reciperet secundum esse, vel adderetur vel minueretur aliquid ab esse vel ad esse ; tunc non esset idem esse quod prius, quod falsum est et impossibile.

Commune vero secunda communitate est semper adesse speciem et differentiam his quæ ipsis participant, et non alterantur ab ipsis, sicut fit alteratio in accidentalibus formis. Et hoc hic dicetur exemplo : semper enim est Socrates rationalis, et semper Socrates est homo. Habitudo enim ista quæ est particularis ad universale essentiale, sive sit totum esse ut species, sive sit pars esse ut differentia, perpetua est. Et ideo dicunt Avicenna et Algazel, quod hæc semper vera est, Socrates est homo, et hæc, homo est animal, et animal est substantia, et omnis illa propositio in qua prædicatum est de ratione subjecti et clauditur in intellectu ejus.

Si quis autem sic inferat, homo semper est animal, vel animal semper est substantia, et esse hominem vel esse substantiam non diminuit ab esse, sicut cum dicitur, homo mortuus : ergo si homo semper est animal, homo semper est. Patet quod non sequitur, et est ibi fallacia

Prima com-  
munitas dif-  
ferentiæ et  
speciei.

Secunda  
communi-  
tas.

Objectio.

Alliter.

simpliciter et secundum quid: quia cum dicitur, homo semper est animal, quod dico *semper*, non dicit nisi sempiternitatem habitudinis subjecti ad prædicatum: et conclusio infertur ac si dicat sempiternitatem simpliciter. Hujus tamen consequentiae aliam dicunt causam Avicenna et Algazel: dicunt enim has esse per se, hic homo est homo, et homo est animal, et animal est substantia, et semper esse veras propter causam quæ dicta est, quod scilicet prædicatum claudit actu et intellectu in subjecto. Si autem inferatur, homo est substantia, ergo homo est: dicunt non sequi, quia illud *est*, est idem quod actu: et hoc accedit, accedit enim esse actu ei quod dicitur, homo est substantia, sive homo sit actu, sive non sit actu, hæc semper vera est, homo est substantia.

Prima dif-  
ferentia spe-  
cialis et dif-  
ferentia.

Assignatis etiam convenientiis differentiae et speciei tangenda etiam propria sunt. Diximus jam quod proprium est differentiae (quo differt a specie, cum tamen utrumque horum universalium sit prædicatum essentiale) quia differentia prædicatur in eo quod quale. Speciei vero convenit prædicari in eo quod quid est. Quamvis enim homo communis velut qualitas aliquando accipiatur (sicut commune sive genus, sive species quale quid significat: quod ex opposito secundum modum aliquem accipitur ad hoc aliquid) non tamen propter hoc simpliciter erit qualitas alicujus, sicut differentia est qualitas generis, et proprium qualitas speciei, et accidentis qualitas individui: sed erit qualitas quædam secundum humanitatem secundum id quod differentiae (quæ qualitates essentiales sunt) generi advenientes speciem ut quale quid est constituerunt: omne enim commune hoc modo quale quid, qualitate suæ communis formæ est constitutum.

Seconda dif-  
ferentia.

Amplius secunda quidem proprietas est qua differentia et species distinguuntur, quod differentia cum sit generalis, ut in ante habitis dictum est, sæpe in pluribus speciebus consideratur, sicut et genus,

quemadmodum quadrupes consideratur ut universale in pluribus animalibus specie differentibus. Cujus causam dicunt Avicenna et Averroes esse, quia talis differentia pro genere ponitur, et circumlocutio est generis: species vero quæ species est et non genus, non consideratur secundum esse in pluribus specie differentibus, sed in his solis individuis quæ sub eadem sunt specie. Si enim accipitur species ut genus subalternum, tunc non hic sed in ante habitis differentia differentiae, et talis generis posita est: et ideo hic non loquitur nisi de specie quæ non potest esse genus.

Removet  
dubium.Tertia dif-  
ferentia.

Amplius tertia differentia est, quia differentia quidem natura et intellectu prima vel prior est ea specie quæ est secundum ipsam differentiam constituta, sicut principium essentiale prius est principia-to. Cujus probatio est, quia prius est hoc modo a quo non convertitur subsistendi consequentia, ut ablato rationali quod est differentia, aufertur homo quod species: homine interempto sive ablato, non necessario sequitur quod interimatur rationale, cum adhuc interempto homine Deus secundum Stoicos rationale quoddam sit. Et quod hic potest objici de differentia ultima convertibili, jam in præhabito de *Differentia* tractatu solutum est. Avicenna tamen dicit hæc omnia per ignorantiam esse dicta a Porphyrio.

Quarta dif-  
ferentia.

Amplius quarta quidem differentia est, quod differentia componitur cum alia differentia præcipue ad speciem constituendam. Et hoc exemplo manifestum est: quia rationale et mortale unum cum alio compositum est in constitutione sive compositione hominis, sive in substantia nominis constituenda. Species vero speciei non componitur ut gignat aliquam speciem quæ eadem sit in substantiis, sive suppositis, sive individuis illarum specierum, sicut differentia cum differentia componitur ad substantiam speciei constituendam, quæ eadem habet supposita, quæ habet altera duarum differentiarum.

Eadem enim sunt supposita rationalis et mortalis. Quamvis enim quidam equus coidam asinæ permisceatur ad muli generationem, equus tamen si simpliciter sive universaliter sit acceptus, et in specie asinæ permisceatur universaliter, nunquam perficit mulum.

Quod autem hic dicitur quod differentia differentiæ componitur, sciendum quod impossibile est si utraque differentiarum ut actus ultimus accipiatur : si autem una accipiatur ut imperfecta et in potentia ad aliam, tunc prima est sicut genus ad alteram, et secunda est sicut actus et perfectio, et tunc est possibile. Et hoc est quod dicit Avicenna, quod duæ differentiæ non ejusdem ordinis convenient ad speciei constitutionem : quarum una est prior, et altera posterior, sicut rationale quod est communius quam homo, et mortale quod posterius in eadem rationali natura acceptum est determinans ad

*Quare una species non potest cum alia specie componi.* speciem hominis. Quod autem dicitur quod species non convenient, ideo dictum est quia species est id quod actu ultimo perfectum est in illis quæ formaliter perfecta sunt : et ex duobus actu perfectis non potest fieri aliquid in aliqua natura. Et quod dicitur de equo et asina convenientibus, quod fit mulus, in multis aliis fit animalibus, sicut in cane, et vulpe, et aliis, quæ sunt vicina secundum complexionem, ita quod unum temperat semen alterius, sicut frigiditate asinæ temperatur calor seminis equi et quorum idem est tempus imprægnationis. Et tunc etiam, ut dicit Avicenna, non convenient ad constitutionem animalis cuius individua sunt convenientia cum individuis alterius illarum specierum, sicut constitutum a duabus differentiis idem est cum individuis utriusque illarum differentiarum, quia individua muli non convenient cum individuis asini nec cum individuis equi. Quod autem quidam dicunt, et videtur Porphyrius dicere, quod scilicet quidam equus et quædam asina convenient ad muli generationem, et quod equus sim-

pliciter et asina simpliciter convenient ad muli hujus generationem, valde inconsiderate dictum est : quia etiam equus simpliciter cum equa simpliciter non convenient ad hujus equi generationem : actiones enim et operationes non sunt universalium, sed tantum particularium : et universalia non generantur nisi per accidens, vel per consequens in particularium generationem. Simpliciter enim universalia ingenerabilia sunt et incorruptibilia. Hoc igitur est quod antiqui dixerunt de communibus et propriis differentiæ et speciei : hoc enim patet ex verbis eorum.

Dicunt enim sic : Commune ergo differentiæ et speciei est æqualiter, et non secundum magis et minus participari ab his de quibus prædicantur : hominem enim participant æqualiter particulares homines, et similiter rationalem differentiam. Commune vero est eis et adesse semper his quæ horum participant : semper enim Socrates rationale est, et semper Socrates homo est. Proprium autem differentiæ omnino est, in eo quod quale sit prædicatur : species vero in eo quod quid sit prædicatur. Si autem homo communis velut qualitas accipiatur, non tamen simpliciter et absolute erit qualitas, sed secundum id quod generi advenientes differentiæ, eum qui species est hominem constituant : sic enim est quale quid, et non simpliciter quale vel qualitas : quia quid generis differentia formatum est in ipso. Amplius aliud habent proprium quo differunt, quia differentia una divisiva et communis in pluribus speciebus in quibus actu et simul est consideratur : quemadmodum quadrupes consideratur in pluribus animalibus specie differentibus. Species vero quæ solum species est, consideratur in solis quæ sub ipsa sunt individuis. Amplius autem adhuc differunt, quia differentia est prima vel prior ab ea specie quæ est secundum ipsam constituta : cuius signum est, quod simul ablatum rationale interimit hominem : homo vero interemptus interimit rationale, cum adhuc sit Deus homine

Recapitula-  
tio dictorum  
in hoc capi-  
tulo.

non existente. Amplius quidem adhuc differunt, quod differentia cum generalis sit, et non ultima et convertibilis, componitur cum alia differentia. Rationale enim et mortale unum cum alio compositum, ut potentia et actus est in substantia hominis quæ est species: species vero speciei non componitur ut gignat speciem aliquam aliam. Et si objicitur de asina et equo in muli generatione, dicimus quod quædam asina cuidam equo permisetur ad muli generationem, equus autem simpliciter asinæ simpliciter conveniens nunquam perficit mulum.

## CAPUT IX.

*De communitatibus et differentiis differentiæ et proprii.*

Prima com-  
munitas ge-  
neris et pro-  
prii. Nunc dicamus differentias et communia differentiæ et proprii. Differentia igitur et proprium commune quidem habent prima communitate, quod æqualiter et non secundum intentionem et remissionem a suis de quibus prædicantur suppositis participantur: utrumque enim illorum in termino participatur, eo quod unum, videlicet differentia, pars formalis est ipsius esse, quod (sicut dictum est sæpius) unum est et non recipit magis et minus: proprium autem ab aptitudine naturalis potentiae formaliter imponitur: quæ aptitudo in potentia per habitum completur, et non actum qui est operatio, cum sit completio major qua potentia completur per habitum, et rem suam dicit in termino: et ideo non potest suscipere magis et minus: quamvis, sicut in ante habitis dictum est, impeditia vel expedientia ad actum in substantia possit habere, quibus expeditius vel minus expedite agat per potentiam illam: sed hæc non variant potentiam stantem in habitu naturali: participantur ergo hæc duo æqualiter ab his quæ participant ea. Ea enim quæ rationalia sunt (de quibus prædicatur rationale) æqualiter et non secundum magis et minus rationalia sunt, et

similiter ea quæ sunt risibilia (de quibus prædicatur risibile) sunt æqualiter et non secundum magis et minus risibilia.

Amplius et in hoc convenienter, quod utrumque, differentia scilicet et proprium, semper et omni sive universaliter adsunt illis de quibus prædicantur: quia secundum naturæ potentiam et aptitudinem attribuuntur illis de quibus prædicantur et non secundum actum. Quamvis enim uno vel utroque pede careat qui secundum naturam bipes est, non propter hoc perit substantia formalis in ipso qua formatur ad habendos duos pedes, sed potius id quod tali natura ad bipes formatum est, semper bipes dicitur per naturæ aptitudinem, sicut et risibile a potentia naturali cum naturali habitu completa semper dicitur risibile, quamvis non semper rideat secundum effectum, nec plus habet potentiam naturalem in actu quando ridet, quam quando plorat. Si aliter habet eam et ad aliquid habuerit eam, semper est in aptitudine æquali quam non exercet secundum actum.

Proprium autem quo differentia a proprio distinguitur, est quod aliqua differentia, quæ scilicet ultima non est et veræ differentiæ nomen habet, semper dicitur de pluribus speciebus sicut et genus. Et hoc exemplo probatur: quia rationale quod est differentia, prædicatur de homine, et de Deo secundum Stoicos et Epicureos, qui deos et deas multas rationales esse posuerunt. Proprium vero non prædicatur nisi de una sola specie cuius est proprium, et de illius speciei individuis. Et hæc omnia plana sunt ex præmissis.

Adhuc etiam differunt in hoc, quod differentia quidem sequitur universaliter ad ea quorum est differentia absque conversione sicut genus: sequitur enim, si homo est, rationale est: sed non convertitur, quod si sit rationale, propter hoc sequatur hominem esse secundum Stoicos. Propria vero conversim prædicantur de his quorum sunt propria: si enim homo est, risibile est, et si risibile est,

Secunda  
communi-  
tas.

Removet  
dubium.

Prima dif-  
ferentia pro-  
prii et dif-  
ferentiæ.

Secunda dif-  
ferentia.

homo est. Et hæc quidem fere sub eisdem verbis dixit Porphyrius, et ideo verba ejus ponere non oportet.

## CAPUT X.

*De communitatibus et differentiis differentiæ et accidentis.*

Communi-  
tas differen-  
tiæ et acci-  
dentiis pri-  
ma.

Differentiæ autem et accidenti, ut dicit Porphyrius, commune est de pluribus prædicari in quantum utrumque illorum universale est: hoc enim omni quidem convenit universalis in quantum est in multis, et de multis. Ad inseparabile autem accidens specialiter habet differentia communitatem, quod scilicet tam differentia quam inseparabile accidens semper adest omnibus de quibus prædicatur. Quod exemplo probatur et inductione: quia bipes semper adest corvis, cum sit differentia de corvis et hominibus prædicata: nigrum etiam esse, quod tanquam accidens inseparabile prædicatur de corvis, semper adest corvis, quamvis etiam posset fieri corvus albus vel ætate vel arte: tamen quia corvus non tantum nominat speciem, sed in tali complectione, quæ causa nigredinis est, designatur subjectum materiale, et hoc accidens nominato tali subjecto semper est accidens inseparabile.

Prima dif-  
ferentia ac-  
cidentis et  
differentiae.

In hoc etiam differunt differentia et accidens, quia differentia quidem continent ambitu suæ communitatis ea de quibus prædicatur. Continere enim est ea de quibus prædicatur intra suam communitatem claudere: continet ergo differentia et non continetur ab his de quibus prædicatur. Sic enim continet hæc differentia quæ est rationale, totum hominem et particularia ipsius. Accidentia vero nec proprie nec vere, sed quodammodo continent quedam eorum de quibus prædicantur secundum quod in pluribus sunt, et excedunt ea de quibus prædicantur. Quodam autem modo continent, eo quia subjecta eorum de quibus prædicantur, non omnia susceptibilia sunt horum sed

plurimorum: et omnia continent quibus insunt, et exceduntur ab his quibus non insunt. Album enim prædicatur de hominibus albis et quodam modo continet ea, de non albis autem non prædicatur: et aliquis homo est non albus, et quoddam album non est homo, quia potest esse in alio subjecto quam in homine. Ideo cum dicitur, homo est albus, homo continetur: sed ista continentia non est propria, quia continere est formæ substantialis: et ideo accidens in quantum est forma continet, in quantum autem est accidentis fluidum, habet esse et continetur a subjecto. Et sermo quidem Porphyrii obscurus est, sed hunc quem dixi veriorem puto esse intellectum.

Alia autem adhuc est differentia inter differentiam et accidentis: quia differentia quidem non est intensibilis et remissibilis, sicut patet ex supradictis, ubi etiam soluta sunt quæ contra hoc dictum objiciuntur. Accidentia autem magis et minus suscipiunt, eo quod causas habent materiales, et secundum seipsa non sunt nominantia rem suam in termino. Et hæc omnino plana sunt ex supradictis.

Adhuc autem alia est differentia, quod impermiscibles sunt contrariæ differentiæ ad alicujus speciei constitutionem: ex rationali enim et irrationali non constituitur aliqua species una. Contraria autem accidentia mixta sunt ad alterius constitutionem, sicut si miscerentur contrarii colores et sapores ad medii constitutionem.

Et si objicitur, quod etiam colores contrarii contrarias habent differentias et species. *Dicendum* quod de hoc modo quo colores et differentiæ colorum formales considerantur, per quas color in genere qualitatis ordinatur, hic non loquitur, sed potius de esse materiali accidentis prout est universale prædicatum de his quæ denominantur ab ipso. Sic autem constat quod recipit intensionem et remissionem per contrarii admixtionem vel contrariorum, vel depurationem, eo quod albius est hoc modo nigro impermixtius,

Secunda  
differentia.

Tertia dif-  
ferentia.

Objectio.

Solutio.

ut dicitur in quarto *Topicorum*<sup>1</sup>. Cum autem recipit magis et minus, recipit illud aliquando quod recessit a contrario, sicut malum pejus quod recessit a bono. Aliquando autem quia accessit ad terminum, ut bonum melius quod summo bono est propinquius: aliquando autem secundum contrarii admixtionem, ut album albius, ut dictum est. Hujusmodi ergo sunt communitates et proprietates differentiae, et cæterorum universalium.

## CAPUT XI.

*De convenientiis et differentiis speciei et proprii.*

Post hoc sequitur dicere convenientias et differentias speciei et proprii: in quo enim species differat a genere et a differentia dictum est prius in capitulis in quibus diximus quomodo genus differet a cæteris universalibus, et quomodo differentia differt ab aliis. Dicimus ergo quod speciei quidem et proprio commune est de se invicem prædicari: quod patet per exemplum, quia si homo est, risibile est, et e converso si risibile est, homo est: cuius conversionis causa est, quia species principiis substantialibus ponit aptitudinem, quæ proprium est, sicut causa propinqua et adæquata ponit effectum. Similiter ipsa aptitudo quæ est proprium, derelinquit tale subjectum, et ponit ipsum sicut effectus proprius et causæ adæquatus ponit suam causam. Hoc etiam facit proprium quod est risibile, ideo quoniam non dicitur secundum actum ridere, sed dicitur secundum aptitudinem secundum quam natum est: et haec aptitudo semper est in subjecto proprii, sicut saepe jam in ante habitis dictum est.

Secunda autem convenientia est æqualiter participari, et non secundum magis et minus ab his quæ participant species: et similiter propria æqualiter participantur ab his quorum sunt propria: nec hic

facimus hoc in participatione propriissime dicta: large enim dicimus participare id quod aliquid habet in seipso, et participatum esse id quod inest alii, sive per se insit sive per accidens.

His autem omnibus speciei et proprio communibus assignatis, assignanda sunt in quibus differunt ab invicem. Dicimus ergo quod species quidem in hoc differt a proprio, quia ea quæ est species ad unum, ad aliud potest esse genus: sed hoc non est verum de specie specialissima: proprium autem cum sit hujus speciei proprium quæ est specialissima, impossibile est proprium esse aliarum specierum: si tamen esset proprium speciei subalternæ quæ est genus ad aliud, non esset impossibile esse proprium illarum specierum, quæ continentur sub illa, ut dicit Avicenna. Unde in hac differentia accipit Porphyrius speciem non specialissimam, quod in aliarum assignatione differentiarum non fecit. Proprium autem refert ad speciem specialissimam, cum ante posuerit subalternam: et ideo quod dicit, non satis est secundum artem dictum.

Secunda autem differentia est, quod species quidem per intellectum et naturam ante subsistit in esse et substantia quam proprium: proprium autem posteriorius jam sumpta specie secundum esse fit in specie ex principiis speciei jam in natura subsistentis. Hoc autem exemplo probatur: quia oportet hominem prius esse ut ex illo causetur risibile, et ideo homo recipitur in diffinitione risibilis, sicut recipitur subjectum in diffinitione passionis.

Amplius tertia est differentia, quod species quidem semper actu est in subjecto de quo prædicatur: quia participatur actu, cum sit totum esse ejus de quo prædicatur: proprium vero aliquando actu inest, potestate autem aptitudinis semper inest. Quod exemplo docetur: quia Socrates semper actu est homo hu-

Prima dif-  
ferentia spe-  
ciei et pro-  
prii.

Secunda  
differentia.

Tertia dif-  
ferentia.

<sup>1</sup> Cap. 9.

mana operans et agens, non semper vero ridet, quamvis de naturæ aptitudine semper sit risibilis.

Quarta differentia. Amplius autem quarto differunt, quia quorum sunt termini sive diffinitiones differentes, et ipsa diffinita sunt differentia : diffinitio autem speciei omnis est, quod sit sub assignato genere, et diffinitio speciei specialissimæ est, quod de pluribus solo numero differentibus in eo quod quid sit prædicabilis, et cætera hujusmodi quæ in tractatu de *Specie* dicta sunt : proprii vero quod vere proprium est, diffinitio est, quod et soli et omni et semper adest : quæ diffinitiones differentes sunt. Hanc autem ideo differentiam hic ponimus, ne credantur idem esse per essentiam species et proprium, propter hoc quod conversim prædicantur. Hæc ergo sunt communia et propria speciei et proprio.

Removet dubium.

nit accidenti quod est mixtum cum respectu et compositione ad aliquid et ad omnia alia prædicamenta.

Alia autem differentia est, quod contingit unamquamque substantiam individuam quæ proprie substantia est, una quidem specie tantum participare, quæ totum est formale esse ipsius : uno enim existente quod est formale esse et totum, non potest esse alterum quod sit totum esse, sed unamquamque substantiam contingit participare pluribus accidentibus et separabilibus et inseparabilibus, sicut ultimo patet in multis exemplis.

Adhuc autem tertia est differentia, Tertia differentia. quia species quidem subintelligi potest in se existens ex suis substantialibus principiis ante accidentia quæ sunt in ipsa, quamvis etiam sint inseparabilia. Cujus probatio est, quod oportet supponere subjectum esse in se completum, ut illi postea aliquid accidat. Accidentia autem ad hoc quod sint, ante se supponunt esse subjectum, quia respectu subjecti posterioris generis entia sunt et adventitiæ naturæ : quia posterioris sunt generis. Ideo vocantur accidentia quasi *ad cadentia*, quia cadunt ad subjectum, quia sunt adventitiæ naturæ : ideo non de intrinsecis adveniunt et affluunt.

Aadhuc autem speciei quidem participation istis subjectis est æqualiter, et non secundum magis et minus : accidens vero participatur ab his de quibus prædicatur (etiamsi sit inseparabile accidens) secundum magis et minus, non æqualiter. Contingit enim quod Æthiops respectu alterius Æthiopis habet colorem nigrum intensem, vel nigrum in nigredine remissum : et ideo de communibus et propriis speciei et accidentis dictum est. Restat igitur de proprio et accidente dicere communia et propria : quo enim proprium a specie et differentia et genere differat, dictum est in illorum ad ipsum differentiis.

Communitas speciei et accidentis. Speciei autem et accidentis commune quidem est, quod de pluribus prædicantur in quantum sunt universalia. Aliæ vero communites inter speciem et accidentis sunt nullæ, eo quod plurimum valde differunt ab invicem id cui accidit ut species, et id quod accidit secundum modum essendi : id enim cui accidit, substantia est ; id autem quod accidit, est accidentis : quæ differunt sicut ens per se, et ens non per se, sed in alio.

Objectio. Et si objicitur quod inter multum distantia maxime quærendæ essent convenientiæ, *Dicendum* quod hoc verum est si invenirentur ; quia autem in nullo communicant, ideo non inveniuntur speciales, sed sola ista invenitur quæ omnium est generalis.

Solutio. Sed differentiae plures inveniuntur. Propria enim quibus distinguuntur utriusque sunt, quia speciei quidem convenit, quod in eo quod quid est prædicatur : in eo vero quod quomodo se habet, conve-

Prima differentia speciei et accidentis.

Secunda differentia.

Tertia differentia.

Accidentia quare sic dicuntur.

Quarta differentia.

## CAPUT XIII.

*De communibus proprii et inseparabilis accidentis, ac eorum differentiis.*

Dicimus igitur quod commune quidem proprii et inseparabilis accidentis est, quod præter ea nunquam consistunt illa sua subjecta in quibus sunt, et de quibus prædicantur, et quibus inesse considerantur, quod patet : quemadmodum enim præter risibile (quod est proprium) non subsistit homo qui est subjectum de quo prædicatur proprium, sic præter nigredinem nunquam subsistit Æthiops, dummodo Æthiops nomine suo importet complexionem Æthiopis nigredinem causantem, ut in ante habitis dictum est. Et hujus quidem causa id quod secunda est proprii et inseparabilis accidentis communitas, quia quemadmodum semper et omni adest proprium, sic etiam inseparabile accidentis : adest enim et semper, quamvis non adsit soli ut proprium, propter quod et non conversim prædicatur. Aliæ autem communitates sunt ad quædam, sicut non essentialiter prædicari in quale de pluribus, sicut per ante habita jam constat. Accidens autem separabile propriam communitatem non habet nisi in quale, et non in quid prædicari : sed

hoc jam in his quæ de omnibus simul universalibus communibus jam dictum fuerat.

Differunt autem ultima duo universalia ab invicem in hoc primo, quoniam proprium uni soli speciei adest cuius est proprium, quemadmodum risibile adest homini. Inseparabile vero accidentis, ut nigrum, non solum adest Æthiopi, vel soli corvo, sed etiam adest carboni et ebeno, et quibusdam aliis : ita proprium subjectum sibi non determinat.

Adhuc autem secunda est differentia, quod proprium conversim prædicatur et æqualiter, non secundum magis et minus de eo cuius proprium est : accidentis vero inseparabile propter hoc quod non determinatum sibi determinat subjectum, non conversim prædicatur.

Adhuc autem sicut in ante habitis dictum est, proprium quidem æqualis et non secundum magis et minus a suis substantiis est participatio. Accidentium vero hoc quidem secundum magis, illud autem secundum minus est participatio, propter causas in ante habitis determinatas.

Sunt autem et aliæ quidem communitates et proprietates eorum universalium quæ dicta sunt : sed hæc quæ dicta sunt sufficient ad discretionis eorum ab invicem et communitatis eorum quam habent ad invicem traditionem et doctrinam.

communi  
proprii  
accidentis

Prima diffe-  
rentia pro-  
prii et acci-  
dentis.

Secunda dif-  
ferentia.

Tertia dif-  
ferentia.



## TRACTATUS IX.

### DE COMPARATIONE OMNIUM ISTORUM UNIVERSALIUM AD INVICEM EX LOGICA AVICENNÆ DE COMPARATIONE ISTORUM QUINQUE INTER SE.

#### CAPUT I.

*Qualiter hæc omnia in unum coincidunt.*

Quamvis in ante habitis jam determinatum sit id quod de quinque universalibus tradidit Porphyrius, tamen adhuc sunt quædam quæ utile est scire de his quæ ex logicis doctrinæ Arabum in Latinum transluxerunt Avendar Israelita Philosophus, et maxime de logica Avicennæ. Primum capitulum hujus doctrinæ est de comparatione istorum quinque inter se, et hæc ad perfectionem doctrinæ ponimus. Dicimus ergo primo de primo universalis quod est genus, quod non est uniuscujusque rei sive omnium rerum, sed illius solius genus, quæ est sub ipso species : similiter et differentia non est differentia uniuscujusque rei, sed secundum hoc quod est divisiva, non est differentia nisi generis quod dividit : et secundum hoc quod est constitutiva, est differentia illius speciei quam constituit sub genere diviso.

Sciendum autem quod unumquodque istorum potest esse genus vel quasi genus ad alterum, unumquodque potest esse quasi species, et unumquodque potest esse quasi differentia, et unumquodque potest esse quasi proprium, et unumquodque quasi accidens. Sensibile enim est quasi species hujus quod dicimus apprehensivum. Omne enim sensibile apprehensivum est et non convertitur, scilicet quod omne apprehensivum sit sensibile sive sen-

sitivum. Et hoc ipsum sensibile est quodam genus audienti. Omne enim audiens, sensibile est et non convertitur. Et similiter est genus auditentis et olfacentis et gustantis et tangentis, et hoc ipsum sensibile differentia est animalis. Similiter gressibile est genus bipedis et quadrupedis, et est species mobilis, et est proprium sive proprietas animalis et commune accidentis hominis. Aliquando autem ista quinque in uno solo secundum rem conveniunt, et ideo hæc omnia quinque in unum et idem aliquando coincidunt : quamvis modus prædicandi eorum secundum quod diversa universalia sunt nunquam sit unus.

Et etiam adducendum est quod genus non est genus differentiæ aliquo modo, nec differentia potest esse species generis. Si enim differentia esset species generis, cum species non efficiatur species nisi per differentiam, tunc differentia egeret alia differentia per quam species efficeretur et tunc differentia esset differentiæ, quod non potest : differentia enim est intellectio sive notio quædam, quæ secundum intellectum est extra materiam generis : rationale enim non est idem quod animal habens rationem, sed est idem quod quidam habens rationem, quamvis per consequentiam sequatur id esse animal : animal enim habens rationem homo est. Si autem animal esset per intellectum clausum vel conceptum intra rationem rationalis, tunc cum diceretur, animal rationale, idem esset ac si diceretur, animal quod est animal habens rationem, quæ sunt idem se-

cundum intentiones suas. Cum autem differentia prædicetur, est sicut cum prædicatur accidentis inseparabile de eo quod prædicatur. Differentia enim se habet ut accidentis ad genus, in quantum sequitur esse generis : et non est unum esse differentiae et esse generis, sed genus est ad differentiam quasi materia se habens, et differentiae comparatio ad genus est quodammodo sicut proprii quod non competit omni, et hoc est accidentis inseparabile, ut in ante habitis dictum est. Differentia vero constituit genus et dat esse ei in effectu distinctum. Quamvis autem ipsa differentia non sit intra diffinitionem generis, et ipsius esse differentiae non sit intra esse generis, sicut esse rerum qualium est intra quale, et esse rerum quantarum est intra quantum, tamen differentia est qualitas generis, et genus et esse generis est in differentia sicut intra suum quale essentiale. Differentia enim est qualitas generis, sicut forma est qualitas materiæ, faciens ipsam qualem secundum esse substantiale. Hoc autem sic se habet quando differentia est absoluta et simpliciter differentia generis : ita quod nullo modo differentia est extra naturam generis, sed est de natura ipsius sicut actus est de natura potentiae : quia si actus non esset de natura potentiae, potentia nullo modo desideraret actum.

Si vero diligenter et subtiliter attendatur quid sit genus et quid differentia, tunc non omnino vere prædicantur genus et differentia, nisi de specie : quia in specie genus in actu est, et differentia est actus speciei dans esse. Comparatio autem generis ad differentiam est sicut comparatio subjecti ad accidentis inseparabile, quod non est commune accidentis, eo quod est consequens, si est ut proprium quod convenit omni et non soli. Accidentis autem commune aliquando comparatione generis est proprietas, et aliquando comparatione speciei est accidentis commune : sicut motum voluntario motu qui vocatur motus processivus, quod est proprietas animalis et commune accidentis hominis.

Aliquando etiam accidentis commune proprietas est generis superioris sicut albedo quæ est de proprietatibus corporis compositi terminati, et est commune accidentis hominis : aliquando est de proprietatibus generis generalissimi, et aliquando etiam accidentis commune non est proprietas alicujus generis, eo quod alii accidunt quod est extra genus illud, vel etiam accidunt ei quod est extra totam illam categoriam secundum ordinem prædicabilium illius generalissimi sive prædicamenti : cuius exemplum est id quod est non recipere magis et minus, quod est de communitatibus hominis secundum participationem speciei, et est commune illi et multis aliis, nec est proprietas alicujus hominis, alia enim generalissima habent hoc. Comparatio autem animalis ad hoc animal, quando animali additur designatio singularis non considerata in hoc animali rationalitate quæ facit ipsum hominem, est sicut comparatio generis ad individua propria, quæ ex se habet et non mediante specie : tunc enim animal prædicatur de hoc animali immediate, ut species de suis individuis immediate prædicatur : et tunc non prædicatur ut genus, generis enim prædicatio est de differentiis specie : animal igitur genus est in comparatione singulorum animalium secundum quod facta sunt rationalia vel in alia specie constituta.

Similiter autem rationale comparatum ad hoc rationale non considerata animalitate in hoc rationali, prædicatur de eo ut species, secundum intentionem quam diximus, quod differentia aliquando ut species accipitur, et non prædicatur tunc ut differentia, Differentia enim est animalium singulorum specie differentium. Diximus autem rationale hoc considerari considerata animalitate. Similiter autem et risibile prædicatur de illo risibili non considerato secundum quod est homo : non est enim proprium nisi hominis et individuum. Adhuc autem risibile comparatum est prædicatum ut species. Similiter etiam

álbum quod est communiter accidens huic albo in singulari designato, est prædicatum sicut species et non ut accidens. Accidens enim commune non est accidens, nisi ei quod est subjectum ipsius denominatum ab ipso ut dicatur ab ipso ut sit album: non autem est accidens huic albo non considerato subjecto in quo est, illi enim comparatur ut species.

## CAPUT II.

*Qualiter hæc omnia quinque universalia ad invicem miscentur.*

Oportet autem scire quod hæc quinque non tantum coincidunt omnia vel plura in unum, sed etiam inter se quodammodo commiscentur. Et hoc fit multis modis. Genus enim commiscetur aliquando cum differentia. Apprehensivum enim est quasi quædam differentia hominis quod est rationale. Omne enim rationale apprehensivum est et non convertitur. Et similiter animatum sive habens animam est genus rationalis, et prædicatur in quid de rationali: et tunc est genus differentiæ. Et patet quod accidit ei ut differentia generis superioris: animatum enim differentia est corporis quod est unum de generibus mediis. Aliquando etiam commiscetur genus cum accidente sicut color qui est genus eorum quæ accidunt homini, quæ sunt ut albedo, et nigratio, et hujusmodi. Hæc autem compositione sive commixtio differt a prima: non enim sic potest esse, quod genus differentiæ constitutivæ sit genus constitutivum speciei: oportet autem quod genus accidentis sit genus accidentis ad ipsam speciem accidentis constitutivum. Genus ergo differentiæ est aliquando differentia constitutiva generis vel speciei, et præter hoc genus accidentis aliquando est accidentis generis, et aliquando speciei, sicut hoc ipsum apprehensivum est constitutivum animalis habentis apprehensionem per spiritum vel intellectum, et color est accidentis animalis et hominis, cum sit

genus color specialium. Permixtio autem generis cum proprietate est sicut admirans in actu admirantis, quod se habet ut genus ad ridens in actu: et tunc voiferans ex appetitu se habet ut genus ad hinnibile, quod est proprium equi.

Differentia autem aliquando miscetur cum genere, sicut sensibile quod est differentia gradibilium miscetur cum rationali. Miscetur etiam aliquando cum proprietate, sicut comparatio trium ad duos rectos angulos trianguli, qui tres angulos habet æquales duobus rectis. Hæc enim est differentia ejus quod est proprietas trianguli rectilinei. Aliquando autem miscetur cum accidente, sicut disgregativum visus, quod est differentia albedinis, quod accedit visui.

Proprietas etiam aliquando miscetur cum genere: gressibile enim est differentia animalis quod est genus hominis, et est proprium homini quod convenit omnino non soli. Etiam aliquando miscetur cum differentia et cum specie: quia si desit proprium speciei, et cum est communior proprio species, hoc fit cum differentia fuerit communior. Cujus exemplum est dividi in duo æqualia, quod est paris numeri. Aliquando autem miscetur cum accidente communi: visibile enim est proprietas colorati, coloratum autem est accidentis commune communi.

Accidens autem aliquando miscetur cum genere, nec propter hoc desinit esse accidentis speciei: est enim accidentis speciei, nec tamen est commune accidentis generi, sed est proprietas generis: et est aliquid quod est accidentis commune utriusque, generi scilicet et speciei, et cum hoc etiam similiter accidentis differentiæ et proprietatis.

## CAPUT III.

*Qualiter hæc quinque sunt naturæ quædam, et qualiter universalia, et qualiter intelligibilia, et qualiter simplicia.*

Attendendum autem est, quod omnia Primo.

quinque tripliciter considerari possunt. Si enim in se accipientur, ita quod ipsa res sive natura sine aliquo respectu sibi composito accipientur, et ipsa natura simplex consideretur, sic sunt naturæ quædam ista quinque, et præcipue genera, et species quæ absoluto intellectu assenti possunt: tamen de aliis est verum quando non accipitur id quod est differentia in ratione differentiæ, sed in ratione entis vel naturæ cujusdam: et hoc est verum de proprio quando accipitur id quod est proprium non in proprii ratione, sed in simplicitate cujusdam entis: et hoc etiam verum est de accidente quando accipitur ut pars entis, et non in ratione qua addit ad substantiam. Sic ergo hæc præaccepta sunt naturæ quædam, ut dicunt Avicenna et Alfarabius.

**Secundo.** Si autem accipiunt hæc prædicta secundum quod naturæ illi simplici additur aptitudo ad hoc quod sint in pluribus inferioribus, tunc illa jam efficiuntur universalia, quia universale ab habere aptitudinem dicitur universale, et non ab actu quo efficiatur actu universale. Utrum autem hæc aptitudo sit in re quæ sua simplicitate apta sit existere in pluribus, et per multiplicationem differentiæ dividentis, vel per divisionem materiae in pluribus actu efficiatur: vel sit in solo intellectu, ita quod nihil naturæ sit in pluribus, sed solus intellectus similitudinem naturæ unius ad eamdem naturam in specie in alio accipiat et in seipso assimilet, quæstio fuit. Et primo quidem modo illi dixerunt qui *reales* vocabantur. Secundo autem modo dixerunt hi qui dicebantur *nominales*. Et hoc ad præsens non est disserendum: tamen in præcedentibus in tractatu communi de *universalibus* hoc sustinuimus quod dixerunt reales. Quocumque autem modo, patet quod simplex natura non est universale, sed natura accepta in tali aptitudine.

**Tertio.** Hæc autem eadem natura accepta in lumine intelligentiæ, cuius ipsa est splendor quidam et radius, secundum quod dicimus, quod omnis forma sive natura

simplici splendor est, et radius intelligentiæ in anima similis sibi in esse spirituali, sive intellectuali, propter hoc quod ipsa natura per intellectualem naturam quæ in ipsa est ut pars essentialis ejus, operatur ad esse spirituale, sicut lumen in perspicuo operatur colorem secundum esse spirituale, quem tamen in corpore terminato operatur secundum esse materiale ipsius: eo quod actus activorum sunt in patientibus bene dispositis secundum possibilitatem recipientium actus illos, et non secundum potentiam agentis. Hoc ergo modo ista quinque vel sunt naturæ simplices, vel universalia, vel intellectus quidam in anima existentes.

**Sciendum** est autem, quod hæc quinque in lumine intelligentiæ accepta sunt absque omni multiplicitate, sed per hoc quod in singularibus terminantur ad materiam, secundum esse dividuntur, et sic agunt multiplicatatem per hoc quod in quolibet sunt secundum totum esse ipsorum et secundum totam essentiam, et sic quidem secundum se sunt ante omnem multitudinem. Per hoc autem quod in sensibilibus et in materia efficiuntur ad quantitatem actus intelligentiæ operantis in natura, per hoc efficiuntur multa secundum diversas multiplicationes speciei vel individua.

Si ergo in se accipientur, naturæ sunt simplices, et nec singularia, vel universalia. Si enim in natura simplici haberent quod essent universalia, cum natura simplex non sit nisi unum, universale non esset nisi unum, nec posset esse in multis, et de multis, quod est contra rationem universalis. Si autem a natura simplici haberent quod essent singularia, non posset universale esse nisi unum singulare, et omnia alia similia illi non reciperent prædicationem illius, quod iterum esse non potest. A natura igitur simplici nec habent quod sint universalia, nec quod sint singularia, sed habent hoc a respectu qui additur naturæ simplici, ut dictum est.

Quarto.

Nature illæ simplices in se nec sunt in intellectu nec extra intellectum. Adhuc autem secundum quod sunt naturæ simplices et separatæ, nec sunt in lumine intelligentiæ agentis, et lumine suo facientis omnes formas, sic sunt ut moventia potentiale intellectum qui est anima: et per hæc anima intellectuali convertente se ad ipsas efficiuntur in anima, dummodo non sit impedimentum in anima intellectuali, prout intellectum est sicut adepta: et sic accipit universale quod est in intellectu: et ideo oportet quod sit natura illa a sensibilibus, et materialibus, et particularibus separata et abstracta, et in solo accepta lumine intelligentiæ, cuius luminis ipsa est splendor et effectus. Et cum intellectus componit cum ea aptitudinem existendi in pluribus, tunc accipit eam ut universale logicum, et ratiocinatur de ipsa sicut de universali. Et per oppositum illius accipit particulare ipsius, quando componit cum ea illa quæ determinant ipsam ad materiam hanc et illam, et individuantia, quorum collectio in pluri-

bus non potest inveniri, et per quæ afficitur hoc aliquid designatum.

Et sic illa natura simplex in quadruplici esse accipitur, scilicet in esse naturæ simplicis, et in esse aptitudinis ad multa, et in esse luminis intelligentiæ cuius ipsa est splendor, et in esse individui designati per individuantia: et ideo habet rationem naturæ per primum, et habet rationem universalis per secundum, et rationem intellectus speculativi per tertium, et rationem particularis et individui per quartum. Et quamvis hoc ad primam pertineat philosophiam, tamen hic posuimus, ut doctrina sit magis perfecta, et quia hoc quidam Arabes præcipui in doctrina de universalibus posuerunt. Cum autem primus actus rationis sit ordinare dicibilia, ut in ante habitis diximus, jam rationes ordinabilium exsecuti sumus: de dicibilibus autem ordinandis in generibus, et speciebus, differentiis, propriis, et accidentibus, deinceps attingemus ad pertractandum.

Natura simplex in quadruplici esse accipitur.

# LIBER II

## DE PRÆDICAMENTIS.

### TRACTATUS I

#### DE ANTECEDENTIBUS AD SCIENTIAM LIBRI PRÆDICAMENTORUM.

##### CAPUT I.

*De intentione libri, et ordine, et modo et aliis quæ quæri consueverunt.*

In ante habitis dictum est quod logica est scientia per quam docetur qualiter per cognitum deveniatur ad notitiam incogniti. Et hoc duobus fit modis, secundum quod duo sunt quæ quando sunt incognita desideramus cognoscere, scilicet complexum etincomplexum. Et incomplexum incognitum cognosci non potest nisi definitione, vel quacumque notione. Complexum autem incognitum cognosci non potest nisi argumentatione. Dictum est etiam ad hoc, quod ratio (quæ est virtus unum cum alio complectens) non potest devenire ad instrumentum quo cognitionem incogniti eliciat ex cognito, nisi tribus actibus, qui sunt ordinare unum ad alterum, componere unum cum altero, et colligere composita secundum discursum qui fit ex uno in alterum. Sic enim et non aliter accipiet cognitionem incogniti per id quod est cognitum.

Primus igitur actus qui est ordinare unum componibile cum alio, perficitur duobus modis: et ordo ipse duobus fit modis. Primum quod exigitur ad actum rationis ordinantis est ratio quæ sumitur ex ipsa forma ordinabilium, et hæc ratio trahitur ex universali et particulari: per hoc enim quod universale est quod est in multis, et de multis, ratio ordinis accipitur prædicati ad subjectum: et de hoc jam quantum ad præsentem spectat intentionem determinatum est. Sequitur igitur nunc determinare de his quæ secundum rationem præmissam ad se invicem sunt ordinanda secundum genera, species, differentias, propria, et accidentia: hoc enim solum est in quo perficitur rationis ordinatio. Et ideo hic ordinabilia ad subjici et prædicari sunt ordinanda et determinanda secundum omnem sui diversitatem, quæ consistit in decem generibus prædicabilium sive prædicamentorum.

Quia autem jam in antecedentibus ad logicam probatum est, quod ad scientiam incogniti per cognitum non devenitur, nisi per dispositum sermonem ad signifi-

candum, sive homo inquirat apud seipsum per interius dispositum sermonem, sive inquirat apud alium per sermonem exterius prolatum, sequitur de necessitate, quod ordo prædicabilium non potest determinari, nisi secundum quod sub voce habet prædicabile designari. Rebæs enim inquisitive incognitis uti non possumus, eo quod nec finitæ sunt nobis, nec præsentes : et ideo signis et vocibus uti oportet. Propter quod prædicabilia oportet considerare secundum quod vocibus significantur : propter quod dicit Boetius quod haec scientia, scilicet libri prædicamentorum, est de decem primis vocibus prima genera rerum significantibus : ordo enim non est in rebus ipsis, sed oportet quod ratio ponat ordinem, sicut et facit complexionem et collectionem compitorum.

*Quid sit subjectum hujus libri.* Et ex his planum est quid sit hujus libri subjectum : est enim subjectum ordinabile in ratione prædicabilis vel subjicibilis, secundum quod stat sub voce talem ordinem signante. Et sic patet qualiter ista scientia est una ab uno subjecto.

*Partes subjecti.* Partes autem hujus subjecti sunt ordinabilia secundum diversum modum prædicandi in substantia, et accidente, et in accidentibus secundum omnia novem genera accidentium. Et sic multitudo infinita restringitur in decem genera, ut dicit Boetius : decem autem in duo prædicabilia, substantiam scilicet et accidens : et duo in unum prædicabile, scilicet ordinatum ad compositionem secundum rationem prædicabilis, vel determinatum ex universali et particulari, vel subjicibili et prædicabili. Ex hoc etiam patet quæ sit causa suscepti operis : non enim est componibile prædicabile cum subjicibili, nisi per ordinem unius ad alterum, et ideo de ipsis ordinabilibus in genere et specie oportuit determinare.

*Finis operis hujus.* Patet etiam quis finis ultimus et quis est finis propinquus. Ultimus enim est ut ex ordinatis ratio accipiatur compositionis ad enuntiationem, quæ sola inter orationes verum significat : et ulterior adhuc

finis est, ut ex compositis eliciatur collectio consequentiæ unius ex altero, per quam accipiatur scientia complexi quod ignotum est. Finis autem propinquus est, qui est terminus operis, ut scientia habeatur ordinabilium secundum omne genus, secundum quod potest esse diversus modus prædicandi, vel diversus ordo prædicabilis ad subjectum de quo prædicatur : quæ scientia libri *Prædicamentorum* est proprius finis.

Modus autem istius scientiae oportet quod ex fine sumatur : est enim ille modulus eligendus, quo in materia proposita potest devenire quis ad finem intentionis. Est igitur (cum sit de incomplexis) diffinitivus quidem secundum quod ex prioribus secundum naturam procedit : divisivus autem secundum quod notificat quod est prius per sua posteriora quæ sunt in ipso. Et primus quidem, scilicet diffinitivus, notificat rei substantiam et esse. Secundus autem, scilicet divisivus, notificat rei posse : quia non perfecte cognoscitur res, nisi cognoscatur secundum esse et secundum posse. Tertius autem modus, non propter scibile, sed propter eum qui scire querit, apponetur a nobis, et appositus est ab antecessoribus ut facilior sit doctrina, et ille est exemplorum positivus.

Est autem dubitatio quorundam, utrum de generibus (quæ ut dicit Porphyrius sunt prima rerum principia) possit haberi scientia ? eo quod scientia est habitus conclusionis per causas et principia demonstratus. Cum igitur ista sint principia prima rerum, non sunt alia priora eis per quæ demonstrantur de eis passiones. Et sic de ipsis non videtur posse dari scientia, sed in scientia debent esse supposita. Sed hoc solvere non est difficile : hæc enim secundum rem, et secundum quod sunt naturæ quædam et partes entis sunt prima principia : secundum quod sunt aliquid prædicabile vel ordinabile in genere secundum hunc vel illum modum prædicandi vel subjiciendi, sic non considerantur ut principia, et habent multas

*Modus doctriæ hujus libri.*

*Dubitatio.*

*Solutio.*

proprietates et passiones quæ sunt demonstrabiles de ipsis : et hoc modo agemus de ipsis hic. Prout autem sunt partes entis et principia diversitatis rerum, sic de ipsis agit primus Philosophus, sicut scire potest, qui in *Metaphysica* studendi ponit intentionem : quod non pertinet ad præsens negotium quod *Logicus* habet considerare.

Sic ergo tractantes de prædicibili secundum quod stat sub voce designativa prædicabilis secundum modum prædicandi diversum in genere et specie ordinabilis, sequimur sicut in aliis sectam Philosophorum qui Peripatetici vocantur, et maxime Aristotelem qui hujus sectæprincipes et primus inventor fuisse perhibetur, nihilominus apponentes quæcumque bene dicta a posterioribus poterimus invenire : procedemus enim et per modum scientiæ et per modum artis. Per modum quidem scientiæ in hoc quod considerabimus subjectum et partes principales subjecti, ostendentes quæ passiones insunt eis, et proprietates ex principiis huic scientiæ propriis. Viam autem artis tenebimus in hoc quod colligemus principia ad unum finem operis tendentia : quod opus quidem est ordinatio prædicabilium ad finem compositionis et intellectionis syllogismi, per quem per scientiam cogniti potest quis devenire ad notitiam incogniti, sicut sæpe diximus. Jam autem ad propositum accedamus, sufficit enim et multa prælibasse.

## CAPUT II.

*Qualiter præmittitur de æquivocis, univocis, et denominativis, et quæ sint æquivoca.*

Cum igitur in hoc agendum sit de prædicibili qualiter ordinandum sit in genere, et prædicabile in triplex commune reducatur, scilicet in ens et unum, in quæ secundum unam rationem reduci non potest : et in commune quod est commune sicut genus quod recipit prædica-

tionem sui universalis secundum nomen et rationem, quod quidem est univocum : et tertio in id quod est commune sicut subjectum de quo prædicatur accidentis, quod de subjecto non prædicatur, nisi secundum denominationem : oportet nos de istis tribus præmittere, ut postea facilius videri possit quid in quo sicut in genere contineatur, vel quid ad aliud sicut ad subjectum reducatur, vel quid nominis et rei suscipiat prædicationem.

Quia autem primum omnium quod prædicatur est ens, quod univoce de omnibus non prædicatur, ut in scientia universalium dictum est, ideo primo de æquivocis dici oportet. Et iterum propter hoc ut sciatur quid de quo ut genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidentis non prædicatur, quamvis univocum sit ante æquivocum, sicut unum ante multa : tamen secundum intentionem hujus doctrinæ æquivocum est ante univocum, quia per æquivocum prædicabile reducitur ad ens et unum quod est ante omne genus. Per univocum autem reducitur ad omne quod est commune ut genus. Per denominativum autem vel per ejus rationem omnia accidentis prædicata respiciunt substantiam. Et per istas tres communitates, omnium prædicabilium universitas reddit ad unius communis aliquo modo prædicationem, et omnia quæ ad unum subjecibile respiciunt, oportet quod id respiciant ad aliquem trium modorum.

Dico ergo, quia verum est quod in scientia universalium dictum est, quod si quis omnia entia vocet æquivoco, et non univoce nuncupabit, oportet de æquivocis præmittere. Æquivoca ergo dicuntur quorum solum nomen est commune, secundum nomen vero illud ratio substantiarum est diversa. Dicuntur ergo æquivoca quasi nomen (quod secundum vocem est) ex æquo quoad imponentem habentia. Et ideo etiam additur, quod dicuntur et non sunt, quia quod est in dictione commune est eis : in esse autem quod dicitur per nomen, non est communitas secundum

*Quare primo de æquivocis, secundo de univocis, et tertio de denominativis agit.*

*Æquivoca quid, et quare sic dicuntur : et explanatio diffinitionis illorum.*

æquam participationem: quamvis enim æquivocum actuali multiplicitate multa dicat, tamen nihil omnium illorum æqua participatione participatur ab his que in nomine significantur: propter quod æquivoca dicuntur, quia æqualiter nomen habentia, esse nominis non æqua suscipiunt participatione.

Propter quod etiam additur, quorum solum nomen est commune: nomen enim quamvis dicatur quasi notamen, eo quod aliquam notam rei facit quantum ad actum significantis et imponentis nomen, eo quod imponens nomen secundum aliquid proprietatis rei affectus est quando nomen imponitur: quia etiam significatio rei quæ intenditur per nomen formam dat nomini. Tamen hæc non sunt de intrinsecis ipsi nomini secundum quod nomen est solum, sed potius intrinseca sunt nomini litteratio talis sive compositio nominis ex littera et syllaba et accentu, quæ sunt intrinseca nomini ut nomen est. Quibus jam perfectis quantum ad substantiam nominis tunc primum refert nomen ad id quo affectus est ille, sive quod concepit ille qui nomen imposuit: et ideo in æquivocis solum nomen secundum quod consistit in sono litterarum et syllabarum et accentu est commune, et absque æqua participatione alicujus rei quæ importatur in nomine: et ideo dicitur æquivocum.

Et quamvis forte principaliter in æquivoco unum importetur, et alia non principaliter tamen, quia non æqua ratione multa dicta in nomine nomen illud participant, est etiam aliqua species æquivocationis: et hoc est quod additur in æquivocorum ratione ibi, ratio substantiæ est diversa secundum id nomen. Omne enim nomen aliquid significat pro substantia, et aliquid pro qualitate, cum omne nomen substantiam significet cum qualitate: et id quidem cui imponitur nomen est significata substantia ipsius: proprietas autem ejusdem rei sive substantiæ quæ afficit imponentem dum nomen imponit, est qualitas significata per nomen.

*Quid sit  
substantia  
quam signi-  
ficat nomen,  
et quid qua-  
litas cum  
qua signifi-  
cat.*

Quando ergo idem est nomen quantum ad ea quæ sunt nominis in littera et accentu: et id quod significatur in nomine, non est idem vel æque participantum ab illis quibus nomen imponitur, nec etiam proprietas a qua impositum est omnino eadem est, quamvis forte referatur ad unum: tunc nomen est æquivocum, quia ratio substantiæ cui nomen imponitur (quæ est ratio substantialis a qua nomen imponitur) sic duobus modis est secundum aliquid vel simpliciter diversa: substantia enim aliqua (ut diximus) est secundum aliquid per modum quo rationi substat, cui nomen ipsum imponitur: et illius ratio diversa est quando non penitus est eadem: et adhuc a quo nomen imponitur quod est nominis qualitas, et substantialis ratio quæ datur de nomine secundum illud quod nomen est. Quando ergo illa etiam non penitus est eadem, iterum ratio substantiæ, hoc est, substantialis ratio nominis est diversa: ita quod nihil rei cui nomen imponitur, æqualiter participant significata per nomen.

Ex quo patet quod æquivocorum multi sunt modi sive species. Sunt enim æquivoca idem quidem secundum rem, sed non æque participantia, hoc est, per eamdem rationem de omnibus æqualiter datam, sed potius quemdam modum illius (de quo datur ratio) habentia: sicut ens dicitur æquivoce de omnibus entibus per se et in alio existentibus, eo quod per se ens solum naturæ est ens, alii autem quædam modi sunt illius entis et non entia vera et principalia. Hoc modo sanum in animali, et urina, et dieta, et medicina dicitur æquivoce: quia sanum naturæ est animalis: alia autem quemdam modum dicunt sanitatis, significativa et conservativa sanitatis, vel ut sanitatis perfectiva, vel aliquo alio modo qui in animali est se habentia. Si enim medicus dicitur æquivoce de eo qui perfecta (quæ in ipso est) medicina operatur, et de vetula medicum imitante, et clystere quod ut instrumentum perficit operationem et actum medici,

*Æquivoca  
multiplicia  
sunt, a con-  
silio, a ca-  
su.*

et de quibusdam aliis modis aliquem modum participantibus : sic etiam ens et unum dicuntur æquivoce, eo quod ens et unum primo est id quod per se est ens et unum : alia autem dicuntur ens et unum, quia ad id sicut ad subjectum aliquo modo entitatis referuntur, vel sicut mensura illius, vel sicut dispositio, vel sicut respectus, vel aliquo alio modo, quæ sunt in illo sicut in subjecto. Et hie quidem modus vocatur multiplex dictum secundum analogiam, sive proportionem ad unum quod principaliter in nomine significatur.

Alius autem modus est æquivocorum, quæ Boëtius vocat a casu et fortuna æquivoca, quando scilicet idem nomen casu et fortuna diversis imponitur, quorum substantia cui nomen imponitur, non est una nec unius respicientis ad unum, vel etiam diversorum respicientium ad unum : sed tamen qualitas qua nomen illud diversis imponitur, per similitudinem translationis est una, ut canis quod imponitur latribili, et marinis, et cœlesti : et eorum substantia cui nomen imponitur non est una, sed diversa genere proximo et specie. Et proprietas sive qualitas a qua nomen imponitur, non nisi per similitudinem translationis est una. Verbi gratia mordax esse, quod convenit omni quod dentibus mordet : per translationem autem convenit ei quod mordet qualitate et respectu nocivo. Sic ergo patet qualiter æquivoca sunt, quorum solum nomen commune est, et ratio substantiae secundum illud nomen, scilicet significata, est diversa, hoc est, non est penitus eadem et æqualiter non secundum magis et minus participata.

**Objec.** Sunt tamen qui contra ea quæ dicta sunt, opponunt sophistice dicentes, quod significatio perfectio nominis est dans ei speciem et esse, ut videtur. Et ideo nomen quasi notamen dicitur, quia notam facit rei, et diffinitur per significare, quando dicitur quod nomen significat sub-

stantiam cum qualitate. Si autem sic est, tunc mutata significatione videtur mutari id quod nomini dat speciem et formam : mutata autem specie et forma, mutatur id quod specificatum et formatum est, et sic mutata significatione, videtur quod idem nomen remanere non possit. Et hæc præcipue videntur in his quæ relative dicuntur ad invicem, sicut signum et significatum proprium mutatur, videtur quod signum mutari necesse sit, quia in vanum et in cassum erit significatio ipsius, quando ad significatum non referetur. Hoc autem præcipue in vocibus et nominibus esse videtur : quia voces sunt notæ passionum et conceptionum quæ sunt in anima<sup>1</sup> : res autem sunt causæ passionis et conceptionis animæ : ideo videtur quod passiones et conceptiones animæ mutantur rebus mutatis. Mutatis autem conceptibus et passionibus animæ, videtur quod necesse sit voces (quæ signa conceptum sunt) mutari. Hoc et hujusmodi plurima possunt objici, quæ omnia levissima solvuntur solutione, dummodo ea quæ dicta sunt bene intelligantur.

Dicendum ergo est, quod nomen habet materiam vocem in qua formatur : habet autem formam litteraturam quam dat actus imponentis ad significandum hoc vel illud. Et hæc materia et hæc forma semper manet in nomine quamdiu est vox et nomen : et hæc manet in æquivoce secundum nomen et materiam nominis eadem semper in communi. Dicitur autem significatum aliquando significatio, et hæc in signis quidem naturalibus manet eadem : in his autem quæ ad placitum sunt, aliquando est diversa, eo quod placitum non est stans et uno modo causas habens : et propter hoc manente nomine eodem secundum propriam materiam et propriam formam, non est necesse quod idem habeat significatum : et ideo non est necesse quod eadem sit relatio talis signi ad significatum, sed potest esse relatio diversa.

Solutio.

<sup>1</sup> Cf. I Periher. com. 4.

Quia tamen quilibet instituens signum ad actum refert significandi, quamvis non referat ad hoc quod idem significet, et nomen est vox ad actum significandi relata, vox autem non habet illam relationem: ideo non dicitur in diffinitione æquivocorum, quod æquivoca dicuntur quorum sola vox communis est, sed quorum solum nomen est commune, ut actus significantis per institutionem importetur per nomen, quod quasi notam faciens dicitur: quod per vocem non importaretur. Et quia significatum est perfectio nominis secunda, ad quam ut signum refertur, ideo mutari potest nomine non mutato: et cum mutatur significatio, necesse est relationem signi mutari ad significatum: et sic nomen erit æquivocum manente nomine uno et eodem secundum primam et substantialem materiam, et secundum primam et substantialem formam, et non diffinitivam substantiae nominatae per significatum nominis. Et ratio substantialis data per qualitatem (qua nomen est in tali substantia significata) est alia et alia secundum illud nomen quod ad significandum ista duo refertur ad talia significanda per nomen unum et idem.

Hujus autem exemplum propositæ intentioni conveniens est sicut dicitur homo animal, et sicut dicitur imago quæ picta est ad imaginem hominis vel animalis: quamvis enim dicat Zeno in logica sua, quod multi sunt modi æquivationis, tamen unus et primus modus est propinquior univoco, qui est multipliciter dicti per analogiam sive proportionem ad unam et ab uno: sicut sunt omnia in ente æquivoca, et sicut est animal homo et quod pingitur: pictum enim animal dicitur, cuius similitudo ab uno eodem transformetur, et quando pictum ad naturale animal refertur secundum representationis quemdam modum, sicut ens vere est unum, et alia sunt entia ab illo dicta, et ad illud secundum aliquem modum entitatis naturæ entis ad illum relata.

Hoc est ergo quod dicit Aristoteles

quod æquivoca dicuntur, quorum solum nomen commune est: secundum tamen illud nomen ratio substantiae diversa est, ut animal homo et quod pingitur: horum enim solum nomen (quod est animal) commune est, secundum nomen vero quod impositum est ad significandum, ratio diffinitiva substantiae significatae est diversa: si enim aliquis assignet per propriam diffinitionem quid secundum quidditatem, et esse utrumque eorum divisim sit, quo sive qua proprietate sunt dicta animalia, propriam utriusque divisim et non unam utriusque communem assignabit rationem diffinitivam: de homine enim dicet, quod est animal rationale mortale, de picto autem quod est imago per similitudinem lineamentorum et coloris hominem representans. Et per hoc igitur patet quod prædicabile ad rationem generis reduci non potest, quia transcendit omne genus et est omnium generum principium.

Quod autem hic dicimus quod æquivoca dicuntur, et non dicimus quod æquivocum dicitur in singulari, cum tamen unum nomen sit per propriam formam: ratio est quia hic intendimus de prædicabili sive dicibili incomplexo secundum quod ordinabile est in genus vel commune univocum, vel per denominationem de uno prædicatum: et istæ sunt res non a vocibus vel dictionibus absolutæ, sed per voces significatae: et quia res multæ sunt ad idem nomen relatæ, ideo magis et competentius dicimus in plurali, quam in singulari: æquivoca enim sunt res sub uno nomine æquivocatae. Et quod dicitur, solum nomen commune est, intendimus excludere rationem substantiae designatae per nomen: quæ ratio substantialis est quando datur per ea quæ sunt substantiae, quæ sunt genus et differentiæ. Ex his patere potest, quare æquivocatio propter pluralitatem significatorum actualem operatur multiplicitatem: sed de hoc tracabitur in *Elenchis*.

Adhuc autem quia in æquivoco manet eadem forma quæ est actus significandi

ad placitum instituentis secundum respectum ad aliquid rei signatæ, quod ratio fuit instituendi signum id, de facili patet, quod in omni æquivoco, sicut diximus, aliquid est de univoco per quod æquivocum ad unicum habet reduci: unum enim signum diversis ad significandum ponentes, necesse est ad aliquid unum respicere, quod aliquo modo est in illis, quæ substantia et ratione substantiæ diversa sunt.

Hæc igitur sic dicta sunt æquivoca, et de his sufficit quod dictum est, quantum ad præsentem intentionem spectat: per tractabitur autem de aliis in *Elenchis*. Est autem notandum, quod quamvis in definitione æquivocorum dictum sit quod ratio substantiæ sit diversa, non tamen dicitur ratio substantiæ diffinitio vera data per genus et differentiam, sed generaliter dicitur ratio quæcumque notificatio, quæ majoris et melioris declarationis est quam ipsum nomen absolute positum. Et secundum hunc modum accepta ratione, individua habent rationem et æquivocationem in uno nomine: cum tamen ratio eorum a collectione accidentium sumpta non sit una secundum nomen illud in quo communicant. Hæc sunt igitur æquivoca, per quæ omnia reducuntur non ad genus sed ad transcendentia omne genus, quæ sunt ens et unum, ut dicit Aristoteles.

### CAPUT III.

#### *De univocatis.*

Univoca autem sunt per quorum rationem prædicabile ordinatur in genere uno, quod sibi subjectis nomen suum dat et diffinitionem: et sine hac ratione univoci non esset reductio prædicabilium ad genus unum prædicatum de omnibus illis quæ sunt generis illius: et ideo diffinitur sic ab Aristotele quod univoca dicuntur quorum nomen commune est, et secundum nomen illud eadem est substantiæ

ratio sive diffinitio. Et dicuntur univoca per oppositum modum ad æquivoca, res scilicet univocatae in nomine uno, ut res ipsa ad dici et ad sermonem referatur, quia aliter non esset logicum quod dicitur: quia res in se considerata, non secundum quod stat sub dictione, non ad logicum, sed ad Philosophum pertinet. Et ideo additur, *dicuntur*, et non *dicitur*, univoca sunt. Adhuc autem quia sermones finiti sunt quoad nos, res autem infinitæ, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, necesse est plures res in genere et specie et numero uno secundum modum significari. Quando ergo plures res in una natura (quæ causa impositionis nominis est) conveniunt in unum nomen, erunt illa univoca. Et quia plura sunt uno nomine nominata, ideo dicuntur magis convenienter in pluri univoca quam in singulare univocum.

Quod autem additur, *quorum nomen commune est*, dicitur nomen quasi notamen, quod est de re quæ est causa impositionis nominis in pluribus illius: hæc enim natura in omnibus illis est una, et non per prius et posterius participata: propter quod nomen tale simpliciter commune est omnibus illis, nihil nominans in uno quod non nominetur in altero.

Quod autem dicitur, *et ratio substantiæ est eadem*, ratio quidem substantiæ duo dicit, sicut prius in diffinitione æquivocorum: dicit enim ratio non tantum diffinitionem, sed etiam quacunque declarationem quæ datur de eo quod nominatur per nomen, ut dicit etiam formam a qua nomen ponitur, quam oportet eamdem esse: et ita, et nomen et natura et ratio impositionis nominis erit una in talibus ut sic: et ratio substantiæ est ratio substantialis addens simul in his quæ sunt univoca: et quod illa natura in eis sit participata æqualiter quæ non secundum magis et minus, nec secundum prius aut posterius sit in ipsis, sed uno modo sicut esse est unum.

<sup>1</sup> Quod si magis et minus susciperet, non esset unum omnino, sicut in ante habitis

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In Elenchis, cap. 4.

Quid per  
univoca in.  
telligentem.  
dum.

Quare diffi-  
nivit univ-  
ca et non  
univocum.

determinatum est in libro de *universalibus*. Quamvis enim nulla comparentur, nisi per aliquod unum quod est in illis, tamen illud unum quod est in eis, secundum magis et minus non potest esse de esse ipsorum. Et ideo ratio ipsius non est ratio substantiae ipsorum. Substantia enim eorum consistit in participatione generis et participatione differentiae, quae sunt actus et potentia constituentia substantiam, eo quod termini esse substantialis sunt esse omnium eorum quae sunt, sicut homo dicitur animal et bos dicitur animal: ita quod animal nomen unius naturae notam facit quae aequaliter est in homine et bove, quae quidem natura est substantia animata sensibilis: et ideo si explicetur natura sive substantia quae dicitur per nomen sicut nomen commune, sic explicans nomen ratio sive diffinitio erit communis aequaliter utriusque: unde si quis assignet utriusque rationem, hominis scilicet et bovis, secundum hoc quod sunt animalia, hoc est, secundum naturam de qua notam facit nomen commune quod est animal, eadem de necessitate assignabit hominis scilicet et bovis rationem diffinitivam. Et similiter est de Socrate, et Platone in hoc nomine *homo*. Et hic est in omnibus quae ut genus vel species sunt, vel ut differentia, vel ut proprium, vel ut accidens sub eodem nomine prædicantur, ut dicunt Avicenna et Algazel: si enim dicatur, Socrates est albus et Cicero est albus, si ratio sumatur secundum nomen commune, prædicatum de Socrate et Platone erit una et eadem ratio. Idem si dico Socratem esse risibilem, et idem erit si dicam Socratem esse rationalem: et ut generaliter dicatur, omne quod ut universale de multis et de sibi subjectis prædicatur, univoce dicuntur.

Dubitatio.

Sunt tamen qui sophistice contra hoc objiciunt dicentes, quod quia vere est nomen a forma impositum, diversorum

autem diversæ sunt formæ, et ideo, ut dicunt, diversa unum nomen habere non possunt. Ad quod levissime respondetur, quod diversorum in eo quod diversa sunt, diversæ sunt formæ, et diversa nomina cum formis illis imposita. Sed nihil prohibet diversa non in eo in quo diversa sunt, sed in eo in quo unum sunt, unum habere nomen, sicut habent unam formam: et ideo diversa individua in forma speciei nihil prohibet habere nomen unum speciei: et quae diversa sunt specie, nihil prohibet habere unum formam generis, et ideo unum habere nomen generis: et sic est in aliis. Et ideo necesse est, quod secundum illam formam de qua notam facit nomen, diversa habeant unam et eadem illius substantiae rationem diffinitivam. Diffinitio enim illa non plura dicit explicite quam nomen id implicite.

Solutio

Objectio.

Si autem contra hoc aliquis adhuc obiectat dicens, quod impossibile est unam esse naturam sive formam generis in pluribus speciebus, et sic impossibile sit unum esse nomen generis, quod dicatur de pluribus specie differentibus, hoc probatur per hoc quod dicitur, unum idem non simul actu habet contraria. Natura autem generis est una et eadem: et ideo si est in pluribus specie differentibus actu, et una eadem ratio, unum et idem actu simul habet contraria: habet enim rationale in homine et irrationale in bove vel asino, et cum hoc esse non possit, non potest esse nomen generis unum in homine et bove. Hæc autem confirmari videntur per hoc quod dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quod ratio animalis secundum unum quodque animal est altera et altera: falsum est ergo quod sit nomen unum et ratio una.

Solutio.

Hæc autem et similia non est difficile solvere. Dicimus enim quod una natura generis est in diversis specie differentibus et numero. Et quod dicitur, quod idem non simul habet contraria, intelligitur de eodem numero et non de eodem

<sup>1</sup> ARISTOTELES, I de Anima, tex. com. 8.

genere vel specie. Et hoc quidem jam in ante habitis in libro de *Prædicabilibus* determinatum est. Et quod dicit Aristoteles quod ratio animalis secundum unumquodque est altera, sic putandum est: ratio animalis secundum unumquodque, hoc est secundum esse quod habet in unoquoque sigillatim, est altera: hoc enim verum est non tantum in specie, sed etiam in individuo: quia sic animal non accipitur ut essentia generis, sed ut habet esse speciale vel singulare in specie vel in individuo: sic autem non est genus, quia est in illo tantum, et non extra illud in alio, et ideo sic non est in esse universalis, sed particularis: quia quamvis hoc quod est in uno, sit in alio universalis, tamen non secundum quod est in uno, est in alio, ut in tractatu de *Universalibus* est determinatum. Relinquitur ergo univoca esse, quorum et nomen commune est, et ratio substantiae eadem.

Attendendum autem est, quod quamvis multivoca sive synonima et diversivoca non sunt de his quibus prædicabile ordinatur in linea generis, eo quod synonima respiciunt unum particulare vel speciale per diversas proprietates quae sunt in illo multis significatae nominibus: diversivoca autem, sicut diversa sunt nomina, sic diversis attribuuntur; tamen quia Avicenna et Algazel et Joan. Damascenus in suis prædicamentis ponunt ista, et nos ea hic ponemus non ad necessitatem scientiae sed ad doctrinæ perfectionem. Sunt igitur multivoca sive synonima, quando multa nomina uni rei attribuuntur, ut ensis, mucro, spata, gladius, vel Marcus, Tullius, Cicero: his enim nominibus idem significatur secundum diversas proprietates quae sunt in illo. Diversivoca autem sunt, quando diversa nomina diversis attribuuntur, ut lignum, homo, lapis et hujusmodi. Sed his non indigemus ad istius scientiae ne-

cessitatem, in qua (sicut in geometricis facit Euclides) non præmittimus nisi definitiones eorum quae requiruntur ad ordinationem prædicabilis ad unum quod est in illo ordine prædicabile sive dicibile primo, sicut est principium transcendens quod in omnibus principiis est, et sicut est generalissimum: propter primum enim oportet ponere rationem æquivocorum, propter secundum autem necessaria est univocorum ratio.

#### CAPUT IV.

##### *De denominativis.*

Quia vero, sicut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, omnia accidentium genera reducuntur ad substantiam, ut ad subjectum unum omnium aliorum per prædicabile quod inter universalia vocatur accidens, et hoc non potest fieri nisi per denominationem factam a principali: propter hoc in scientia ista in qua intendimus de prædicabili ordine, oportet etiam præmittere diffinitionem denominativorum. Dicimus ergo quod denominativa dicuntur quæcumque ab aliquo principali solo casu differentia secundum nomen ad casum inflexum habent appellationem, ut a grammatica (quæ principale nomen est scientiae litterarum ad recte loquendum et ad recte scribendum) dicitur grammaticus per inflectionem quæ in finis est mutatione. Cum enim dicitur denominativum, propter compositionem propositionis *de*, notatur transitio sive diversitas quæ est inter essentiam denominantem et inter essentiam denominatam. Et ideo quæ sunt ejusdem naturæ, denominationis non suscipiunt prædicationem vel appellationem<sup>2</sup>, et ideo homo non dicitur humanus ab humanitate, sed dicitur essentialiter homo et animal rationale, et omnia quæ secundum essentiam prædicantur. Et quia etiam proprium essentialie est, quamvis non sit de essentia, ideo

Diversivoca  
qua sint.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In prima philosophia, lib. 9, tex. com. 1.

<sup>2</sup> Quæ sunt ejusdem naturæ non possunt se

denominare. Cf. quæ dicuntur a D. Alberto, 2 Topic. cap. 2.

non congrue dicitur homo risibilitatus. In accidentibus etiam secundum quod ordinata sunt in generibus suis et speciebus, non recipiunt denominationis rationem: albedo enim nec dicitur alba, nec dicitur colorata, sed dicitur color, et sic de omnibus aliis. Sed quando natura aliena quæ est post esse alterius, intelligitur et significatur quasi circumposita, scilicet composita per unius naturæ ad alienam congregationem, tunc fit denominatio, ut dicitur homo albus, vel alba quod est res alba. Hæc igitur sicut univoca et æquivoca, quia multitudinem essentiarum significantur, competentius diffiniuntur in plurali, ut dicantur denominativa, quam singulari ut dicatur denominativum.

Et additur *dicuntur*, quia totum quod hic intendimus, ad dici principaliter et non ad esse refertur, sicut in præhabitibus. Et quod additur *quæcumque*, significat indefinitam accidentium multitudinem a quibus sit denominatio. Et quod dicitur *ab aliquo*, denotat nomen accidentis secundum quod in sua puritate et principaliitate significatur. Dicit enim Avicenna<sup>1</sup>, ubi agit de anima, quod intellectus accidentis est absolutus, licet eius esse sit dependens.

*Intellectus accidentis est absolutus, licet eius esse sit dependens.*

*Removet dubium.*

Intellectus accidentis est absolutus, licet eius esse sit dependens. Et quod subditur *solo casu differentia*, dicitur hic *casus* quæcumque inflexio nominis secundum finem nominis sive dictionis: sive fiat per derivationem, sive fiat per declinationem, ut a justitia derivatur justus, vel verius dicendo a justitia formatur justus. Quamvis secundum grammaticam justitia derivetur a justo, tamen secundum naturam et rationem denominatio et denominati, a justitia formatur justus. Grammaticus enim nominum modos et formas attendit: et quia in declinazione sic declinatur justus, justi, addita *tia* fit justitia: ideo dicit justitiam formari vel derivari a justo: hoc enim modo justum a justitia formari non potest. Natura autem denominationis e contrario est: quia denominans est alienam naturam

informans: et ideo nomen illius naturæ præintelligere oportet, ut fine aliter in dictione inflexo denominatio fiat, sicut justus dicitur cadens per inflexionem finis a justitia, et albus ab albedine, et sic est ab omnibus aliis. Fit autem hæc inflexio in fine dictionis, et non in principio, quia inflexio finis principale significatum non mutat, sed modum significandi tantum, ut patet in omni declinatione quando casus declinant a recto, et a se invicem secundum ordinem casuum. Casus autem a principio dictionis mutaret totum significatum et non tantum significandi modum: sicut si diceretur justitia, prudentia, et hujusmodi, in quibus idem terminus est et principium diversum, et ideo diversum significatum. Et hoc notatur per hoc quod dicitur *solo casu differentia*: per hoc enim non differunt in principali significato, sed in modo significandi tantum. In denominatione ergo hæc tria necessaria sunt, scilicet natura aliena, subjecto extrinsecus aptata et circumposita, in principali et denominativo eadem res significata, et diversi modi significandi.

Quod autem additur *secundum nomen*, intelligitur secundum modum nominis qui est inflexio finis, qui casus vocatur. Et quod additur *habent appellationem*, per hoc quod dicitur *habent*, notatur habitus extra applicatus. Et quod dicitur *appellationem* (quæ dicitur quasi ad pulsum, et componitur ab *a* præpositione et *pello, pellis*) notat, quod alienum pulsum sit ad id quod denominatur, sicut et nomen proprium appellatio vocatur proprie, quia ex collectione accidentium ad id significandum appulsum est. Nomen enim commune propter hoc dicitur appellativum, eo quod in eo multa pelluntur in unum, et ideo est commune multorum. Verius autem exemplum est, ut a grammatica quod est nomen principale, grammaticus formatur per finis inflexionem, et a fortitudine formatur fortis, et sic est in omnibus aliis accidentalibus denominationibus.

Tria sunt  
necessaria  
ad denomina-  
tionem.

<sup>1</sup> AVICENNA, In 6 de naturalibus.

**Molutio.** Ex his autem quæ dicta sunt patet, quod in substantialibus non potest esse denominatio: substantialia enim sola pertinent ad objectio eamdem naturam. Et si ob-jicitur quod in substantialibus quædam significantur concrete, quædam autem abstracte, ut homo et humanitas: in quo videtur homo per inflexionem casus deri-vari ab humanitate. Dicendum quod hæc inflexio facta est ad similitudinem accidentis et non de ipsa rei natura: homo enim non prædicatur de sibi subjectis, ut ab alio derivatum, sed prædicatur ut esse substantiale ejus de quo prædicatur: et ideo iste modus intelligendi in re non potest poni, sed per simulationem ad accidens est imaginatus et fictus, ut forma significetur, et formatum in eo quod est formatum per formam, hoc igitur est denominativum<sup>1</sup>.

## CAPUT V.

*De divisione ordinabilium et non ordina-bilium in prædicamento.*

Cum autem quidam sint ordinabilia in prædicamento, quædam autem non in uno, sed in pluribus, quædam vero neque in uno, neque in pluribus, oportet nos hic divisionem ponere, ut sciamus quæ pertinent ad prædicabilium ordinem, et quæ ad prædicabilium non ordinem, sed compositionem. Sunt enim prædicabilia per intellectum accepta. Hic ergo intellectus potest esse simplex intelligentia, sive simplex per intellectum intuitus: vel compositus intellectus, unum cum alio jungens et componens. Et penes hæc duo sumitur divisio, quod eorum quæ di-

Prima divi-sio antepræ-dicamentalis.

<sup>1</sup> Quo melius illustretur sententia Auctoris, liceat super has voces univoce, æquivoce, denominative depromere quæ scripsit D. Thomas in Tract. II. Summæ logicæ (inter opuscula S. Thom. 44):

« Quia prædicamentum dicit quædam prædicabilia ordinata in ordine prædicentali, videndum est quot modis fiat prædicatio. Ubi nota quod aliquid de aliquo dicitur prædicari tripliciter: id est univoce, æquivoce et denominative. Univoce dicuntur prædicari, quæ non solum convenientis his de quibus prædicantur quantum ad nomen, sed etiam quantum ad rationem essentiarum. Et dico hic rationem illud quod per definitionem dicitur seu significatur, vel per aliquid quod sumatur loco definitionis. Sicut animal prædicatur de homine et de bove; unde non solum hoc nomen animal convenit homini et bovi, sed etiam definitio ejus essentialis, quæ est corpus animatum sensibile. Non solum enim vere dicimus quod homo est corpus animatum sensibile: et similiter est de bove. Äquivoce vero dicuntur prædicari quæ de pluribus prædicantur secundum idem nomen, non tamen secundum eamdem rationem: et isto modo prædicatur canis de latrabi et de marino: licet enim secundum idem nomen canis de utroque prædicatur, tamen alia ratione convenientis cani latrabi quam marino; ratio enim latrabilis est, quod est animal gressibile quadrupes, quæ non convenient marino. Sciendum est autem quod sub æquivocis comprehenduntur analogia. Prædicantur enim analogia de pluribus, in quantum di-

cuntur ad unum; ut sanum dicitur de animali primo et proprie: est enim sanum adæquatum in humoribus, quod non potest esse nisi in animali. Dicitur tamen sanum de urina et de medicina: nam dicimus hæc urina est sana, quia est signum sani quod est in animali: et hæc medicina est sana, quia est causa sani quod est in animali. Unde licet hoc nomen *sanum* de animali et urina dicatur, tamen ratio sani non potest dici de urina: non enim urina est adæquata in humoribus, sed est si-gnum talis adæquationis. Et sic prædicatio analoga aliquo modo convenit cum æquivoca, ut dictum est, et aliquo modo cum univoca. Licet enim sanum quod de urina dicitur, non dicat suam rationem, scilicet adæquationem humorum in urina, non tamen dicit aliam rationem, sed eamdem adæquationem humorum dicit, cuius urina est signum. *Derominative* vero dicuntur prædicari, quæ concreta sunt adjective, et ab aliquibus accidentibus abstractis denominantur seu derivantur: ut al-bum de homine prædicatur et de equo de-nominative, quia album derivatur ab hoc ab-stracto quæ est albedo quæ est in homine, quæ sic in abstracto sumpta de homine prædicari non posset: nulla enim pars, ut supradictum est, potest de toto prædicari; albedo enim est quædam pars accidentalis hominis albi, et sic de eo prædicari non posset. Concernit au-tem et dicitur album, quod idem est quod habens albedinem: et tale potest de homine prædicari. »

cuntur et stant sub dictione intellectus, alia quidem sine complexione dicuntur, alia vero dicuntur cum complexione. Quamvis enim res omnes incomplexæ sint, tamen compositionem formæ cum materia vel prædicati cum subjecto non potest significare intellectus, nisi per notam complexionem. Complexio autem est designatio unius cum altero vel in altero: sicut cum dicitur, homo currit vel homo vincit: in his enim vocibus notatur cursus inesse homini et victoria, ut actus inest agenti. Et hanc complexionem componens facit intellectus: et non est in re per modum compositionis, quæ media sit inter hominem agentem et actum ejusdem. Ea vero quæ sine complexione sunt, exemplariter sunt, sicut cum per se dicimus homo, et per se vincit, per se currit, ut in tractatu de antecedentibus ad logicam satis dictum est, ubi diffinitum est complexum et incomplexum<sup>1</sup>. Incomplexum autem sub voce conceptum, est ordinabile in prædicamento aliquo. Complexum autem pertinet ad intellectum componentem secundum naturam compositionis.

*Secunda di-  
visio.*

Aliam autem præmittemus divisionem secundum rationem illam dictam, secundum quam aliud ponitur in eodem vel diverso prædicamento. Et hanc dabimus quadrimembrem super duas divisiones bimembres fundatam. Est enim prædicabilium quæ in prædicamento vel ad subjectum unum ordinantur aliud substantia, aliud accidentis, aliud universale, aliud particolare. Et est accidentis universale, et accidentis particolare: et est substantia universale, et est substantia quæ est particolare per conjunctionem membrorum dividentium in duabus divisionibus inductis. Et ideo egreditur quadrimembris divisio, quod eorum quæ sunt in natura et quidditate sua, alia de subjecto quodam dicuntur, et non sunt in subjecto aliquo, sicut substantia universalis, sicut homo universale vel species de subjecto,

hoc est, sibi secundum totam lineam jacto dicitur, quando homo dicitur de aliquo homine, sicut cum dicitur per individuum vagum, aliquis homo est homo: vel per individuum significatum, sicut cum dicitur, Socrates est homo. In subjecto vero nullo est, sicut accidentis in subjecto est quod sui esse causam habet subjectum: quando enim homo prædicatur de aliquo homine, prædicatum est causa et essentia subjecti, et non accipit sui esse causam a subjecto. Alia autem per oppositionem ad ista in subjecto quidem sunt, sed de nullo dicuntur ut de subjecto, ordinata prædicatione: sed si dicuntur de aliquo, est sicut individuum quod prædicatur de seipso.

Et ut melius intelligatur explanando Quid sit esse in subjecto. In subjecto enim sunt, quorum dependentia secundum esse est ad subjectum: et hæc sunt quæ cum in aliquo sunt, non sunt in eo sicut quædam pars essentialis vel integralis: quia nihil conferunt ad esse subjecti in quo sunt: et impossibile est aliquid hujusmodi esse secundum actum sine eo in quo est, quia ab eo in quo est, accipit esse quod non habet extra ipsum, sicut accidentis quod (ut vult Aristotelës) potius est esse quam essentia. Et hujus exemplum est accidentis particulare, quod non individuatur nisi per subjectum, sicut quædam hæc grammatica, quæ ut in subjecto est in anima, sive in quadam anima grammaticam in se habente scientiam. De subjecto vero nullo dicitur, quia non prædicatur nisi particulari prædicatione quæ non est ordinata prædicatio. Et similiter quoddam album vel hoc album ut in subjecto est in corpore vel quodam corpore. Omnis enim color in corpore est determinato: quia, sicut dicitur in libro *de sensu et sensato*, color est extremitas perspicui in determinato corpore. De subjecto vero nullo dicitur cum sit particulare. Alia vero de subjecto quodam dicuntur et in subjecto quodam

<sup>1</sup> Cf. Tract. 4 lib. de Prædicabilibus, cap. 3.

sunt, ut accidens universale, ut scientia in subjecto est in anima, quia est accidens animæ: de subjecto vero dicitur ut de grammatica de qua prædicatur sicut genus de specie. Alia vero neque in subjecto quidem sunt, neque de subjecto dicuntur, sicut substantia particularis, ut aliquis homo vel aliquis equus: nihil enim horum quæ sunt particulares substantiæ, neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur: simpliciter enim et universaliter quæ sunt individua et secundum numerum singularia, hoc est, quæ sunt unum numero, non dicuntur de aliquo ut de subjecto, cum in descendendo ultima sint nec habeant sub se de quo dicantur. Nihil tamen prohibet quin quædam eorum in subjecto sint, quando accidentia particularia sunt: quædam enim grammatica, ut Donati, in subjecto est in anima Donati. Hac igitur divisione cognoscuntur quæ in genere sunt universalia, et particularia in eodem, quæ prædicantur ut accidentia in utrisque generibus, et quæ prædicantur ut particularia.

**Præpositio.** Si autem queritur, quæ est ista divisione? Dici potest, quod est similis ei quæ est generis in species. Cum autem commune dividitur, potius dicitur eorum quæ sunt quam eorum quæ dicuntur, quia potius sunt ista secundum esse quam secundum dici: quia esse sic vel sic in alio est causa ejus, quod est dici vel prædicari. Et accipiuntur secundum hanc divisionem quæ sunt in linea prædicamentali, ut genus et species, et non individuum. Et accipiuntur etiam ea quæ sunt extra genus, ut accidentia, et quæ secundum accidens prædicantur, sicut ea quæ sunt in generibus accidentium prædicantur de subjecto.

**Præpositio.** Si autem objicitur, quod subjectum in hac divisione non accipitur in una et eadem ratione, eo quod subjectum accidentis et subjectum universalis non uno modo substant, nec habent unam et eamdem rationem substandi: Dicimus quod una et communis ratio substandi est in

utrisque, sed specialis non est una: in hoc enim una est, quod subjectum in se fundat et sustinet prædicatum quoad esse verum: quod est esse actu in natura. Sic enim et substantia secunda est in prima, et accidens in subjecto. Differt autem in speciali quoad hoc, quod secunda substantia est causa essentiæ et esse primæ: subjectum autem est causa accidentis secundum esse quod habet: divisio autem secundum partes quas habet, notificat quæ et qualiter locantur in linea prædicamentali, sicut dictum est.

Hæc igitur omnia ut diffinitiones quædam his quæ dicentur ordini prædicabilium præmissa sunt: quia etiam divisiones ad hoc fiunt ut diffinitiones partium et dividentium habeantur, per quas sciatur qualiter et quo ordine in genere ponenda sunt.

## CAPUT VI.

*De principiis vel suppositionibus quæ debent præmitti ordini prædicabilium.*

Suppositiones autem sunt duæ quæ pro principiis præmittendæ sunt ordinis prædicabilium. Quarum una quidem est, quod quando alterum de altero prædicatur ut de proprio sibi in recta linea subjecto, et directe et substantialiter substantia secundum omnium quinque universalium respectum ad ea quæ directe sub ipsis sunt, quæcumque de eo quod prædicatur dicuntur recto ordine et substantiali, omnia etiam dici de subjecto necesse est. Hæc quidem in scientia de universalibus secundum omnem modum prædicandi quinque universalium dedimus exempla, ut homo ut species prædicatur de quodam homine: animal autem in eodem ordine de homine prædicatur ut genus et substantia de animali, necesse est quod animal et substantia de quodam homine ut differentia: sensibile autem et vitale et animatum de rationali ut genera et differentiae, necesse est quod et hæc de quodam homine prædicentur. Similiter risibile de quodam homine prædicatur ut

Prima suppositione anteprädicamentalis.

proprium : de risibili autem admirativum ut genus, et de hoc suspensivum ad apprehensa, et ad hoc secundum naturam desiderationis, necesse est quod et hæc de quodam homine prædicentur. Similiter album de quodam homine ut accidens prædicatur : de albo autem coloratum, de colorato autem quale: oportet igitur quod et hæc de quodam homine prædicentur. Et generaliter loquendo quæcumque secundum rectam lineam ordine individui ad speciem et speciei ad genus de prædicato quocumque dici possunt.

Et sicut Avicenna et Algazel dicunt, in negatione est similiter, dummodo ne generetur ea de prædicato quæcumque sunt secundum formam speciei aut generis prædicato opposita : ut si quidam homo non est lapis, lapis autem est inanimatum, necesse est quod quidam homo non sit inanimatum. Similiter est in ordine differentiarum et priororum et accidentium: sicut si homo est rationale, rationale autem non est insensible, et sic de aliis: sequitur quod homo non sit insensible. Et hoc est facile videre in omnibus : sicut si homo est risibile, risibile autem non potest esse non admirativum, sequitur quod quidam homo non possit esse non admirativum. Et si homo est : album autem non est non coloratum, sequitur quod homo non est non coloratum : et sic est in omnibus. Et hoc principio utimur ad ponendam rectam lineam prædicamentalem, et ad sciendum quæ extra lineam sunt prædicamentalem.

Ex his autem facile patet quod non sequitur, quidam homo est homo : homo est species : ergo quidam homo est species. Et homo est animal, et animal est genus : ergo homo est genus. Non enim species prædicatur de homine ut subjecto secundum rectum ordinem prædicamentalem, sed prædicatur de ipso ut accidens extraneum ab hoc ordine : et ideo in tali argumento est fallacia accidentis.

Et per hoc etiam principium prima figura invenietur in syllogismis, sicut patet in doctrina priorum Analyticorum.

Alterum autem principium est, quod diversorum generum, et non subalternatim positionum diversæ sunt species et differentiae: sicut enim diversa sunt genera, animal et scientia, secundum diversa prædicamenta : unum enim est genus in prædicamento substantiæ, et alterum est genus in prædicamento qualitatis, et non sunt in eadem prædicamenti linea subalternatim posita, ita quod unum sub altero directe contineatur : et ideo habent diversas differentias non ad se invicem ut inferius et superius ordinatas. Animalis enim species sunt homo et equus : differentiae autem ut gressibile, quadrupes, et volatile. Scientiæ vero nulla harum specierum vel differentiarum est. Hæ species scientiæ sunt grammatica, logica, et physica : differentiæ vero demonstrativum, opinabile, probabile, et hujusmodi. Scientia enim una non differt ab alia in eo quod una bipes sit, et alia non, sed volatile : et similiter est de omnibus generibus non subalternatim positis, quæ non in eadem linea continentur prædicamentali.

Ad hæc tamen quæ dicta sunt, instantiæ feruntur, sed sophisticæ sunt. Quarum prima est de corpore quod ponitur species substantiæ, et species quantitatis, quæ sunt diversa genera, et non subalternatim posita. Secunda est de scientia quæ ponitur et species qualitatis et relationis. Tertia est de quadrato quod est differentia figuræ, ut in *secundo* Euclidis dicitur et est differentia numeri, ut secundo arithmeticæ. Quarta est de rectangulo quod ponitur differentia trianguli, ut patet in *primo* Euclidis, et ponitur differentia quadranguli, ut patet in Euclidis *secundo*.

Omnes autem istæ instantiæ sunt sophisticæ: quia corpus secundum quod est species substantiæ, et secundum quod est species quantitatis, æquivocum est et non sumitur secundum unam rationem. Corpus enim quod est in genere substantiæ, est substantia mensurata tribus diametris ad rectos angulos se secantibus. Secundum autem quod est in

Secunda  
suppositio  
anteprædi-  
camentali.

Objectiones.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Ad primam.

Ad secun-  
dam.

genere quantitatis, est ipsa tria dimensio. Similiter scientia relata ad scibile, species est relationis, et secundum quod est qualitas scientis, est in genere qualitatis. Quadratum autem non dicitur de numeris, nisi transumptive et non proprie. Similiter autem et rectangulum non eodem modo dicitur de triangulo et de quadrangulo: quadrangulo enim convenit perse et semper, triangulo autem accidit: queritur enim triangulo et per accidens.

**Objec.** Quidam etiam instant de rationali quod, ut dicunt, convenit mortali et immortali, ut dictum est in scientia de *Universalibus*. Sed ad hoc quidam dicunt<sup>1</sup>, quod alterna et subalterna sunt subalternatim posita, et in eadem linea prædicamentali: quamvis enim unum horum sub altero non ponatur, tamen ambo ponuntur sub eodem genere superiori sicut sub substantia: et ita intelligitur quando dicitur non subalternatim positionum, ita quod sit sensus: diversorum generum et non subalternatim positionum, hoc est, non sub eodem communi, quod supra ipsa sit, positionum: et ita oportet dicere secundum Stoicos et Epicureos. In veritate tamen rationale non convenit incorporeo et corporeo secundum unam et eamdem rationem: sed hoc determinare est in libro *Causarum*.

Subalternorum vero generum, quorum vel unum ponitur sub altero, vel ambo ponuntur sub uno superiori communi genere, nihil prohibet easdem esse differentias. Superiora enim genera de inferioribus prædicantur: propter quod secundum principium prius inductum quæcumque prædicantur de ipso prædicato differentiae ut divisivæ, prædicantur etiam de subjecto ut constitutivæ. Sed divisivæ de genere prædicantur sub disjunctione, ut substantia aut corporea aut incorporea: de specie autem supposita altera differentiarum prædicatur ut constitutiva, ut de corpore corporeum, et de animali animatum et sensibile. Hæc igitur sunt quæ ut

suppositiones præmittere volumus ordinationi prædicabilium.

### CAPUT VII.

*De enumeratione generum in quæ prædicabilia reducuntur.*

His ita præmissis, jam genera in quæ prædicabilium universitas reduci habet inveniemus. Dicimus igitur, quod eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, ita quod nec habent complexionem orationis perfectæ, nec imperfectæ, nec complexionem diffinitionis, sed simpliciter incomplexa sunt, unum tantum significantia, et nihil cum ipso, singulum secundum seipsum in indivisibili accepturn aut substantiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm esse, aut habitum, aut facere, aut pati significat. Horum autem (ut figuraliter sive superficialiter per exemplorum positionem sit manifestatio) est substantia quidem, ut homo et quæcumque res per se existens. Quantitas autem, ut bicubitum, et tricubitum et quodlibet, quod continue vel discrete mensurat magnitudinem vel multitudinem. Qualitas vero est, ut album, vel nigrum et hujusmodi. Ad aliquid autem sive relativum, ut duplum, dimidium, æquale, majus, et minus et hujusmodi. Ubi vero, ut in loco, sicut in foro, vel in theatro, vel sursum, et deorsum et hujusmodi. Quando vero, ut heri, vel hodie, et eras, vel olim, et nunc et hujusmodi. Situm vero esse vel positum esse, ut sedet, jacet, stat et hujusmodi. Habere autem, ut calceatus, tunicatus, armatus et hujusmodi. Facere vero, ut separe, vel urere. Pati vero, ut secari, vel uri, calefieri, infrigidari vel hujusmodi.

Ad hæc omnia habent reduci prædicabilia sicut ad prima suæ coordinationis genera, et prima rerum illius principia: quamvis enim multi laboraverunt ut rationem ponant quare numerus principiorum.

Sufficientia  
prædicabili-  
mentorum :  
et quod non  
sint plura  
quam de-  
cem.

<sup>1</sup> Et hæc est solutio Aristotelis, in 6 Topico-

rum omnium rerum stat in decem, nos, quantum possumus, studebimus ex propriis horum generum modis prædicandi ostendere hujus numeri rationem. Notandum igitur est quod iste numerus non est nisi prædicabilium, quæ ut universalia de subjectis prædicantur. Propter quod si aliquid est quod de nullo prædicatur ut universale, nec de ipso potest aliquid prædicari ut de subjecto et particulari vel specie, illud non est in aliquo istorum generum, sed ante hæc, et causa omnium istorum, sicut causa prima, Deus scilicet excedens omnia, qui nec est universale, nec particulare, nec species, nec genus, nec differentia, nec potentia, nec actus alicujus: et vere non est aliquid ut substantia, vel ut accidens alicujus, sed est omnium efficiens, et tale principium per suam scientiam activam et per intellectum universaliter agentem. Hæc autem in libro de *Causis* habent probari. Si quæ etiam sunt formæ separatae res formantes, et a rebus separatae nullo modo miscibiles, ad quas ipsæ res sicut ad sigilla quædam formantur, et rebus non insunt, sicut dixit Plato, illæ de rebus non prædicantur, eo quod nihil sunt rerum. Et non potest aliquid de aliquo prædicari, quod nihil ipsius est. Illæ etiam non sunt in genere, nec ad aliquod genus reducibles. Et si dicuntur substantiæ, erit æquivocum nomen substantiæ ad istas substancialias. Hoc autem in *prima philosophia* habet determinari. Omnia autem quæ universalia sunt, vel universalium subjecta quæcumque aliquo modo sunt in quibusdam, et in quibus ut in subjectis sunt, quocumque modo, illa reducuntur ad ista decem genera quæ sunt numerata, et exeunt ab eis sicut a primis suis essentialibus principiis.

Quomodo  
transcen-  
tia dicuntur  
analogice  
de decem  
eneri bus.

Sunt iterum quædam non ad unum genus reducabilia, sed sunt in omnibus, sicut ens, et unum, et res, et aliquid, quæ dicuntur [non genera, sed ut principia quædam per prius et posterius de generibus illis dicta. Et ista genera primæ partes dicuntur illorum, et illa non æqualiter

prædicantur de istis, sed secundum prius et posterius dicta: ita quod sunt in uno recte et vere, et non sunt in aliis nisi per analogiam et proportionem habitudinis quia se habent ad unum principium.

Aliqua etiam sunt in pluribus generibus, sed in quocumque sunt vere illius generis, sicut motus qui in loco est ubi fluens, in qualitate quale fluens, in quantitate quantum fluens. Et ipsa mutatio in substantia est aliquo modo substantia fluens.

His ita prælibatis, dicimus quod prædicabile de aliquo, aut est substantia, aut est accidentis: et hæc divisio est per opposita immediate, quæ reducuntur ad affirmationem et negationem, sicut ens per se et non per se. Ens autem per se, ut per se ens prædicabile est substantia, et est genus omnium primum, et aliorum omnium quoddam principium. Ens autem non per se prædicabile vel subjecibile, est accidentis de necessitate: et hoc est ens in alio ut in subjecto, quod in duo secundum Aristotelem dividi habet. Accidens quidem aut est accidentis secundum inesse, aut secundum aliquem modum ad aliud se habere.

Si autem est accidentis sive aliquod cadiens secundum absolute inesse, tunc aut inest secundum materiam, quæ potentia divisibilis est et extensibilis et numerabilis ad formarum susceptionem, quæ in quantum potentia primo invenitur in materia: aut inest absolute secundum potentiam formæ, quæ est perfectiva materiæ ad actum et operationem. Si primo modo inest, sic est quantitas. Si autem secundo modo inest, tunc est qualitas quæ dispositio est substantiæ ad operations alias et ad actus.

Si autem non est accidentis secundum esse absolutum, hoc cadit ab substantiam secundum id quod est aliquo modo habere se substantiam ad aliud: tunc non potest esse nisi duobus modis: aut enim id aliquo modo se habere ad aliud, causatur a substantia comparata ad aliud, aut ab illo extrinseco comparato ad sub-

Sufficientia  
prædicacionis  
mentorum.

stantiam de qua prædicatur. Si primo modo, tunc iterum non est nisi duobus modis: aut enim est in comparatione simplici ad aliud, aut secundum comparationem partium ad totum in seipso consideratum. Et si est secundo modo, est situs vel positio. Si autem est primo: aut secundum comparationem ortam a forma, aut secundum comparationem ortam a toto simul. Et si est prædicabile secundum comparationem ortam a forma, est actio: unde dicit Averroes<sup>1</sup>, quod actio nihil aliud est, nisi comparatio agentis ad patiens. Si autem comparatio illa est orta a materia, tunc est pati: propter quod idem Averroes dicit quod passio est comparatio patientis ad agens secundum quod agens est. Si autem oritur a toto, non potest oriri, nisi per aliquem actum totius, quo innascitur comparatio illa, et tunc est ad aliquid sive relatio. Si autem oritur comparatio ab aliquo extrinseco comparato ad subiectum, de quo fit prædicatio, illud extrinsecum, aut est adjacens tantum, aut adjacens et applicatum. Si autem est adjacens tantum, et ex adjacentia simplici comparatum, aut est adjacens ei quod est esse quod est cum motu et esse distenso. Si primo quidem est ortum ab adjacentia extrinseca, tunc est *ubi*. Si autem comparatio est orta ab adjacentia extrinseci secundo modo, tunc est prædicamentum *quando*. Si autem oritur ab adjacente extrinseco et applicato, tunc est prædicamentum *habitus*. Nec possunt plura prædicari secundum adjacentiam extrinsecam.

Est autem advertendum, quod singula eorum quæ dicta sunt, quando ut singula et incompleta accipiuntur, in nulla dicuntur affirmatione vel negatione: quia affirmatio non est nisi unius prædicati de

aliquo: negatio autem non est nisi divisionis ostensio, divisionis, dieo, alicujus ab aliquo: horum enim prædicabilium complexionem vel compositionem ad invicem fit affirmatio vel negatio, et sine hujusmodi terminus prædicari non potest. Propter quod affirmatio et negatio non sunt formaliter et actualiter in rebus, sed in anima sive intellectu componente aliquid cum aliquo, vel dividente aliquid ab aliquo. Propter quod omnis affirmatio videtur vera esse, vel falsa: et similiter omnis negatio. Propter quod etiam in *6 primæ philosophiæ*<sup>2</sup> dicitur quod verum et falsum sunt in anima et non in rebus. Et hoc est verum de hoc vero quod est adæquatio rerum complexarum cum intellectu componente vel dividente. Ea autem quæ sunt de numero eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, sed incompleta et indivisibili intuitu intellectus accipiuntur, hoc modo veritatis vel falsitatis neque vera sunt, neque falsa. Incomplexa autem sunt, ut homo, album, currit. Possunt tamen alio modo esse vera vel falsa, secundum quod verum dicimus purum, alienæ naturæ non permixtum, vel existens et non apparenst tantum, sicut dicimus verum aurum, alienæ naturæ non permixtum, et dicimus verum esse et in veritate quod ita existit secundum actum sicut appareat: et dicimus verum phantasma esse, quod apparet et non existit, sicut lemures, et somnia, et melancholicis visa: verum enim sic cum ente convertitur et repugnat impuro et vano. Hinc est, quod Aristoteles<sup>3</sup> dicit, quod intelligentia indivisibilium est in quibus non est verum: in quibus autem verum est et falsum, jam compo-sitio quædam intellectuum est.

<sup>1</sup> AVERROES, In commento super Physicam Aristotelis, 2 Phys. com. 20.

<sup>2</sup> Tex. com. 8.

<sup>3</sup> ARISTOTELES, In 3 de Anima, tex. com. 24.

## TRACTATUS II

### DE SUBSTANTIA QUÆ EST PRIMUM PRÆDICABILE.

#### CAPUT I.

*In qua significatione substantia accipiatur.*

Jam de prædicabilibus secundum ordinationem eorum ad unum quod est generalissimum in ordine illo tractandum est. Quia autem omnium prima est substantia, ideo primo de substantia dicamus. Est autem substantiae triplex consideratio. Una quidem secundum quod substantia est pars entis prima et principalis, quæ in se vera est et causa est omnibus aliis existendi. Secunda autem secundum quod substantia prædicabile est primum, ad quod est reductio omnium prædicabilium suæ coordinacionis. Tertia autem secundum quod substantia primum subjectum est, ad quod sicut ad subjectum omnium quocumque modo prædicabilium est reductio, sicut ad id de quo est prædicatio.

Primo quidem igitur modo substantia est ens per se existens, nec in alio nec ab alio suæ existentiae causam habens: et hoc modo substantia est primum et vere ens, et est essentia invariabilis et incorruptibilis quæ omnibus aliis causa est existendi. Est autem actus simplex primæ causæ, per quem omnia subsistunt quæ per se sunt: et talem actum ad similitudinem substantiae suæ producit prima causa: et est per se existens quia non per aliud vel ab alio est quod sit causatum, sed ipsum est causatum primum in modo existendi ad similitudinem primæ substantiae productum. Et hæc substantia simplex est essentia, sicut habe-

tur ex libro *Causarum*. Et hæc substantia secundum processum habet materialitatem et variabilitatem et particularitatem: quorum nihil habet secundum quod in prima causa est, et secundum hoc quod est ab ipsa. Et sic de substantia agitur, ubi sensibilis substantia ad insensibilem reducitur, et insensibilis ad intellectualem, et intellectualis ad divinam: cuiusmodi tractatus de substantia pertinet ad primum Philosophum.

Secundo modo substantia est primum commune prædicabile, ad quod omne prædicabile (quod est substantia) reducitur. Et quia nihil prædicatur de aliquo nisi quod est totum ipsius et forma totius quæ totum dicit ipsius, et esse ipsius quod est in potentia vel actu. Cum subjectum autem primum in substantia (de quo omnia alia prædicantur) sit compositum, oportet quod et proprium primum prædicatum sit compositum, et forma totius totum esse totius dicens secundum quod est ipsius totum, in quo prædicatio potest designari: et hæc est substantia de qua intendit logicus. Hæc autem substantia est primum quod supponitur vel subjicitur in tota coordinatione eorum, quæ substantia dicitur formabile differentiis in species et genera subalterna per ordinem descensus et species specialissimas et individua: hoc enim est genus formabile in omnia quæ sunt suæ coordinacionis genera et species et individua. Et cuilibet potest patere, quod hæc totius illius coordinationis est primum principium et est compositum, quia aliter non esset in se per se existens. Est autem compositum formale a forma, quæ dicit

Substantia  
tripliciter  
considera-  
tur.

Substantia  
primo mo-  
do.

Substantia  
secundo  
modo.

totum esse secundum primam notionem substantiæ, in qua ratio substantiæ intelligi potest.

**Dubitatio.** Si autem quæritur, quæ sint componentia ipsum, cum nihil habeat ante se ex quo componi possit? *Dicendum* quod nihil extrinsecum ei ante se habet: intra se tamen habet intellectum componentium ipsum. Est enim ens, et est per se, quod addit super ens intellectualem compositionem: quia ex ente est, et ex eo quod est per se, est hoc. Et, ut dicit Boetius, aliud habet quo est aliquid, aliud habet quo hoc est: et hæc est forma compositionis ejus, quia nihil habet materiæ, quamvis habeat id quod est et esse. Et hæc est prima notio substantiæ quæ de omnibus prædicatur quæ in recta linea prædicamentali sunt in prædicamento substantiæ. Sunt tamen quæ dicuntur substantiæ, non quia hanc substantiæ recipiunt vel participant rationem, sed quia sunt principia essentialiter constituentia substantiam, sicut forma dicitur substantia, et materia dicitur substantia, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>. Sed hæc non sunt in substantia secundum rectum ordinem prædicamenti, sed reducuntur ad substantiam ut principia substantiæ per hanc dignitatem, quod nihil quod per sui essentiam facit substantiam, est non substantia. Hoc igitur modo substantia consideratur a logico et est præsentis intentionis.

**Substantia  
modo.** Tertio autem modo substantia dicitur ab actu substandi, et tunc dicitur substantia quæ per se substans, et omnibus aliis quæ substant, dat quod substant: et hoc modo substantia individua est substantia sola, a qua tamen nulla, ut inferius patebit, est prædicatio: sed omnis subjicibilitas omnium quæ quibuscumque subjiciuntur est ab ipsa. Et quia nos in hoc libro intendimus de prædicabilium secundum suas coordinationes reductione ad unum, ideo hanc substantiam primam oportet ponere: quæ tamen ultima est

secundum ordinem primo et secundo modo dictæ substantiæ.

Secundum ergo primam intentionem substantia est essentia, quæ nec genus est, nec species, nec individuum, sed est simplex. Secundo autem modo dicta substantia composita est, et est primum genus omnibus sequentibus differentiis formabile et determinabile ad esse specierum et individuorum. Tertio autem modo dicta substantia est determinata materia et superficie et loco ad hoc singulare vel illud. Et primo quidem modo substantia nec est quale quid, nec hoc aliquid, sed simplex essentia. Secundo autem modo est substantia quale quid, ab eo quod formatur habens quid, et a formante habens quale. Tertio autem modo est hoc aliquid. Principia autem substantiæ propria sunt id quod est quid et formabile, quod est non materia quidem, sed materia proportionem habens in eo quod sustinet se formans et in eo quod formabile est, et secundum principium quod est dans esse habens proportionem ad actum formæ, qui est determinare ad esse, et finire, et distinguere, sicut dicunt Avicenna et Alfarabius. Hæc autem quæ dicta sunt valde notanda sunt, quia solvuntur per ea multæ quæstiones. Hic igitur tertio et secundo modo tractabimus de substantia, primum modum primo philosopho relinquentes.

## CAPUT II.

*De substantia prima quid sit, et declaratio definitionis ejus.*

Incipientes igitur a prima subjecta, dicimus quod substantia quæ proprie et principaliter et maxime et tertio modo substantia dicitur, est quæ nec de aliquo sibi directo subjecto in quo sit per naturam et intellectum prædicatur, nec est in subjecto aliquo. Et per hoc quod dicitur *proprie* substantia, excluditur substantia

Quid sit  
substantia  
prima, et  
declaratio  
definitionis  
ejus.

<sup>1</sup> Aristoteles, In 2 de Anima, tex. com. 20.

quæ non est proprie substantia, sed substantiale primum in quolibet genere, sicut color substantiale est albedini, et mensura substantialis est pedis, vel cubiti, vel alicujus alterius speciei mensuræ. Dicitur autem *principaliter* ad secundæ substantiæ exclusionem, quæ substantia est ab actu substandi dicta per primam substantiam. Et dicitur *maxime* eo quod pluribus substat quam aliqua alia: quia substat communiter accidentibus quæ non sunt nisi accidentia individui. Per hoc autem quod *de subjecto non dicitur*, habet quod est individua vere in natura secundum actum existens, et non habet actu intellectus existentiam ut universale. Per hoc autem quod *non est in subjecto*, habet quod est per se ens, et non in alio nec ab alio existentiam habens. Hæc igitur est prima substantia, cuius exemplum est ut aliquis homo, vel aliquis equus.

Quod autem per negationem diffinitur, cum dicitur quæ neque de subjecto dicitur neque in subjecto est, causa est quia sicut prima est in substando, ita ultima est in essendo. Et ideo in substando per affirmationem affirmantem aliquid quod sibi causa esset substandi diffiniri non potuit. Nec etiam potuit diffiniri per aliquid quod sibi esset causa de aliquo prædicandi, quia de nullo prædicatur: ultimum enim in ordine essendi non potest habere aliquid sub se cui essentialiter insit. Inesse autem essentialiter, causa est quod aliquid de aliquo ut genus vel species essentialiter prædicetur: perfectum autem esse in actu ultimo secundum naturam et sustentans omnia alia, causa est quod in nullo sit ut accidens. His ergo de causis sic per duas negationes oportuit ipsam diffiniri: quæ tamen negationes infinitæ non sunt quia finitæ sunt ab his quæ in eadem diffinitione ponuntur.

Attende autem, quod non est idem *non dici de subjecto* et *dici non de sub-*

*jecto*: non dici de subjecto enim est quod dici quidem potest et prædicari, sed non habet sub se in quo sit essentialiter secundum ordinem lineæ prædicamenti de quo prædicetur. Dici autem non de subjecto, hoc est quod a prima substantia nulla est ordinata prædicatio: ideo dicitur quod neque de subjecto est. Quia autem nullo modo sibi convenit inesse, cum omnia alia sibi insint, et salventur in esse naturæ per hoc quod sibi insunt aliquo modo, ideo impossibile fuit ipsam primam substantiam inesse alicui. Et sicut diximus, hoc est substantiæ proprie et non appropriate: quod enim non proprie sed appropriate substantia est, et non secundum naturam et secundum essentialitatem suam substantia est, sed habet ad id quod est quædam substantia proportionalitatem, sicut color se habet ad albedinem quando diffinitur albedo<sup>1</sup>: et ideo dicit Aristoteles<sup>2</sup>, quod si quis albedine posita, dixerit per diffinitionem quod positum est, colorem esse, quid est dicit, sed quale significat. Non enim est substantia sed proportionem habet ad substantiam, quæ est causa substantiæ per hoc quod in diffinitione speciei essentialiter est sicut genus in specie, et hoc est per similitudinem proportionis et non per naturæ veritatem.

Cum vero dicitur principaliter substantia, principale dicitur id quod est primum et per se non per aliud neque per accidens substandi et fundandi principium: hoc enim non habet ab alio sicut substantia secunda ab alio habet quod substat, non quidem quod in ea sit nisi in potentia, quia prima substantia non est in secunda, neque secundum actum, neque secundum intellectum: sed habet a prima substantia secundum quod ipsa quæ dicitur secunda substantia, quædam notio est totius primæ substantiæ, totum esse suum dicens in potentia non in actu: in actu enim non dicitur totum esse ip-

<sup>1</sup> Et hæc est expositio Boetii, quare substantia prima dicitur proprie substantia.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, 1 Topic. cap. 7.

sius nisi nomine individui, potentia autem est ab actu aliquo primo in ordine rerum omnium et generum. Et, sicut diximus, maxime dicitur : quia omnibus quæ insunt, substans quocumque modo aliquid sit in aliquo et salvat in esse omnia secundum naturam, quod solum esse est perfectum et verum : et tale esse non habet secunda substantia, prout secunda substantia est : et ideo in tali esse fundare non potest aliquid.

Quod autem in diffinitione ponitur *dicitur* et non ponitur *est*, causa est quia diffinitio datur de substantia secundum quod inotescit per nomen substantiae, et non datur secundum principia, quæ substantiam in esse substantiae constituant : secundum autem quod innotescit in nomine, magis convenit dici quam esse.

Exempla autem non sunt posita de individuo signato sed de individuo vago : ideo quia hoc individuum habet aliquid de natura speciei, ut in scientia de universalibus dicimus, et ideo attingit naturam incorruptionis et æternitatis, et sic magis convenit scientiae : taliter enim descendente a generalissimis usque ad specialissima jubet Plato quiescere, eo quod de talibus propter suam infinitatem non potest esse disciplina. Habet etiam individuum vagum aliquid de speciei prædicatione ; propter quod in doctrina prædicabilium convenientius est exemplum per individuum vagum quam per individuum signatum. Hoc est igitur substantia ad quam est omnium aliorum prædicabilium reductio : et non est substantia secunda ad quod omnia reduci possunt, et ideo dicitur esse prima : et in ordine reductionis omnium ad unum, primam ipsam esse necesse est. Hæc igitur sint dicta de prima substantia.

### CAPUT III.

*De secundis substantiis quæ sint, et qualiter ipsæ solæ prædicantur de primis nomine et ratione.*

Secundæ vero substantiae dicuntur spe-

cies in quibus illæ quæ principaliter substantiae dicuntur insunt, sicut contentum est in communi continente, quod supposita sua ut partes continet subjectivas, sicut species continent individua quæ sunt sub ipsa specie. Ergo species sunt secundæ substantiae, et genera ipsarum, quæ ipsas species continent, sunt secundæ substantiae : ut aliquis homo in specie quidem est in homine contentum : cum autem sit animal speciei illius genus, erit etiam in animali sicut in genere, et ideo animal est secunda substantia. Secundæ igitur substantiae dicuntur, ut homo species, et animal genus, et sic est de omnibus aliis speciebus et generibus.

Attendendum autem, quod secundum veritatem sunt tres substantiae formales. Sunt enim formæ quæ sunt tantum formantes : et illæ sunt primæ formæ procedentes a lumine agentis intellectus ad rei constitutionem, sicut lumen quod est coloris formalis et substantialis causa procedens ad corpus terminatum in perspicuo. Et sunt formæ substanciales quæ sunt cum eo ingredientes in esse rei et constituentes, quæ sunt sicut lumen causa coloris, qui jam diffunditur in superficie perspicui : et illæ sunt conjunctæ substantiae formales rei ipsius quæ substancialiter est constituta. Et similiter substantiae formales quæ sunt rem constituentes, quæ sunt sicut color est immutatus visus vel motivus secundum actum lucidi sive perspicui, qui abstractus a colorato corpore determinato secundum esse spirituale est in perspicuo, et secundum esse speciei et animale sive intentionale est in oculo percipiente colorem.

Primæ igitur magis sunt facientes, virtutem causativam sive formativam habentes a lumine intellectus agentis, et istæ de re constituta non prædicantur. Secundæ autem formæ sunt materiam et compositum perficientes, in composito quiescentes : et ideo non prædicantur de re in qua sunt sicut nec primæ. Tertiæ sunt a rebus abstractæ, et sunt rerum constitutarum intentiones et notiones, et

Tres sunt substantiae formales.

Quare dicuntur secundæ substantiae.

ideo prædicantur de ipsis nomine, et ratione: propter quod etiam secundæ substantiæ dicuntur, non quia simpliciter substantiæ sint sicut primæ, sed quia sunt secundæ, hoc est, hoc secundo loco substantiæ, sicut primæ substantiæ dicuntur primæ, quæ primo loco vel ordine dicuntur substantiæ, perfectam participantes substantiæ rationem.

**Ad perfectam rationem perfectæ substantiæ tria requiruntur.**

Ad perfectam autem substantiam et rationem perfectæ substantiæ tria requiruntur: quorum unum et primum est, quod perfectissimum esse in natura et actu habeant, et non esse intentionale vel intellectuale tantum: et hoc esse non habent species et genera secundum quod hujusmodi. Secundum autem est, quod secundum se substet, et in se fundet ad esse quæcumque sunt rerum. Hoc non habent secundæ substantiæ, quia fundantur in primis et non fundant eas in esse. Tertium est, quod aliis fundandi et substendi virtutem tribuant: sicut quod secundæ substantiæ consequenter substantia accidentibus, consequenter habent a primis. Consequenter autem dico: quia sicut in generatione hic generat hunc secundum naturam, sed quia hic generans est homo et hic generatus est homo, ideo consequenter sequitur, quod homo generat hominem: ita hic homo est albus, et quia hic est homo, et hoc album est album, ideo sequitur quod homo est albus, cum tamen albedo sit de accidentibus individui, et non de accidentibus speciei, nec accidit speciei nisi differentia individui. Et sic non est de proprio: quia secundum naturam proprii primo accidit speciei, et per speciem venit ad individuum. Sic ergo secunda substantia dicitur, quod secundo stat, ut substantia communis non æqualiter prædicetur de prima substantia et de secunda: ut cum dicitur, substantiarum alia prima, alia secunda, sit divisio multipliciter dicti secundum hoc quod substantia dicitur ab actu et causa substendi: et in hac inten-

tione hic dicitur substantia, aut sequeretur non esse verum quod in sequentiibus probabitur, quod scilicet destructis primis substantiis impossibile sit aliquid aliorum remanere.

Objicitur tamen sophistice contra ea quæ dicta sunt, quia prius sunt quæ sunt causæ et diffinientia quam causata et diffinita: secundæ autem substantiæ sunt causæ, quare substantiæ primæ sunt substantiæ, sunt enim genera diffinientia species, species autem sunt totum esse formale et formaliter substantiæ individuorum: videtur ergo quod illæ quæ sunt substantiæ secundæ vocatae sunt primæ, et quæ sunt primæ vocatae sunt secundæ.

**Objectio.**

Et ad hoc dicunt sophistice quidam, quod secundum ordinem et rationem essendi procul dubio illæ quæ dicuntur secundæ sunt primæ, sicut probat objectio, et illæ quæ sunt primæ vocatae sunt secundæ: sed secundum actum substendi et subsistendi individua substantiæ sunt primæ substantiæ, et species et genera sunt secundæ. Sed aliter dicendum est quod hic communis substantia potest esse intentio ejus substantiæ quæ est in re et causa formalis et notio rei, et sic secunda substantia erit prima et prima secunda: vel potest esse universale abstractum a re, et sic est consequens esse rei et universale, et non est subjectum, sed accidens, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>. Sic ergo universale quod est genus et universale quod est species, accepta ut notiones essentiales formæ totius esse rei in potentia vel in actu, secundæ substantiæ sunt, hoc est, secundo substantes, et secundo in esse naturæ et actu subsistentes: et hoc modo intelligit Aristoteles. Substantiam autem quæ communis est ad primam et secundam non diffinit Aristoteles quia multipliciter est dicta de illis.

**Solutio.**

**Aliter.**

**Removet dubium.**

Ex his autem quæ in præhabitis determinata sunt, manifestum est quia eorum quæ de subjecto dicuntur, necesse est et unum nomen et unam rationem prædicata-

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In prima philosophia, libro 7,

ri de subjecto : ut de aliquo homine particulari, et ratio diffinitiva et nomen prædicatur hominis : quod exemplo probatur, quia quidam homo homo est et sic nomen prædicatur : et est animal rationale mortale et sic prædicatur ratio. Alter enim non esset verum quod in præhabitis determinatum est per illud principium : dum alterum de altero ut de subjecto prædicatur, quæcumque de prædicato dicuntur, omnia de subjecto dicuntur : tale enim prædicatum est in definitione subjecti, et ideo dat subjecto et nomen et rationem, sicut in physicis ostensum est. Eorum vero quæ sunt in subjecto directe in linea recta prædicamentali supposito, ut in pluribus neque nomen, neque ratio prædicatur de his quibus insunt subjectis : in abstractis enim neque nomen prædicatur neque ratio, quia corpus non est albedo, neque anima grammatica. In quibusdam vero sicut in concretis nihil prohibet aliquando prædicari nomen accidentaliter de subjectis in quibus sunt, rationem vero diffinitivam ipsorum prædicari de ipsis est impossibile. Cujus exemplum est ut album, quod cum in subjecto sit corpore, prædicatur nomine de subjecto : dicitur enim vera prædicatione accidentaliter, corpus est album : ratio vero diffinitiva albi nunquam prædicatur de corpore. Hujus autem causa pro certo est, quod subjectum hinc et inde non dicitur secundum unam et eamdem rationem : cum enim quod est de subjecto, dicatur dare nomen et rationem subjecto, dicitur subjectum in recta linea secundum prædicabilium essentiarium ordinem suppositum : cum autem dicitur quod ea quæ sunt in subjecto non dant rationem suam subjecto, quamvis aliquando dent nomen, non dicitur subjectum ens in se perfectum et occasio et aliquo modo causa alterum a substantia existendi in ipso, ut dicit Avicenna. Et quia non eodem modo dicitur subjectum,

non est mirabile si diverso modo prædicatur.

Videtur tamen inconveniens quod dicitur, si loco nominis ponatur diffinitio, quod facere licet, ut docet Aristoteles<sup>1</sup>, tunc videbitur quod de necessitate tale prædicatum subjecto suo dat nomen et rationem. Si enim dicatur, corpus est album, et album est coloratum disaggregativum visus, videtur sequi quod corpus sit coloratum disaggregativum visus. Ad hoc autem quidam respondere nituntur, quod accidens rationem non habet, et quod rationem diffinitivam substantiæ dare non potest. Quod autem rationem non habeat, nituntur probare per Aristotelem<sup>2</sup>, qui videtur hoc idem dicere et probare : quia in diffinitione accidentis præcipue per denominationem prædicati cadit subjectum : est enim album corpus albedine coloratum, et hic diffinitur tale accidens, quod oportet, quod per accidens sibi essentiale diffiniatur sicut album per coloratum. Si ergo in intellectu albi est corpus propter hoc quod accidentis esse est inesse, oportet etiam quod in colorato intelligatur corpus per eamdem rationem : et adhuc tertio intelligatur in eo quod dicitur visus disaggregativum, quia etiam hoc est accidens, et sic corpus album erit corpus coloratum et corpus visus disaggregativum : talis autem diffinitio in qua idem multo dicitur, nulla est, nulla ergo est diffinitio accidentis.

Sed ista solutio contra Aristotelem est, quia Aristoteles dicit, aliquando nomine, nunquam autem de subjecto cui inest prædicatur ratione : et sic supponit accidens habere rationem. Dicens ergo quod accidens ideo de subjecto cui inest non prædicatur ratione, quia non habet rationem, est contra Aristotelem. Adhuc autem in *primo Topicorum* dicit<sup>3</sup>, quod albedine posita si quis dixerit quod positum est colorem esse, quid etiam dicit : et qui dixerit quod positum est, colorem

Objectio.

Solutio

Improbatio ejus.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 6 Topicorum, cap. 18.

<sup>2</sup> Id. In 7 primæ philosophiæ, tex. com. 47.

<sup>3</sup> Cap. 7.

diffusum in clare superficie esse, quid dicit albedinis per diffinitionem : vel si dixerit album esse coloratum disaggregativum visus, dicit diffinitionem albi per causam datam : et hæ sunt rationes diffinitivæ.

**Solutio ve-  
ra, et est  
etiam Boe-  
tii.** Dicendum ergo secundum doctrinam Aristotelis quod accidentis habet rationem, etsi non habet rationem secundum perfectam rationem diffinitionis sicut substantia : diffinitio autem accidentis sumitur ex principiis subjecti quæ sunt causa accidentis : et sicut accidentis et inest subjecto et demonstratur de subjecto per causam quam dicit accidentis diffinitio. Quando autem dicit Aristoteles quod accidentis nomine prædicatur aliquando, nunquam autem ratione, intelligit quod nihil prædicatur ratione nisi quod rationem suam dat subjecto sicut dat nomen : quod scilicet sicut nomen dicit id quod est essentiale subjecto, ita et ratio illius nominis dicat omnia quæ sunt in subjecto essentialia, ita quod nihil ponatur in ratione quod non sit de essentia subjecti, aut sicut potentia, aut sicut actus. Sic autem accidentis etsi nomen det, nunquam dat rationem, quia quæ sunt essentialia accidenti sunt accidentalia subjecto, et extra naturam ejus : nulla autem est ratio talis. Nominis autem prædicatio in accidentalis non repugnat : sed prædicatio rationis ut ratio est penitus repugnat accidentalis prædicationi. Si enim prædictetur diffinitio ut diffinitio, non prædicatur nisi de suo diffinito. De hoc autem non prædicatur, nisi ut substantia ipsius et quidditas. Hic ergo est intellectus, quod dat quidem nomen, cui non repugnat accidentalis prædicatio, quia nomen prout notio potest substantialiter et accidentaliter prædicari : hoc nunquam dat rationem ut rationem, quia ratio accidentalis repugnat prædicationi.

## CAPUT IV.

*Quod destructis primis substantiis im-  
possibile sit aliquid aliorum remanere.*

Manifestum est autem ex his quæ dicta sunt, quod cætera prædicabilia omnia sive substantiæ, sive differentia, sive accidentia propria, vel communia, aut dicuntur de principalibus et primis substantiis ut de subjectis sibi directe in linea prædicamentali, sicut substantiæ secundæ, aut sunt in eis sicut in subjectis ab accidentibus quæ insunt denominatis. Sequitur igitur hæc consequentia, si secundæ substantiæ sunt de primis et accidentia in primis substantiæ primæ sunt, ergo a destructione consequentis si primæ substantiæ non sunt, impossibile est esse aliquid eorum, sive sit de numero secundarum substantiarum, sive sit de numero accidentium.

Hoc autem facile manifestum fiet ex his quæ nunc dicenda sunt. Proponantur igitur singula cæterorum quæ sunt alia a primis substantiis. Et primo proponantur de secundis substantiis quæ prædicantur de primis. Dico quod animal de homine prædicatur ut genus de specie : prædicabitur ergo utrumque istorum, animal scilicet et homo, quæ sunt genus et species et secundæ substantiæ, etiam de quodam homine ut de particulari. Si enim dicetur, quod non de aliquo prædicatur (quod est oppositum contradictione ejus quod est prædicari de aliquo, cum non de aliquo et de nullo prædicari æquipolleant) sequeretur quod animal de nullo prædicatur homine, et sic non prædicabitur animal de homine : datum autem erat quod de homine prædicaretur, prædicabitur ergo et de quodam homine : non autem prædicabitur aliquid de aliquo, nisi per hoc quod inest illi secundum doctrinam, quæ jam præcessit de *Universalibus* : animal igitur et homo sunt in quodam homine.

Similiter probatur de accidente quod

est in prima substantia: est enim color in corpore, igitur in aliquo corpore. Si autem non in aliquo est singulorum corporum, sequitur quod in nullo est corpore, et sic omnino non est in corpore: datum autem fuerat quod erat in corpore, sequitur igitur quod est in aliquo corpore. Quæcumque autem sunt in aliquo, non habent esse extra illud. Substantiae autem quæ sunt secundæ substantiae et accidentia sunt in prima substantia secundum esse. Nullum igitur habent esse extra illius esse: omnia igitur alia de substantiis principalibus dicuntur, aut in eis sunt sicut in subjectis: ergo non existentibus primis substantiis, ita quod nulla primarum substantiarum sit, impossibile est esse vel remanere in esse aliquod aliorum. Sed omnia alia aut de subjectis primis substantiis dicuntur, aut in subjectis eis sunt: et quæcumque altero istorum modorum se habent ad primam substantiam, non habent esse nisi in prima substantia, et non habent esse extra ipsam: sed si non sit prima substantia, tunc non habent esse in prima substantia, ergo destructa prima substantia secundum esse, nihil remanet secundarum substantiarum vel accidentium.

**Obiectio.** Et hoc quidem contrarium videtur ad illud quod in doctrina de *quinque universalibus* dictum est, quod scilicet destruncto quolibet homine et qualibet alia specie animalis et quolibet individuo adhuc remanet animal: remanet enim substantia animata sensibilis.

**Adhuc.** Adhuc autem secundæ substantiae priora sunt, quia sunt de constitutione ultimorum quæ dicuntur substantiae primæ. Sed posterioribus destructis non sequitur destructio eorum quæ priora sunt.

**Tertia.** Adhuc ab inferioribus non valet ad superius argumentationis processus, nisi affirmando et non negando. Si autem vera sunt quæ hic dicuntur, tunc locus ab inferiori ad superius valet destruendo sive negando, quod est inconveniens: arguitur enim sic, inferius non est, ergo superius non est, quod non sequitur;

sed e converso, superius non est, ergo inferius non est.

Ad hæc autem dicendum, sicut in doc- **Ad primam.**  
trina *Universalium* meminimus nos di-  
xisse, quod superiora esse actuale secun-  
dum naturam non habent, et esse per-  
fectum ultima perfectione, nisi in indivi-  
duis, quæ sola perfectum esse in natura  
attingunt, et quod omnia quæ sunt in  
genere et specie, esse habent in potentia  
et indeterminatum et confusum et flui-  
dum quoque illud attingunt: et ideo  
illis non existentibus, nihil aliorum ha-  
bet esse actuale in natura et determina-  
tum.

Ad ea autem quæ contra hoc obji-  
ciunt, dicendum quod priora secundum  
naturam non destruuntur ut priora, de-  
structis sequentibus posterioribus, secun-  
dum esse priorum: et sic destructis indi-  
viduis remanet esse eorum quæ natura  
priora sunt individuis, et destructis spe-  
ciebus remanet esse eorum quæ specie-  
bus priora sunt secundum esse illud quo  
priora sunt eis: hoc autem est esse in-  
tellectuale quo sunt genera et species, et  
non est esse actuale perfectum in natura:  
quo ad hoc enim destruuntur destructis  
primis, quia tale esse non habent nisi in  
primis.

Ad hoc autem quod objicitur de loco **Ad tertiam.**  
ab inferiori ad superius, qui non valet  
nisi affirmando, dicimus quod hoc verum  
est: sed non est locus ab inferiori, sed  
est locus a partibus sufficienter enumera-  
tis sicut hic: hoc non habet esse nisi in  
a, et b et c; si igitur nec est a, nec b,  
nec c, sequitur necessario ipsum non  
esse, et hoc quidem est verum. Sic ergo  
verum est quantum ad esse actuale in  
natura perfectum, quod destructis primis  
et principalibus substantiis impossibile  
est aliquid aliorum secundum esse tale  
remanere.

Si quis autem opponat et dicat quod  
non sequitur quod si non remaneat se-  
cundum tale esse, quod non remaneat se-  
cundum esse simpliciter. Dicendum quod  
**Objectio.**  
**Solutio.**

tale esse est esse simpliciter, et omne aliud esse est esse secundum quid : unde si secundum tale esse non remaneret, simpliciter quidem non remaneret, sed maneret secundum quid : et sic loquitur Aristoteles.

## CAPUT V.

*Quod species sint magis substantiæ quam genera, non sic autem species specia-  
lissima respectu alterius specialissimæ.*

*Quod spe-  
cies sint  
magis sub-  
stantiæ  
quam gene-  
ra.*

Secundarum vero substantiarum magis sunt substantiæ species quam genera propter eamdem rationem quæ dicta est ; species enim propinquior est primæ substantiæ quam genus secundum descendens in linea prædicentali : et quia propinquior est, magis determinat de esse ipsius. Et hoc probatur per hoc quod si quis interrogatus de prima substantia quid est, ut quid est aliquis homo, assignet respondens ad quæstionem quid est prima substantia, evidenter et manifestius assignabit quid est prima substantia, speciem proferens in responsione quam proferendo genus : species enim est totum formale esse cuiusdam hominis : esse autem hominis in genere non est totum sed secundum partem, et est communitate generis confusum : unde sicut determinatus est esse cuiusdam hominis in quodam homine quam in homine, sic determinatus est esse cuiusdam hominis in specie quam in genere : assignando ergo hominem manifestius assignabis quid est quidam homo, quam assignando animal esse in specie : sicut esse hominem magis est proprium alicui homini quam esse in genere ut esse animal : esse namque animal est esse communius et magis confusum et indeterminatum quam esse hominem, sicut patet in similibus inducendo. Cum enim interrogatus fueris quid sit aliqua arbor ? et dixeris aliquam arborem esse secundum speciem, manifestius et certius quid est quaedam arbor assignabis quam si dixeris plan-

tam esse. Ergo a simili et quemdam hominem assignando dicens esse hominem, manifestius quidem assignabis quid est, quam si dixeris eumdem animal esse.

Amplius hoc quidem probatur alia ratione : principales enim substantiæ ideo principales dicuntur, eo quod omnibus aliis substantiæ et subjectæ sunt, et alia omnia aut de his prædicantur aut sunt in ipsis, sicut dictum est : ideo enim maxime substantiæ in physicis sunt vocatae. Sicut autem primæ substantiæ in substando et fundando in esse actuali ad omnia alia se habent, sic et species se habent ad genera : subjacet enim generi species ut determinans confusionem ejus ad esse formale ultimum : et hoc probatur ex hoc quod genera de speciebus prædicantur sicut magis commune de minus communi, et sicut totum de parte cuius est totum. Species autem de generibus minime prædicantur, eo quod non convertitur, quod sicut genus de specie universaliter prædicatur, sic prædicetur species de genere. Sequitur ergo ex his quod species magis dicit substantiam et quid est primæ substantiæ quam genus.

Videtur tamen contra hoc objici, quia in quæstione quid est, magis dicit causam qui assignat causam illam quæ per se causa est, quam si assignat causam quæ per illam priorem habet quod est causa : sed generalissimum quod est omnium principium, per seipsum causa est in quæstione quid est, omnia alia inferiora per id sunt causa, et sic magis videtur dicere quid est, assignans genus, quam assignans speciem : quod si concedatur, contrarium est huic quod dictum est. Adhuc autem cum in inferiori sit superius actu et intellectu, qui assignat id quod inferius est, assignat etiam id quod superius est : qui autem assignat quod superius, nec actu nec intellectu assignat quod inferius est, quia non est in ipso nisi secundum potentiam : plus igitur causam ejus quod quid est assignat qui

Objectio.

Solutio.

assignat speciem quam ille qui assignat genus : et hoc est concedendum. Et quod objicitur quod qui assignat quod inferius est, assignat quod per aliud causa est : Dicendum quod inferius non est per aliud causa quod sit extra ipsum, et ideo non est causa omnino per aliud, sed per seipsum. Si autem esset per aliquid extra seipsum, tunc esset causa omnino per aliud : et ideo in quæstione quid est, melius assignat causam qui dicit speciem quam qui dicit genus. Manifestum est igitur quod inter secundas substantias magis est substantia species quam genus.

Sed ipsarum specierum quæcumque sunt species specialissimæ, ita quod nullo modo possunt esse genera, nihil magis altera quam altera est substantia : quia quælibet illarum æqualiter totum est esse suorum individuorum in forma ultima determinatum, cui in esse individui nihil additur nisi materia et accidens individuans. Quod probatur inducendo : quia si interrogatus fueris de aliquo homine quid est et de aliquo equo quid est, nihil familiarius assignabis ad esse hujus hominis pertinens sive determinans respondendo de aliquo homine ipsum hominem quam de aliquo equo equum : æque enim determinatum et certum est esse cujusdam hominis in homine, et esse cujusdam equi in equo. Æque igitur homo et equus, quæ sunt species specialissimæ, substantiæ sunt quantum ad actum substandi. Similiter autem et principalium substantiarum unius speciei quam alterius speciei, quæ ambæ sunt specialissimæ et non subalternæ subalternatim positæ, nihil magis principalis est substantia unius speciei quam principalis substantia alterius speciei, et magis vel minus substantia principalis quam altera : nihil enim magis est substantia principalis aliquis homo quam aliquis bos vel aliquis equus, sed æque sunt principales substantiae omnia individua specierum.

Sed non sic est in generibus : quamvis enim genus sit generis superius usque ad

generalissimum, non tamen sequitur quod genus generis sit tertia substantia et genus illius generis sit quarta substantia, et sic ascendendo sit quinta, et sexta, ita quod ultima sit generalissimum : quia in formis communibus quæ prædicantur, non est nisi confusum et determinatum per ultimum actum : et ideo non sunt nisi duæ in genere substantiæ secundum magis et minus, determinata quidem quæ est species et indeterminata quæ est genus : sed hoc verum est, quod in confuso est confusum, confusius, et confusissimum : sed hæc non faciunt gradum secundum speciem differentem, quia pluribus illorum confusum est et indeterminatum : merito ergo ea quæ ascendendo post principales substantias sunt inferiorum species et genera dicuntur substantiæ, et sola illa sunt substantiæ secundæ : sola enim hæc indicant secundum quæstionem factam per quid est, principalem substantiam confuso esse et indeterminato inter ea quæ de principali substantia prædicantur : omnia enim prædicabilia prædicantur in quale : aliquem enim hominem assignando quid est, demonstrabit aliquid familiarius et certius si speciem et hominem esse dicat quam genus, dicendo quod sit animal. Aliorum vero prædicabilium quæ secundum accidens prædicantur, eo quod in subiecto sunt, quidquid assignaverit respondendo ad interrogationem factam per quid, quilibet assignabit extranee : nec erit de essentia primæ substantiæ, videlicet de quidditate ejus. Ex opposito ergo ista de causa species et genera solum secundæ substantiæ dicuntur.

Amplius autem hoc idem etiam hoc modo probatur : quia principales substantiæ ab actu substandi substantiæ sunt vocatæ, ideo dicuntur principales substantiæ quia omnibus scilicet aliis subjacent prædicatis sive essentialibus sive accidentalibus. Sicut autem primæ substantiæ ad omnia alia prædicata se habent in subjacendo, ita species et genera principalium substantiarum ad reliqua alia accidentia, scilicet prædicata se habent :

quia de speciebus et generibus omnia reliqua accidentalia prædicata, prædicantur per modum qui supra determinatus est : aliquem enim hominem dices esse grammaticum, ergo et hominem et animal grammaticum dicis, sicut nuper ante probatum est : similiter etiam est in aliis accidentalibus prædicatis. Secundum igitur locum in substando species habent et genera : ideo secundæ dicuntur substantiæ, et omnes dicuntur substantiæ, et nullæ tertiæ vel quartæ.

## CAPUT VI.

*De hoc communi substantiæ quod est in subjecto non esse,*

His determinatis de principalibus et secundis substantiis, jam nunc proprietates sive passiones genus substantiæ consequentes relinquitur determinare. Tangimus igitur prius proprietates quæcumque substantiæ conveniunt in quantum est in prædicabilibus, quia illæ sunt huic nostræ intentioni magis propriæ. Quia vero proprium est conveniens omni et semper, ideo ea quæ proprie dicuntur esse toti generi et toti coordinationi substantiæ, sunt speciebus et generibus communia.

Dicamus igitur quod commune est omni substantiæ in subjecto non esse eo modo quo accidens est in subjecto. Jam enim ante distinximus quod subjectum dicitur secundum nomen, idem quod subtus jactum sive suppositum, et sic natura communis in suo inferiori est sicut in subjecto, sicut genus in specie, et species in individuo, et universaliter secunda substantia in inferiori et particulari. Dicitur autem subjectum ens in se completum, quod est accidentis vel alterius causa existendi in eo : et hoc modo non nisi accidens est in subjecto : et sic omni substantiæ tam secundæ quam primæ commune est in subjecto non esse.

Hoc autem patet inductione. Principalis substantia quæ est particulare substantiæ, neque de subjecto dicitur, quia nihil sibi substat ut suppositum, neque est

in subjecto sicut accidens esse est in subjecto esse, quia est per se existens. Secundarum vero substantiarum similiter manifestum est quod nulla est in subjecto sic dicto subjecto quod est ens completum, quod alii dat esse in seipso, quod esse non habet nisi insit ei : homo enim qui est substantia secunda dicitur quidem de subjecto, prout suppositum dicitur subjectum quando de aliquo homine prædicatur, ut cum dicitur, aliquis homo est homo. Sed non est in aliquo homine ut in subjecto, prout subjectum dicit ens completum, alii dans esse per hoc quod est in ipso et non haberet esse nisi in ipso esset. Cujus probatio est : quia sicut homo quod est secunda substantia non est in aliquo homine, ita quod accipiat ab aliquo homine esse, quod non haberet nisi in ipso esset : homo enim prout substantia secunda et species est esse individuorum et esse alicujus hominis, dans esse particularibus, et ideo impossibile est quod esse accipiat propter hoc quod insit eis. Similiter autem et animal quod est substantia secunda ut genus, de subjecto quidem dicitur de aliquo homine vel aliquo animali, sed non inest alicui animali vel homini ut accidens in subjecto.

Et secundum hoc patet quod si fiat talis argumentatio, scilicet, substantia secunda est in prima, et prima substantia est subjectum secundæ : ergo est in ea sicut in subjecto : peccat secundum fallaciam æquivocationis, quia substantia in prima stat pro supposito, in conclusione autem stat pro subjecto in se completo quod est subjectum accidentis.

Amplius, sicut ante habitum est, eorum quidem quæ in subjecto sunt ut accidens est in subjecto, nomen quidem nil prohibet aliquando prædicari de subjecto in quo sunt, rationem vero eorum prædicari de subjecto, ita quod prædicetur ut ratio subjecti, est impossibile, sicut ante ostensum est. Secundarum vero substantiarum prædicatur de subjecto quod est suppositum, et nomen et ratio diffinitiva : quod patet, quia nomen hominis quod est

Primo tan-  
guntur pro-  
prietates sub-  
stantiæ  
prout ipsa  
est prædicabili.

Prima pro-  
prietas sub-  
stantiæ.

Removot  
dubium.

substantia secunda prædicatur de aliquo homine, aliquis enim homo est homo : et ratio similiter, quia aliquis homo est animal rationale et mortale : igitur secunda substantia non est de numero eorum quæ in subjecto sunt sicut accidens est in subjecto.

Hoc autem quod est in subjecto non esse, est quidem proprium quod convenit omni substantiæ et semper, sed non convenit soli : convenit enim etiam differentiæ quæ in prædicamento substantiæ secundum rectam lineam prædicabilium in superstando et substando non est : differentia enim in subjecto non est: bipes enim et gressibile, quæ sunt differentiæ animalis mobilis divisivæ, et speciei hominis differentiæ constitutivæ, dicuntur et prædicantur de subjecto in quo sunt quod est subjectum, ut suppositum de homine : in subjecto autem nullo sunt, prout subjectum in se completum dat esse accidenti quod est in potentia : differentia enim in specie dat esse actu speciei : quia, sicut in scientia *Universalium* determinatum est, differentia est quod ad esse conducit et quod ejus quod est esse rei pars est : igitur nec bipes nec gressibile in homine est, ita quod per inesse accipiat quod sit : confert enim speciei esse differentia, et non accipit ab ipsa : si enim acciperet esse a subjecta sibi specie, oportet quod species acciperetur in diffinitione differentiæ sicut subjectum recipitur in diffinitione accidentis : hoc autem non fit : sed potius differentia recipitur in diffinitione speciei : patet igitur quod non inest speciei ut accidens. Adhuc autem de quocumque prædicatur differentia ut de subjecto nomine, de eodem prædicatur ratio sive diffinitio differentiæ, sicut patet exemplo : quia si gressibile de homine dicitur sive prædicatur, tunc etiam ratio diffinitiva gressibilis de homine prædicatur, quæ est pedibus esse mobile voluntate sive appetitu secundum processivum motum: est enim homo gressibilis, homo mobilis voluntate motu processivo.

Potest autem hic oriri dubium, utrum differentia sit substantia ? Videtur enim ipsam non esse substantiam propter hoc quod dicitur, hoc quod est in subjecto non esse, non soli substantiæ convenit sedetiam differentiæ: per hoc enim videtur differentiam substantiam non esse. Sed hoc jam in scientia *Universalium* sufficienter determinatum est. Est enim differentia illa quæ magis proprie differentia est, secundum id quod est et secundum suam naturam substantia, quæ est forma substantialis, quæ dat esse actu substantiæ toti, et hoc modo totius esse :

quod autem est notio designans totum esse in actu, differentia est, et ideo de toto prædicatur. Si tamen differentia prout relata ad genus consideratur, cuius qualitas est in ipsis potestate consistens, sic se habet ad genus ut perfectum esse generis consequens, et ideo in hac comparatione comparatur ad genus ut qualitas accidentis inseparabilis : quæ tamen qualitas secundum naturam qualitatis qualitas non est, sed est qualitas essentialis propter hoc quod generis potentia est potentia imperfecti, cuius imperfectio ad actum perficitur determinata potentia generis per conjunctam sibi differentiam: et hoc modo substantialis forma est habens modum qualitatis. Comparata autem ad speciem quam in suo esse constituit, qualitas est etiam essentialis et substantia, quia nihil constituit in esse nisi substantia : et quia sic habet modum qualitatis et effectum substantiæ, ideo non secundum suam totam rationem substantia est. Et quia est simplex et non composita, ideo in directa linea coordinationis prædicabilium substantiæ cadere non potest secundum ordinem superstandi et substandi: quia non respicit ad genus substantiæ, sicut ad sui esse principium, ideo per se genus esse non potest : prima enim genera sunt prima rerum principia. Respiciens autem ad aliud ut ad sui principium in quo est, primum principium esse non potest, et sic non potest esse genus. Cum ergo respiciat ad genus

non sicut generi suppositum, sed sicut ad id in quo est sicut in potestate naturali, relinquitur necessario quod sit in linea laterali, et ideo neque in genere est, neque omnino extranea et separata a genere. Et hujus quidem doctrinam in scientia *Universalium* tradidimus in tractatu de *Differentia*: sed in tantum hic dicimus, in quantum intentioni præsenti est necessarium. Quia igitur in genere substantiæ non est, propter hoc dicitur quod in subjecto non esse non solum convenit substantiæ, sed etiam differentiæ.

Sed est aliquid quod conturbare posset secundum hanc doctrinam: ita quod aliquis posset moveri de substantiarum principalium partibus, ut est manus, pes et hujusmodi, vel etiam sicut materia et forma, ex quibus fit substantia composita: illæ enim partes in substantia composita videntur esse sicut in subjecto: non enim habent esse partium nisi in composito, manus enim abscissa non est manus: et ita forte aliquis putaret, quod secundum hanc doctrinam cogamur multipliciter eas dicere non esse substantias et conversim, per hanc rationem quod non sint sicut substantiæ. Ea enim quæ tanquam partes essentiales vel integrales sunt in aliquo, per hoc quod sic sunt in toto, non habent esse in subjecto: est enim alias modus essendi aliquid in aliquo sicut pars in toto, et alias modus essendi in aliquo sicut accidens in subjecto, ut in quarto *Physicorum* determinatur.

*Pars non  
habet esse  
in actu,  
nisi dum  
est in toto.*

Sciendum tamen est quod pars non est in actu nisi quando est in toto: sed est in potentia pars et non secundum actum quando non est in toto, et sic a toto accipit actum et rationem: actus autem ipsius et forma est operatio ipsius quam habet secundum formam, sicut oculi videre, et radicis alimentum trahere, et foili fructum a caumate defendere, et manus opus intellectus imperatum perficere, et hujusmodi: et potestates adhuc partes habent in toto, et non habent

quando in toto non sunt: et ideo abcessæ partes, æquivoce nomina illa recipiunt quæ habent in toto: sed quod in toto aliquo modo recipiunt nomen et rationem, est a toto: hoc autem non facit accidentis quando est in toto ut in subjecto. Et ideo æquivocatio est quando dicitur pars in toto, et quando dicitur accidentis esse in toto: accidentis enim non est forma partis sed totius, quia subjectum accidentis est ens in se completum: completum autem est totum compositum. Est autem adhuc etiam dissimilitudo, quia partes in toto sive sint essentiales sive integrales, totum constituunt secundum esse, et ideo substantiæ sunt totius: accidentis enim non est in toto sicut constituens ipsum secundum substantiam, sed est sicut constitutivum in esse quomodo cumque per substantiam, et ideo in diffinitione accidentis recipitur subjectum sicut causa est accidentis: in diffinitione autem compositi recipiuntur partes sicut principia cognoscendi totum: quia eadem sunt principia cognoscendi et essendi, sicut dicitur in principio *Physicorum*<sup>1</sup>: dicit autem Aristoteles quod compositum et totum cognoscimus cum scimus ex quibus, et quot, et ex qualibus est.

Ex his autem quidam errantes objiciunt, ut dicit Gregorius Nyssenus, Quæcumque ut endelechia sunt in aliquo, aut ut accidentis sunt in aliquo, aut sicut forma materialis quæ habet esse extra ipsum: anima autem ut endelechia habet esse in corpore: aut ergo est in ipso sicut accidentis in subjecto, aut sicut forma materialis: et quodcumque horum detur, sequitur quod non habet esse nisi in corpore, et non habet esse extra ipsum. Ad hoc autem quidam respondere nituntur dicentes, quod anima habet esse in corpore sicut motivum in moto, sicut rex in regno, et nauta in navi, et ideo separabilis est a corpore, et separata habet esse in seipsa.

Sed, salva pace istorum, isti non sol- *improbatio.*

*Objectio.*

*Solutio.*

<sup>1</sup> In primo, tex. com. 4.

vunt objectionem, quia objectio sic procedit dicens, quod quæcumque ut endelechia sunt in corpore, etc., motivum autem in moto est sicut endelechia : anima autem in secundo de *Anima*<sup>1</sup> dicitur esse endelechia corporis organici, potentia vitam habentis. Et hoc dictum est de anima, non secundum quod est anima, sed secundum quod est corporis animati forma : et ideo dicit Aristoteles quod sic diffinita anima est in habitu, et sicut somnus, et sicut figura elementalis : et est diffinitio ad demonstrationem se habens sicut conclusio : et ideo in sequentibus corrigit eam Aristoteles dicens, quod anima secundum substantiam secundum quod anima substantia est, diffinitur sic : Anima est principium et causa vitae, supple, talis qualis ipsa anima est : vegetabilis enim est causa et principium vitae vegetabilis, et sensibilis principium et causa vitae est sensibilis : quæ vitae non sunt sine corpore : et ideo illæ animæ non sunt principia et causæ talis vitae, nisi in corpore : anima autem intellectualis principium et causa talis vitae est sine corpore : intelligentia enim perficitur sine aliquo corpore, et est ab omni corporali subjecto separata : si igitur principium et causa talis vitae est, et secundum seipsam talis vitae erit principium et causa : separata igitur a corpore talis vitae est causa et principium.

Ad objectum autem dicendum quod anima intellectualis non est endelechia corporis, nisi per suum actum, qui est infusio sensus et motus in corpus, et isti sunt actus ipsius secundum id quod est pars et potentia ipsius, sicut vegetabile et sensibile : actus autem et operatio ipsius secundum id quod est in substantia, est secundum id quod intellectualis est : et hic actus et haec operatio est sine corpore. Hæc autem quamvis ad propositum non sint, tamen propter objectionem removendam posita sunt, ut perfectior sit doctrina.

## CAPUT VII.

*De proprio substantiæ et differentiæ quod est univoce prædicari.*

Adhuc autem est proprium quod convenit semper, sed non soli, neque omni : soli quidem non convenit, quia convenit substantiæ et differentiæ : non autem omni convenit, quia non convenit principali substantiæ. Hoc autem proprium (quod inest quidem ut proprium substantiis quæ a substando et superstando substantiæ dicuntur, et inest differentiis quæ a substando directe in genere esse non dicuntur) est quod omnia prædicata quæ sunt ex ipsis et de numero eorum sunt, univoce prædicantur de his de quibus prædicantur : omnia enim prædicata quæ sunt ab his, hoc est, substantia et differentiis sumpta, aut prædicantur de individuis aut de speciebus, generaliter dicta specie ad subalternam et specialissimam. Hoc autem proprium non omni convenit substantiæ, quia non convenit principali substantiæ quæ est substantia individua. A principali namque substantia nulla est prædicatio, quia individuum de nullo prædicatur : et si nulla est prædicatio sumpta de principali substantia, tunc non prædicatur univoce de aliquo, eo quod de nullo ut sibi subjecto prædicatur ipsa : est enim omnium novissimum subjectum, et ideo habere non potest aliquid quod sibi sit subjectum, prout subjectum dicitur secundum naturam substans suppositum, nec potest dici de subjecto : omne autem quod univoce prædicatur de aliquo, de ipso dicitur ut de subjecto : prima igitur substantia de nullo univoce prædicatur. Et sic habentur dueæ conditiones, scilicet quod non prædicatur, et quod non prædicatur univoce.

Huic autem videtur contrarium esse quod in libro de quinque universalibus dicit Porphyrius quod scilicet individuum

<sup>1</sup> Tex. com. 4.

**Solutio.** de uno solo, hoc est, de seipso prædicatur. Sed hoc in scientia quam de *Universalibus* scripsimus solutum est. Ibidem enim diximus quod aliquid prædicari de seipso naturali prædicatione non contingit, sive essentiali prædicatione. Quia in tali prædicatione prædicatum debet esse de ratione subjecti et principium constituendi et cognoscendi ipsum. Hoc autem non potest esse quando idem de seipso prædicatur. Eodem modo quando subjectum est de ratione prædicati, tunc subjectum est principium cognoscendi prædicatum : et hoc iterum esse non potest quando idem de se prædicatur : non enim potest esse nisi prædicatio per accidens si prædicatio est : non enim ibi prædicatur proprius effectus de causa. Sed per accidens non est prædicatio, quia nec prædicatum est accidens subjecti, nec subjectum est accidens prædicati. Et sic nec est prædicatio per se, nec per accidens : ergo nulla. Et hoc quidem verum est, quia quando individuum de se prædicatur, significatur idem sibi inesse : quod nullo modo potest intelligi : quia nihil inest sibi ipsi, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>. Sed quod dicit Porphyrius, intelligendum est de inordinata prædicatione, quæ non est universalis alicujus prædicatio : et tunc illa prædicatio reducitur ad artem, ut idem secundum id quo est intelligatur prædicari, et hoc est cum dicitur, hic homo est hic homo, vel Socrates est Socrates, ut sensus sit, quia hic homo secundum id quo est res naturæ est hic homo quo habet esse hominis, vel Socrates secundum id quo est hic Socrates, est Socrates quo habet esse Socratis, hoc est, secundum id quo est sub individuantibus significantibus ipsum esse Socratem. De talibus prædicationibus hic non loquimur.

Quomodo  
individuum  
potest præ-  
dicari.

Hoc autem modo loquendo, ut dicit Boetius, nullæ sunt propositiones veriores his, in quibus idem de seipso prædicatur : quia in talibus idem secundum id quo est de eo quod est prædicatur, esse

enim quo est id quod est, ab eo quod est, inseparabile est per intellectum : et ideo semper est vera, et ut quidam dicunt, a nullo nisi a seipsa talis propositio suam habet veritatem : semper enim verum est hoc, homo est homo, domus est domus, quia esse in eo quod est, semper accipitur per intellectum, et ideo æterna est talium veritas propositionum, ut dicunt quidam.

Patet igitur qualiter est et qualiter non est a prima et principali substantia prædicatio. Quod autem univoce non prædicatur, facile probatur per hoc quod non habet aliquid sub se suppositum, in quo sit ut genus, vel differentia, quod causa est univocæ prædicationis. Cum autem aliquo modode se prædicatur, non tamen prædicatur ut ens de ratione sui ipsius, et sic univoce de se non potest prædicari.

Quod autem omnis prædicatio quæ sumitur de secundis substantiis et differentiis sit univoca, probatur per inductiōnem : quia quæcumque sunt de numero secundarum substancialium, sunt species vel genera : et species quidem essentialiter prædicatur de pluribus differentiis numero solo, et hæc sunt individua : genera autem prædicantur et de speciebus et de individuis substanciali prædicatione, quia genus prædicatur de pluribus differentiis specie. Similiter etiam differentiæ prædicantur de speciebus et individuis specierum quas constituunt, sicut essentiae formales quæ insunt speciebus et individuis : et quando species de primis substantiis prædicantur, tunc primæ substanciali suscipiunt rationem specierum, quia species individuo dat nomen suum et rationem : et similiter quando genera de speciebus prædicantur et individuis, species suscipiunt rationes generum propter eamdem causam, quia per hoc quod genus essentialiter est in specie et actu et intellectu, genus speciei dat nomen suum et suam rationem per illam quæ præmissa est dignitatem, scilicet quod quando al-

<sup>1</sup> ARISTOTELIS, In 4 Physicorum, tex. com. 7.

terum de altero prædicatur ut de subjecto, quæcumque substantialiter de prædicato prædicantur, omnia de subjecto dicuntur codem modo et ordine prædicationis. Similiter autem quando differentia prædicatur de speciebus et individuis, per hoc quod essentialiter ut actus est in illis, tunc diffinitivam rationem differentiæ suscipiunt et species et individua, quia ipsa differentia, ut actus et ut forma est essentialiter in illis. Sed jam habitum est quod univoca sunt, quorum nomen est commune et unum, et ratio diffinitiva secundum id nomen data est eadem. Nomen autem uno et ratione una prædicantur secundæ substantiæ et differentiæ: ergo omnia prædicata quæ a substantiis secundis et differentiis ordinata prædicatione sumpta sunt, univoce dicuntur sive prædicantur.

Attende autem, quod quamvis differentia non sumatur ut genus, et subjectum in recta linea standi supra et subtus non habeat, sed sit a latere respiciens talem lineam, tamen differentia subjectum habet cui inest, de quo est ut prædicabile et ut quoddam universale, et sic de illo prædicatur univoce.

Adhuc autem notandum est, quod quamvis differentia non habeat genus quod in ipsa sit per intellectum, et sic non habeat veram diffinitionem qua prædicitur, tamen habet assignatum nomen suum per essentialia sua formativa per causam essentiale, sicut quod dicitur quod ad esse conducit, et quod ejus quod est esse rei pars est. Hæc enim assignatio per causam data est, secundum quod ipsa differentia est causa esse, et per hanc univoce habet prædicari: et cui convenit prædicatio sui nominis, in ipso est differentia per hanc eamdam rationem completam, scilicet quod differentia id ad esse conduit, et quod ipsa differentia esse illius rei pars est essentialis. Sic enim intelligitur quid prædicari nomine et ratione, sic scilicet ut subjectum de quo prædicatio fit, sicut participat prædicatum nomine, sic participet ipsum ratione.

## CAPUT VIII.

*De proprio substantiæ quod est significare hoc aliquid.*

Omnibus autem jam habitis proprietatis quæ substantiam secundum quod est unum prædicabilium consequuntur, nunc restat videre de proprietatibus ipsius secundum quod ipsa est substantia absque hoc quod consideretur ut prædicabile vel unum prædicabilium sive prædicamentorum. Dico igitur, quod omnis substantia videtur hoc aliquid significare: hoc autem aliquid significare convenit quidem soli substantiæ, sed non convenit omni, quia sicut univoce prædicari convenit secundæ substantiæ et non primæ, ita hoc aliquid significare convenit primæ substantiæ et non secundæ, quamvis convenire videatur etiam ipsi substantiæ secundæ. Et in primis quidem indubitate est et verum universaliter, quoniam primæ substantiæ hoc aliquid significant: quia habent materiam terminatam et signatam accidentibus et individuantibus, per quæ sunt hic et nunc, et per quæ singula earum est unum numero, et hic et nunc, in quo, ut dicit Boetius, non inventur diversitas in numerando: quod non convenit ei quod est specie vel genere unum, quod nec habet materiam determinatam neque signatam, et ideo divisione materiæ agit in individuorum pluralitatem, et divisione differentiarum genus dividentium in specierum pluralitatem, ita quod unitas numeri non servatur in ipsis. Prima igitur substantia quod sit hæc, habet ab individuatione et terminacione individuantium, quod autem aliquid in forma, habet a specie quæ est in ipsa, et est esse ipsius, et sic proprie dicitur hoc aliquid: unde dicit Boetius in libro de *Hebdomadibus*: Omne quod est, ab alio habet quod est, et ab alio quod hoc est: quod enim hoc est, per designationem est hujus, quia hoc est: quod au-

Significare  
hoc aliquid  
est propri-  
tas substan-  
tiæ, secun-  
dum quod  
ipsa subs-  
tantia est.

Unde habet  
prima sub-  
stantia quod  
hoc aliquid  
significet.

tem est, non potest esse nisi per hoc quod est sibi causa essendi.

In secundis autem substantiis videtur quidem sub appellationis figura similiter nomen hoc aliquid significare, quando aliquis dixerit nominans hominem vel animal : non tamen verum est, quod nomen substantiae secundæ significet hoc aliquid, sed nomen secundæ substantiae magis significat quale aliquid et non hoc aliquid. Id enim quod ut subjectum in nomine significatur, neque unum est numero, quemadmodum unum numero est quod nomine primæ substantiae subjectum significatur : subjectum enim nominis speciei prædicatur de pluribus numero in quibus actu esse et simul significatur, et animal quod est subjectum nominis generis, et de pluribus dicitur specie differentibus et numero in quibus est actu et simul.

*Quid per appellationis figuram intelligendum?* Dico autem *appellationis figuram*, non ut quidam dicunt nominis institutionem, quam dicunt primo in individuis factam esse, eo quod nomina prius dicunt instituta fuisse ad individuorum significacionem. Sed dico appellationis figuram similem nominis formationem ad significandam speciem et ad significandum individuum. Natura enim, ut dicit Damascenus, dupliciter consideratur, in se scilicet, et in atomo sive individuo, et in utraque consideratione simili nomine natura designatur. Natura enim communis in se considerata homo dicitur, et considerata in atomo hic homo dicitur : et quia una est, non differens nisi communis et determinato, propter hoc uno nomine designari eam oportuit : et hoc vocatur appellationis figura. Et hæc appellationis figura nobis etiam causa deceptio-  
nis est in fallacia figuræ dictionis, quia sæpe quale quid ut hoc aliquid interpretamur.

Hujus autem figuræ appellationis causa est : quia et genus et differentia et species et individuum videntur idem et eamdem naturam significare. Genus enim dicit formam in materia indeterminata dif-

fusam, et talis esse compositi ipsum genus est notio quædam : et ideo prædicitur de toto, quia totum dicit modo qui dictus est. Differentia autem dicit formam et actum ad materiam indeterminate relata-  
m et inclinata-  
m, et quasi ad talem materiam reflexam : propter quod et hæc dicit totum esse totius compositi, et ideo etiam ipsa de toto prædicatur. Species autem dicit formam in materia quæ ad actum ultimum stat ut perfecta, sed non est terminis limitata et loco et tempore determinata : et ideo et hæc dicit totum esse, et est notio totius et non partis, et ideo de toto prædicatur. Individuum autem dicit formam in materia determinata, limitantibus locis et differentia temporis et septem individuantibus designatam, quæ in scientia de *Universalibus* determinata sunt. Et quia sic unum in omnibus est secundis et primis substantiis et differentiis, oportuit quod similis esset appellationis figura.

Quamvis autem unum sit in omnibus quod sub appellationis figura designatur per nomen, non tamen unus est ipsis modus quo est in omnibus aliis : non enim idem modus confusi est et stantis ad actum ultimum, nec idem modus est communis indeterminati limitibus substantiae numeri et terminis. Et ideo non semper est verum hoc sub appellationis figura designari. Propterea secunda substantia quamvis significare videatur hoc aliquid, attamen non significat hoc aliquid sed quale quid, scilicet quid per id quod primum formabile subjicitur in ipso quod est indeterminatum et confusum : et quod sit quale, per qualitatem essentialē habet, aut secundum potestatem, aut secundum actum differentiæ determinantis ipsum ad actum, sed non determinantis ipsum limitibus temporalibus vel corporalibus, sicut linea, et superficies, et locus, et tempus, et patria, et parentela, et nomen et hujusmodi, quibus aliquid diffinitum et determinatum hoc aliquid efficitur, et hic et nunc circumscriptum vel diffinitum suæ existentiæ limitibus, ultra

Quomodo  
secunda  
substantia  
significat  
quale quid

quod nihil est de sua substantia. Aliter autem aliquantulum differentia significat quale quid, quod dicit Avicenna, hæc enim suo nomine dicit quale, quid autem quod est subjectum formabile, non dicit nisi per effectum, quia scilicet in actu facit ipsum.

**Dubitatio.** Sed hic adhuc surgit quæstio de generalissimo : hoc enim in se non habet differentiam, et sic videtur dicere quid et non quale quid.

**Solutio.** Sed ad hoc respondetur, quod differentiam qua formabile est, in se habet per potestatem, et sic aliquo modo habet eam : et in quantum habet eam, in tantum quale quid significat.

Cum autem dicimus quod substantia secunda et differentia significat quale quid sub appellationis figura, non intelligimus quod sic significet quale quid, sicut album quod sub appellationis figura videtur qualitatem circa substantiam significare : quia album per qualitatem quam circa substantiam significat non significat nisi qualitatem quæ vere et secundum se qualitas est, et accidentis subjecti illius circa quod ponitur qualitas illa in figura appellationis per denominationem significatur : quale autem quod significat animal vel homo vel rationale, est qualitas essentialis quæ significat quamdam substantiam illa qualitate perfectam. Sed per illam qualitatem in genere secundum appellationis figuram signatam fit plus in hoc determinatio, quia determinatur genus ad plura significanda quoad ambitum communis quam in specie : tam enim species quam genus qualitate differentiae determinantur, sed genus per suam qualitatem determinatur ad significandum plus quam species, quia genus sua qualitate determinat sibi subjecta differentia specie et numero, qualitas autem quæ speciei communis determinat, non determinat speciem nisi ad hoc ut contineat differentia solo numero. Et ideo dicens animal

plus complectitur in animalis qualitate, quam dicens hominem complectitur in hominis essentiali qualitate : quamvis utriusque qualitas communis sit multorum.

## CAPUT IX.

*De proprio substantiæ quod est substantiæ nihil esse contrarium.*

Nunc dicendum videtur de proprietibus substantiæ secundum quod substans accidentibus, et est subjectum generum aliorum : quia enim, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, subjectum nullum est contrarium et ideo subjectum est contrariorum : sic inest substantiæ et proprium ejus nihil illi esse contrarium. Hoc autem probatur inductione, quia nihil potest esse contrarium primæ substantiæ eo quod maxime substans, et ei quod substans utriusque contrario, nullum potest esse contrarium, sequitur quod nec singi posset (si fingere liceret) primæ et principali substantiæ aliquid esse contrarium, ut alicui homini nihil est vel potest esse contrarium. At vero nec homini qui est substantia secunda et generaliter secundæ substantiæ aliquid potest esse contrarium, nec animali quod est genus aliquid est contrarium.

Objiciunt autem quidam quod non corrumpitur aliquid nisi contrarium contrario : substantia autem corrumpitur : ergo contrarium habet a quo corrumpatur. Adhuc autem ut in secundo de Generatione<sup>2</sup> habetur, ignis aquæ contrarius est, et aer terræ : hæc autem substantiæ : ergo substantia substantiæ est contraria. Multa autem talia sophistica objici possunt, quæ omnia solvit Aristoteles<sup>3</sup>. Subjecto enim communi nihil potest esse contrarium secundum seipsum, sed contrarietatem habet in dispositionibus suarum qualitatum, et sic unum corrumpi-

**Objectio.**

**Solutio.**

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In fine primi Physicorum, tex. com. 57.

<sup>2</sup> Tex. com. 24.

<sup>3</sup> ARISTOTELES, In fine primi Physicorum, tex. com. 67 et 82.

tur ab alio, et contrarium agit in contrarium, ut grossum in subtile, et grave in leve, et calidum in frigidum, et sic de aliis. Hæc autem contrarietas non est substantiæ quæ subjectum est, quia si esset alicui contrarium, non posset utriusque contrariorum esse subjectum.

**Contrarietas tripliciter dicitur.**

Et attende, quod multipliciter dicitur contrarietas : primo perfecta distantia oppositarum differentiarum in eodem genere, cuius subjectum est primum genus, ad quod illa contraria sicut ad unum genus reducuntur, et sicut ad unum subjectum, in quo illa contraria sunt potestate et non actu, sicut videtur Aristoteles<sup>1</sup> dicere, quod in omni genere primo est una contrarietas prima. Et secundum hanc contrarietatem proprium est substantiæ (secundum quod substat et subjectum est) non habere contrarium. Secundum autem quod substantia dicitur essentialis forma quæ est differentia, sic habet contrarium : quia una differentia est alii contraria. Sed hoc modo de substantia non loquimur hic, quia non ponimus differentiam esse in genere substantiæ, secundum quod de substantiis loquimur ut de substare et de subjecto. Primam autem Philosophus hoc modo dictam contrarietatem considerat, qui ad unum genus reducit ea quæ sunt ejusdem rationis substantiæ aliquo modo. Dicitur etiam contrarietas habitus et privatio, sive contrariæ formæ circa eamdem materiam quæ substat utriusque : et est substantia a substando dicta, et illi iterum convenit neutri esse contraria, ut probatur in fine primi *Physicorum*<sup>2</sup>. Dicitur etiam contrarietas distantia completa passionum et qualitatum circa idem subjectum, quod manens unum et idem, receptibile est utriusque contrariorum, ut albi et nigri, et calidi et frigidi, et hujusmodi : et iterum ei quod utriusque contrariorum substans, convenit nulli esse contrarium : et iste est verus intellectus

Aristotelis qui hæc omnia dicit et probat rationibus quæ inductæ sunt.

Quamvis hoc autem substantiæ proprium sit et conveniat omni substantiæ substanti, non est tamen conveniens soli substantiæ, sed est proprium multorum aliorum : quantitas enim nihil habet contrarium, neque linea, neque superficies, neque corpus, et sic de aliis. Simili inductione probatur in discretis. Nihil est numero denario contrarium, neque quinario, et sic de aliis.

Habent tamen hæc omnia vel habere videntur sophisticas instantias : quia aliquis forte in discretis multa paucis dicebat esse contraria, vel magnum parvo, vel breve longo : quæ qualiter opponantur, in decimo *primæ philosophiæ* determinari habet. Sed hic dicendum quod Solutio textus. hæc oppositam quantitatem non dicunt, sed qualitates circa quantitatem dictas. Quod autem quantitas nihil habeat contrarium, a simili probatur, sicut probatum est de substantia : quantitas enim his subjicitur, vel substantia gratia quantitatis suæ secundum quod est quanta : sic nulli istorum est contrarium.

Unde concluditur generaliter quod determinatorum ad naturam et speciem quantitatis, nullum penitus nulli ad quantitatis naturam et speciem quantitatis determinato est vel esse potest contrarium : sed hoc modo possit esse contrarium, sicut et solo illo modo substantiæ detur habere contrarium : sed prout substantia subjectum et substans potest habere contrarium : quod esse non potest, sicut probatum est hic. Hoc igitur modo et non aliter intelligenda sunt dicta Aristotelis.

## CAPUT X.

*De proprio substantiæ quod est non recipere magis et minus.*

Est iterum aliquid substantiæ proprium, quod quidem omni, sed non soli

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 10 primæ philosophiæ, tex. com. 13, et I Physic. tex. 50 et 56.

<sup>2</sup> Tex. com. 7.

convenit: videtur enim substantia nec magis nec minus suscipere per intensio-  
nem et remissionem. Hoc autem ideo non  
dico quod una substantia a substando  
dicta non magis sit substantia quam alia:  
hoc enim in ante habitis jam dictum est,  
quia prima substantia magis est substanc-  
tia quam secunda. Sed ideo dicimus illud  
proprium omni substantiae conveniens  
esse, quia unaquæque substantia, sive  
secunda, sive prima sit, hoc ipsum quod  
est, non dicitur magis nunc esse et minus  
tunc vel alio tempore, per hoc quod est  
secundum esse substantiale intendi et  
remitti: homo enim nec ipse a se,  
nec alter homo ab altero per intensionem  
et remissionem dicitur magis et minus  
homo, sicut bonum et album et idem a  
se in diversis temporibus, et unum ab  
altero dicitur magis et minus album, et  
bonum per intensionem et remissionem  
dicitur magis et minus bonum. Substan-  
tia vero sive prima sive secunda, hoc  
modo per intensionem non dicitur magis  
et minus substantia: hæc enim nihil  
penitus dicitur nunc magis et minus homo  
per intensionem et remissionem quam  
prius homo fuit: propter quod generali-  
ter concluditur quod substantia in hoc  
quod substantia est, non suscipit magis  
et minus.

**H**ujus autem causa est, quod præhabitu-  
tum est, quod substantiae non convenit  
habere contrarium: minus enim secun-  
dum intensionem est habens de contrario  
plus, et magis est de contrario minus ha-  
bens: ita quod contrarium large accipiat.  
In quibusdam enim est oppositio ut pri-  
vatio et habitus, sicut inter bonum et  
malum: in quibusdam tamen duo motus  
oppositi ad idem et ab eodem sunt con-  
trarii, et sic suscipit magis et minus, se-  
cundum quod ista adverbia sunt bonum  
et malum, et hoc modo intensa et remissa  
intercipiunt de contrario: in quibusdam  
sunt contraria per formas contrarias, et  
illis est intensio et remissio per hoc quod

intercipiunt motum in omni medio de  
extremis contrariis abjiciendo unum et  
accipiendo reliquum, secundum quod di-  
cit Aristoteles<sup>1</sup>, albius est nigro imper-  
mixtius. Et hoc modo substantia non po-  
test suscipere magis et minus: cujus  
causa in scientia de universalibus redditum  
est a Porphyrio: quia omne esse sub-  
stantiale semper idem et simul est, et  
ideo non potest suscipere magis et mi-  
nus: quia, sicut probat Avicenna, si ma-  
gis susciperet, sequeretur quod ipsum  
esse substantiale plus formæ substantiali  
appropinquaret per ipsius formæ adeptio-  
nem, quod falsum est, cum nihil medium  
habeat, inter esse enim et non esse nihil  
est medium, sicut inter album et nigrum  
multa sunt media: et ideo secundum<sup>2</sup> esse  
substantiale non potest esse intensio ne-  
que remissio in aliquo.

Adhuc cum opponitur, quia generatio  
et corruptio sunt mutationes in substan-  
tia: omnis autem motio successiva est  
sicut tempus, quod est mensuratio ipsius:  
in tali autem successione est recessus ab  
uno fine, et accessus ad alium continue:  
hoc autem magis et minus esse videtur  
secundum intensionem et remissionem:  
ergo in esse substantiali videtur esse in-  
tensio et remissio.

Adhuc autem una substantia miscibilis  
est cum altera, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, quod  
et probat. Mixta autem necessario inten-  
duntur et remittuntur, ut ex dictis ejus  
habetur ibidem. Substantia ergo recipere  
videtur magis et minus, et intensum et  
remissum.

Hæc omnia et similia sophistice obji-  
ciuntur, quia de necessitate est conclu-  
dens illa probatio quæ probat substan-  
tiam non recipere magis et minus, per  
hoc quod non habet contrarium. Ad hoc **Ad primam.**  
ergo quod dicitur de mutatione, dicen-  
dum quod mutatio et generatio et cor-  
ruptio dicuntur uno quidem modo ut  
utrumque est mutatio simplex, quæ (ut  
dicit Averroes super lib. de sensu et sen-  
tex. com. 8.

Objectio  
prima.

Secunda.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 4 Topic. cap. 2.

<sup>2</sup> Id. In 2 de Génératione circa principium,

*Nota distinctionem de mutatione.* sato) est finis motus et non motus. Finis autem motus est, in quo motus est in motum esse et non in moveri: et haec mutatio est simplex inter esse et non esse, inter quæ nihil potest esse medium, et ideo in hoc non est intensio et remissio. Et ideo dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quod generatio et corruptio non sunt motus sed mutationes. Est autem mutatio modo dicta sive generatio et corruptio immixta motui, qui est alteratio, sicut quando de semine alterato paulatim fit animal vel homo: et tunc intensio et remissio non refertur ad esse et non esse substantiae, sed potius ad qualitates activas vel passivas quibus perficitur talis generatio. Et hoc est quando qualitates activæ et passivæ materiam alterant et movent prout sunt instrumenta substantialis formæ, quæ ut formans et artifex est in semine. Et tunc forma substantialis dicitur etiam in successione non gratia sui, sed gratia instrumentorum suorum quæ sunt qualitates active vel passive agentes vel patientes in materia seminis. Et hoc modo dicit Aristoteles<sup>2</sup>, quod non est vivum et animal simul, et quod non est animal et homo simul: non quod aliquid sit medium inter vivum et non vivum, vel inter esse animal et non esse animal, et inter esse hominem et non esse hominem: sed quia actione primarum qualitatum prout instrumenta cœli sunt, vel formativæ virtutis quæ est in semine, materia prius accedit ad potentiam et ad actum unius quod est vivum, et postea ad potentiam et ad actum alterius quod est animal: et hoc non est intendi et remitti, sed potius in eadem forma secundum potentiam et actum plus et minus accedere ad veram nominis impositionem.

*Ad secundam.*

Quod autem objicitur de mixtione substantiarum animalis, nihil penitus facit ad propositum, quia in mixto non sit intensio et remissio secundum substantias mixtorum, sed secundum qualitates illarum substantiarum. Et ideo intensio re-

fertur ad qualitates et non ad substantias. Patet igitur quod substantiae convenit nec magis nec minus recipere.

## CAPUT XI.

*De proprietate substantiarum quæ est, quod substantia secundum sui mutationem eadem numero manens, susceptibilis est contrariorum.*

Maxime autem substantiae proprium esse videtur, quod et proprie proprium est, et convenit omni et soli et semper, cum unum et idem numero sit contrariorum susceptivum, vel susceptibile esse. Dico autem quod cum unum sit a quo sit contraria potentia suscipiendi. Hoc autem habet substantia ab eo quod ipsa est subjectum ens in se completum: et hoc habet a specie in quantum est substantia, et hoc est in quantum est substantia: quia prima substantia est ex eo quod jam substat accidentibus individuantibus. Et ideo dico numero propter primam substantiam in qua est secunda, et in qua veritatem accipit substandi et habet.

Ex hoc patet quod substantia secunda in quantum est in prima, est ens universale perfectum, et ex genere formato et differentia ad perfectum esse formantem consistit. Ex hoc autem virtutem accipit substandi accidentibus, quod non haberet si in seipsa ens perfectum non esset, quia quod in se perfectum non est, alii dare non potest esse per hoc quod existit in eo. Sic igitur ens in se perfectum et idem numero est per materiæ individantis divisionem: ita quod in quantum secunda substantia est in prima, sit unum perfectum: in quantum est individuata per indivisam et unam materiam, sit idem numero.

Sic esse unum et idem numero subiectibile propriis contrariis est proprie proprium substantiarum secundum quod dicitur

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 3 Physic. tex. com. 8, 10 § 18.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, In 15 Animalium, cap. 3.

substantia ab actu substandi, sicut in ante habitis dictum est. Et in aliis quidem rebus aliorum prædicamentorum non habebit nec inveniet quis quod proferat cui hoc proprium conveniat. Quæcumque res generum aliorum non sunt substantiæ ab actu substandi dictæ, ita scilicet quod res alterius generis sit contrariorum susceptibilis, cum sit in se manens unum et idem numero. Velut si quæramus in rebus quæ sunt in genere qualitatis, et dicamus quod color cum sit manens unum et idem numero, non erit album et nigrum per successionem, ut videlicet sit actu album, et postea actu nigrum.

Item novet dubium. Sed forte si est color medius, in se habebit album et nigrum permixta: sed hoc est contraria permixta et in potentia habere, et non habere actum utrumque per successionem manente eodem subjecto. Similiter si quis proferat de genere actionis aliquid, quod contrariorum videatur esse susceptivum, et dicat quod eadem actio prava sit et studiosa, sicut actio voluntatis deliberativæ, dicimus quod eadem actio numero manens una numero, non potest esse per successionem prava modo, et postea studiosa: quia pravum et studiosum sunt accidentia inseparabilia ab actione: et ideo actio prava eadem manens nunquam erit studiosa, sed alia similitudinis illi in causa (in eo quod est voluntaria) potest esse studiosa. Similiter una et eadem numero linea non erit recta et curva per successionem: et similiter est in omnibus aliis rebus aliorum generum quæ non sunt substantia. Sola autem substantia cum sit una et eadem numero manens in subjecto quod est substantia, capax est contrariorum, ut modo sit sub uno et postea ipsa eadem numero sit sub alio, ut patet inductione, ut quidam homo qui est prima substantia cum sit unus et idem numero, aliquando quidem est albus, aliquando autem niger; et aliquando calidus, et aliquando frigidus. Similiter secundum contraria morum aliquando quidem pravus et postea studiosus, et non simul pravus studiosus. In

aliis autem prædicamentis nullum tale ens invenitur.

Forsitan autem aliquis instans contra ea quæ dicta sunt, dicet orationem quæ est in genere discretæ quantitatis, vel visum sive opinionem quæ est in genere qualitatis, tale aliquid esse secundum quod eadem oratio manens numero eadem, videtur esse vera et postea falsa per successionem, et sic suscipere contraria. Nec modo fiat vis utrum verum et falsum contrarie vel privative opposita sunt: velut si dicamus in exemplo, quod hæc oratio aliquem sedere dum sedet est vera, et eadem oratio manens eadem numero per syllabas et dictionum operationem falsa erit illo non sedente. Similiter autem est de visu opinantis alicujus. Si quis enim opinetur sedere aliquem, dum sedet, verum opinabitur: quæ opinio manens eadem in anima opinantis, falsa erit illo surgente, si ejusdem opinionis visum de eodem surgente retineat, quem prius illo sedente habuit.

Sed ad hoc dicendum quod etiam si quis hoc suscipiens concedat eamdem orationem esse, vel eamdem opinionem, quæ sic contraria suscipiat, quod tamen falsum est, sicut inferius patebit, quia verum et falsum est in talibus sicut in signo, et non in subjecto. Dicimus tamen quod hoc dato differentia est in modo suscipiendi contraria. Nam ea quæ in substantiis sunt, ipsa quidem mutata et alterata secundum seipsa susceptibilia sunt contrariorum: quando enim id modo quod est frigidum, est factum de eo quod prius erat calidum, ipsum subjectum secundum seipsum mutatum est, alteratum enim est: et quod ex albo fit nigrum, ipsum alterum et alteratum est factum. Similiter est quando ex pravo per alterationem fit studiosum, et similiter est in omnibus aliis quæ de contrario mutantur in contrarium. Unde id quod mutationem secundum seipsum suscipiens est, susceptible fit contrariorum: sed oratio quidem et opinio, in quibus est verum et falsum sicut in signo ex ratione alterius ad ipsa,

Objectio  
textus.

Solutio tex-  
tus.

ipsa quidem immobilia perseverant, et in nullo mutata. Cum vero res movetur et mutatur, ex cuius relatione ad ipsa vera vel falsa efficiuntur, fit contrarium circa orationem et opinionem; oratio enim quæ est, quod sedet aliquis vel aliquem sedere, semper eadem permanet in nullo mutata. Cum vero res quam significat oratio mota vel mutata sit, fit oratio ex relatione rei ad ipsam tanquam ad signum, aliquando vera, et aliquando falsa; in talibus enim verum est ex adæquatione signi ad significatum, et ideo mutato significato verum vel falsum efficitur signum, sicut dicit Boetius de dextro et sinistro: res enim quæ modo a dextris est, nulla mutatione facta in ipsa, fit sinistra, si res quæ modo a dextris est transseat in sinistram, me semper manente immobili. Propter quod hoc solius et solummodo substantiæ proprium est et nullius alterius, quod propter sui (prout subjectum est unum et idem manens in substantia) mutationem in formis accidentalibus factam, captabilis vel susceptibilis sit contrariorum, et non propter alterius mutationem quod in aliquo respectu aliquo modo se habeat ad ipsam.

*Aliter et est secunda solutionis textus.* Si quis ergo non concedens suscipiat, dicens aliquo modo orationem et opinionem esse susceptibilia contrariorum, suscipit et concedit hoc quod non simpliciter est verum. Oratio namque et opinio non dicuntur susceptibilia esse contrariorum in eo quod ipsa secundum seipsa aliquid recipient, sed in eo quod circa altera alia quædam (quæ sunt significata orationis vel opinionis) sit facta passio quædam secundum mutationem. Et patet: quia in eo quod res significata per orationem vel opinionem sic est vel non est prout in oratione vel opinione signata est, oratio vel opinio vera vel falsa dicitur, et non in eo quod ipsa oratio vel opinio manet eadem in substantia, et mutata in accidentalibus captabilis vel susceptibilis sit contrariorum. Simpliciter autem oratio vel opinio secundum se considerata nullo modo moventur vel mutantur. Propter

quod oratio vel opinio secundum seipsa non erunt susceptibilia contrariorum, cum nulla penitus in eis facta sit passio alterationis. Verum substantia contrariorum susceptibilis est in eo quod ipsa secundum seipsam contraria secundum sui ipsius passionem et alterationem suscipiat: quod inducendo manifestum est in exemplis: animal enim unum et idem manens in substantia, languorem suscipit et sanitatem, aliquid passum et motum et alteratum secundum qualitatem quæ est dispositio et habitus. Similiter suscepit candorem sive albedinem et nigrinam, passum et alteratum secundum qualitates quæ sunt passio vel passibilis qualitas. Et similiter unumquodque talium ipsa substantia manens eadem, contrariorum receptibilis esse dicitur, quod secundum sui mutationem in qualitatibus alteratur. Proprium igitur est substantiæ cum unum et idem sit numero, secundum suam mutationem susceptible esse contrariorum.

## CAPUT XII.

*De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt, quod substantia suscepit contraria.*

Objicitur contra ea quæ dicta sunt: quia non videtur omni substantiæ conveniens, quod secundum sui mutationem est susceptibilis contrariorum: forma enim substantialis substantia est, tamen non secundum sui mutationem susceptibilis est contrariorum.

Adhuc autem et intelligentia substantia est, et non secundum sui mutationem susceptibilis est contrariorum. Similiter etiam Deus sive prima causa non secundum sui mutationem susceptibilis est contrariorum.

Similiter corpora cœlestia quæ directe cadunt in prædicamento ut composita substantia sunt, et tamen secundum sui mutationem non sunt susceptibilia contrariorum, ut videtur: quia corpus cœ-

*Objectio prima.*

*Secunda.*

*Tertia.*

leste, ut dicit Averroes, nno est susceptibile contrariorum.

**Quarta.** Adhuc etiam quod dicitur quod substantiæ nihil est contrarium, videtur habere instantiam, quia differentia est substantia et tamen habet contrarium. Quod enim differentia substantia sit, per hoc probatur quod quidquid essentialiter est pars substantiæ substantia est: differentia autem est pars substantiæ, quia est pars speciei, quoniam constituit speciem, ergo est substantia: et tamen habet contrarium, quia rationale mortale contraria sunt, et fundantur super formas contrarias. Omnia enim ista prædictis videntur contraria esse.

**Motio.** Sed ad hæc omnia dicendum quod doctrina habita de substantia secundum quod est prædicamentum stat immobili virtute, ista autem quæ inducta sunt instantiæ sunt sophisticæ. Quod igitur objicitur de forma, dicendum quod forma et materia non sunt in genere substantiæ prout substantia est de numero prædicabilium. Forma ista ut forma prout est pars et principium compositi, de generibus, de speciebus et individuis non prædicatur. Similiter est dicendum de materia quæ nullo modo prædicatur: et si esset in genere substantiæ prædicabilis, procul dubio oporteret quod prædicaretur. Unde forma et materia sunt in genere substantiæ ut principia substantiæ reducta ad genus, prout genus quod est substantia est res vere per se existens, et non prout est unum prædicabile. Proprietas autem substantiæ signatur prout est de numero prædicabilium, aut prout est res vere non absoluta a prædicatione. Sed nullo modo forma et materia sic se habent ad substantiam: et ideo non est mirum si non convenit eis proprietas assignata substantiæ, aut prout est prædicabile, aut prout est res vere non absoluta a prædicatione. Si autem absoluta accipiatur a ratione prædicabilis, non erit de consideratione logici, sed primi Philosophi.

Quod autem de prima causa objicitur

quæ est Deus, dicendum quod prima causa non materia est, nec forma, nec compositum, nec universale, nec particulare, nec species, nec genus, nec individuum, nec differentia: et ideo nullo modo est in genere, vel reductum ad genus, sed ante omne genus et supra omne genus. Et quando omnia resolvuntur ad ens, non est illud ens substantia prima quod est Deus, sed ens de quo dicitur in libro de *Causis*, quod est creatum primum: et ante ens istud est creator creati talis, et ideo cum dicitur, Deus est substantia, intelligitur quod ipse est ens per se et a se existens et in seipso, et quod alia quæ dicuntur substantiæ non sunt substantiæ, nisi per analogiam et proportionem ad ipsum vere ens et substantiam quæ Deus est: et secundum quod propinquius et similius sunt per se apta ad ipsum, sic verius attingitur esse per se ipsa. Quare hoc modo Deus non est substantia prout est unum prædicabile, et ideo non est mirum si non convenit Deo substantiæ proprium.

Ad hoc autem quod de intelligentia dicitur, planum est respondere, si intelligentia accipiatur proprie secundum intelligentiæ rationem. Sic enim intelligentia est agens intellectus, qui est essentia potius quam substantia, et non habet compositionem nisi eam quæ est ex esse et quod est, et est res consistens in lumine esse proprie: et hoc non est in genere univoce cum aliis quæ sunt in genere, sed reducitur ad genus, et suscipit nomen generis secundum analogiam et proportionem sicut causa prima. Et hæc solutio est secundum intentionem philosophiæ Peripateticorum qui de intelligentiis bene sunt locuti.

Quidam autem Arabes et quidam Juðæi de intelligentiis secundum rationem suæ legis loquuntur, quod nullo modo probare possunt ex alicujus philosophiæ principiis, dicentes intelligentias Angelos esse, qui localiter moventur et mittuntur

ad homines<sup>1</sup>, quod a Stoiciis secundo et ab Epicureis primo ortum habuit et assumpsit, et ab his qui leges posuerunt. Et secundum istos intelligentia habens est genus et speciem et individuum. Et genus quidem est in intelligentia omnibus communis. Species autem sunt intelligentiae in diversis ordinibus distributæ : et quæ in uno ordine sunt, ejusdem sunt speciei, et diversæ sunt in specie quæ in diversis ordinibus sunt constitutæ. Et individua specierum sunt singulares intelligentiae sive Angeli : et illis, ut dicunt, convenit substantiæ proprium, quia quamvis justitia Dei sint confirmatae in bono vel in malo, tamen natura sunt vertibiles ad utrumque, ut dicit Dionysius. Ad hæc autem hoc advenit, quod non recte intelligunt illud Platonis<sup>2</sup> : Dei Deorum quorum opifex paterque ego : natura quidem mutabiles, voluntate autem mea sic permanentes. Sed Plato loquitur de mutabilitate quam sustinet omne quod creatum vel causatum est, quod ex se nihil est, et id quod est, et esse suum est per relationem ad causam primam. Hæc autem subtiliter determinari habent in prima philosophia in illa parte ubi agitur de fluxu entium a causa prima.

**Ad tertam.** Quod autem de corporibus cœlestibus objicitur, dicendum quod illa prout composita, sunt in genere substantiæ secundum rectam lineam et ordinem prædicabilium, et sic sunt proprietatis substantiæ susceptiva corpora cœlestia : primæ enim differentiæ contrariorum sunt secundum situm, et differentiæ situs : unde etiam per situs contrarietas omnia alia contraria, ut dicit Averroes<sup>3</sup>, diffiniuntur per maxime distare : distantia enim in situ causa est omnis distantia omnium aliorum generum. Differentiæ autem situs contrariæ sunt, ut dextrum et sinistrum, ante et retro, sursum et deorsum, ut dicit Aristoteles, et horum contrariorum sui mutationem corpus cœleste est

susceptivum : sed sua mutatio non est nisi ad ubi, quia non est in potentia nisi ab ubi et nunc : quamvis Averroes de substantia orbis dicat, quod Messhalach probat in libro de *Sphæra mota*, quod corpus cœleste susceptible sit raritatis et densitatis secundum suæ substantiæ mutationem.

Sed hoc verum est, secundum quod hæc raritas et hæc densitas sunt æquivocæ, et ad minus non univocæ ad raritatem et densitatem quæ sunt in elementis : densitas enim et raritas in elementis mutant substantiam sicut raritate transit aqua in aerem et aer in ignem : sed in cœlestibus non dicunt nisi situm partium in toto corpore, et non mutationem a forma cœlesti in formam aliam. Est enim densum in cœlo, cujus partes positionem habent propinquam, propter quod sol spissus esse dicitur. Rarum autem cujus partes secundum positionem stant remotæ, et ideo substantia circulorum cœlestium dicitur esse pervia plus raritate et pervietate omnium elementorum et elementatorum.

Quod autem de differentia objicitur, in precedentibus est solutum : secundum enim contrarietatem distantium perfecte quæ prima est in quolibet genere, sic differentia contraria est differentiæ : et hoc modo differentia non est in genere nisi per reductionem ad genus, ut sæpius jam in doctrina ista et in doctrina de *universibus* dictum est. Si autem sumantur contrariæ qualitates quæ mutuo se expellunt ab eodem susceptibili, quod potentia utrumque natum est recipere, sic differentia differentiæ non est contraria, sed aliquid habet proportionale ad contrarietatem hoc modo dictam, in quantum differentiæ oppositæ natæ sunt fieri circa idem genus, et non possunt simul esse actu in illo, genus enim proportionatur materiæ, sicut olim sæpius dictum est.

Ex his ergo manifestum est, quod proprie proprium substantiæ est secundum

Ad quartam.

<sup>1</sup> Vide S. Joan. Chrysost., Hom. I in Joannem.

<sup>2</sup> PLATO, in 2 Timæi.

<sup>3</sup> AVERROES, 3 Physic., com. 59.

sui mutationem susceptibile esse contrariorum, et quod hæc convenit omni et soli et semper illi substantiæ quæ cadit in genere substantiæ, prout ipsa est prædicamentum, vel prout ipsa est ens constitutum et non absolutum a ratione prædicamentali.

## CAPUT XIII.

*De dubitationibus quæ sunt circa hoc, quod oratio suscipit verum et falsum.*

De hoc etiam quod dictum est quod oratio susceptibilis est veri et falsi, una et eadem manens ad rei significatae mutationem, multæ sunt dubitationes, quæ videlicet sit res significata, et qualiter significatum sit in oratione. Est enim oratio hæc quæ verum et falsum significat, sola oratio quæ enuntiatio vel interpretatio vocatur.

Videtur enim quod oratio in significando non mutatur per hoc quod res mutatur significata: hæc enim oratio, ego sedeo, significat me sedere dum sedeo: nec minus significat me sedere dum non sedeo, sed æqualiter et semper significat me sedere: ergo in significando quod significat nunquam mutatur, facit enim semper quod a prima institutione accepit significare, quod ego sedeo, et hoc semper et immobiliter agit: uno ergo modo se habet ad hoc significandum, sive ego sedeam sive non sedeam. Quod autem uno modo se habet in significando, non modo est verum et modo falsum secundum rei mutationem. Videatur igitur quod oratio non est susceptiva veri et falsi ad rei mutationem.

Adhuc, Omne signum est verum, quando ita significat prout est institutum significare. Sed hæc oratio, ego sedeo, instituta est ut significet me sedere, sive sedeam sive non sedeam. Sive ergo sedeam, sive non, facit quod incepit facere a prima institutione: sed tunc est

significativa veri, quando significat sicut incepit significare: igitur sive sedeam, sive non, hæc oratio, ego sedeo, semper est vera significando.

Adhuc, Sicut oratio est significativa rei, ita significativa est conceptus sive cogitationis sive opinionis ejus qui profert orationem illam, eo quod voces sunt notæ passionum quæ sunt in anima. Ergo sicut est susceptiva veri et falsi ad rei mutationem, ita est susceptiva veri et falsi ad conceptus vel cogitationis sive opinionis mutationem illius qui profert orationem: sicut enim est verum quod est adæquatio vocum et rerum significatarum per voces, sic est verum quod est adæquatio vocum et conceptus prolati per voces. Videtur ergo quod hæc oratio, ego sedeo, mutetur de vero in falsum, et e converso, quando ille qui profert eam mutatur secundum opinionem, quod sedeam, vel quod non sedeam. Et hoc jam in hac oratione dixit Pythagoras, qui posuit verum et falsum in dictione opinando vel non opinando id quod dictum est in voce significante.

Secundum autem eumdem modum videtur Anselmus probare<sup>1</sup>: quia verum in signo est immobile et unum in omni signo significante: signum enim verum est quando significat hoc quod significare accipit in primæ sapientiæ veritate: sed signum semper hoc significat quod accipit in prima veritate significare: ergo quando significat hoc, sive res sit, sive non sit, semper est verum in significando: sive ergo res sit, sive non sit, oratio quæ est signum, semper vera est in significando: non ergo ad rei mutationem oratio susceptibilis est veri vel falsi, ut videtur.

Adhuc autem secundum hoc videtur, quod una veritas significetur et sit in omnibus veris: omne enim signum significat quod significare accipit in prima veritate: quod autem in prima veritate est, unum et idem est, non diversum: idem

Tertia.

Quarta.

Quinta.

<sup>1</sup> S. ANSELMUS, Lib. de veritate, cap. 2.

ergo et unum significatur in omnibus veris, ut videtur.

**Sexta.**

Adhuc, idem est et unum quod immobile est ad omnium rerum mutationem: significare autem hoc quod accipit significare in prima veritate, immobile est ad omnium rerum mutationem: ergo idem et unum est, quod significatur in omni signo significante: hoc autem non potest nisi veritas prima, ut videtur: videtur ergo, quod veritas prima significetur in omni oratione significante, et sic totum falsum esse videtur quod dictum est, quod scilicet oratio verum et falsum significat in eo quod res significata est, vel non est. Hæc et hujusmodi sophismata multa induci possunt contra ea quæ determinata sunt, si rationes Heracliti et Pythagoræ et Anselmi in libro de *Veritate* considerentur.

**Solutio.**  
**Veritas si-**  
**gni quid.**

Ad hæc ergo et hujusmodi dicendum videtur, quod veritas signi, quod est enuntiatio vel dictum enuntiationis, est adæquatio vocis significantis et rei significatae per vocem, et ideo verum et falsum in voce est sicut in signo relato ad rem significatam: propter quod etiam mutatur significatio ad rei significatae mutationem, sicut superius dictum est: et nunc manente oratione una et eadem ad rei mutationem, mutatur de vero in falsum, et e converso de falso in verum.

**Ad primum**

Ad id autem quod objicitur quod idem semper significat, sive sit res, sive non sit, dicendum quod hoc verum est: sed significatio non est vera vel falsa in hoc quod ipsa idem significet, sed in hoc est significatio vera vel falsa, quod rei adæquatur vel non adæquatur significatio, et ideo inæquali facta re cui signum non adæquatur, falsa est oratio.

**Ad secun-**  
**dam.**

Ad hoc autem quod objicitur, quod significat quod accipit a prima institutione, dicendum quod a prima institutione accepit ut rem per sui adæquationem ad rem significaret: et quando non adæqua-

tur rei, tunc non facit signum illud quod facere accipit a prima institutione: nemo enim signum sic instituit significare ut vagam et non rei significatae æquatam habeat significationem: unde quando rei non adæquatur, tunc fallit ab hoc quod accepit a prima institutione: non enim instituta est tantum significare, sed instituta est ut per significationis adæquationem significet rem ut est, nec magis nec minus. Ad hoc enim sermo inventus est, ut dum rebus in communicando nobis invicem uti non possumus propter rerum infinitatem, et propter hoc quod plures res non semper habemus, sermonibus pro rebus uteremur, quando conceptus et affectiones quas de rebus habemus nobis invicem pandere et communicare volumnus<sup>1</sup>.

Quod autem objicitur de hoc quod sermo semper significat hoc quod in prima veritate significare accepit, dicendum quod in ordinatione primæ veritatis non accepit significare vaga tantum significatione, sed significare rem sicut est ratione rei, significatione rei adæquata: et hoc dico salva fide Anselmi<sup>2</sup>. Et ideo falsi et veri susceptiva efficitur per mutationem rei. Si autem non accepisset nisi adæquationem instituentis et signi instituti ad significandum, tunc aliquo modo esset verum quod dicitur, sed hoc meo iudicio non est verum.

Ad hoc autem quod dicitur quod verum est in adæquatione intellectus vel conceptus ad signum quod conceptum significat, dicendum quod conceptus vel intellectus vel opinio vel quocumque modo dici possit id quod est in anima (cujus voces prolatæ signa sunt) non absolvitur a rebus quæ sunt causa conceptum: et ideo illis prout conceptæ sunt res adæquatur: non enim sermo inventus est ad significandum conceptum fictum, qui non est nisi in concipiente, quia sermo inutilis esset, quia per sermonem

**Ad quar-**  
**tam.**

<sup>1</sup> Et hoc est dictum Platonis, et est etiam Aristotelis primo Elenchorum.

<sup>2</sup> Cf. Anselmum, lib. de veritate.

audiens nullam de re conciperet veritatem vel significationem. Et ideo dictum Pythagoræ et Heracliti non habet veritatem : quia dixerunt, quod verum est in apprehendendo vel opinando secundum quod opinio est opinantis passio : sed hoc verum est, quod verum est in opinando vel concipiendo secundum quod conceptus vel opinio est rei significatæ æquata passio vel conceptio : et ideo sermo talis conceptui æquatus, æquatus est etiam rei : et ideo dicit Aristoteles quod veritas est adæquatio rei ad intellectum.

**Ad quintam.** Ad hoc autem quod dicit quod omnia sunt vera prima veritate, quia signa sunt primæ veritatis in hoc quod significant quod in prima veritate acceperunt significare, dicendum ut prius, quod in prima veritate acceperunt, quod significant res, et adæquata significacione significant verum, et non adæquata significant falsum. Et ideo mutata significacione signi mutatur adæquatio. Et quod dicunt de immo-

bilitate veritatis, dicendum quod illa immobilitas non est nisi circa significandum relatum ad significandum, et non circa signum rei significatæ æquatum vel non æquatum : et ideo signo illo manente immobilis est veritas : sed illa prima veritas esse potest, quia corruptitur et mutatur mutato signo.

Ad id autem quod dicitur, quod omne **Ad sextam.** signum significant id ad quod significare ordinatum est in prima veritate, dicendum quod quamvis hoc concedatur, non sequitur quod omnia sint vera prima veritate, quia in prima veritate ordinatur quod oratio significet res per æqualitatem ad ipsas prout sunt vel non sunt : et sic in prima veritate voces ad res significandas referuntur. Si autem veritas non esset nisi adæquatio vocis ad primam veritatem in significando tantum, tunc posset aliquo modo verum esse quod dicitur. Hæc igitur de prædicamento substantiæ dicta sufficient.



# TRACTATUS III

## DE QUANTITATE.

### CAPUT I.

#### *De divisione quantitatis.*

Inter prædicabilia quæ sunt de natura accidentium substantiæ, primum occurrit prædicabile quod est quantitas, eo quod hoc immediate sequitur, ut dicit Rabbi Moyses: cum enim substantia post substantiam immediate egit de quantitate. tentia divisibilis sit secundum id quod est ex parte subjecti et materiæ quæ substantia stat et secundis substantiis et accidentibus: potentia autem divisibile non reducitur ad actum ut actu divisibile fiat sive efficiatur nisi per quantitatem, oportet quod primum quod accidit substantiæ sit quantitas.

Adhuc, Cum materia, ut dicit Avicenna, in sufficientia sua subjiciatur generationi et generaliter mutationi in quantum potentia est trinæ dimensionis, et non actu formata ad aliquod esse, per generationem actu fiet trinæ dimensionis: oportet quod id quod primum ad materiam accidit ut formarum motus, et ipsius motus sit receptibile, et sit quantitas, quia aliter mobile non esset nisi esset quantum: eo quod Aristoteles probat in sexto *Physicorum*<sup>1</sup> quod nihil est mobile nisi quantum. His igitur rationibus immediate post substantiam quantitas est ordinanda.

Adhuc autem propter hoc quod formarum alterationis non est receptibilis nisi per quantitatem, quia in ipsa substantia existentes, quantæ efficiuntur per quantitatem quæ jam inest subjecto, sicut al-

bedo et caliditas et hujusmodi. His rationibus rationabiliter immediate post substantiam ponitur quantitas: inter accidentium enim genera nullum est penitus absolutum nisi quantitas et qualitas. Qualitatis autem præcipue quantum ad duas species illius quæ sunt passio vel passibilis qualitas, et forma vel circa aliquid constans figura, non est susceptibilis substantia nisi mediante quantitate, et ideo immediatus adhæret substantiæ quantitas quam aliquod aliorum generum accidentis.

Quia autem quantitas multarum divisionum est, oportet primo nos notificare quantitatem per divisionem ipsius, quia si per diffinitionem notificaremus eam, non possumus dicere nisi quia est mensura substantiæ: et cum ratio mensurandi non sit per unum modum in continuo et discreto, et in habente positionem in partibus et in non habente, non habemus quod una ratio esset quantitati secundum quod in genere accipitur diffinitionem. Cum enim, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, unumquodque mensuretur sui generis minimo, oportet quod sicut differunt mensurata, sic etiam differunt mensuræ, et eodem modo differat in eis mensurandi ratio: non habentes ergo quantitatis in genere sumptæ diffinitionem, ut aliquo modo declaretur, oportet quod ex posterioribus notificetur per divisionem.

Hac igitur necessitate coacti, dicimus quantitatem in genere per differentias primas dividentes, quod quantitatis aliud continuum, aliud discretum. Non autem

Removet dubium.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 6 Physic. tex. com 32.

<sup>2</sup> ID. 10 Metaphysic. tex. com. 3 et 4.

dicimus dividendo, quod quantitas dividitur continuitate et discretione : quia continuitas et discretio non sunt prædicabilia de quantitate, cum sint formæ abstractio-  
nis modo significatæ, quæ non sunt in ge-  
nere quantitatis, sed nominentur qualiti-  
tates quæ dicuntur circa quantitates.

Sic igitur tangentes quæ in genere sunt quantitatis, dicimus quod quantitatis aliud continuum, aliud discretum. Antequam autem has partes per diffinitiones assignemus quid sunt, oportet aliam subjecere divisionem, cujus partes communicant utrumque istorum dividentium : et hoc est, quod quantitatis aliud quidem est ex habentibus sive de numero eorum quæ habent positionem in partibus, et aliud ex partibus non habentibus positionem, sicut patebit inferius.

Has autem inducentes divisiones, nul-  
lam de unitate et puncto faciemus men-  
tionem, quia hæc in genere quantitatis non sunt, nisi per reductionem ad genus, sicut principia generis ad genus reducun-  
tur. Continuum enim habens positionem fluit a puncto sicut ab indivisibili corporali principio. Discretum autem habens ordinem in partibus loco positionis sicut numerus, causatur ab unitate sicut a suæ discretionis essentiali principio. Et hæc omnia inferius erunt manifesta.

Et quia habere positionem in partibus accidit continuis vel continuæ quantitatibus, et eidem accidit non habere positionem in partibus, ideo explanari non poterant membra primæ divisionis, nisi prius dare-  
tur et altera. His autem ita per duas di-  
visiones præmissis, est consequens mem-  
bra istarum explanare siye declarare di-  
visionum : et quia ratio discreti (ut Boë-  
tius in prologo *Arithmeticæ* dixit, et ante eum dixerat Pythagoras in *Consisten-  
tia*) constat numerorum proportionibus, ideo prius declaranda est discreta quan-  
titas, præcipue propter hoc quod princi-  
pium istius quod est unitas, simplicius  
est quam essentiale principium continuæ

quantitatis quod est punctum : unitas enim est indivisible simplex, non habens positionem, punctum autem est indivisi-  
bile positum sive positionem habens.

Quod autem diximus dividentes, quod quantitatis aliud est continuum, aliud est discretum, præmisimus continuum dis-  
creto quoad nos: quoad nos enim cognoscimus numerum divisione continui, ut di-  
cit Aristoteles<sup>1</sup>; cum tamen unitas cuius iteratio causat essentialiter totum nume-  
rum quoad naturam rei simplicior sit quam punctum cuius fluxus causat essen-  
tialiter continuum. Hac igitur considera-  
tione dicimus in primis describendo discretum per exemplum, quod discreta quan-  
titas est ut numerus habens ordinem, et oratio habens voces et ordinem et ratio-  
nem. Continua vero quantitas est, ut exemplariter declaretur, ut linea, super-  
ficies et corpus.

Amplius autem præter hæc tempus et locus : hæc enim præter dicta aliam suæ continuatatis habent causam : illa enim habent causam suæ continuatatis inter se et inter suam continuatatem essentialiter contentam, ut linea punctum, et superficies lineam, et corpus superficiem : locus autem in sua continuitate habet terminum corporis locati qui non est locus, et tempus continuatur continuitate motus : motus autem continuatur continuitate mobilis et continuitate magnitudinis in-  
ter duos terminos motus existentis. Hac igitur de causa dicitur quod præter hæc sunt tempus et locus. Hæc autem inferius melius patebunt, quando de singulorum istorum sigillatim loquemur continuati-  
bus.

## CAPUT II.

*Qualiter numerus et oratio sunt quanti-  
tates discretæ.*

Quod autem numerus sit quantitas dis-  
creta sic probatur : primo quidem quod <sup>Quomodo</sup> <sub>numeris sit</sub> quantitas.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 4 Physicorum, tex. com. 412.

*Quod sit discreta quantitas.* sit quantitas, quia quo mensurante redditur quantitas discretorum, illud per se est quantitas: numero autem redditur quantitas ovium, canum, hominum, et de aliis quæ discreta sunt et sub una forma continuitatis non continentur: numerus igitur est quantitas. Et quod sit discreta quantitas, probatur per hoc, quod continuum et discretum sunt oppositæ differentiæ, primo circa primum genus quantitatis: hæc autem sunt quantitates, et non continuæ: ergo discretæ: quia discretionem non cognoscimus nisi privatione continui, oportet quod hoc probetur continuitatis privatione. Dico ergo quod partium numeri nullus est continuus terminus indivisibilis, ad quem ut ad unum copulentur, ita quod sit terminus partis unius et finis ad quem finitur continuatio ejus, et sit terminus alterius ut a quo incipit ipsius continuatio. Hoc autem probatur inductive et exemplariter, sicut quinque et quinque si ponantur particulæ numeri decem sive denarii, istæ particulæ nullum habent communem terminum qui sit unius partis finis et alterius principium ut continuans: prima enim quinque in ordine unitatem ad quam finiuntur non habent eamdem a qua inchoantur quinque sequentia secundum substantiam, sed divisim habent eam et discretam ab unitate a qua incipit quinarius sequens: et sic est de omnibus partibus denarii. Semper enim partes denarii quocumque modo accipientur, semper discretæ sunt, sicut si accipientur septem et tria, vel duo et octo, vel sex et quatuor, vel decem unitates, semper non copulatae et non continuatae accipiunt: ita quod singulæ in suis discretionibus nullo modo continuantur aliquo modo copulatae. Numerus igitur est discreta quantitas, et iste numerus est formalis, qui est unus, duo, tres, etc., quo reddimus eorum quæ numerantur quantitatem discretionis. De hoc tamen inferius plenius erit manifestum.

Similiter autem et oratio discreta est quantitas, et est de numero discretorum,

ita quod omnes ejus particulæ sunt ab invicem separatae. Quare autem sive propter quid oratio sit in genere quantitatis manifestum est: omne enim cuius quantitas mensurante aliquo et certificante mensuratur, est quantitas et in genere quantitatis. Sonus autem litteræ et syllabæ sive brevis sit vel longa, mora pronunciationis mensuratur. Ergo oratio consistens ex his, est quantitas et in genere quantitatis. Dico autem orationem cum voce prolatam, sive, quod idem est, prolatione vocis sive vocali pronunciatione: sic enim non est unus sonus vel vox continue sonans vel vocans, sed est aggregata et discreta vocatione sonorum, qui sonus discretorum elementorum in litteris et syllabis sua multitudine et ordine conficiunt hoc totum quod est dictio vel oratio. Sic enim divisio litteræ cum divisione litteræ non est continuum, sed ab eo discretum, et cum eo compositum conficit syllabas, et syllaba cum syllaba composita conficit dictionem, et eo modo dictio cum dictione conficit orationem: in omnibus enim his syllaba, dictione, et oratione constitutio fit totius, discretorum congregatione et ordine. Quod manifestum est ex hoc quod soni elementorum et syllabarum et dictionum et orationum ad nullum communem terminum copulantur. Si enim dicam, baculus vel virga, discrete sonant omnia litteræ elementa, et nihil est continuans inter ea, quo continuante unus sonus alteri copuletur. Et similiter est de sono litterarum in syllaba, et sono syllabarum in dictione, et sono dictionum in oratione: nullus enim terminus est ad quem syllabæ copulentur in pronunciatione, sed semper unaquæque divisa manet secundum seipsam discretam.

*Quod oratio sit quantitas discreta loquendo de oratione vocali.*

Sed hic advertendum est quod quamvis discretæ maneant omnes particulæ orationis et numeri, tamen sub una forma specifica discretionis vinciuntur, numerus enim unitatis constituitur aggregatione et ordine, et quæcumque unitas est congregationis ordinatæ terminus, in

*Forma numeri illius.*  
quo stat aggregatio ut in complente unitate illa, ut finis et complementum est forma numeri illius, ut in quinario quinta, et in denario dena, et sic de aliis. Et ideo dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quod decem non est tria et septem, aut bis quinque, aut octo et duo: sed oportet accipere formam in unitate ultima prout est finis aggregationis ordinatæ ad unitatem illam quæ complementum est talis aggregationis.

Similiter autem in oratione prout est in litterata pronuntiatione: illa enim est aggregatio sonorum, elementorum, syllabarum et dictionum, ad unum totum complens ordinatam aggregationem, sicut litterarum in syllaba est unum complens, et syllabarum in dictione est complens unum, a quo dicitur dictio una in tota syllabarum aggregatione. Similiter et dictionum in oratione est complens unum, a quo tota illa aggregatio distinctorum et ordinatorum sonorum dicitur oratio una, cum cuiuslibet elementi vel syllabæ sonus maneat in se distinctus et nec continuus, nec permixtus, ita quod unus est brevis, et alter longus, et unus est brevi brevior, alter vero longo longior est: et in talibus nihil facit unum nisi ordo ad unum: et ideo ista extensa aggregatio secundum seipsam quantitas est discreta sicut numerus: propter quod oratio est quantitas, cuius indivisible non est unum, cuius iteratio facit illam aggregationem, sed indivisibilia multa sunt quæ sunt soni elementorum in litteris, et soni syllabarum in dictionibus, et soni dictionum in oratione, sed inter ea solum indivisible est littera vel litteræ elementum, a quo ordinato cum alio fit syllaba, et e syllaba ordinata cum alia fit dictio, et a dictione ordinata cum alia fit oratio.

Sed inter elementa litterarum non est unum indivisible, quod per substantiam iteratum, totam compleat illam aggregationem, sicut est unitas in numero. Nisi aliquis dicat unum alicujus litteræ ele-

mentum esse primum, quod syllabaliter iteretur in omnibus aliarum litterarum elementis, et quod elementa aliarum litterarum constant ex iteratione illius. Sed hoc quamvis aliqui dixerint, tamen falsum est et probari non potest. Ideo nos sic dicimus orationem ordine multorum componi indivisibilium secundum sonum elementorum, et in hoc orationem differre a numero, et esse ab ipso numero diversum secundum speciem quantitatis.

Si autem objicitur, quod omnis quantitas procedit ab indivisibili, Dicendum quod hoc verum est, quod sicut numerus ab unitate, et continuum a puncto, et tempus ab instanti, sic oratio procedit ab indivisibili litterati soni: sed hoc indivisibile non est elementum alicujus litteræ, cuius elementum iteratum faciat talem orationis quantitatem, sed indivisible cuius ratio in quolibet sono servatur cujuslibet litteræ cum alia in tali pronuntiatione aggregatae.

Hinc enim Democritus et Leucippus, et alii quidam *atomos* ponentes, principium non dixerunt unum atomum aliquod principium, sed multos figura et ordine differentes et sic omnia constituentes. Et suæ rationis dederunt exemplum in litteris: in litterato enim sono sive pronuntiatione non est aliquod unum indivisible causa aggregationis, sed multa figura, sono et ordine differentia. Sic enim oratio est quantitas mensurata syllaba, vel littera longa vel brevi pronuntiationis, et distincta in tota congerie talis aggregationis, et est quantitas in seipsa, ita quod substantia sua et quidditas quantitas est prædicto modo a numero differens. Istæ sunt ergo duæ primæ species discretæ quantitatis.

Objectio.  
Solutio.

### CAPUT III.

*Qualiter linea, superficies et corpus sunt quantitates continuæ.*

Nunc restat dicere qualiter continuæ

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 5 primæ philosophiæ, tex.

*Quare prius egit de discreta quantitate.* quantitates sunt linea, superficies et cor-  
pus. De discreta enim prius conveniens fuit dicere, propter hoc quod indivisibile a quo perficitur numerus, et indivisibile a quo perficitur oratio, simpliciora sunt quam indivisibile a quo perficitur continuum: unitas enim est indivisibile, nec possessionem habens in continuo, nec continuans ea quorum est terminus. Litteratus etiam indivisibilis est sonus, nec indivisibile in continuo positum positionem habens, nec continuans ea quorum est terminus vel principium: quia si est principium, non est a quo sit continua-  
tio: et si est medium, non est unum et idem finis unius et principium alterius, sicut est punctum continuans: et si finis est, non est terminus ad quem continue copuletur in forma continuationis continuum: et ideo et ipsum indivisibile soni litterati simplicius est puncto: propter quod naturalis ordo exigit quod prius de numero, et postea de oratione, et tertio de speciebus continuæ quantitatis di-  
ceretur.

Quod autem quidam dicunt, quod ideo prius fuit dicendum de numero, quia numerus est in corpore et in incorporeis invenitur, et non continuum, et quod res ab institutione mundi proportionibus numerorum factæ sunt. Rationes istæ non sunt veræ, nec ad propositum facientes, et fundatæ super falsum: sed de illis videatur quod tales asserunt rationes.

Hac igitur quam nos dicimus necessitate, post numerum et orationem dicimus, quod linea de numero continuorum est: potest enim a quolibet sumi continua terminus, ad quem omnes quæ sub una forma continuitatis sunt particulæ

*Quomodo partes lineæ copulantur in termino communi.* linea copulantur. Hic autem communis terminus est punctum, cuius fluxus in continuum vel ductus facit lineam: et ideo linea quamvis in puncto non dividatur, tamen non potest dividi nisi in puncto, quia linea ubique substantialiter punctum est: substantialiter, dico, a substantia quæ est quasi materia: punctum enim extensem sive protensem in continuum

est linea, cuius ipsa potentia quantitas est et substantia protensa punctum est. Et sic linea est ex uno substantiali quasi subjecto quod est punctum, et ex uno formalis quod est potentia extensa in continuum quod est continuatio: et hoc quidem est linea, et ideo quia ubique substantia lineæ materialis est punctum, ubicumque sumatur punctum non absolutum ab extensione in continuum, ibi punctum est in ratione finis et principii: finis quidem ad anterius, et principium ad posterius. Communis ergo terminus est istius copulationis partis anterioris cum sequente per totum continuum, et quia punctum est indivisibile positum, ideo tota intellectualis et realis ejus extensio in tota longitudine substantiae ser-  
vat indivisibilitatem. Propter quod linea secundum latitudinem et profunditatem est indivisibilis, solum divisibilis longitu-  
dine, quam causat non punctum, sed puncti extensio et fluxus in continuum, quia ista extensio formam continuitatis dat, quæ secundum seipsum divisibilis est semper.

Similiter superficies quantitas est continua: generatur enim expansione lineæ ad latum in continuum, sive ex fluxu lineæ vel ex ductu lineæ, ut dicit Euclides: et sic erit latitudo sine profunditate, ubique ex duabus lineis ad rectum angulum se secantibus mensurata: quæ quia fluit ab indivisibili secundum profundum, ideo profundum non habet: quia autem fluit a divisibili secundum longum, ideo secundum longum habet divisibilitatem: et quia fluxus illius lineæ est ad latus et non ad punctum quod est terminus lineæ, et fluxus est continuus, ideo continuitatem habet superficies in latum, et ex illa superficies est: continuitas enim quæ est in longum in superficie, est ex linea: et ideo substantia superficie est linea, sicut punctum est substantia lineæ: propter quod undecumque dividitur superficies, erit linea dividens ipsam sicut punctum dividit lineam, et ubicumque accipientur duæ partes in superficie, erit linea copu-

*Quomodo causatur superficies.*

lans partes illas, et est communis terminus copulationis earum : est epim principium unius ex quo est continuitas ejus, et est finis alterius ad quem est continuatio ejus : planum namque est quod superficie particulae ad quemdam communem terminum dicto modo copulantur. Dicitur planum superficies, eo quod fluxu lineæ intelligatur sterni sicut in planum, nulla partium ejus super alteram eminente. Talis igitur est intellectus superficie secundum quod est species continua.

**Quomodo  
causat  
corpus ma-  
terialis  
planum.**

Similiter autem et in corpore est sumere communem terminum particulas corporis copulantem : corpus enim est ipsa trina dimensio, quæ sit tribus diametris in omni parte corporis ad rectum angulum se contingentibus et se secantibus, una in longum, et altera in latum a puncto præcedentis, et tertia in profundum ab angulo prædictarum protractis generatur enim ex fluxu vel protensione superficie, non in longum vel in latum, sed in profundum mota vel protensa superficie. Et ideo dicebat Plato quod substantia corporis secundum id quod est, est superficies, sicut punctum est substantia lineæ et linea substantia superficie : et ideo dividitur corpus ut corpus est superficie, sicut superficies linea, et linea puncto, et ubicunque partes duas accipias corporis, illæ habent superficiem ad quam est continuitas præcedentis, et a qua incipit continuitas sequentis. Est ergo illa superficies in corpore communis terminus, qui est finis unius et principium alterius : et ideo est aliquid unius, et aliquid alterius : propter quod communis terminus continuorum vocatur. Si autem communem in corpore terminum accipere vis secundum latum, tunc, ut jam ante dictum est, sumes terminum copulationis lineam. Si autem vis terminum communem copulationis accipere in longum, necesse est quod accipias commune punctum, qui copulat partes in longum.

Punctum igitur quamvis nulla pars sit lineæ, tamen est aliquid lineæ, quia est

terminus lineæ, et copulans partes ejus : et secundum id quod punctum positionem habet in continuo, sic est substantia lineæ, sed formale esse est continuitas in longum, et illa est a fluxu intellectuali puncti in continuum. Et omni eodem modo se habet linea ad superficiem, ita quod non est pars aliqua superficie, et tamen est aliquid ejus, tum quia est terminus ejus copulationis, tum etiam in hoc quod est substantia superficie, et forma continuatatis quam ponit circa substantiam est ab intellectuali fluxu lineæ ad latus lineæ, et non ad punctum. Secundum eumdem modum etiam se habet superficies ad corpus, et in hoc quod est communis copulationis terminus, et in hoc quod est corporis substantia materialis, circa quam ponitur forma continuatatis corporis ex fluxu intellectuali superficie in profundum.

Ex hoc patet quod continuum dividitur in infinitum in quantum continuum est : in quocumque enim termino accipiatur indivisible, terminus est copulationis : erit ergo per consequens causa continuatatis, eo quod intelligitur in ratione finis et principii, quod non potest intelligi nisi per hoc quod fluit ex uno in alterum : ratio ergo divisionis non aufert formam continuatatis : remanente forma continuatatis ponitur divisibile : quæcumque ergo dividi intelligantur, semper ponitur ad hoc indivisible.

**Ratio quare  
continuum  
sit divisibil-  
le in infini-  
tum.**

Non autem moveat quemquam, quod hoc dicimus fieri secundum intellectum, cum in hoc libro loquimur de decem generibus rerum principiis, ad quæ omnia prædicabilia reducuntur : omnia enim abstracta et mathematica sunt accepta secundum intellectum : secundum enim esse in natura hoc vel hoc non invenitur nisi in sola luce, ut quidam dicunt, quamvis dictum eorum cum Philosophis non concordet. Quamvis ergo ista accepta sint secundum intellectum, iste tamen intellectus a specialibus rebus causatus est et ad esse refertur : quia dicit naturam et esse rei ut est hoc quod est, ut est significatum

**Removet  
dubium.**

per nomen quod est notio prædicabilis : et ideo dicit Aristoteles sic, Abstrahentium non est mendacium<sup>1</sup>. Quinimo est certissime verum, quamvis secundum esse ista non inveniantur distincta in natura : insunt enim hoc modo quo determinata sunt in ipsa substantia quanto-rum.

Attendendum etiam quod non potest esse quarta species quantitatis continuæ habentis in partibus positionem et ex seipsa continuatatem et substantiam circa quam ponit formam communitatis et continuitatis : quia non est motum intelligere alicujus aliquo modo indivisibilis, nisi vel in longum, vel in latum, vel in profundum : altum enim est a profundo terminis tantum differens : et ideo non sunt nisi tres species hujus quantitatis, a quibus prædicabilia sumi possint.

Sciendum est etiam, quod linea est quantitas unius divisibilitatis, superficies autem est quantitas duarum divisionum, et corpus quantitas est trium divisionum propter causas quæ in ante habitis sunt determinatae.

#### CAPUT IV.

##### *Qualiter tempus est quantitas continua.*

Est autem de numero talium quantitatum continuarum et tempus et locus : præsens enim tempus copulatur et ad præteritum et ad futurum per instans medium quod est terminus talis copulationis. Accipimus autem hic præsens, tempus divisibile quod adjacet motui et actioni præsenti. Præteritum autem dici-

mus, quod terminatur ad præsens per instans quod est præteriti finis et principium præsentis : et præsens etiam copulatur ad futurum per instans quod est finis præsentis et principium futuri : et sic totum tempus continuum est. Sicut enim in aliis continuis fluxus continui est ab uno aliquo secundum aliquem modum indivisibili, ita est etiam in tempore.

Intelligendum igitur est, quod si non esset motus, non esset tempus, et motus extensio est causa extensionis temporis, sicut motus etiam est causa temporis. Motus autem est in eo quod movetur sicut in subjecto. Est autem id quod fertur sive movetur, idem secundum substantiam in toto motu : secundum esse autem ipsius secundum quod motus est in ipso, protensum et procedens est de ante in spatio in post, sive de anteriori parte spati in posteriorem non interrumpendo. Protensio autem, ut sæpe diximus, causa est quantitatis. Protensum est partim hic et partim ibi, continua et non interrupta protensione. Quod autem sic divisibile est, continuum est. Motus igitur (qui secundum esse potensum inest ei quod movetur) est continuus, non ex seipso, sed ex spatio distantiae quæ est inter duo motus extrema. Cum autem sit continuum et quantum aliquo modo, sequitur quod sit ejus aliquid mensura : et quia omne quantum habet mensurans proprium secundum propriam divisionem, sicut secundum spatium continuum ad modum lineæ vel superficie vel corporis, habet ulnam vel palmam vel pedem, vel decempedam et aliquid talium : propter quod in omnem diametrum certa reddi-

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 2 Physic. tex. com. 18. *Abstrahentium non est mendacium*. Hoc est, intellectus abstrahendo unum ab alio, et illud seorsum considerando, nullam falsitatem committit, nam ut sine falsitate procedat nostra cognitio et concipiendi ratio, non debet semper id quod objective alicui rei, sive essentiæ alicujus rei convenit, apprehendere, dummodo non tribuamus rei quod ei non convenit, aut omnino sub falsa quapiam et repugnante ratione, quæ rei non convenit, rem apprehendamus, ut pluribus

bene Tannerus (t. 1, d. 2, q. 2, dub. 5, n. 12) prosequitur, et hæc vocatur abstractio *præcisiva*.

Alia est *negativa*, quæ unum de alio negatur, ubi potest esse falsitas et mendacium. Hinc considerans animal in homine sine rationalitate, non mentitur : dicens autem, homo non est animal, mentitur. Et hinc : « Veritas et falsitas proprie tantum est in secunda operatione. » Cf. Reeb.

tur quantitas ipsius, nec certificari potest nisi secundum hoc quod dividitur. Oportet igitur, quod per hunc modum mensurans motum, secundum esse quod habet in eo quod movetur, sit certificans quantitatem ipsius.

In eo autem quod movetur secundum quod motus est actus ejus sunt tria, scilicet indivisibilis substantia ipsius quod movetur, quæ eadem manet in toto motu: et esse protensum in spatio continuo: et divisio prioris quod accipit in spatio quod derelinquit continue, a posteriori quod jam accepit in illo protendendo. Si ergo sic debeat mensurari, tria sunt in mensura reddente quantitatem ipsius: quia aliter mensura rei mensuratae non esset adæquata: mensurans autem ipsum sic non potest sibi esse intrinsecum, eo quod intrinsecum est alterius generis: est enim in motu locali intrinsecum motui ubi fluens, et hoc non est secundum sui naturam in genere quantitatis, sed in genere ubi: et ideo motus in ubi non est in genere quantitatis, sed est in genere ubi. In alteratione autem est quale fluens quod per fluxum non amittit proprii generis naturam: et ideo sicut quale est in qualitate, sic et motus in qualitate. Similiter et motus augmenti quamvis sit in quantitate, non tamen sic est in quantitate, quod motus faciat ipsum in quantitate esse tanquam in genere, sed potius per hoc est in genere quia est quantum continuum positionem habens in partibus fluens, sicut corpus quod per fluxum non amittit naturam corporis. Et ideo motus non per partem motus vel per substantiam est in genere vel specie quantitatis, sed per hoc quod est quantum fluens quod fluxu non amittit naturam fluentis. Similiter est in generatione et corruptione, quæ sunt mutationes in substantia: propter quod dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quod via in naturam dicitur natura, cum motus et mutatio non possit habere mensurans circa quod sit substantia motus, et circa quod ponat motus suam continuitatem. Relinquitur

igitur quod habeat mensurans extrinsecum adjacens, et hoc vocatur tempus, et tempus in sua substantia et suo esse diversum et linea et superficie et corpore.

Quod ergo per intellectum adjacet ei <sup>Instans quid et quare sic dicitur.</sup> quod defertur et in toto motu est idem per substantiam, cum hoc semper objiciatur præsentiae accipientis ipsum, est præsens quod vocatur instans quasi non stans, sicut et id quod movetur, non stat quādiu motus est ejus actus. Quod autem <sup>Tempus.</sup> adjacet protensioni ejus, quod secundum quod movetur, est continue protensum a retro in ante, illud est et vocatur tempus. Et id quod adjacet ei quod est in spatio <sup>Tempus præteritum.</sup> accepto in retro, vocatur in tempore prius vel præteritum. Et quod adjacet ei quod <sup>Tempus futurum.</sup> in motu est in spatio accepto in ante, est et vocatur futurum. Et quod adjacet ei quod <sup>Tempus præsens.</sup> objicitur præsentiae accipientis in protensione motus et spatii, vocatur præsens tempus. Cum tamen tria ista, præteritum, præsens et futurum non sunt diversa et separata, non sunt discreta sed sunt simul copulata. Copulatorum autem semper est communis terminus, qui est finis unius et principium alterius, et est aliud utriusque et neutrius per se, id copulans particulas temporis vocatur in divisible instans, quod quidem secundum se est substantia temporis, sicut punctum est substantia lineæ, qui fluxu suo causa est continuitatis quæ est forma successionis continuae quæ ponitur circa substantiam instantis, sicut dictum est in aliis continuis. Sicut autem ulna iterata est numerus reddens quantitatem continua, ita instans distinguens prius et posterius in motu protensum super partes motus, iteratur et certificat quantitatem motus. Et ideo dicit Aristoteles<sup>2</sup> quod tempus est numerus motus propter prius et posterius.

Et ideo non est inconveniens quod tempus sit continuum, et tamen sit numerus: quia est numerus sicut ulna panni, vel alterius mensurati per ulnam. Et quando dicitur quod tempus est continuum, et

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 2 Physic. tex. com. 14.

<sup>2</sup> Id. In 4 Physic. tex. com. 101.

tempus est numerus, non intelligitur quod secundum unum et idem sit continuum et numerus : secundum enim quod adjacet protensioni ejus quod movetur est continuum, secundum autem quod instanti copulante distinguitur id quod est ante ab eo quod est post, et iteratur hoc in toto motu, sic est numerus. Et quando dicitur quod est numerus, non dicitur nec intelligitur quod simpliciter sit numerus, sed quod est numerus motus per esse motus : sed motus per prius et posterius, quod iteratur in motu sicut id quod movetur in toto spatio motus. Propter quod non sequitur quod tempus sit simpliciter continua quantitas. Et ideo manifestum est quod non est in duobus generibus primis quantitatis ex æquo, scilicet in genere continui et in genere discreti, sed simpliciter est in genere continui et secundum aliquid accipit formam discreti. Patet etiam qualiter fluit tempus ab hoc indivisibili quod est instans.

**Dubitatio.** Sed remanet quæstio, quare motus non ponatur esse in genere quantitatis sicut tempus ? præcipue cum multis rationibus probet Aristoteles<sup>1</sup> motum esse divisibilem in infinitum, et cum expresse dicat motum esse speciem quantitatis in quanto *primæ philosophiæ*<sup>2</sup>. Sed ad hoc per ante dicta facilis est responsio : si enim consideretur id quod dat motui speciem et nomen, et per consequens dat ei genus, eo quod species et genus ad unam pertinent naturam : tunc videbitur causa ejus quod quæritur : quale enim dat alterationi nomen et speciem, propter quod dicitur in genere alteratio, et secundum speciem calefactio, vel albatio. Et sic similiter est ubi quod motui locali dat nomen et speciem et genus. Et similiter in augmentatione. Et facile est videre in omnibus aliis sicut motus per accidens qui in omnibus est generibus. Continuitas autem motus non est a natura illa quæ fluit, sed potius est causata a processione illius in quo est

**Solutio.** Sed remanet quæstio, quare motus non ponatur esse in genere quantitatis sicut tempus ? præcipue cum multis rationibus probet Aristoteles<sup>1</sup> motum esse divisibilem in infinitum, et cum expresse dicat motum esse speciem quantitatis in quanto *primæ philosophiæ*<sup>2</sup>. Sed ad hoc per ante dicta facilis est responsio : si enim consideretur id quod dat motui speciem et nomen, et per consequens dat ei genus, eo quod species et genus ad unam pertinent naturam : tunc videbitur causa ejus quod quæritur : quale enim dat alterationi nomen et speciem, propter quod dicitur in genere alteratio, et secundum speciem calefactio, vel albatio. Et sic similiter est ubi quod motui locali dat nomen et speciem et genus. Et similiter in augmentatione. Et facile est videre in omnibus aliis sicut motus per accidens qui in omnibus est generibus. Continuitas autem motus non est a natura illa quæ fluit, sed potius est causata a processione illius in quo est

motus ut in subjecto : subjectum autem non est aliquid de essentia illius quod est in ipso, et ideo motus proprium et sibi determinatum genus non habet. Alia autem quæ dicenda erant de tempore, vel ad physicum pertinent, vel ad metaphysicum, et ideo illuc differantur : in quarto enim *Physicorum*<sup>3</sup> determinabitur natura temporis : in parte autem illa *primæ philosophiæ* quæ est de causis determinabitur qualiter tempus se habet ad æternitatem, et qualiter se habet nunc temporis ad nunc æternitatis. Quantum autem pertinet ad intentionem logicam de tempore sufficere videtur quod modo dictum est.

## CAPUT V.

*Qualiter locus est quantitas continua.*

Nunc autem videndum est qualiter locus quid. est continua quantitas. Locus est quidem ubi continenter corporis locali particulæ, qui locus distantia est in qua distenditur tota corporis quantitas, ita quod nihil corporis vel partium corporis est extra illam distantiam secundum longum, latum et profundum corporis : est enim tanta illa distantia, quantum est corpus, et nec minor nec major, sed in toto est corpore commensurata : sicut distantia diametrorum corporum quæ sit protensa inter spatium diametrorum loci et corporis, secundum esse quidem est una et eadem, ut probatur, distantiae locali. Et hæc quidem distantia loci et corporis secundum esse quidem est una et eadem, ut probat Aristoteles<sup>4</sup> contra Philosophum loquens qui Xutos vocatur. Quamvis autem secundum esse sit eadem, differt tamen superficiebus continentibus, et differt actu mensuræ et ratione mensurandi. Superficie quidem : quia loci superficies est extra locatum, et continens et tangens undique locatum. Superficies

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 8 Physic. tex. com. 33.

<sup>2</sup> Id. In 5 *primæ philosophiæ*, a tex. com. 48.

<sup>3</sup> Id. In 4 Physic. a tex. com. 87 usque in

finem.

<sup>4</sup> ARISTOTELES, In 4 *Physicorum*, a tex. com. 79.

autem locati est intra locatum, et est aliquid ejus, et est contenta non continens. Actu autem mensurandi: quia omnes diametri distantiæ quæ vocatur locus, sunt mensuræ mensurantes in longum, latum et profundum, et nulla est mensurata. Omnes autem diametri ejus quod locatum est, sunt diametri mensuratæ et contentæ, et sic mensuratum non mensurat distantiam loci, sed quantitatem corporis non ut locatam sed secundum quod ipsum est quantum.

Sic autem accipiendo locum, est locus mathematica quantitas, copulata punctis usque ad centrum locati ejus; quia diametri secundum esse sunt eadem cum diametris ad idem centrum copulatis: quia centrum loci et centrum locati idem sunt secundum esse, differunt autem secundum actum et rationem: et quia distantia locati est continua quantitas, necesse est quod locus sit continua quantitas in hoc differens ab aliis quod non ex se, sed ex distantia diametrorum corporis usque ad centrum suam habet copulationem. Aliæ autem distantiæ linearum et superficierum et corporum ex seipsis et inter seipsa suam habent copulationem et suas copulations. Sunt enim diametri secundum aliquid differentes quæ diversa habent suæ protractionis principia: diameter enim distantiæ loci suæ productionis principium habet superficiem extra continentem: diameter autem distantiæ quæ est distantia locati, suæ protractionis principium habet superficiem locati intra locatum existentem: unum autem est centrum utrorumque secundum esse et non secundum actum, ut dictum est. Et sic locus erit diversa secundum modum istum quantitas ab omnibus aliis speciebus continuae quantitatis: sic enim mathematica abstractione separatur loci quantitas a quantitate locati. Et sic est verum quod dicitur, quod singulæ particulæ loci continent singulas particulas corporis locati. Et ideo tam loci quam corporis locati particulæ ad unum terminum copulantur. Et sic loquendo de loco mathematicis

dandus est locus, ut in *prima philosophia* dicit Aristoteles.

Est autem aliter consideratus locus <sup>Locus naturalis quid.</sup> quando est de consideratione naturalis Philosophi, secundum quod scilicet locus est, ad quem et ex quo est motus: sic enim est superficies continentis corporis habens in se virtutes omnium continentium tam cœlorum quam elementorum circumdantium, per quas virtutes generat et salvat id quod locatum est in ipso: et de hoc loco hic Aristoteles non loquitur, quia per illas proprietates non est in genere quantitatis, quamvis in seipso sit quantus. Primo igitur modo considerando locum continua quantitas erit locus, eo quod particulæ ejus quæcumque ad unum communem terminum copulantur, et est speciale genus quantitatis propter causam in ante habitis assignatam.

## CAPUT VI.

*Qualiter quædam quantitates habent positionem in partibus, et quædam non.*

Amplius autem aliqua de numere specierum quantitatis continuae ex particulis quæ in eis sunt, constant ex talibus positionem habentibus in continuo cuius sunt particulæ. Alia vero quæ sunt de genere et de numero quantitatum, constant etiam ex particulis positionem non habentibus in continuo vel discreto, cuius sunt particulæ.

Positionem autem habere tria concer-  
nit, scilicet ut assignetur ubi in continuo  
sita sit particula, et ut una pars permaneat  
stans in eodem continuo cum altera, et  
ut teneatur cum altera copulatione. Et  
quodcumque horum trium deficiat, non  
habebit in partibus positionem. Positio  
enim dicit ordinem; et propter hoc oportet  
ut assignetur ubi in continuo posita  
sit. Positio autem in continuo dicit per-  
manentiam, quia positum est fixum im-  
mobile secundum esse, et ideo oportet ut  
dicat permanentiam. Positio autem in  
continuo dicit copulationem unius cum

Quantitas  
habens po-  
sitionem  
tria concer-  
nit.

alio, et ideo oportet ut dicat copulatorum connexionem per communem terminum, qui aliquid est utriusque copulatorum.

Ex his patet quod lineæ quidem particulæ positionem habent in continuo quod est linea, et ad se invicem sunt habentes positionem. Singulum namque signatum in particulis lineæ situm est alicubi, vel ante in linea, vel post: et permanentibus partibus sic positis sic habes unde sumas partem permanentem, et assignes in continuo unumquodque quod est de numero particularum, ubi sive in qua parte ordine partium in loco situm est suppositum: et hoc planum est valde et facile ad intelligendum. Et habes unde assignes ad quam particulam, et per quem communem terminum cæteræ quæcumque particulæ sumptæ fuerint, copulantur: quod planissimum est ex prædictis. Similiter autem et particulæ plani sive superficie quamdam secundum latitudinem habent positionem. Similiter namque sicut et in linea facile ostenditur, ubi jacent in superficie positæ, et quæ sunt quæ copulantur ad invicem, et quo copulante ut communi termino. In linea enim copulat punctum: in superficie autem copulat linea et communis terminus. Soliditatis quoque sive corporis particulæ eodem modo et eadem de causa habent positionem et permanentiam et copulationem. Et loci particulæ secundum quod mathematice sumitur locus, talem in partibus habent positionem et permanentiam et copulationem.

In numero autem in partibus positionem et permanentiam et copulationem non potest quisquam per intellectum perspicere: cuius causa est, quod natura partium numeri repugnat ad tria quæ dicta sunt: et ideo non invenitur quod particulæ numeri positionem habeant ad invicem. Primo enim deficit situs in continuo alicubi, quia unitas (cujus iteratio facit numerum) non est indivisible habens in

continuo positionem, sed potius a natura positionis penitus separatum: et ideo non potest dici quod unitas vel pars numeri sit sita alicubi in continuo. Nec potest dici quod aliquæ particulæ numeri ad se invicem in aliquo (quod aliquid utriusque sit) habeant connexionem sive copulationem, sicut in capitulo de discretione numeri est probatum: sed omnes particulæ manentes discretæ et separatæ ab invicem, ad unum ultimum habent ordinem, cujus additione perficitur species numeri.

Sed nec ea quæ sunt particulæ temporis habent in suis partibus positionem, quia quamvis habeant connexionem et terminum communem in quo connectuntur et continuantur, tamen nullam habent in esse permanentiam: quod autem in esse non permanent, de illo non potest dici ubi situm sit. Nusquam enim situm est, quod secundum esse non est.

Sed secundum hoc videtur, quod non habeat copulationem vel connexionem, quia quod secundum esse non est, nulli potest copulari. Sed ad hoc dicendum est, quod in successione est quod copulatur, et in successione esse, est secundum aliquid esse. Est et præteriti in hoc quod copulat usque ad quid sicut ad finem (quem intra se ut aliquid sui habet) ipsa successio et similiter futurum cui copulantur est secundum successionis principium: quod iterum ipsa successio futuri intra se habet ut aliquid sui, quia est successionis principium: et sic in instanti (quod est medium, scilicet finis præteriti et principium futuri) copulantur præteritum et futurum<sup>1</sup>. Et aliquo modo est præteriti successio in præsenti ut in termino, et successio futuri est in eodem sicut in principio. Sic ergo copulationem habent partes temporis, et tamen nullam habent permanentiam neque possessionem.

Sed in hoc conveniunt cum partibus numeri, quod ordinem quendam dices primi dantur ampliationes, non autem respectu aliorum.

Objectio.

Solutio.

<sup>1</sup> Nota tamen quod successio præteriti imperfecti melius est in præsenti quam successio præteriti perfecti et futuri, et ideo respectu

habere particulas temporis in eo quod quædam sunt priores et quædam posteriores tam in præterito quam in futuro, sed priores in præterito sunt a præsenti longinquiiores, priores autem in futuro sunt quæ ad præsens sunt priores : et sic aliquid particularum temporis est prius, et aliquid suarum particularum est posterius. Sic etiam de numero similiter est, quod scilicet in particulis numeri non est positio, sed ordo enumerationis : quia prius enumeratur unus quam duo, et prius duo quam tres, et sic de aliis numeri partibus : et sic est in numero quod unitati quæ iteratur in numero est propinquius : et sic ordinem quemdam habebunt numeri partes, positionem vero non habebunt aliquo modo, nec etiam copulationem sive connexionem, nec communem terminum, qui aliquid sit utriusque partis, prioris scilicet et posterioris, et ideo manent partes divisæ discretæ. Quod etiam ostendit ratio nominis numeri. Numerus enim dicitur quasi nūmus verus, hoc est, divisionis : quia quæque unitates in partibus numeri inveniuntur divisæ et segregatae. Patet igitur quod nullam hujusmodi partes perficiunt positionem.

Numerus  
quæque nū-  
mus.

Similiter et oratio se habet in partibus suis : hæc enim in discretione partium convenit cum numero, in successione autem convenit cum tempore quo pronuntiatur orationis pronuntiatio, et ideo partes ejus discretæ sunt et non permanentes. Oratio igitur est de numero eorum quæ dicta sunt, quæ scilicet in partibus non habent positionem. Nihil enim permanent particulae orationis et minus stare possunt quam particulae temporis, quia ad minus in tempore est accipere nunc vel præsens instans, in quo aliquo modo est præteritum, et aliquo modo est futurum. Sed in oratione nihil est accipere aliquo modo : cum omnia indivisibilia elementorum discreta sunt et in nullo connexa, sed quodlibet eorum dictum est et transit, et ideo non potest amplius sumi ut denominetur permanens : propter

quod nulla erit positio particularum orationis : propter quod nihil re permanet particularum ejus. Et sic probatum est inducendo quod intendimus, quod scilicet alia de genere quantitatis constant ex particulis quæ in eis sunt essentialiter positionem habentibus ad se invicem, alia autem ejusdem generis constant ex particulis non habentibus ad se invicem positionem.

## CAPUT VII.

*De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt de linea.*

Quia autem quantitates de quibus dictum est sunt mensuræ substantiæ, antequam dicamus de proprietatibus, in se habent dubitationes quæ sunt circa ipsas determinatæ. Et primo de linea : hæc <sup>Prima dubi-</sup> <sub>tatio.</sub> enim videtur extensio infinita secundum longitudinem, cum dicat Euclides quod licet lineam protrahere in infinitum et continuum et directum. Adhuc cursus puncti, qui mathematicam facit lineam, non sistit in continuo. Videtur ergo quod procedat in infinitum. Sed contra hoc videtur esse, quod natura et intellectus abhorrent infinitum. Ergo videtur quod linea sit de his quæ abhorret intellectus. Sed quæstio penitus nulla est, quia linea non est infinita in actu, sed secundum potentiam, per hoc solum quod in continuo secundum quod continuum est, assignari non potest ei terminus ad quem stat protractio ipsius. Et propterea dicit Euclides quia licet lineam in infinitum producere in continuum et directum, tale autem infinitum aliquid potentia est, nec natura abhorret neque intellectus.

Solutio.  
Linea non  
est infinita  
in actu, sed  
solum in  
potentia.

Adhuc autem dubitant quidam utrum <sup>Secunda du-</sup> <sub>bbitatio.</sub> linea sit mensura substantiæ corporalis ? si enim non est mensura, cum per nullam aliam dispositionem possit reduci ad subjectum quod est substantia, videbitur quod non sit accidentis : constat autem, quod nec est substantia : ergo nihil est quod stare non potest. Si autem est men-

**Solutio.** sura, tunc videtur quod sit imperfecta : quia corpus mensuratur longo, lato et profundo : linea autem est longitudo tantum. Ad hoc autem dicendum quod linea est prima et perfecta mensura substantiae. Est enim linea mensurans in longum, et mensurans in latum, et mensurans in profundum. Dicit autem Avicenna in *Sufficientia* quod corpus mensuratur tribus diametris. Diametri autem lineæ sunt. Ergo corpus mensuratur lineis, et incrementum omnis corporis naturalis est secundum extensionem trium diameterorum et omnium natura constantium terminus est et ratio magnitudinis et augmenti. Quod autem superficies mensuratur, hoc est secundum totam corporis extensionem inter diametros mensurantes in altum, in latum, in profundum ; et quod corporea quantitas mensurat corpoream substantiam, hoc est secundum repletionem quantitativam quæ secundum intellectum est inter omnes superficies : et sic dicendum est de istis mensuris substantiae. Nec dicendum, ut quidam male dicunt, quod linea sit mensura non separata a superficie actu vel corporea quantitate, et ideo juncta cum aliis fit mensura perfecti corporis, quamvis in esse non sit separata a superficie et corpore, tamen in actu mensurandi secundum naturam et intellectum separata in eo modo quo diximus : et ideo specialis species est quantitatis continuæ.

**Tertia dubitatio.** Dubitant etiam quidam quid linea habeat pro materia et pro forma, dicentes quod in linea non sunt nisi duæ partes, scilicet lineæ quæ copulantur et communis terminus copulationis ; aut ergo erunt ei partes pro materia aut terminus copulans. Dicunt autem quod terminus copulans non potest esse lineæ pro materia, eo quod terminus copulans est punctum : linea autem non est ex punctis, ut probat Aristoteles<sup>1</sup>. Si autem partes copulatae erunt pro materia, adhuc sequitur major abusio : partes enim lineæ sunt li-

neæ : ergo linea est materia lineæ : et illa linea iterum habet materiam : ergo illius lineæ erunt materia lineæ, et ibitur in infinitum, aut erit idem materia sui ipsius, quod absurdum est : ergo videtur quod nullo modo possunt esse lineæ. Adhuc autem si punctum dicatur forma lineæ, videtur inconveniens esse : quia ea quæ sunt ex materia et forma, non possunt intelligi id quod sunt sine forma : potest autem intelligi linea sine puncto si intelligatur longitudo infinita ex utraque parte.

Ulterius etiam quæritur, utrum linea possit esse ex punctis, et videtur per Aristotelem<sup>2</sup> quod non, quia non se tangentium non est continuatio, punctum autem non tangit punctum. Aut enim tangeret secundum partem aut secundum totum. Si secundum partem, sequitur quod punctum habet partem, quod falsum est : quia dicit Euclides quod punctum est cuius pars non est. Si autem secundum totum tangitur, hoc est iterum impossibile, quia contactus est eorum quorum ultima sunt simul, et sic puncta se tangentia haberent ultima : sed quidquid habet ultimum, aliud est ipsum, et aliud est ultimum ipsius : igitur punctum est aliud ab ultimo ipsius : et sic iterum sequitur quod punctum secundum quantitatatem partes habet : ultimum scilicet et id quod habet ultimum : non ergo linea componitur ex punctis.

Si hoc autem conceditur, tunc quaeritur quare numerus componitur ex indivisibilibus, et continuum ex indivisibilibus componi non potest ?

Hoc autem facile est solvere si ad memoriam revocentur quæ de natura continuæ quantitatis dicta sunt. Dicendum enim pro certo, quod linea forma est et non habet materiam ex qua fit : et ideo quæstio nulla est. Si autem sic formaretur quæstio, quid habeat linea pro substantia secundum id quod est, et quid pro formalí principio ? tunc quæstio valet : et quod dicatur, quod partes lineæ sunt in

*Quarta dubitatio.*

*Quinta dubitatio.*

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 6 Physic. tex. com. 1.

<sup>2</sup> ID., In 6 Physic. a tex. com. 1.

*Solutio ter tiae dub.*

ea ut substantia materialis, omnino est impossibile et stultum dicere: quia, sicut objectum est, partes lineæ sunt lineæ et oportet de illis idem querere: unde hoc est stultum. Sed dicendum quod sicut in tempore substantia temporis est nunc, ita in linea mathematica per intellectum generata et constituta, substantia lineæ punctum est fluens in continuum: et sicut esse temporis fluens successio est, ita in linea esse formale lineæ est continuitas circa puncta copulativa posita per fluxum puncti intellectualis. Cujus probatio est, quia id est formale principium in quolibet, per quod in sui generis specie ponitur: linea autem ponitur in specie quantitatis per longitudinis continuum: longitudinis igitur continuum est forma ipsius. Continuum autem non fit nisi ad unum communem terminum copulatione: et copulatio non fit nisi fluxu extenso; fluxus ergo intellectualis puncti facit continuatatem in linea, et punctum est substantia ipsius, et hoc est verum. Et dicere quod punctum est forma, et partes materia, deliramentum est: nec punctum nisi fluens ponitur in definitione lineæ secundum quod linea est longitudo, cuius medium non exit ab extremis, cuius extrema sunt duo puncta.

*Ad quartam.* Adhuc autem quod queritur utrum linea sit ex punctis, Dicendum quod hoc est impossibile, sicut probatur quod linea constet ex punctis integraliter componentibus lineam; quia ex indivisibilibus non fit continuum divisibile: sed hoc modo quo dictum est, non est impossibile, quia secundum hoc puncta sunt substantiae positae in linea, circa quæ ponitur continuatio, sicut circa terminum in quo fit copulatio: et hoc modo fit omne continuum ex indivisibili in se posito, circa quod (sicut terminum in quo fit copulatio) ponitur forma continui.

*Ad quintam.* Ad hoc autem quod queritur quare numerus fit ex indivisibilibus et non linea, vel aliud continuum, Dicendum quod sicut in ante habitus dictum est, hoc est ideo, quia numerus est discre-

tum, et indivisibilia in numero manent discretea et non faciunt unum nisi aggregatione ad unum complens summam ordinatam ad id, sicut superius dictum est.

## CAPUT VIII.

*De dubitationibus quæ sunt circa dicta de superficie et corpore.*

Eodem modo queritur, utrum superficies habeat lineam pro materia, et sit materiale principium ad corpus, sicut videtur Plato dicere et quidam alii Philosophorum? Hoc enim videtur ex modo loquendi: quia superficies est longitudo et latitudo sine profunditate: et constat quod latitudo dat speciem superficie: quod autem ante speciem est, materiale totum est: longitudo igitur materialis est ad latitudinem, et per idem concluditur quod superficies est materialis ad quantitatem corporis. Adhuc autem queritur mathematice loquendo, an superficies prodicitur ex linea et corpus ex superficie? Si enim unum ex alio producatur, videtur, quod unum sit materiale ad aliud.

*Adhuc autem quæritur, an ista simul et secundum actum possunt esse in eodem: quia si linea inest, tunc inest longitudo sine latitudine et sic cum superficies latitudo sit, videtur non posse inesse superficies. Et similiter eadem ratione superficies si insit, videtur quod non possit inesse profunditas.*

*Adhuc autem queritur, quare profundum non est sine longitudine, sicut longitudo sine latitudine, et latitudo sine profunditate?*

*Quærunt etiam quidam, propter quid non sunt nisi tres dimensiones?*

*Quæritur etiam in quo differt corpus quod est substantia a corpore quod est quantitas?*

*Adhuc autem ulterius querunt, utrum quantitas sit in substantia ex parte, materiæ, vel ex parte formæ, vel ex parte*

*Prima dubitatio.*

*Secunda.*

*Tertia.*

*Quarta.*

*Quinta.*

*Sexta.*

compositi? Non enim videtur advenire ex parte materiæ: non enim possibile est aliquid esse substantiam in potentia et quantum esse in actu. Materia autem est substantia in potentia: non ergo erit in actu quanta. Adhuc autem esse receptibile alicujus diminuit et privatum est a forma recipienda: materia autem recepitibilis est quantitatibus: ergo in seipsa ab omni quantitate est privata. Hæc et hujusmodi sunt quæ quæruntur a quibusdam.

**Ad primam.** Ad hæc autem et hujusmodi solvendo, dicendum est quod linea pro certo materialis est ad superficiem, hoc modo quo superficies quæ formalis essentia est, potest habere materiale principium, ex quo mathematice generetur: fit enim superficies ex motu lineæ ad latus. Et attende quod superficies secundum quod superficies est, non fit ex linea ducta in seipsam: ex linea enim ducta in seipsam, sive ex ductu lineæ in seipsam, fit hæc superficies secundum speciem determinata quæ est quadratum, et ex tali ductu non fit superficies secundum quod est superficies in genere sumpta: nec iterum ex ductu lineæ finitæ in continuum ad latus lineæ facto non fit superficies secundum quod superficies est in genere, sed ex talis lineæ ductu vel motu fit superficies finita tantæ mensuræ in latum, quantæ mensuræ est linea in longum: relinquitur igitur quod superficies secundum quod superficies, fiat ex motu lineæ secundum latus in continuum.

**Objectio.** Si autem objicitur, quod terminus communis in quo copulantur superficie partes, est linea, et ille terminus est habens actum formæ, quia copulare actus formæ est, Dicendum quod, sicut de puncto diximus, quod superficies non habet materiam ex qua fit, sed ipsam punctum et ipsa linea dupliciter considerantur, scilicet prout substantiæ positæ in continuo, et sic accipit linea a puncto, et superficies a linea substantiam quæ est

id quod est. Possunt et hæc considerari prout termini copulantes, et sic accipitur ab eis esse formale quantitatis illius quæ est linea, vel illius quæ est superficies, et sic habet actum formæ qui est copulare: et non est inconveniens, quod unum et idem utrumque horum perficiat in consideratione diversa.

**Si autem** objicitur quod materia non coincidit in unam rem cum forma, absurdum est: quia non est materia ex qua fit res, sed tantum est hæc substantia secundum id quod est, et secundum quod est id quod est: et hæc in uno esse possunt secundum diversa quæ sunt in ipso, sicut est expresse exemplum nunc temporis, quod secundum quod adjacet ei quod fertur, est substantia temporis, et secundum quod fluit, causat esse temporis: et per eumdem modum dicimus, quod superficies habet se ad corpus.

**Ad hoc autem** quod quæritur, utrum simul in uno inveniantur istæ dimensiones, Dicendum quod sic. Et cum inferatur, quod aliquid est longum et non latum, Dicendum quod nihil valet: quia affirmations quæ in harum dimensionum diffinitionibus ponuntur, et negationes non opponuntur, quia non sunt relatæ ad idem et secundum idem. Et quando dicitur quod linea est longitudine sine latitudine, non negatur nisi latitudo lineæ et non superficie: et ideo dimensiones simul sunt in eodem.

**Ad hoc autem** quod quæritur, quare ultra tres dimensiones non est quarta dimension, Dicendum quod hoc ideo est, quia non sunt, nec possunt esse plures quam sex differentiæ positionis, quæ sunt sursum et deorsum, dextrum sinistrum, ante et retro, inter quas non possunt esse nisi tres dimensiones: et hoc jam probavit Aristoteles<sup>1</sup>. Mathematice autem loquendo de propriis quantitatibus, dicendum est quod ad unum angulum rectum non possunt convenire sive concurrere nisi tres lineæ rectæ in diversa protractæ,

**Objectio.**

**Solutio.**

**Ad secundam.**

**Ad quartam.**  
Quare non  
sunt nisi  
tres dimen-  
siones.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 2 de Cœlo et Mundo, tex.

com. 12.

quarum quælibet directe protrahitur in continuum ad diversa positum, una scilicet secundum longitudinem, et una secundum latitudinem, et tertia secundum altitudinem et profunditatem. Non enim potest intelligi quarta positio continui in quod protrahatur diameter mensurans substantiam: et ideo dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quod perfectio est in istis secundum tres cœli motus, ab Austro scilicet in Aquilonem, qui est motus profunditatis, quia ante est nobis in Aquilone et Auster est retro: et iste est motus de tropico in tropicum per æquinoctialem. Et motus a dextro in sinistrum, qui est motus latitudinis cœli et planetarum. Sed planetæ dextrum suum habent in Occidente et sinistrum in Oriente primi cœli. Et motus sursum et deorsum qui est motus totius sphæræ secundum totum luminis et virtutis cœlestis ad centrum: propter quod perfectio est in tribus dimensionibus. Et quia perfectum est, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, cui nihil addi potest, ideo quarta addi non potest dimensio.

**Ad quin-**  
**tam.**

Ad hoc autem quod quæreretur, quare latitudo non est sine longitudine, sicut e contra, Dicendum quod hoc est idem quærere, quare secundum non est sine primo, sicut primum est sine secundo? quia latum et secundum generatur ex longo et primo: et id ex quo generatur, manet in generato, et non e contra: latum enim ad quod oportet latus moveatur, semper in superficie motum facit latum, et nunquam perficiet longitudinem sine latitudine: sed motum extra superficiem, ad aliam positionem movebitur, aut sursum extra superficiem, aut in profundum subtus superficiem, et tunc quia movetur ad aliam positionem, faciet aliam quantitatis speciem: et sic linea non ad positionem longitudinis mota, sed ad aliam positionem faciet superficiem.

Ad hoc autem quod quæritur, in quo differat substantia corpus, et corpus quantitas, superius jam dictum est: quia materia prout est subjectum generationis,

est habens potentia et non actu tres dimensiones: corpus autem quantitatis est ipsa trina dimensio.

Ad hoc autem quod quæritur, utrum Ad sextam. ex parte materiæ, vel formæ, vel compositi adveniat quantitas substantiæ, Dicendum sicut in ante habitis, quod potentia suscipiendi est a materia, quæ potentia divisibilis est: actus autem disponendi quamlibet partium in situ et dimensione propria ne effluant partes a terminatione totius, est a forma terminante partes materiæ ad situm proprium ordinatæ: ipsa autem dispositio partium in situ et ordine, est totius et utriusque, tam formæ scilicet quam materiæ secundum quod totum sunt. Et sic patet omnium solutio.

#### CAPUT IX.

*De dubitationibus quæ sunt circa hoc quod dicitur, quod tempus est continua quantitas.*

Contra hoc etiam quod tempus dicitur Primum argumentum. esse quantitas, opponunt quidam dicentes quod cujus partes non sunt, ipsum non est: partes autem temporis non sunt: præteritum namque non est, quia præteriit et abiit in non esse: futurum autem nondum est, sed expectatur: præsens autem est indivisible nunc, quod non potest esse pars continui si quælibet pars continui divisibilis est sicut ipsum continuum: ergo nulla pars temporis est: et sic ipsum tempus non est: et sic ultius non continua quantitas est.

Si forte aliquis dicat, quod præsens est pars temporis, in quo tempus habet esse aliquo modo.. Contra hoc esse videtur, quod in aliis continuis id in quo copulantur partes continui, est indivisible et non pars continui, sicut punctum in linea: præsens autem est in quo copulantur partes temporis, præteritum et futurum: ergo præsens est indivisible tempus et non pars ipsius.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 2 de Cœlo et Mundo, a tex. com. 4.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, In 5 metaphys. tex. com. 24.

**Tertium.** Adhuc autem compositum ex aliquibus ut partibus, est divisibile in his ex quibus ut partibus compositum est: tempus autem non est divisibile in nunc: ergo non est compositum ex nunc sicut ex partibus vel parte.

**Quartum.** Adhuc quælibet pars continui est alia ab ejusdem continui parte cui continuaatur: nunc autem, ut probat Aristoteles<sup>1</sup>, non continuaatur cum nunc: ergo nunc præsens non est pars continui.

**Quintum.** Adhuc autem nunc non potest esse continuum ad nunc, vel cum nunc: continua enim sunt, quorum ultima sunt unum: nunc autem cum sit indivisibile non habet ultimum: igitur cum alio non habebit ultimum idem, et sic nunc non potest esse pars temporis.

**Sextum.** Adhuc etiam concesso quod nunc est pars temporis, et quod sit id quod de tempore est accipere, adhuc non sequitur, quod tempus sit actu: quia, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, nunc in tempore non est in actu, sed potentia.

**In oppositum.** Si propter hoc dicatur quod tempus non est, et ideo non est species continuæ quantitatis, in oppositum objicitur quia constat quod motus est continuus divisibilis, sicut constat ex sexto *Physicorum*<sup>3</sup>. Aut ergo est mensura, aut mensuratum aliquod. Si est mensura, non potest esse mensura nisi aut ejus quod movetur, aut magnitudinis super quam est motus. Et constat quod neutro modo potest esse mensura: mensura enim et mensuratum sunt ejusdem generis: id autem quod movetur est permanens. Similiter autem et magnitudo de permanentibus est. Motus autem est de numero successivorum. Si modo dicatur motus mensuratum quoddam esse, tunc erit aliqua mensura mensurans ipsum: sed constat quod nec id quod movetur, nec magnitudo super quam est motus propter causas quæ dicatae sunt: cum ergo non sit invenire mensuram ejusdem generis cum motu nisi tempus, erit tempus mensura ejus succes-

siva sicut motus. Ex quo sequitur quod tempus est, quia esse mensuram non est determinatio diminuens ad esse, sed in esse constituens.

Dicimus igitur his consentientes quod tempus est, sed est secundum esse successivi, sicut et motus cuius ipsum est mensura.

Ad id autem quod objicitur de partibus temporis quæ non sunt, dicendum quod totum secundum quod in genere totum accipitur, non dependet ab esse partium actu: hoc enim non habet nisi totum in partibus permanens. Et hoc non habet totum successivum, quod non dependet a constitutione partium nisi secundum quod sunt in ordine. Et tales partes habet tempus. Successivum enim totum est dum fit, et habet esse permixtum potentia, et ideo non oportet quod partes simul actu habeant.

Ad hoc autem quod quæritur, utrum nunc sit pars temporis, Dicendum quod præsens accipitur ut divisibile tempus, de quo dicit Priscianus, quod præsens est cuius pars præteriit, et pars in instanti est, et pars in futuro: et hæc copulantur præterito et futuro. Est etiam præsens nunc indivisible, et hoc non copulatur sed copulat: et hoc quidem est aliquid temporis, sed non est aliqua pars temporis: et secundum hoc facile est solvere objecta.

Si autem quis objiciat dicens quod tempus est numerus motus, et ita discreta et non continua quantitas: est satis responsum per antedicta. Est enim tempus numerus continui primo numeratus, et postea numerans: numeratus quidem a priori et posteriori in magnitudine et motu: numerans autem et certificans quantitatem motus. Taliter autem numeratus numerus non est discreta quantitas sed continua. Sic ergo tempus est continua quantitas, et non discreta. Multa autem de tempore quæ dicenda videntur, ad naturalem pertinent Philosophum.

Solutio.

Ad primum argumentum.

Ad secundum, tertium, quartum et quintum et sextum.

Objectio.

Solutio.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 6 Physic., a tex. com. 24 usque ad 32.

<sup>2</sup> Id., In 4 Physic., tex. com. 104.

<sup>3</sup> Id., In 6 Physic., a tex. com. 33.

Quædam nuper in præ habitis dicta sunt. Hæc igitur ad intentionem istam sufficiant.

## CAPUT X.

*De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt de loco, et de his quæ habent positionem in partibus, et quæ non.*

Dubitatur etiam de his quæ dicta sunt de loco, et de his quæ dicta sunt de quantitatibus positionem habentibus in suis partibus. De loco quidem dubitatur, quia cum locus sit superficies continentis corporis, videtur quod impossibile sit ad eumdem terminum copulari particulæ loci, ad quas particulæ locati copulantur: secundum enim esse non est unus communis finis continentis et contenti. Et si dicatur, ut quidam dicunt, quod superficies ultima corporis continentis est terminus, ad quem sicut ad terminum intrinsecum copulantur partes loci, et eadem superficies est terminus extra ad quem copulantur particulæ locati: hoc videtur absurdum esse, quia ea quæ copulantur in uno communi termino, vel ad unum communem terminum, continuantur in illo et sunt continua ad invicem: locus autem et locatum hoc modo sumpta in communi termino non continuantur: ergo superficies interior corporis continentis non est communis terminus ad quem copulentur loci particulæ et locati, nisi æquivoce terminus accipitur in loco et in aliis continuis.

Eodem autem modo dubitatur de his quæ positionem dicuntur habere, et de his quæ positionem dicuntur non habere: numerus enim positionem videtur habere, cum habeat partium permanentiam et ordinem.

Adhuc autem non est positio nisi habentium locum: non habent autem locum linea et superficies, quia locus est tantum corporum: videtur igitur quod

linea et superficies in partibus positionem non habeant.

Ulterius etiam quæritur, cum in quinto *primæ philosophiæ*<sup>1</sup> motus dicatur quantitas, videtur quod plures sunt species continuæ quantitatis quam superius assignatae.

Adhuc autem tempus continuitatem habet a motu: motus autem a spatio in quo est, quod est distantia continua inter duos terminos motus: videtur igitur quod tam motus quam tempus non sunt quantitates continuae, nisi per aliud et per accidens: non ergo debent poni species continuae quantitatis, quia species recipit prædicationem generis per se et non secundum accidens, istæ autem sunt per accidens quantitates.

Adhuc autem sicut motus et tempus sunt quantitates per aliud et per accidens, sic etiam albedo est quanta, quia quanta est superficies, tantam albedinem esse dices.

Ad hæc autem et similia dicendum, quod absque dubio, sicut superius ostensum est, duæ sunt loci considerationes. Una quidem mathematica, secundum quam locus est quantitas longum habens et latum et profundum secundum corporis locati dimensiones. Alia est physica de loco consideratio, secundum quod locus quæritur propter motum, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, et si non esset motus, non quæreretur locus. Et de loco secundum utramque istarum considerationum intentionem dictum est in ante habitis. Quia autem dicitur esse communis terminus ad quem particulæ loci et particulæ locati copulantur, superficies interior locantis et exterior locati, hoc potest esse in consideratione loci physica: sed hoc non sufficit in consideratione logica et mathematica: quia procul dubio quæcumque in communi termino copulantur, unum efficiuntur continuitate: locus autem physicus cum locato physico, non efficitur per continuationem unum. Et

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Ad primam.  
Locus duplex, scilicet  
naturalis, et  
mathematicus.

<sup>1</sup> Tex. com. 48.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, In 4 Physic. tex. com. 32.

ideo oportet dicere, sicut superius dictum est, scilicet quod communis terminus est usque ad quem omnes loci particulæ continuantur sicut centrum loci, in quo etiam solo virtutes loci physici, ut Astronomus dicit, congregantur per lineas a circumferentia loci productas. Ad quem etiam terminum continuantur particulæ locati: propter quod Aristoteles<sup>1</sup> probavit unam numero esse distantiam loci et locati: quod negabant illi qui ponebant vacuum. Dicuntur tamen lineæ sive diameter illius distantiae aliter esse loci et aliter locati. Loci enim sunt ut continentis, et virtutem continue per diametros illos influentis omnibus locati particulis. Dicuntur autem esse corporis locati sicut contenti, et continue virtutem recipientis, ne defluant particulæ a sitibus et virtutibus suis.

*Ad secundam.*

Ad hoc autem quod quæritur de positionem habentibus et non habentibus, dicendum pro certo, quod habens positionem, tria exigit et requirit, scilicet situm, ordinem et permanentiam: et quia numeri partes non habent situm, eo quod unitas est indivisible non habens positionem vel situm, ideo quamvis habeant permanentiam et ordinem, tamen non dicuntur habere positionem: et quia partes orationis et temporis et motus non habent situm nec permanentiam, quamvis habeant ordinem, non dicuntur habere positionem.

*Ad tertiam.*  
Quomodo linea et superficies habent positionem in loco.  
Quod autem objicitur quod situs est habentium locum, hoc verum est. Sed habere locum dupliciter dicitur secundum quod locus est quantitas. Dicitur enim habere locum quod secundum se ipsum loco continetur secundum omnes loci differentias, et sic solum corpus locatum habet locum. Dicitur etiam habere locum, cui assignatur principium medium et ultimum secundum alias loci demensiones sive distantias, et sic linea et superficies habent situm et positionem

in loco: et hoc modo intelligitur quando dicitur quod particulæ lineæ habent in loco positionem, et similiter particulæ superficiei.

Ad id autem quod de motu quæritur, dicendum quod motus est quantitas per accidens, habens continuatatem a spatio quod est inter duos terminos motus: et quamvis sic habeat per accidens, tamen habet eam intra essentiam suam, ita quod sibi est essentialis, et ideo in veritate esse motus ut motus quantitas est. Quantum ad id quod fluit in motu, aliud est quod est ubi, vel quale, vel quantum, et in mutatione est substantia. Ideo motus quantum ad id quod in motu est (ut substantia fluens) non est quantitas: et ideo apud logicum qui considerat secundum suam substantiam ad quod genus reducatur motus non est quantitas, et ideo inter species continuæ quantitatis non ponitur.<sup>2</sup>

*Ad quartam.*

De his autem quæ quanta dicuntur per accidens, vel quia quantitate distenduntur propter subjecti distensionem, hic notandum est quod secundum suum esse et secundum id quod sunt, non in eis est intrinseca et essentialis quantitas, sicut temporis et motui: quamvis in hoc differant, quod temporis intrinseca est, et secundum id quod est et secundum esse: nunc enim quod est substantia temporis, non est absolutum a distensione fluxus. Motui autem est intrinseca distensio secundum esse motus, et non secundum id quod est. Aliis autem non est sic, quia illa sunt formæ advenientes materiae non secundum quod simpliciter substantia est, sed secundum quod est materia et subjectum jam actu quantum, et ideo denominacionem recipiunt a subjecti quantitate: quia talis forma est in majori major et in minori minor. Quæ autem adveniunt materiae secundum quod materia est, et non secundum quod est quanta, sicut humana, non sunt in majori major et in

*Ad quintam.*

<sup>1</sup> ARISTOTELES. In 4 Physic. a tex. com. 79 usque ad tex. com. 87.

<sup>2</sup> Cf. Averrœm, 5 metaphys. cap. 18.

minori minor. In substantialibus autem hoc in sola reperitur materia, quæ in majori major est et in minori minor: et hoc non est in forma substantiali.

Et per hoc etiam patet quod quantitas advenit substantiæ ex parte materiæ et non ex parte formæ: quinimo forma substantialis advenit materiæ secundum ordinem naturæ ante quantitatem, et ideo distribuit partes materiæ secundum diametros a natura determinatos et mensuratos. Hoc igitur est quod dixit Aristoteles de his quæ sunt quantitates per accidens, dicens quod proprie quantitates sunt hæ solæ quas diximus superius.

**A. i. nextam.** Alia vero omnia quæ quanta dicuntur, secundum accidens quanta et quantitates dicuntur. Hujus autem signum est, quod alia quanta non dicimus, nisi aspicientes per intellectum ad hæc quæ proprie sunt et dicuntur quantitates, ab his quæ sunt proprie quantitates, alia quæ sunt per accidens quanta denominantes, ut multum dicitur aliquid album et multa albedo, eo quod superficies in qua est albedo est multa. Sic et actio dicitur longa, eo quod tempus mensurans eam et longum et multum sit, et hoc modo dicitur etiam motus multus: quamvis de motu aliter sit quam de aliis, ut patet ex supradictis. Non enim singulum horum per se quantitas dicitur, quod secundum id quod est et secundum suum esse esse sit quantitas, sed quia quanta dicuntur his quodammodo dimensa: ut si quis interrogatus fuerit quanta sit actio, assignet quantitatem ejus quantitate temporis, dicens eam esse annuam vel diurnam. Et interrogatus quantum sit album, designabit quantum sit album definiens quantitatem superficie: quanta enim fuerit superficies, tantum in dimensione album esse dicet. Propterea solæ proprie et secundum se dicuntur quantitates ipsæ quæ in præ habitis dictæ sunt. Aliorum vero nihil per se dicitur quantitas: sed si forte aliquid aliorum dicatur quantitas, hoc erit per accidens sive accidentalí denominatione.

## CAPUT XI.

*De proprio quantitatis quod est non habere contrarium.*

Postquam de speciebus quantitatis quantum ad intentionem logici spectat expeditum est juxta modum quem in declaratione substantiæ tenuimus, sequitur declarare hoc prædicabile quod est quantitas per proprietates ipsum consequentes.

Quamvis autem consequatur ipsum ex hoc quod est accidens in subjecto esse, Esse in subiecto non est proprium quantitatis. sicut substantiam consequebatur in subjecto non esse, tamen hanc proprietatem non assignamus, quia non convenit quantitati per hoc quod quantitas est, sed convenit ei per hoc quod est accidens, et ideo non potest esse consequens quantitatem secundum quod quantitas est: sed in subjecto non esse proprium est substantiæ, quia consequitur ipsam substantiam secundum quod substantia est.

Adhuc autem univoce prædicari de si bi subjectis, substantiam sequitur per hoc quod substantia est. Sed hoc non assignatur quantitati nec aliis accidentium generibus propter duas rationes: quarum una est communis, quia ex quo univoce prædicari sequitur substantiam, prout est genus prædicabilium suæ coordinationis, ut dicunt quidam, et quod sequitur alia genera in quantum prædicabilium suæ coordinationis sunt principia: et ex quo facile hoc scitur, non oportuit ad hoc studere ut poneretur in aliis generibus hoc consequens proprium. Secunda ratio melior est, quod accidens proprie perfectam non habet rationem, sed sola substantia: ideo cum univoce prædicari sit prædicari nomine et ratione, non convenit hoc generibus accidentium quæ nec proprie nec perfecte habent rationem.

Convenit autem quantitati secundum id quod quantitas est, quod secundum essentialiam quantitatis nihil habet contrarium, ita quod sint in genere quantitatis

Univoce  
prædicari  
non est at-  
tribuendum  
alicui acci-  
denti.

Quomodo  
quantitati  
nihil est con-  
trarium, et  
quare.

formæ contrariæ, quarum utraque sit quantitas, sicut in genere qualitatis sunt formæ contrariæ, quarum utraque est qualitas. Et hujus causa et, quod materia per hoc quod est substantia simplex, non est susceptibilis contrarietatis, sed per hoc quod est quanta: et nisi sit quanta, non suscipit contraria, quia contraria sunt agentia et patientia, quæ non convenient nisi ei quod movetur: non moveatur autem nisi divisibile, ut probatur in sexto *Physicorum*<sup>1</sup>: divisibile autem est quantum actu: non ergo suscipit nisi quod actu quantum est, et ideo oportet quod quantitas sit in materia ante omnem propriam sumptam contrarietatem. Et quod est ante omne contrarium, illud non potest habere contrarium. Igitur quantitas secundum quod quantitas non potest habere contrarium.

Hoc autem non tantum ratione, sed inductione probatur. In definitis enim, hoc est in determinatis per speciem quantitatis hoc quod diximus manifestum est. Determinatis enim nihil est contrarium, ut bicubito, et tricubito, vel lineæ, vel superficie, vel corpori. His enim et omnibus quæ sunt similia alicui talium in hoc quod determinatæ sunt species quantitatum, nihil est contrarium, sicut patet, quibus nec inveniri potest contrarium in quantitate.

Objectio  
textus.

Solutio quæ  
non ponitur  
in tex.<sup>tus</sup>

Nisi forte aliquis multa paucis in genere discretæ quantitatis dicat esse contraria, vel magnum parvo dicat esse contrarium in genere quantitatis continuæ. Hoc tamen esse non potest, quia ea quæ sunt contraria, formas habent maxime distantes. Multa autem dicunt multitudinem, et pauca similiter dicunt multitudinem, quamvis non tantam: unde si queratur in quo ut in genere sit paucum, diceretur quod in genere multitudinis, est enim paucum multitudo reducta vel restricta ad non multos: quoniam utrumque tam multum quam paucum dicunt unum, quamvis non eodem modo.

Similiter autem de magno et parvo, quorum utrumque dicit magnitudinem: sed magnum dicit magnitudinem perfectam, parvum autem dicit magnitudinem imperfectam. Contraria autem quæ vere contraria sunt, non dicunt circa formam unam in specie perfectum et imperfectum: sed utrumque confrariorum ab altero est absoluto, et æque perfectum actu contrarietatis. Et hæc est vera causa quare multum et paucum, et magnum et parvum contraria esse non possunt.

Cum autem hoc dicimus quod horum nominum quæ dicta sunt secundum formam significatam in nomine nihil est quantitas: hæc enim nomina non designant formas quantitatis, sed potius formas circa quanta, quibus ipsa sunt ad aliquid secundum veritatem, quamvis in modo significandi non dicant modum dependentiæ secundum modum quo illa quæ dicuntur ad aliquid dependentiam habent ad alia, sicut ipso nomine dependentiam dicunt dominus servus, pater filius: multum enim significat id quod ad alterum est, quamvis in nomine modum non importet quo ad alterum est. Et similiter est in paucis, et eodem modo est in parvo et in magno.

Quod autem ad aliquid sint ea quæ dicuntur magna et parva, probatur inductione: nihil enim invenitur in omnibus magnis et parvis, quod per seipsum absolute semper dicatur magnum et ad omnia magnum: quod enim simpliciter est aliquid, ad omnia est id, sicut simpliciter calidum ad omnia est calidum, et simpliciter album ad omnia est album, et sic de aliis omnibus. Sed magnum non ad omnia magnum est, sed alicui comparatum dicitur non magnum. Sequitur igitur quod magnum non est simpliciter et secundum formam absolutam magnum dictum. Hujus autem probatio est per inductionem in eo quod mons, qui simpliciter magnus videtur, non sit aliquid magnum simpliciter et sine comparatione

<sup>1</sup> Tex. com. 32.

dictum : sed mons dicitur parvus majori comparatus : et granum milii quod simpliciter parvum videtur, dicitur magnum grano papaveris vel rutæ comparatum. Dicitur autem milium magnum, non ideo quod simpliciter magnum sit, sed ideo quod comparatum rebus sui generis, dicitur magnum : et mons parvus dicitur, non quia simpliciter parvus sit et absolute, sed quia comparatus rebus sui generis, hoc est, aliis montibus, ut Caucaso, aut Olympo, parvus sit respectu illorum. Patet igitur quod magnum et parvum talia sunt, quorum est ad aliud relatio secundum veritatem, quamvis modum dependentiæ ad aliud non importent in nomine : nam si per se et absolute magnum et parvum dicerentur, nunquam quidam diceretur mons parvus ad aliquid aliud comparatus, nec milium ad aliud granum comparatum diceretur magnum, sicut album nulli comparatum dicitur nigrum, et calidum nulli comparatum dicitur frigidum.

Et similiter est de multo et paucō : quia iidem secundum numeri quantitatē, id est, homines multi dicuntur et pauci. Si enim in vico sunt, verbi gratia viginti homines, multi homines dicuntur, et si sunt in civitate, dicuntur pauci : quia civitas requirit multo plures habitatores quam vicus, sicut in *Politiciis* dicit Aristoteles<sup>1</sup>, et ideo qui multi sunt in vico, pauci sunt in civitate, quamvis forte illi qui sunt in civitate, sint multiplices ad illos qui sunt in vico : tripli enim vel quadrupli ad eos qui sunt in vico, adhuc pauci sunt in civitate. Eodem autem modo de his qui sunt in domo et in theatro, qui est locus ad speculandum ludos et facta tironum : et illa multitudo hominum quæ multa est in domo ultra numerum qui requiritur in patrefamilias et uxore et filiis et clientibus ad domus dispensationem, et hæc eadem multitudo pauca dicitur esse in theatro : quia ad speculandum in theatrum multo plures de diversis domibus et vicis

habent convenire et propter hoc si de tribus domibus tantum ad theatrum convenient, pauci dicuntur, cum tamen sint multo plures ad eos qui in una domo sunt ad dispensationem domus pertinentes. Patet ergo quod multum et paucum, et magnum et parvum, sunt ad aliud comparata, et non dicunt formas specierum quantitatis absolutas, sicut continuum et discretum, et linea et superficies, et tempus et locus, vel sicut bicubitum, vel tricubitum, vel unus, duo, tres, vel aliquid hujusmodi.

Amplius bicubitum et tricubitum et unumquodque eorum quæ numeravimus, significant quantitates sub formis quæ essentialiter sunt quantitates. Multum vero et paucum, et magnum et parvum, secundum nomina sua non significant quantitates principaliter, sed significant ad aliquid circa quantitatē dictum. Multum ergo et paucum, et magnum et parvum, non significant quantitates contrarias.

Amplius hoc etiam ostenditur deducendo ad impossibile. Detur enim ab aliquo quod ea quæ dicta sunt sint quantitates, tunc sequitur quod non sunt contraria : id enim quod non contingit sumere per seipsum et absolute, sed oportet semper sumere ad alterius relationem, quomodo potest intelligi quod sic dependentia liquid sit contrarium, cum ea quæ vere sunt contraria, maxime distent eorum quæ sunt sub eodem genere, et unum eorum non dependeat ad reliquum, et sit aliud genus oppositionis contrarietas quam est oppositio relativorum ? Propter quod etiamsi concedatur quod quantitates sint ista quæ dicta sunt, adhuc non sequitur quod quantitas habeat contrarium : quia ista non sunt contraria, sed opposita secundum relationem. Et habetur virtute hujus argumentationis non quod quidam dicunt, quod ea quæ sunt ad aliquid, non habeant contrarium, vel quod ea quæ sunt ad aliquid, non suscipiant contrarium : tamen hoc etiam est verum, quod

<sup>1</sup> In 1, cap. 4.

quæcumque sunt ad aliquid secundum modum et veritatem simul, non suscipiunt contrarium, sed ea quæ sunt ad aliquid secundum modum, et sunt in alio genere secundum veritatem, possunt habere contrarium.

Amplius adhuc per deductionem ad impossibile idem probatur, quia si detur quod magnum et parvum sint contraria, contingit sive sequetur quod idem simul actu recipit contraria, et sequitur quod eadem ipsa sibimet sunt contraria. Contingit enim idem simul esse magnum et parvum : quia aliquid ad hoc quidem comparatum est parvum, ad aliud vero comparatum est magnum : et si est contrarium, ut prius dictum est, semper est contrarium : quia comparatio non dat ei formam contrarietatis, nisi habeat eam. Sequitur ergo quod simpliciter idem erit magnum et parvum si magnum et parvum sint contraria.

**Objectio.** Videtur autem forte alicui quod hæc non valeat argumentatio, sed procedit secundum modum sophisticum qui vocatur ignorantia elenchi, sicut hoc est leve ad hoc, et non est leve ad illud : ergo est leve et non leve, vel leve et grave. Sed hoc jam exclusum est per hoc quod diximus, quod contrarium ad hoc sequitur simpliciter esse contrarium, sicut calidum ad hoc sequitur esse simpliciter calidum. Quod autem sequantur prædicta inconvenientia probatur ex hoc, quod contingit aliquid ad hoc quidem comparatum esse magnum, et ad aliud comparatum esse parvum : et si hæc sunt contraria, sequitur quod idem simpliciter est magnum et parvum simul, et sic simul eidem insunt contraria. Sed contra hoc est, quod nihil est quod videtur in eodem tempore simul suscipere contraria posse, cum contraria sint quæ se mutuo expellunt ab eodem susceptibili : quamvis enim substantia susceptibilis sit contrariorum secundum sui mutationem, non tamen in uno eodemque tempore et secundum idem suscipit contraria, sed in diversis temporibus: mutatur enim de uno in

aliud per vices temporum: nullus enim simul sanus et æger est, nec albus et niger. Et sic patet inducendo in omnibus alijs, quod nihil simul in eodem tempore contraria suscipit.

Contingit etiam, ut diximus, eadem sibiipsis esse contraria: nam si magnum parvo est contrarium, hoc jam probatum est, quod ipsum simul magnum et parvum est: sequitur quod ipsum sibiripsi contrarium est. Et hoc sequitur ex hoc: quia si comparatum alicui formam recipit contrarii, illud simpliciter habet formam illam, et ut alii comparatum habet formam alterius contrarii, sequitur quod simpliciter etiam habet illam, quia contrariæ formæ quibus insunt simpliciter insunt, eo quod non sunt formæ comparationis, ut dicit Avicenna, sed sunt qualitates absolutæ. Est autem impossibile idem sibiripsi esse contrarium: non enim est magnum parvo contrarium, et per eamdem rationem multum non erit paucis exiguo contrarium. Propter quod quamvis quilibet dicat hæc non esse opposita, adhuc stabit hoc quod dictum est, quod quantitatibus nihil est contrarium: sequitur enim inconveniens, et ostenditur quod non sunt contraria ea quæ in genere quantitatis dixit esse contraria.

## CAPUT XII.

*De dubitationibus quæ sunt circa prædicta.*

Contra hæc tamen quidam objiciunt dientes motum esse in genere quantitatis, qui dicitur esse augmentum vel diminutio. Motus autem est de contrario in contrarium, ut in quinto *Physic.* probat Aristoteles: videtur igitur quod quantitas quantitatibus sit contraria.

Adhuc autem quia quantitas corruptitur, arguitur quod quantitat̄ sit contrarium: non autem corruptitur per se nisi contrarium a contrario: habet igitur quantitas contrarium.

Sed ad hoc dicendum, quod quantitas solutio pri-  
mi.

Argumen-  
tum pri-  
mum.

Secundum.

quantitati non est contraria per se, sed circa quantum ratio perfecti et ratio imperfecti sunt contraria<sup>1</sup>. Unde etiam ex libro de Anima habetur, quod termini inter quos est motus augmenti et decrementi, sunt magis relationes quam quantitates, ubi dicit Aristoteles, quod omnium natura constantium est terminus et ratio magnitudinis et augmenti. Nec motus exigit quod sit inter terminos contrarios secundum esse, sed sufficit quod sint contrarii secundum rationem. Unde magnum parvo non contrariatur, nisi in quantum parvum est in ratione imperfecti, magnum autem in ratione perfecti.

Solutio secundi. Ad aliud autem dicendum quod quantitas non corrumpt quantitatem nisi per contrarias qualitates activas et passivas quæ sunt in quanto, et non per hoc quod utrumque est quantum.

Maxime autem videtur aliquibus quod circa locum quem quantitatem esse diximus sit talis contrarietas quæ sit quantitatis, ita quod locus loco sit contrarius: sursum enim prout locus est et loci differentia, ponunt antiqui Philosophi contrarium esse ad locum qui in medio est, quem deorsum dicunt. Ratio autem quare hæc duo loca dicuntur esse contraria, est ex eo quod multa et maxima distantia sit ad mundi terminos: quia circa circumferentiam est ubique sursum, et circa centrum similiter ubique deorsum: et ideo videntur antiqui Philosophi etiam aliorum contrariorum diffinitionem per hoc quod contraria maxime distant transmendo distantiam ad diffinitionem aliorum contrariorum proferre ab his quæ loco distant ad illa quæ non loco, sed essentiali distant repugnantia et sunt de numero eorum quæ sunt sub eodem genere. Et hanc quidem instantiam contra dicta sua ponit Aristoteles, sed non eam determinat: sed oportet nos investigare utrum instantia vera sit aut non, et quæ sit causa quod eam tangit Aristoteles, et non solvit neque determinat.

<sup>1</sup> Vide 8 Physic. tex. com. 62 et D. Albertum, ibid. 2 de anima, tex. com. 41.

Ad hoc autem quidam dicunt quod instantia non valet multipliciter. Et quia hoc patere omnibus dicunt, ideo eamdem Aristotelem non dicunt determinare. Dicunt autem primam causam esse quare non valet, quia falsum supponit in hoc quod multa vel maxima distantia sit circumferentiæ ad medium; hæc enim distantia non est nisi semidiametri: maxima autem distantia est secundum totam diametrum quæ producitur de summo circumferentiæ, sicut ad multum ejusdem, sicut de cœli distantia usque ad cœlum.

Dicunt etiam quod secunda causa est quare non valet, quia distantia in loco et distantia essentialis repugnantiæ in contrariis non est sumpta univoce. Unde sic transferentes peccant secundum æquivationem, quod verum dicunt etiam parum peritis manifestum esse: propter quod dicunt Aristotelem hanc instantiam ut eam quæ manifeste nulla sit transire.

Sed hoc dictum procedit ex magno errore. Si enim taceamus de antiquis, Averroes in duobus locis, scilicet super *Physicam* et super *primam philosophiam*<sup>2</sup> dicit ad contrariorum diffinitionem ab his quæ in loco sunt contraria, distantiam esse transumptam. Et si forte hoc non curetur nec attendatur, quid dicetur de omnium contrariorum vera diffinitione, cum dicantur contraria esse, quæ maxime distant eorum quæ sunt sub eodem genere? Scimus quod distantia proprie est in loco primo. Si ergo transferatur ad alia, constat quod a loco transferatur ad illa: primum enim transfertur ad secundum propter aliquam similitudinem et non secundum ad primum: quia sic translationis esset translatio, quod est inconveniens. Adhuc autem quod maxime distent medium et circumferentia, in multis locis dicit Aristoteles, et quod ubique circa circumferentiam est locus sursum. Igitur circa hemisphærium esse sursum, et circa hemisphærium esse sub

<sup>2</sup> Averroes, 5 Physic. com. 99, et 1 metaphys. com. 16.

terra, non distant penes sursum et deorsum, quia utrumque est sursum : nec tota diameter distinguit sursum et deorsum, sed semidiameter. Scimus autem quod in loco maxime distant sursum et deorsum, sicut dextrum et sinistrum, et sicut ante et retro : et ideo dicta ista valde sunt erronea. Scimus enim quod in libro de *Cœlo et Mundo* probatur, quod ad medium motus contrarius est ei qui est a medio ad circumferentiam : et sunt motus contrarii qui sunt ad contraria : ergo locus circa medium contrarius est ei qui est circa circumferentiam, et sic adhuc stat dictum Antiquorum. Adhuc prima contraria probantur esse ea quæ in loco sunt contraria (quæ sunt causa omnium aliorum) in metaphysicis et in physica. Videtur ergo quod stet et perfecta sit ista instantia, et ab Aristotele per hoc quod contra eam nihil dicit, videtur esse approbata.

*Alia solu-*  
*tio.*

Ahuc autem quod in veritate dictum est de quantitatis proprietate, stat immobili veritate, et instantia prima est bona valde et subtilis : et verum est quod distantia a contrariis in loco ad aliorum contrariorum diffinitionem est transumpta, sicut Antiqui dixerunt: sed quod locus sursum est contrarius loco deorsum, non ex natura est qua locus est locus, sed ex hac natura qua locus distat a loco : locus enim non distat a loco per hoc quod locus est, sed per hoc quod distantia a principio facit contrariam naturam et formam in ipsa, sicut natura densi et gravis et frigidi et aliorum, quæ ut dicit Avicenna, si absindantur, sistunt motum et faciunt immobilitatem in his quæ ibi sunt : sursum autem cum sit circa principium motus propter prope esse ad principium, in his qui sursum, oppositas inducunt naturas et formas. Non ergo sequitur ex dicta instantia, quod quantitas secundum quod quantitas est suscipiat contrarium, sed circa differentias situs ejusdem quantitatis quæ locus est, sunt ratio-

*Quomodo*  
*locus sur-*  
*sum contra-*  
*rius est loco*  
*deorum.*

nes et formæ contrariæ, propter quas inter tales differentias loci motus est. Et hoc quidem non solvit Aristoteles ; quia ante solutum est in simili de magno et parvo, prout magnum et parvum sunt rationes perfecti et imperfecti circa motum augmenti et diminutionis.

Quod enim sursum et deorsum non maxime distant secundum loci proprietates et motus, error intolerabilis est et destruens totam philosophiam quæ est de mobili recto, quæ in tertio et quarto *Cœli et Mundi* determinatur.

Ad hoc autem quod dicunt, quod distantia æquivoce sumitur in loco et aliis contrariis, dicendum quod non sumitur omnino æquivoce, sed distantia est per se in loco, in aliis autem quæ distantia essentiali repugnantia est distantia per comparationem ad illam : et sic est de multis, ut probat Aristoteles<sup>1</sup>. Sic ergo intelligenda est dicta instantia.

### CAPUT XIII.

*De eo quod quantitati convenit non susci-*  
*pere magis et minus.*

Sed adhuc non videtur quantitas suscipere magis et minus, sive intensionem et remissionem, sicut nec substantia, ut patet inductione et exemplari declaratione, ut bicubitum: neque enim est unum alio magis vel minus bicubitum: neque in numero est magis vel minus, unus enim trinarius non est magis unus trinarius quam alius, nec tria dicuntur magis vel minus tria quam quinque dicuntur quinque: neque tempus unum quocumque dicitur magis vel minus tempus quam aliud, ut dies non dicitur magis tempus vel dies quam annus dicatur tempus vel annus: neque in his omnibus quæ superius dicta sunt, ut oratio, linea, superficies, et locus, omnino nullum est quod secundum magis et minus dicatur sive secundum intensionem et remissionem :

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 10 primæ philosophiæ, tex.

propter quod quantitas non potest recipere magis et minus.

*Quare  
quantitas  
non suscipit  
magis et  
minus.*

Hujus autem una causa est, quia omne quod suscipit magis et minus, sive intentionem et remissionem, oportet quod sit in eo intensio et remissio ex una duarum causarum, scilicet aut ex actione contrariorum in ipsum, quorum unum confortatur et alterum debilitatur, et sic intenduntur et remittuntur quæ causantur ab actionibus eorum : aut sit intensio et remissio a mixtione contrariorum, sicut in doctrina de *Universalibus* dictum est. Nuper autem in præ habitis diximus quod quantitas est in subjecto secundum naturam antequam substantia sit susceptibilis contrariorum, vel mutationis secundum contraria. Sicut igitur subjectum non intenditur vel remittitur ab actione contrariorum, ita nec quantitas intendi potest vel remitti. Adhuc omne quod intenditur, non intenditur nisi a suo simili, et omne quod remittitur, non remittitur nisi a suo contrario : quantitas autem non habet contrarium, non habet etiam simile quod suo contrario contrarium est ; simile enim dicitur quod in qualitate est unum.

*objectio.*

Objiciunt tamen quidam contra hoc dicentes, quod in quacumque natura est maxime, in eadem etiam est magis et minus. In natura autem quantitatis aliquujus est maxime : ergo et magis et minus. In quarto enim Euclidis in quo agitur de inscriptione figuræ, dicitur sive ostenditur quod circulus maxime distat a figuris angularibus, et ostenditur quantumcumque figura fiat poligonia, quod usque ad capacitatatem circuli non devinet, etiamsi in infinitum multiplicentur anguli : est ergo in quantitate illa magis et minus secundum accessum ad circuli capacitatem, et sic videtur quantitas suscipere magis et minus. Sed hoc citius solvitur, si bene natura quantitatis secundum quod est quantitas attendatur : circulatio enim et angulatio non sunt quantitates, sed qualitates circa quantitatem dictæ secundum illam qualitatis speciem quæ est forma, seu circa aliquid constans

*solutio.*

figura : et ideo magis illud et minus non est quantitas sed qualitas, et est secundum majorem vel minorem recessum ab angulatione.

Objiciunt autem quidam quod in multitudine magis est quinque et minus tria, et hæc sunt in numero qui est quantitas : ergo quantitas videtur suscipere magis et minus. Ad quod dicendum quod hic magis et minus est æquivocum ad illud magis et minus quod est secundum intentionem et remissionem : magis enim in multitudine est secundum totius extensionem in plura, magis autem et minus in intentione et remissione est secundum accessum vel recessum a contrario vel ad veram nominis impositionem.

*Alia objec-*

*Solutio*

Attendendum autem quod quamvis quantitas subjiciatur contrarietati quæ facit magis et minus, tamen non potest esse proprium quantitatis, quod sit hoc aliquid et numero unum, sicut hoc convenit primæ substantiæ : et hoc est ideo quia quantitas et universaliter omne accidentis non enumeratur, nec efficitur numero unum per aliud quod sit suæ essentiæ, sed potius per hoc quod est in substantia sicut in subjecto : substantia autem numeratur per materiam, et per eamdem efficitur numero una et ipsa est aliquid suæ essentiæ : et propter hoc esse hoc aliquid et numero esse unum remanet proprium substantiæ.

*Quomodo  
quantitas  
non est hoc  
aliquid.*

Adhuc autem intelligendum est quod quamvis substantia contrarietati subjiciatur mediante qualitate, et similiter mediante quantitate subjiciatur motui, tamen secundum sui mutationem suscipere contraria, non potest esse proprium quantitatis sed solius substantiæ. Et hujus causa est, quia quantitas nec una numero, nec una specie ultima sive specialissima, subjicitur contrariis : quod patet in curvo et recto, quibus non subjicitur nec una numero linea, nec una specie ultima. Et similiter est in numero pari et impari circa numerum, quibus nec unus numero, nec unus specie ultima subjicitur numerus, sed unus tantum genere vel specie

subalterna. Substantia autem una et eadem numero secundum sui mutationem subjicitur contrariis.

Est igitur proprium substantiæ et non quantitatis : quamvis enim hoc accidens quod est quantitas sit juxta substantiam propinquissimum, tamen non est substantia : sed substantia mediante eo quibusdam aliis substata accidentibus : et hæc efficiuntur quanta per accidens, per hoc quod sunt in majori subjecto majora et in minori minora.

Sunt autem et alia multa quantitatem consequentia, sicut dividi vel augeri in infinitum : in continuo quidem dividi, in numero autem augeri : quia enim continuum dividitur in infinitum, et quia divisum additur partibus acceptis per divisionem, ideo, ut dicit Aristoteles, numerus augetur in infinitum. Quæ quidem consequentia quia non sunt quantitatis ut est prædicabile, sed ut est quædam natura, hic non ponuntur a nobis.

#### CAPUT XIV.

*De proprio quantitatis quod est secundum eam æquale vel inæquale dici.*

Proprium autem maxime quantitatis est, quia æquale et inæquale secundum eam dicuntur quæcumque ejusdem sunt quantitatis sive discretæ sive continuæ : unde hoc est proprium quod convenit omni soli et semper. Hoc autem inductione probatur, quia singulum eorum quæ proprie quantitates sunt dictæ secundum diversas quantitatis species in præcedentibus, dicitur æquale et inæquale. Similiter autem et in aliis quæ sunt quantitates per accidens, quæ supradicta sunt, in singulis sigillatim dicitur æquale vel inæquale secundum quod referuntur ad quantitatem : nam affectio quæ est corporis vel animæ passio, et dispositio quæ est qualitatis passio animalis vel corporalis, non multum dicitur æqualis vel inæqualis : non enim proprie dicitur quod æquales sint duo in actione,

quando circa idem sunt affecti, nisi affectio referatur ad tempus. Similiter etiam de duobus dispositis ad idem non multum proprie dicitur quod æqualiter dispositi sint, vel inæqualiter. Sed proprie dicitur, similiter sunt affecti et similiter sunt dispositi. Similiter album æquale et inæquale secundum seipsum, nisi referatur ad quantitatem superficie, non multum dicitur, quia non dicitur nisi per accidens : secundum seipsum enim proprie dicitur simile vel dissimile : quia, ut dicit Aristoteles in primo *primæ philosophiæ*, unum in substantia facit idem, unum autem in quantitate facit æquale, et unum in qualitate facit simile. Propter quod quantitatis est proprium secundum se æquale vel inæquale dici.

Cum autem, ut dictum est, unum in substantia faciat idem, sicut unum in quantitate facit æquale, debet etiam substantiæ proprium esse secundum eam dici idem vel diversum : quod non videtur esse verum, cum etiam idem inveniatur in accidente sicut in substantia, sicut idem genere, et idem specie, et idem numero, ut album et visus disgregativum.

Adhuc autem secundum hoc secundum qualitatem simile vel dissimile dici, videtur esse proprium qualitatis : quod iterum non videtur convenire, cum homines sint similes in rationalitate et similes in humanitate, cum dicat Boetius quod species similitudo essentialis est individuum. Adhuc sunt similia in positione et habitu quæcumque nunc habent differentiam in positione vel habitu : non ergo simile vel dissimile dici est secundum solam qualitatem, nec idem vel diversum dici secundum solam est substantiam, et tunc videtur mirabile si æquale vel inæquale dici secundum solam sit quantitatem.

Adhuc autem secundum virtutem secundum quod virtus est ultimum potentiae videtur æquale vel inæquale dici : cum tamen virtus sit qualitas : dicitur enim Hercules cum Achille vel Ajace, et

Objectiones  
contra dicta.  
Prima.

Secunda.

Tertia.

Socrates cum Platone æqualis virtutis vel honestatis vel inæqualis: et sic non secundum solam quantitatem videtur æquale vel inæquale dici.

**Quarta.**

Adhuc autem cum æquale vel inæquale sint dicta secundum proportionem, videatur secundum hoc quod proportionale esse quantitatis est proprium, et multi modi proportionum videntur in genere esse: magis ergo proprium quantitatis erit secundum eam proportionale dici, quam æquale vel inæquale: quia proportionale esse in plus est et communius quam esse æquale vel inæquale.

**Ad primum.**

Ad hæc autem et hujusmodi dici potest quod idem vel diversum non potest esse substantiae proprium propter rationem quæ inducta est, quia secundum quod substantia quæ est quid, est in aliis generibus, ita etiam idem vel diversum est in eis.

**Ad secun-**  
**dum.**

Similiter dicendum est de simili in qualitate: est enim qualitas et quale multipliciter dictum, et est qualitas substancialis secundum quam quale dicitur, et similiter in positione et habitu, actione et passione, sicut dictum est: et ideo secundum eam simile vel dissimile dici non est proprium qualitatis secundum quod qualitas est genus determinatum. Sic autem non est in genere quantitatis secundum eam æquale vel inæquale dici: hoc enim soli convenit quantitati proprie, et non multum convenit aliis generibus: quia non convenit eis per se, sed secundum quod referuntur ad quantitatem.

**Ad tertium.**

Ad hoc autem quod objicitur de quantitate virtutis, dicendum quod quantitas æquivoco dicitur de quantitate dimensio-

nis et quantitate virtutis, quia utraque mensuratur per partium divisionem; sed quantitas dimensionis mensuratur per dimensionem partium quas habet in seipsa, sicut dicimus spatum habet tricubitum vel tricubitorum longitudinem, quæ est spatium per partes sibi æquales et intrinsecas mensurantes ad certum numerum reddentes: quantitas autem virtutis mensuratur ad partes quas extra se habet in virtutis objecto, sicut si aliquis querat, quantus est Hercules, vel quantæ est virtutis, dicimus quod potest in decem, et in tot potest Achilles qui æqualem cum Hercule habet virtutem. Sic etiam dicimus de virtute morali, quod tantæ virtutis Socrates est quod etiam sensum vel motum omnis excludit in honesti. Et dicimus quod Cato secundum eumdem modum est æqualis in virtute Socrati. Hoc autem per similitudinem quamdam dictum est, non enim est propriæ æquale sed simile, et attenditur similitudo etiam virtutis extensione vel intentione, seu perfectione, vel radicatione, vel puritate, vel in aliquo talium.

Ad id autem quod de proportionali objicitur, dicendum quod hoc proprium esse non potest, quia non omnis quantitas cuilibet quantitati proportionalis est, sed omnis quantitas cum quantitate (cui comparabilis est) æqualis est vel inæqualis; et quod dicunt quod æquale vel inæquale proprie numeratur, et quod æquale prius est in numero, omnino falsum est: quia dicit Euclides quod æqualia sunt quæ sibi invicem supposita non se excedunt nec exceduntur; et hoc convenit æqualiter continuo sicut discreto.

**Ad quar-**  
**tam.**

**T R A C T A T U S . I V**

## DE PRÆDICAMENTO AD ALIQUID.

## CAPUT VI.

*Quomodo ad aliquid sit prædicamentum.*

Opinio Ze-  
nonis.

Prima ejus  
ratio.

Tractaturis nobis de coordinatione prædicabilium quæ sunt in genere ad aliquid, primum occurrit nobis omnium antiquorum dissensio circa prædicamentum ad aliquid. Zeno enim et quidam alii hoc prædicamentum dicebant non esse prædicamentum, sed esse secundum rationem aliis prædicamentis immixtum ex eorum ad invicem comparatione. Et cum prima genera sint voces, primarum rerum genera significantes : cum autem hoc genus non significet ut ens ab aliis separatum, sed ut aliis immixtum, videtur quod significatum ejus non sit ens quod sit de primis partibus entis. Adhuc autem ad idem induxit, quod ad aliquid consistit in comparatione : comparatio autem materiæ inest comparatae : comparatio ergo secundum intellectum comparata et res in qua est comparatio ponit secundum intellectum ante se : quod autem secundum intellectum aliquid ponit ante se præter subjectum, non est primum genus : videtur ergo quod ad aliquid non sit principium generis alicujus accidentis : id enim in quo fit comparatio et comparationis rationem ponit ante se quæ non est subjectum, sed aliquid de intellectu accidentis in quo fit comparatio. Hoc autem confirmabat per hunc modum : si enim comparetur  $\alpha$ ,  $\beta$ ,  $\gamma$ , oportet quod aut secundum seipsum comparetur ei, aut mediante aliquo quod sit ratio comparationis. Non seipso, quia sic

quodlibet ad aliquid comparabitur, et nihil erit absolutum : ergo comparetur  $\alpha$ ,  $\beta$ , mediante  $\gamma$  ; oportebit igitur quod  $\gamma$  sit ratio comparationis  $\alpha$ ,  $\beta$ ,  $\gamma$ ; si ergo non est  $\gamma$ , non erit comparatio : intelligitur ergo  $\gamma$ , inesse  $\alpha$ , et  $\beta$  ante comparationem : nihil autem talium ante quod secundum intellectum est accidentis, est genus primum accidentis : ergo ad aliquid non est genus accidentis.

Adhuc nullum generum accidentis est accidentis alterius : comparatio autem sive ad aliquid accedit omnibus generibus accidentis, sicut per se patet : igitur ad aliquid non est generalissimum inter genera accidentis.

Adhuc autem ad aliquid coaccidit omnibus ex hoc quod in eis sunt genera et species, et totum et pars ; videtur ergo quod ad aliquid sit quoddam coaccidens omnibus aliis ex ipsa coordinatione generum et specierum : non ergo per se constituit genus, ut videtur.

Adhuc quia genus et species sunt in omnibus, non dicimus quia generalitas sit genus, et similiter non dicimus quod specialitas constitut genus, vel etiam differentia, vel proprium, vel accidentis : omnia enim haec circuunt genera ratione modi prædicandi qui invenitur in ipsis : a simili ergo ex quo ad aliquid est accidentis commune quod accedit omnibus ex comparatione prædicabilium ad invicem, non debet esse genus, sed generum aliorum quoddam accidentis.

Adhuc autem fortius objecerunt quidam posteriorum, sicut Avicenna et Alfarabi, dicentes quod nulla forma quæ sit ens, est in re quæ non sit absoluta secun-

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

dum esse quod habet in ipsa, sicut patet inducendo de calido, frigido, albo, et nigro, et omnibus aliis: sed comparatio quæ fit rerum ad invicem secundum formas quæ sunt in rebus, fit actu rationis, quæ dicit quod in quibus non est una qualitas sunt dissimilia, et in quibus est una sunt similia: comparationis ergo forma quæ est in his quæ sunt ad aliquid, non est res sed ratio, ut videtur, quia nihil est extra animam comparantis unum alteri: generalissima autem prima genera rerum significant: ad aliquid autem non est ens ratum apud naturam extra, sed ens rationis: ad aliquid ergo non potest esse generalissimum de talibus quæ sunt apud animam rebus, quia sic generalissima non significarent prima genera rerum simpliciter.

Ex his et similibus rationibus moti fuerunt Antiqui et fere omnes præter Platonem et Aristotelem qui dixerunt ad aliquid non esse genus quod sit prima pars accidentis vel una de primis, sed dixerunt ipsum ex habitudinibus aliorum generum ad invicem per actum rationis comparantis unum ad alterum omnibus aliis esse immixtum, ita quod dicunt ad aliquid non esse unum de generibus primis, sicut tangit Averroes super quintum *primæ philosophiæ Aristotelis*<sup>1</sup>.

Nos autem Platoni et Aristoteli consentientes, dicimus ad aliquid esse generalissimum, et esse unum de primis generibus accidentis: eo quod tam Porphyrius quam etiam Aristoteles et Avicenna dicunt, quod accidens duobus modis prædicatur de eo cuius est accidens, et duabus modis causatur a subjecto. Quoddam enim est forma absoluta et non per aliquid est accidens, nisi quia in subjecto sequitur esse perfectum subjecti in suis substantialibus: et ideo est accidens, quia non potest esse de substantialia rei quod sequitur perfectum esse, et sic quantitas est accidens, et qualitas et hujusmodi. Quoddam autem est accidens, non

quia sequatur esse rei perfectum, nec quia sequitur ad rem nisi gratia substantialium, sed ex aliquo quod est extrinsecus se habens ad rei substantialia, sicut hoc ad hoc quod aliquid sit ejus quod se habet ut primum, aliud ut secundum, vel unum ut totum, et aliud ut pars, vel ut conveniens vel differens ab alio, sequitur ab extrinseco quod unum sit comparabile ad aliquid secundum ipsam rem: quæ comparatio ad actum reducitur quando actu per rationem comparantur, et a tali accidente quod sic accedit rebus proprie causatur ad aliquid: et propter hoc quod tale accidens invenitur in multis, propter hoc putatur esse omnibus aliis immixtum, cum tamen sit modus accidentis ab aliis accidentium modis distinctus: et ideo proprium accidens significat, quod in genere suo est primum. Nec moveat quemquam quod ab omnibus aliis est causatum, et ideo videbitur forte non esse generis unius sed omnium: non enim causatur ab omnibus ut divisa et discreta sunt, sed causatur ab eis ut unum, et una ratione communi est in eis: et hæc comparabilitas vel ratio comparationis, et quod sic sequitur ad rem, est ad aliquid et non absolutum.

Ad hoc quod objicit Zeno, dicendum quod ad aliquid non relinquit ante se aliquid quod sit de intellectu ipsius, sicut genus vel sicut magis commune est de intellectu speciei vel minus communis quod relinquitur ante se: sed relinquit ante se illud quod est causa talis accidentis, et hæc est ratio comparationis, sive id in quo fit comparatio. Hoc autem non impedit quin sit genus speciale accidentis, quia quodlibet genus accidentis ante se relinquit in subjecto causam per quam efficitur in subjecto.

Ad hoc quod dicitur quod nullum genus accidentis est accidens alterius, dicendum quod si dicatur, quod unum genus accidentis non accedit alteri ut subjecto, dicendum quod hoc verum est: sed

<sup>1</sup> Com. 20.

Ad argu-  
menta Zenonis.

Ad primum.

Ad secun-  
dum.

quod unum genus non mediante altero fiat in subjecto, hoc est falsum, sicut patet in actione, et passione, et ubi, et quando, et in multis aliis. Et sic similiter nihil prohibet quin ad aliquid in subjecto sit mediante aliquo alio : hoc enim non impedit intellectum generalissimi : generalissimum enim ut generalissimum facit talus modus prædicandi per se vel per accidens qui ad alium nullum modum reduci potest, sed est ipse secundum seipsum modus prædicandi alicujus specialis : et sic patet quod significant generalissima prima rerum principia speciali et distincto modo prædicabilium, et significant prima rerum principia vel per se vel per accidens : quia prædicabilia ut prædicta sunt distincta secundum primos modos prædicabilium.

*Ad tertium  
et quartum.*

Ad hoc vero quod objicitur quod coaccidit ad aliquid omnibus generibus, sicut esse genus et esse speciem, est in omnibus, dicendum quod non est verum : quia genus et species accidunt secundum suas rationes ex speciali modo prædicandi universaliter secundum rem ipsam, qui ad alias modos reduci non possit. Ad aliquid autem ponit modum universalem suæ coordinationis, qui ad nullum aliud modum reduci potest, et ideo ad aliquid non est coaccidens modus prædicandi, sed est modus prædicandi per se distinctus cujusdam generis accidentis.

*Ad quintum.*

Ad hoc autem quod posterius objiciunt, dicendum videtur quod per comparationem duplum est considerare, secundum aptitudinem, scilicet et secundum actum. Secundum aptitudinem quidem est in rebus, et jamdudum supra in scientia *Universalium* determinatum est, quod aptitudo sola sufficit ad modum prædicandi, constituendi et causandi. Secundum actum autem comparatio est in ratione vel anima comparantis : et actus ille non facit, quod non secundum aptitudinem sit in rebus comparatis : et ideo secundum aptitudinem quidem est in rebus, secun-

dum perfectionem autem est in ratione. Et hoc multos decipit in isto prædicamento : et est quod dicit Aristoteles quod quædam insunt ut accidens, quædam autem ut quodammodo se habere ad alterum. Et bene concedendum est quod accidens istud minus habet de ente quam aliud quod est absolutum : sed ex hoc non sequitur quod nihil habeat, et secundum quod habet de ente accidentaliter non ponat modum prædicabilium ab aliis prædicabilibus accidentis distinctum et separatum.

## CAPUT II.

*Quid hoc genus habeat de ente, et quid in eo sit generalissimum, et quid subalternum, et quid specialissimum, et quid individuum.*

Consequenter determinandum est quid de ente significet hoc genus, et quid sit generalissimum, et quid specialissimum, et quid subalternum, et quid individuum. Hæc enim ad omnem coordinationem pertinent generalissimorum : omne enim generalissimum aliquam significat partem entis<sup>1</sup>, et in omni coordinatione prædicabilium aliquid est ut generalissimum, et aliquid ut subalternum, et aliquid ut specialissimum, et aliquid ut individuum. Aliter enim modus prædicandi prædicabilium completus non esset nisi distinctus esset ab aliis et non staret in infimo nec staret in summo, nisi per media descenderet ordinate quæ sunt subalterna et specialissima.

Manifestum autem est ex præinductis, quod ad aliquid minus de ente habet quam quantitas vel qualitas, quia illa significant ens actu perfecte quiescens in subjecto quod est substantia, et tale ens non significat ad aliquid, sed potius id quod secundum aptitudinem et causam est in subjecto : perfectio autem ejus est in ratione comparante, propterea non

<sup>1</sup> Ex quo patet individua esse in prædicamen-

to. Jammy.

quiescit in subjecto, sed habet ad id quod extra subjectum est comparationem, et ideo minus de ente significat quam aliud genus, et præcipue quando non fundatur in substantia nisi per actum substantialem, sicut patet quod nihil fundatur in substantia, et non habet causam nisi actum substantialem qui est activa generatio : et cum actus sit in agente, per hoc quod est ab agente fit propter hoc quod tale ad aliquid in subjecto vel nihil vel parum reducit comparationis : ex hoc enim quod ille generavit, sequitur quod pater sit, et ex hoc quod alter est genitus, sequitur quod sit filius, ita tamen quod neuter nec generans nec genitus formam aliquam receperit, vel aliquid passus sit secundum aliquod accidentis : quia per actum substantialem et effectum actus fit hujusmodi comparatio, et quia vel nihil in simplicibus sicut materia, vel parum valde in his quae materialia sunt inducit comparationis, patet quod minus de ente habet quam significata aliorum generum accidentis : quamvis etiam aliquando fundetur super formam accidentalem in subjecto præsuppositam, cum dicatur quod isti sunt similes, quia uterque albus est; et tunc quidem est relatio compositi ex subjecto et accidente, sed ipsa de se non majorem affert comparationem nisi comparabilitatis illius quae est secundum aptitudinem, sicut paulo ante diximus : et ideo de se minimum quid significat entis, quod tamen modum speciale importat prædicationis : propter quod oportet ipsum esse distinctum ab aliis prædicamentis : ille enim modus in multis invenitur quae ordinabilia sunt secundum illum modum in genera et species et individua.

Si autem aliquis objiciat, dicens quod secundum ea quae dicta sunt, accidentis prædicatur per prius et posterius de ad aliquid, et de aliis generibus accidentium, quod videtur inconveniens, cum omnia genera accidentium ex æquo referantur ad unam accidentis divisionem, Dicendum est quod secundum hanc communem ra-

tionem accidentis (quod accidentis est quod ut consequens substantiale esse cadit ad substantiam ut ad subjectum) sic æqualiter participant accidentis prædicationem omnia genera accidentium : sed secundum hoc quod accidentia primorum generum significant quasdam species vel partes entis primas quae non sunt de esse substantiæ, sic non participant æqualiter modum accidentis novem genera, quae accidentium genera dicuntur : sic enim nec entis prædicationem æqualiter participant, quia quælibet sunt entia, et quædam significantia sunt non ens quidem principaliter sed quomodo se habeat ens ad aliud : et illa sunt minus entia quam illa quae significant ens in aliquo absoluto quiescens, et secundum hunc modum participant entis prædicationem. Accidentis autem prædicationem participant e converso : sicut enim accidentis per se minus habet de ratione accidentis quam accidentis per accidentis, ita plus habet de accidente quod est accidentis ex comparabilitate quam id quod solum ex hoc accedit, quia est in alio, non sicut quædam pars esse ipsius : et per prius et per plus accidentalitatis prædicatur accidentis de ad aliquid quam de aliis generibus accidentis.

Generalissimum autem in hujus prædabilis coordinatione est ad aliquid, vel relativum, vel minus proprie, ut dicunt quidam, relatio : sed notandum quod nullo nomine ita expresse significatur generalissimum sicut per hoc quod est ad aliquid, quod est præpositio cum casuali : hoc enim duo importat quae sunt in relativio, diversitatem scilicet per transitio nem quam notat præpositio, et terminacionem comparationis quam notat casus accusativus, cum dicatur ad aliquid.

Et si objicitur quod in nomine hoc quod est ad aliquid non importatur id quod comparatur ad aliquid, neque etiam ratio comparationis, sed tantum diversitas comparatorum, et id ad quod refertur comparatio, Dicendum quod hoc quod competentius potest importari in nomine comparativo de se et ratione sua formalis est

Objectio.

Solutio.

ad aliud ; et id quod comparatur ad aliud, non est nisi materialiter in ipso. Nomina autem imponuntur ab eo quod formaliter significatur in ipsis, et non ab eo quod est in eis ut materiale : ratio autem comparationis, ut ante dictum est, non respicit comparationem nisi ut causa et non ut forma, et ideo etiam non debet significari in nomine, quia est extra formam illam a qua imponitur nomen ; et ideo aptius nominatur hoc genus nomine ad aliquid, quam aliquo alio nomine quo possit nominari.

Et sciendum quod, ut dicunt Porphyrius et Alexander, Plato invenit hoc nomen, cum relatio tunc vocaretur. Relatio autem nominari non debet, quia sicut nec alia genera in abstracto significata prædicabilia sunt, ita nec istud : abstracta enim significant essentias simplices quæ secundum hoc quod sic significantur, non sunt formæ totius esse significativæ et notiones alicujus totius esse, ipsius totum esse entale vel accidentale significantes. Ab Antiquis autem relativum dicebatur, quod, ut dictum est, emendavit Plato considerans quod relativum est dictum quasi antecedentis reductivum, ut dicitur in grammaticis, et hoc non consideratur in comparatione nisi materialiter : id autem ad quod refertur, est sicut finis qui formalis est in eo quod terminat et finit comparationem : propter quod melius ad aliquid quam relativum nominatur.

Habet ergo istorum prædicabilium coordinatio ad aliquid pro generalissimo. Ad aliquid autem dici secundum id quod sunt, et ad aliquid dici quomodolibet ad aliud, sunt prima dividentia generalissimum, et cum eo subalterna genera et species constituentia : ut specialissimum autem habet ad aliquid, quorum hoc ipsum quod sunt ad aliquid sunt : ut individua autem habet hoc sic ad aliquid esse et id sic, ut pater, filius, dominus, servus.

Attendendum autem valde est, quod

<sup>4</sup> Ergo *relatio* significat comparationem ut conceptum tantum, *ad aliquid* significat compa-

quædam significant comparationem quæ sunt ad aliquid ut conceptum tantum, et ista dicuntur absoluta, sicut hoc ipsum quod dico relatio, vel comparatio, et ideo illa non referuntur ad aliquid, sed absolute dicunt suas significations. Alia significant relationem ut exercitam et secundum actum comparatam, sicut ista ad aliquid vel relativum. Quædam etiam significant eam ut in potentia ad exercendum, sicut hoc ipsum relativum quod potentiam activam ad referendum significat. Et ex hoc iterum est, quod aptissime hoc genus vocatur ad aliquid et minus apte relativum<sup>4</sup>. Sed cum dicitur relatio, minimum habet congruentiæ nomen illud.

Ex hoc iterum ulterius patet ratio ordinis, quod post prædicamentum quantitatis inter genera accidentium prædicamentum hoc est ordinandum, quia scilicet quantitas propinquissima est substantiæ, cum substantia ordinanda est. Propter quod etiam quantitatis diffinitiones quamvis concernant materiam, non tamen concernunt hanc vel illam sensibilem, et sunt propter hoc de necessitate mathematicæ scientiæ. Aliorum autem accidentium diffinitiones et passiones concernunt materiam sensibilem et habent plus de accidentalitate, et minus approximant ad substantiam. Et cum inter illa plus habet de accidentalitate ad aliquid, ut dictum est, merito præponitur inter illa. Et hoc dico salva pace Boetii, qui aliam causam assignat hujus ordinatio : dicit enim quod quia in ordine discretæ quantitatis est primum et secundum, quæ relationem et comparationem dicunt, et quia tam in prædicamento substantiæ quam in prædicamento quantitatis resultant genus et species quæ sunt relativa, ideo statim post ista duo ponitur relatio, quamvis qualitas secundum naturam qualitatis sit ante relationem. Quæ ratio non est sufficiens, sicut cuilibet bene consideranti facile patere potest.

rationem ut actu exercitam, *relativum* vero significat eam ut in potentia ad exercendum.

ordinis  
tio huj  
prædic  
menti

Damat  
etium in  
significati  
cause o  
nis hu  
prædic  
menti

## CAPUT III.

*De diffinitione dicente quid est ad aliquid secundum Platonem.*

*Ad aliquid autem secundum diffinitionem quam Plato dedit sic diffinitur : Ad aliquid talia dicuntur quæcumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud<sup>1</sup>.* Et quod dicat Plato, quod ad aliquid *talia* dicuntur et non dicit hæc vel illa, notat quod ad aliud non refertur substantia sola : quia non est in substantia, ut substantia est, causa relationis, sed substantia cum forma accidentis quæ est causa relationis, refertur ad aliud : et ideo dicit talia et non dicit hæc vel illa. Quod autem dicit *dicuntur*, notat quod diffinitur, ut prædicabile, quod per dici, et non per esse habet diffiniri : et ideo dicit *dicuntur*, et non dicit sunt.

Quod autem addit *quæcumque*, notat quod semper in diversitate et pluralitate eorum quæ ad invicem ad convertentiam dicuntur, consistit relatio. Quod autem addit *hoc ipsum quod sunt*, notat ea quæ secundum esse sunt relata ad alia. Secundum esse autem relata sunt ad alia, quæ non habent aliud esse quam relationis sive ad aliquid, sicut pater in nullo genere accidentis habet aliud esse nisi paternitatis, cuius esse totum est ad alterum, et non fundatur super aliquod aliud esse accidentis, sicut æqualis vel similis, quod fundatur vel super unam quantitatem quæ est in pluribus, vel super unam qualitatem quæ est in pluribus, et sicut idem quod præsupponit unam substantiam in qua fundatur. Sed pater, filius, dominus, et servus, et quæcumque ex seipsis non dicunt nisi accidens comparationis ad aliud, illa secundum hoc quod sunt aliorum dicuntur genitive. Quia genitivus secundum suum nomen dicit id quod est alterius sicut finis et terminus in quo finitur generatio, et sic est ad aliquid alio-

rum, ut patet ex prius habitis. Quod autem addit *dicuntur*, dicit propter modum prædicandi quem specialem inter genera habet accidentium.

Quia autem non omnia comparata ad aliud sunt hoc modo aliorum, sed etiam dicuntur secundum alios casus ad aliquid ut secundum dativum, accusativum et ablativum, quæ non sunt adeo vere comparata ad aliud secundum totum esse suum, et tamen aliquo modo sunt ad aliquid, sicut illi, vel ad illud, vel ab illo : ideo necessarium fuit per disjunctivam conjunctionem conjunctam et congregatam esse diffinitionem, per quam quidem orationis notaretur conjunctio, sensus vero disjunctio : et sic notaretur divisio eorum quæ sunt ad aliquid, quæ sunt duorum modorum. Et ideo subjungit *vel* *quomodolibet aliter ad aliud dicuntur*, hoc est, secundum aliorum casum habitudinem : et quæ non adeo vere sunt relativa, quod secundum totum esse suum sint ad aliud, sed fundantur in quodam esse quod non est ad aliud, sicut diximus. Hæc autem diffinition declaratur exemplorum positione et eorum quæ sunt ad aliquid inductione. Eorum enim quæcumque hoc ipsum quod sunt, aliorum vel alterius sunt secundum genitivum casum. Exemplum est, ut majus quod ratione comparationis quam dicit, secundum id quod est, alterius est : est enim majus minoris vel minore majus, et minus majoris vel majore minus : quia Græci non habent ablativum, sed genitivo utuntur tam pro genitivo quam pro ablativo. Majus igitur secundum id quod est, est alterius sive dicitur aliquo majus. Secundum exemplum est ut duplum, hoc est secundum id quod est alterius dicitur : alicujus enim sicut dimidii, vel subdupli duplum dicitur. Similiter autem secundum totum esse aliorum sunt, quæcumque sunt hujusmodi sive his similia.

At vero secundum secundam partem diffinitionis et hæc ad aliquid sunt, quam-

*Quare dixit  
vel quomo-  
dolibet ali-  
ter ad aliud.*

<sup>1</sup> *Supple*, dicuntur.

vis non ita vere et ita perfecte sicut alia quæ dicta sunt, dicuntur exempla illorum, ut habitus, affectus, disciplina, positio: hæc enim omnia quæ exemplariter dicta sunt, hoc ipsum quod sunt, secundum ipsam comparationem aliorum dicuntur, et non dicuntur aliter ad aliud per hoc ipsum quod sunt, quia nomina eorum imposita sunt de tali comparatione, sed dicuntur secundum alios casus: habitus enim dicitur secundum genitivum casum: dicitur enim alicujus habitus, eo quod dicitur habentis habitus, et habens habitum, habens dicitur secundum accusativum; et disciplina alicujus disciplina est, sed convertentia secundum ablativum casum, dicitur enim disciplina disciplinati disciplina, sed disciplinatum non dicitur disciplinæ disciplinatum, sed dicitur disciplinatum disciplina disciplinatum per ablativum per quem notatur habitudo causæ formalis. Similiter positio alicujus positio est: est enim partium ordinatarum positio, et positæ partes sunt positione positæ, quia partes ordinatæ in toto positione sunt ordinatæ: et iterum sit conversione per ablativum, sed et alia similiter relativa se habent.

Concludatur ergo per exempla declarata diffinitio. Ad aliquid ergo sunt quæcumque hoc ipsum quod sunt et quod in eorum nomine importatur, aliorum dicuntur secundum genitivum casum, vel quomodolibet aliter secundum aliud casum ad aliud se habent, ut mons magnus, non secundum genitivum, vel dativum, sed secundum accusativum ad aliud montem comparatus: magnum enim ad aliud secundum accusativum dicitur, et simile ad aliquid dicitur simile secundum dativum casum, dicitur enim simile simili simile, et æquale æquali æquale, et idem eidem idem, et e converso: et omnia talia quæcumque secundum aliquem casum ad se invicem referuntur, dicuntur ad aliquid secundum similitudinem istorum.

Attendendum autem est in quibus dativus habitudinem unam et eamdem dicit cum genitivo, quod in illis in genitivo et

dativo unus modus est in relatione sive eorum quæ sunt ad aliquid, ut pater filio vel filii, et filius patri vel patris. In his tamen posset esse deceptio, quia dictum est quod accubitus et statio et sessio et similia, positiones quædam sunt et ordinatio partium in toto, et dictum est quod positio ad aliquid est, sed ab his sumpta quæ sunt jacere et stare et accumbere, quæ dicunt accidentis inclinatum ad subjectum verbaliter ut actum significatum, positiones non sunt secundum suum nomen, sed denominative sunt dicta verbaliter ab his quæ sunt positiones veræ, ut sessio statio et accubitus. Sedet enim cui inest sessio, ut actus, et accumbit cui inest accubitus ut actus: cui autem inest per id quod inest, recipit denominationem vel nominaliter vel verbaliter vel participialiter, ut sedet, stat, accumbit, sedens, stans, accumbens: et hæc non dicuntur ad aliquid, quia sedens vel qui sedet ad nullum comparatus sedet et similiter est de aliis quæ per eumdem modum dicuntur.

Hæc igitur diffinitio est Platonis, eorum quæ sunt ad aliud, quam tamen secundum aliquid calumniatus est Aristoteles, sicut patebit in sequentibus: eo quod secundum eam quædam substantiae videntur esse ad aliquid, sicut in sequentibus hujus tractatus ostendetur.

#### CAPUT IV.

*De proprio ejus quod est ad aliquid, quod est suscipere contrarietatem.*

Sic itaque declarata diffinitio Platoniæ eorum quæ sunt ad aliquid, manifestandum est hoc prædicamentum per sua propria consequentia ipsum, sive sint communia, non proprie propria sive etiam proprie propria. Dicimus itaque, quod inest contrarietas in relatione, sed non inest his quæ secundum id quod sunt totum et perfectum, sunt aliorum, quæ sola sunt veræ et secundum totum esse ad aliquid: sed est secundum alia

Contraria  
tas est in  
lativis s  
ecundum s  
ci, et no  
relativis  
cundur  
esse.

quæ secundum aliquid sui sunt relativa, et secundum aliquid sunt alterius prædicamenti: et per id quod sunt alterius prædicamenti, inest susceptibile esse contrarietatis. Ut autem hoc pateat in exemplis, virtus vitio contrarium est, cum utrumque eorum, tam virtus scilicet quam vitium, aliquo modo ad aliquid est, est enim virtus virtuosi virtus et virtuosus virtute virtuosus: sic enim disciplina est contraria ignorantiae, et scientia inscientiae, cum tam disciplina quam scientia sint ad aliquid, quia disciplina disciplinati est disciplina, et scientia scibilis est scientia, et disciplinatum disciplina est disciplinatum, et scibile scientia scibile.

Hujus autem est id quod diximus ratio, quod nec virtus nec disciplina nec scientia secundum totum esse suum sunt alterius vel ad aliquid: virtus siquidem est habitus in mente consistens secundum suum esse, et sic est in prædicamento qualitatis, et hoc modo suscepit contrarietatem. Addit autem supra rationem habitus relativam comparationem ad alterum sicut ad actum, in quo perfecta est virtus secundum optimum, et sic est aliquid virtus, ut comparati ad actum per virtutis habitum, et sic proprie est virtuosi vel studiosi virtus, sicut securis secantis vel ædificantis est securis vel instrumentum. Et similiter sicut disciplina potest considerari secundum quod est habitus cognitivus: et hoc est esse suum per quod in prædicamento qualitatis reponitur, et habet ignorantiam contrariam, et non illam quæ est puræ privationis, sed illam quæ est contrariæ dispositio- nis secundum principia, hoc est, illius qui dispositus et informatus est contrariis principiorum, et ideo ignorat: et erit tunc disciplina habitus disciplinabilis sicut mathematicorum, et ignorantia contraria dispositio ad eamdem. Scientia autem est habitus conclusionis, et similiter considerata ut habitus intellectus est in prædicamento qualitatis, et sic suscepit contrarium et necessario est necessaria

dispositio circa eamdem. Utrumque autem horum supra esse talis habitus intellectus addit esse virtutis intellectivæ, qua potens efficitur quis ad actum intellectus: et sic est relativum, quia sic scientia est scientis potentia ad scibile, et sic est disciplina disciplinati virtus ad disciplinam perceptibile, et quoad hoc esse non habet contrarium.

Ex hoc patet quod non est simile de albo quod quidam dicunt et de albedine, quod ita possit dici, quod albedo sit albi albedo, et album albedine album, et sic posset dici relative: ex hoc enim quod aliquid sit alicujus ad hoc quod sit relativum, oportet quod ipsius sit ut perfecti vel instrumenti ad alterum, et quod sit ab ipso ut instrumentum vel organum. Sic autem non est albedo albi, sed est albi ut formativum, nec perficit ad actum qui sit ejus quod est album, sed agit in ipso proprium albedinis actum, qui nullo modo est actus ejus quod est album: albedinis enim actus est disgregare visum, et ille actus non est albi, hoc est, ejus quod est album. Sic autem non est de virtute, et disciplina, et scientia, quæ ut virtutes sunt electivæ vel intellectivæ, organa vel instrumenta quædam sunt ad actum rationis vel electivæ voluntatis, et ideo supra esse habitus adidunt rationem relationis. Et sic est de affectu ad affectibile: quia affectus dicit instrumentaliter expediens voluntatem ad hoc quod inclinetur ad volitum et inhaereat illi, ideo affectus est affecti ad affectibile affectus, et habet modum ejus quod est ad aliquid, quamvis non secundum totum esse suum sit ad aliquid.

Sic ergo relativa secundum modum Habere contrarium non est proprium relativorum. existentia, non secundum veritatem sui esse, suscipiunt contrarietatem: sed hoc proprium nec soli convenit nec omni. Soli quidem non convenit, quia convenit quantitati; non omni autem convenit, quia non convenit relativis quæ secundum esse et secundum veritatem et non secundum solum modum sunt ad aliquid: duplo enim sive dupli, quod

Nota.

secundum veritatem est relativum, et similiter triplici et subduplici et hujusmodi nihil est contrarium, neque alicui talium quæ secundum totum id quod sunt, ad aliquid sunt, sicut pater filius, frater soror, dominus servus, et alia his similia. Sic ergo neque omni nec soli convenit ista proprietas, sed convenit quibusdam quæ secundum modum solum sunt ad aliquid.

### CAPUT V.

#### *De proprio relativorum quod est suscipere magis et minus.*

Alia autem similis huic proprietas nec soli nec omni conveniens proprietas est, quod videntur relativa et magis et minus suscipere, quod inductione probatur et exemplorum positione. Simile enim et magis et minus dicitur: unus enim magis et minus similis est alteri cui similis est et ad quem dicitur. Similiter autem et inæquale magis et minus dicitur. Quamvis enim æquale sit uno modo tantum secundum quod alteri suppositum nec excedit nec exceditur, propter quod æquale secundum veritatem non suscipit magis et minus, tamen inæquale magis vel minus est secundum quod plus vel minus recedit ab æqualitate. Sed simile et dissimile utrumque recipit, scilicet magis et minus, sicut album et nigrum, justum et injustum. Sed non sic rectum et curvum, si vere et proprie sumatur rectum, ut diffinit Plato, cuius medium ab extremis non exit: hoc enim significat ut in termino sicut et æquale: sed contraria illorum suscipiunt magis et minus secundum recessum ab illo quod significat rem suam ut in termino. Simile ergo et inæquale, ut dictum est, magis et minus suscipiunt, cum tamen utrumque sit relativum secundum modum et non secundum esse totum. Simile enim ponit unam qualitatem subjectam similitudini, quæ non est

ad aliquid, et æquale ponit unam quantitatem subjectam æqualitati, quæ non est ad aliquid: et per oppositum dissimile et inæquale diversas supponunt qualitates et quantitates, cum sint relativa secundum modum. Simile enim dicitur alicui simile et ad alterum, æquale autem alicui æquale ad aliquid.

Hoc autem proprium non omnibus relativis convenit. Non enim relativa suscipiunt magis et minus, nisi ea sola quæ secundum modum et non secundum totum esse sunt relativa. Unde non omnia relativa secundum unam similitudinem suscipiunt magis et minus, ut duplex, subduplex: nec aliquid talium relativorum quæ secundum veritatem et modum simul sunt reliqua.

Hoc autem proprium causatur ex præcedente, quia minus suscipere est plus habere de contrario, magis vero suscipere est minus habere de contrario<sup>1</sup>. Multa autem accidunt relativis quæ secundum solum modum sunt relativa, quæ non accidunt eis quæ secundum veritatem et modum sunt relativa, propter hoc quod inest eis etiam aliquid quod est alterius prædicamenti, quod non inest aliis quæ secundum totum id quod sunt, relativa sunt, sicut ista duo consequentia de quibus jam pertractatum sunt est. Et similiter quod quædam eorum relativa intrinseca, et quædam extrinseca. Dico autem relativa intrinseca quæ intra se claudunt per significata sua ea ad quæ referuntur, quæ dicuntur sua correlativa, sicut cum dicitur, isti sunt similes, hoc est, iste illi, et ille isti, vel isti sunt æquales: quod non est invenire in his quæ vere et secundum esse et secundum modum relativa sunt, sicut pater et filius, dominus et servus, causa et causatum, principium et principiatum, et alia hujusmodi: non enim dicitur, isti sunt patres, ita quod iste illius et ille istius, et ista sunt dupla, ita quod hoc ad illud et illud ad istud.

Objiciunt tamen quidam contra ea quæ

Quæ sint  
relativa in-  
trinseca.

Objectio.

<sup>1</sup> Hoc idem colligitur in 4 Topicorum, cap. 9.

dicta sunt de contrarietate, dicentes quod Aristoteles dicit, quod motus secundum accidens est in omnibus prædicamentis : ergo motus secundum accidens est etiam in ad aliquid : et ubi est motus, est aliquo modo contrarium : ergo quæ sunt ad aliquid secundum veritatem, etiam aliquo modo suscipiunt contrarium. Ad quod dicendum est quod quamvis motus secundum accidens sit in omnibus, tamen non est uno modo in omnibus. In ad aliquid ergo est motus, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quia per motum inducitur, ut pater per generationem et hujusmodi, sicut per motum ad formam alii conformem.

Est autem attendendum quod hæc duo propria, suscipere contrarium, et suscipere magis et minus, ut in pluribus se concomitantur, quia suscipere magis et minus, ut dictum est, causatur ex hoc quod est plus vel minus habere de contrario. Unde contingit quod quamvis oppositio relativa non sit oppositio contrarietatis, nec e converso, quod contraria nunquam possunt simul esse relative opposita (quod ex hoc patet, quia contraria nata sunt fieri circa idem, relative autem opposita circa diversa : et contraria non possunt esse in eodem simul actu, relative autem opposita possunt, dummodo respectus fiat ad diversa : est enim idem pater et filius respectu diversorum) tamen relative opposita secundum modum et non secundum esse et veritatem, secundum id quod non sunt relativa, possunt habere contraria et suscipere magis et minus, quia non habent unam simplicem oppositionem, sicut contraria : sed sunt duo, et ratione unius suscipiunt contraria magis et minus, ratione autem alterius non.

Adhuc autem notandum quod inæquale recipit magis et minus, cum tamen quantitas supra quam fundatur ad aliquid, magis et minus non suscipiat : et hoc ideo quia hoc modo quo ad aliquid fundatur supra quantitatem, est magis et minus in quantitate, sicut in quantitate

quæ est numerus, est major et minor, ita inæqualior est quæ in pluribus partibus mensuræ quantitatis ab æquali recedit, et ideo inæquale hoc modo dicitur magis et minus inæquale<sup>2</sup>.

Si autem aliquis sic arguat, ubi est magis et minus, possibilis est motus ; sed in ad aliquid non est motus, ergo etiam in ad aliquid non est magis et minus. Jam autem ad hoc satis responsum est : quia in his quæ sunt vere ad aliquid, non est motus, nisi sicut in his quæ per motum inducuntur, et non sic quod termini motus sint ad aliquid. In his autem quæ sunt ad aliquid secundum solum modum, potest esse motus, non secundum quod sunt ad aliquid, sed secundum quod sunt in genere qualitatis, ut dictum est : in talibus autem ad aliquid aliquando recipit magis et minus secundum genus, et non secundum speciem, quia inæquale est magis et minus : duplum autem et triplum non dicuntur secundum magis et minus, et hoc est ideo quia certa est dispositio in specie quæ non est in genere : non enim dicitur magis et minus duplum, quia certa mensura ponitur in specie quæ non ponebatur in genere inæqualitatis : certa enim mensura est dupli vel subtripli quæ non potest esse magis et minus, incerta autem importatur per inæquale, cui addi potest et minui. Hoc est igitur quod circa ista duo propria est notandum.

Objectio.

Solutio.

## CAPUT VI.

*De proprio relativorum quod est dici ad convertentiam.*

Proprie autem proprium relativorum quod omni et soli et semper convenit ei quod est ad aliquid, sive secundum modum solum, sive secundum modum et veritatem sit ad aliquid, est ad convertentiam dici. Sed convertentia et convertibilitas et conversio in hoc differunt, quod

Quid convertentia.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 5 Physic. tex. com. 10.

<sup>2</sup> Et hæc est opinio et explicatio Boetii.

convertentia dicitur eorum quæ ad invicem referuntur per habitudinem, ut sicut primum refertur ad secundum, ita secundum refertur ad primum sub eodem casu vel diverso, sicut in ante habitis dictum est. Convertibilitas autem proprii et speciei cuius est proprium est, quod sicut unum sequitur ad alterum, ita sequetur alterum ad primum, ut utrumque sit antecedens et consequens ad alterum.

*Quid convertibilitas.*

*Quid con-*  
*versio.*

Conversio autem in transpositione subjecti in praedicatum, et e converso, sub eadem qualitate, et quantitate, vel diversis.

Dici autem ad convertentiam convenit his quæ sunt ad aliquid secundum veritatem vel secundum modum tantum : quod convenit omni soli et semper, etiam si non æqualiter sint ad aliquid, sed unum per se referatur ad aliquid, et aliud non per se sed mediante primo referatur ad primum : sicut scientia ad scibile per se refertur, scibile autem ad scientiam non refertur nisi mediante scientia. Hoc autem inferius declarabitur.

Declaratur autem per exempla et inductionem, quod ad aliquid ad convertentiam dicuntur, et primum in his quæ secundum veritatem sunt ad aliquid : dicitur enim servus domini servus, et dominus servi dominus, et duplum dimidi du plum, et e converso dimidium dupli dimidium : et hoc est secundum casum genitivum qui maxime præpositus est relativis. Quædam etiam ad convertentiam dicuntur secundum ablativum, ut majus minore majus, et minus majore minus.

*Casus geni-*  
*tivus maxi-*  
*me præpo-*  
*situs est re-*  
*lativis.*

Similiter autem est in omnibus aliis quæ quocumque modo sunt ad aliquid : omnia enim dicuntur ad convertentiam, quamvis diverso casu referantur in relatione ad invicem secundum figuram locutionis, ut diximus, ut disciplina dicitur disciplinati disciplina secundum genitivum : sed e converso oportet mutare casum, ut dicatur disciplinatum disciplina disciplinatum secundum ablativum : disciplina enim refertur ad disciplinatum in habitudine genitivi, disciplinatum autem ad disciplinam in habitudine ablati-

vi. Et similiter sensus dicitur sensati sensus : e converso autem secundum ablativum dicitur sensatum sensu sensatum, et scientia scibilis scientia, quia scibile non dependet per se ad scientiam nisi in quantum de ipso est scientia, propterea non refertur ad scientiam nisi mediante scientia, ut dicatur scibile scientia scibile. Et similiter se habet sensatum ad sensum, et in aliis talibus est simile. In relativis enim sic est, quod quandoque unum dependet ad aliud simpliciter, et alterum non secundum seipsum dependeat ad illud, nisi secundum quod stat sub forma primi : eo quod relatio non est æqualiter in utroque extremorum, sed in uno est secundum esse, et in alio non est nisi secundum rationem secundum quam primum refertur ad ipsum, ut dicitur scientia scibilis scientia, et scibile non dicitur scientiæ scibile, sed dicitur scibile scientia scibile : quæ propter diversam habitudinem necesse est mutare genitivum in ablativum. Et similiter sensus sensibilis sensus dicitur, sensibile autem e converso dicitur sensu sensibile.

Quod autem nunquam sub recto ad rectum sit convertentia, ratio est, quia rectus ad rectum non ponit transitum si-  
quare no-  
sit conver-  
tentia su-  
recto casu  
in relativi

ve diversitatem quam semper exigunt relativæ, sed rectus ad obliquum notat diversitatem. Si enim sic diceretur, scientia est scibile, falsa esset locutio, et e converso. Mutationis etiam casuum causa est multitudo habitudinum in casibus diversis assignatarum. Cum enim dicitur, scientia scibilis scientia, notatur quod scientia est scibilis ut subjecti vel objecti. Cum autem convertentia fit, ut dicatur, scibile scientia est scibile ut forma quæ ponitur circa ipsum, vel verius forma quæ a scibili causatur in scientiæ : quia scibile secundum formam efficitur in intellectu scientis.

Si quis autem objiciat, quod tales modos constructionum considerare habet grammaticus, et ad logicum non pertinet, Dicendum quod secundum quod hujusmodi habitudines ex diversa fiunt con-

*Objectio.*

*Solutio.*

structione, considerate eas grammaticus, secundum autem quod voces in hoc significant diversas rerum prædicationes et prædicabilium modos, eas habet considerare logicus. Sic igitur ad convertentiam dicuntur ea quae sunt ad aliquid.

Est tamen in his aliquando in figura vocis impedimentum, quod aliquando removetur convertentia secundum dictio nem : unde aliquoties videbitur esse non verum, quod relativa secundum convertentiam dicantur, nisi convenienter secundum nominis figuram et casum assignetur ad id ad quod dicitur secundum nomen et casum. Nisi ergo peccet is qui assignat, ita quod non referat ad hoc ad quod dicitur secundum nomen et casum, tunc videbitur converti, sicut manifestum est in ala, quæ quia organum volandi dicit ipso nomine, patet quod alterius est quod utitur ea ad volandum et non est absolute dicta : quia si esset absolute, etiam abscissa adhuc esset ala, quod falsum est. Quia igitur ala non sua sed alterius est, nec sibi sed alteri ala est, si assignetur quod si avis ala, peccatum est in assignatione, et ideo non convertitur : quia prima assignatio non fuit conveniens, quando dicebatur ala avis ala : et ideo non convertitur, ut dicatur, avis alæ avis. Non enim in eo quod avis est, dicitur alæ avis, sed in eo quod alata est : multorum enim etiam animalium aliorum alæ sunt, quæ tamen non sunt aves, nec in genere avium continentur. Propter quod si convenienter secundum nomen et casum assignetur ala ad id cuius est, statim convertitur, ut si ala alati ala dicatur : tunc enim convertitur, ut dicatur secundum ablativum casum, alatum ala alatum.

Unde etiam in talibus in quibus nomina non sunt posita, aliqua necesse est fingere nomina secundum convenientem assignationem, ut in remo patet, quod quia instrumentum dicit id quod alterius est vel alteri est. Si igitur sic assignetur, ut dicatur remus navis remus, non erit secundum rem et nomen et casum conveniens assignatio : neque enim remus di-

citur navis in eo quod navis : sunt enim naves quarum remi non sunt, sicut magnæ naves quas lintres vocant quæ malis moventur et velis, et remis impelli non possunt : et ideo quia non conveniens fuit assignatio, non convertitur, ut dicatur, navis remi navis. Sed forte convenienter erit facta assignatio, si sic dicendo assignetur, remus remitæ rei remus, aut quomodolibet aliter secundum convenientem vocis assignationem dictum sit. ut si remitæ non placet, dicatur rematae : ad placitum enim fingentis nomina talis fit assignatio, nomen enim in talibus non est positum, sed convertitur si nomen secundum figuram dictionis et secundum convenientem casum assignetur : sicut enim remus remiti remus est, ita remitum remo remitum est. Similiter autem est in aliis, quæ hoc ipsum quod sunt, aliorum sunt, et non absoluta sunt hoc quod sunt, nec sibi in se habent hoc quod sunt: in talibus enim omnibus convertentia fit si convenienter assignetur, ut caput, quod quia membrum et organum est, non sibi sed alteri et alterius est : ideo caput capitati est et non est caput animalis caput, quia non in eo quod aliquid animal est, caput est : multa enim animalia sunt capita non habentia, sicut omnia genera ostreorum conchilarum, ut purpuræ, murices, et alia multa. Sic autem fortasse facilius sumitur convertentia, ut quando nomina non sunt posita, vel formetur ab illis quibus nomina posita sunt, vel fingatur et figuretur ab his quæ convertuntur, sicut patet in his quæ dicta sunt, sicut formatum est ab anima animatum et a remo remitum.

Ex his igitur universaliter concluditur, quod omnia quæ dicuntur ad aliquid, si convenienter secundum figuram appellationis et casum assignentur, ad convertentiam dicuntur: nam si ad quodecumque assignentur ad quod non dicuntur, et non assignentur ad id ad quod dicuntur, non fit convertentia. Quod sic probatur Prima ratio. per locum a majori: quia etiam in his quæ indubitanter convertibilia dicuntur, et

quibus nomina posita sunt secundum quæ fit convertentia, non fit convertentia nisi ad eadem quæ sunt, sub convenienti referantur assignatione, ut si assignentur ad ea quæ extrinseca sunt et accidentunt his ad quæ sunt per se illa relata, et non assignentur ad ea ad quæ sunt referenda secundum hoc quod sunt aliorum, ut patet. Si enim servus ad hoc quod ad aliquid est indubitanter, si non referatur ad dominum ad quem dicitur et cuius est secundum hoc quod ad aliquid est, sed quia accidit domino hominem esse, referatur ad hominem, ut sic dicatur, servus hominis servus, vel dicatur, servus bipedis servus, vel alicujus talium quod accidit domino ad quæ non per se refertur secundum dependentiam quam important in nomine, non fit convertentia, eo quod ad hoc non erat conveniens assignatio: multi enim sunt homines et bipedalia non habentia servum.

**Secunda ratio.** Amplius si id quod est ad aliquid indubitanter, convenienter assignetur ad id ad quod est et ad quod dicitur, omnibus aliis circumscriptis et remotis quæ accidentill, relieto illo solummodo ad quod secundum convertentiam assignari habet, semper ad ipsum dicitur secundum convertentiam, ut si servus ad dominum dicatur, omnibus aliis circumscriptis quæ accident domino ad quem dicitur servus, ut circumscibantur ab eo esse bipedem, vel scientem, vel disciplinæ perceptibilem, vel hominem, vel animal, relinquatur autem hoc solum quod dominus est, tunc adhuc secundum convertentiam dicitur, servus enim domini servus est. Similiter e contra si servus assignetur ad aliquid ad quod non convenienter dicitur secundum quod servus est, omnibus aliis circumscriptis vel remotis, quæ illi accident ad quod non convenienter assignatus est, et solum illud remanere ponatur ad quod non convenienter relatus est, relinquitur quod non dicitur ad illud. Verbi gratia: assignetur enim servus hominis servus, et ala avis ala, et circumscribatur ab eo esse dominum, patet

quod jam statim servus ad hominem non dicitur: cum enim dominus non sit, sequitur servum non esse, quia relativa posita se ponunt, et perempta se perimunt, ut in sequentibus erit manifestum. Similiter est de ave, hoc non tribuatur alæ, sed alatum esse, et sic ala est avis: ut alata est et non avis. Et hoc patet per antedicta: si enim avi assignetur, tunc jam amplius non erit ala ad aliquid sive aliquius ala, nisi dicatur alati ala, et alatum ala alatum: cum enim ponitur quod nihil est alatum, sequitur quod ala nihil erit, quia hoc erit ala alterius et non suipius.

Ex dictis igitur concluditur, quod id quod est ad aliquid, oportet convenienter assignare ad id quod est et non ad aliud: et sic si utriusque est nomen positum, facilis erit assignatio secundum convertentiam: si autem non sit nomen utriusque positum relativorum, forte necessarium erit nomina fingere si ad convertentiam dici debeat relativa. Si autem sic secundum figuram appellationis et casus convenienter ad invicem reddantur sive referantur, tunc manifestum est quod omnia relativa conversim, hoc est, secundum convertentiam dicuntur ad invicem.

## CAPUT VII.

*De proprio relativorum quod est simul esse natura.*

Ex his autem quæ dicta sunt, quod scilicet relativa ad convertentiam dicuntur, sequitur aliud proprium relativorum, quod est quod relativa sive ad aliquid videntur simul esse natura. Quod autem secundum convertentiam dicuntur, et quod simul sunt natura, differunt in hoc, quod convertentia est in hoc secundum mutuam relationem eorum ad invicem et appellatione et casu: sed simul sunt natura in hoc, quod secundum quod relata sunt, in esse et non esse, sive in ortu et occasu, ut dicit Avicenna, simul sunt, ita quod posito uno in esse secundum quod

relativum est, et positum est aliud secundum quod refertur ad illud: et destructo uno secundum quod relativum est, destruitur et aliud secundum relationem secundum quam refertur ad illud. Et in aliis pluribus hoc verum est, quia simul sunt natura secundum dictum modum: et dicitur quod posito uno ponitur et reliquum, et delecto uno destruitur reliquum. Cum enim sit duplum, sequitur quod sit dimidium, et e converso: et cum sit servus ut servus, sequitur quod sit dominus secundum quod dominus, et e converso cum dominus ut dominus est, sequitur quod sit servus ut servus. Similiter autem est in aliis: secundum hoc enim quod relativa sunt, simul se auferunt ab invicem: quia sicut posita se ponunt, sic ablata se auferunt, ut patet inductione et exemplo: cum enim sit duplum, sequitur quod sit dimidium, et cum non sit duplum, sequitur quod non sit dimidium, et e converso. Similiter autem est in omnibus aliis quæcumque talia sunt, quod secundum veritatem et secundum id quod sunt, aliorum sunt.

Et non in omnibus hoc verum esse videtur. In quibusdam enim quæ modum habent relativorum, hoc verum esse non videtur, quod sic simul sint natura, quod posita se ponant et delecta se perimant. Instantia enim esse videtur: quia cum scibile sit, non est scientia: et si sit relatum scibile ad scientiam, videtur tamen scibile non simul natura cum scientia esse, sed natura scibile prius est quam scientia: cuius probatio est, quia nos ut in pluribus non accipimus scientias de rebus, nisi rebus jam subsistentibus: eo quod non possumus reales scientias accipere, nisi ex principiis rerum intellectu acceptis, et sic oportet res scibiles prius esse, quam nostra scientia de rebus. Dico autem in pluribus sic esse: quia si aliqua scientia non est de rebus quæ extra nos sunt, sed de rebus quæ sunt a nobis, in his pro certo oportet quod scientia præcedat scibile, sicut est in ethicis, ad quorum essentiam præcedit scire et velle.

*Homo vel  
dubium.*

Hoc in realibus scientiis generaliter verum est, quod scibile secundum hoc quod est, videtur præcedere nostram scientiam quæ est de scibili ipso. In paucis ergo vel forte nullis potest aliquis recipere simul cum scibile esse scientiam. In paucis autem dico propter moralia: in nullis autem, quod etiam in illis aliquo modo scibile ut conceptum, quamvis non ut in esse positum, est ante scientiam.

Amplius autem hoc idem probatur alio modo: quia a scibili ad scientiam non convertitur consequentia: scibile autem sublatum simul auferit scientiam: nam si scibile non sit, scientia non est, eo quod nulla scientia est quæ non sit de aliquo scibili: si vero e converso scientia non sit, nihil prohibet adhuc scibile esse: ut enim dicit Boetius, multa sunt scibilia quorum scientiæ non sunt inventæ, sicut potest intelligi in circuli quadratura, quod etsi scibile sit, scientia tamen de ea nondum inventa est.

Amplius hoc idem probatur a minori arguendo sic: minus videtur quod animali sublatu auferatur scientia, quam quod scibili sublatu auferatur scientia: ergo multo magis auferatur ablato scibili: omni enim animali sublatu non potest esse scientia: sed posito quod nullum sit animal et nulla sit scientia, adhuc continet plurima esse quæ sunt de numero scibilium.

Similiter autem his habent se relativa quæ sunt circa sensum et sensibile quod ad sensum refertur. Sensibile enim prius videtur natura esse quam sensus secundum actum factus: quia de hoc sensu loquimur et non de eo qui est potentia sentientis: sensibile enim objectum agens in sensum, prius est sensu et prius secundum naturam quam sensus, et ideo sensibile interemptum simul interimit secundum actum sensum secundum actum factum. Sensus autem secundum actum factus interemptus, sensibile non interimit. Cujus causa est, quia sensus secundum actum factus non est nisi circa corpus quod sensu percipitur, et sensus secun-

dum actum facti in corpore aliquo sensibili sunt quidem per qualitates sensibiles quæ sensum faciunt secundum actum. Cum ergo corpus sensibile nullum sit, necesse est quod nullus sensus sit secundum actum factus : perempto ergo sensibili perimitur sensus secundum actum factus : ergo sensibile peremptum simul secum perimit sensum. Sensus vero peremptus non necessario perimit sensibile, quia nullo sensu secundum actum existente, multa adhuc sensibilia sunt.

Et hoc patet iterum a minori arguendo : quia minus videtur quod animali perempto remaneat sensibile non peremptum, quam quod perempto sensu sensibile perimitur : animali autem perempto omnis sensus perimitur : sensibile autem adhuc est et permanet : multa enim adhuc remanent corpora calida et dulcia et amara et omnia alia quæ sunt secundum qualitates sensibiles disposita : quæ omnia sunt sensibilia.

Sensatum pro habente sensum. Amplius ad hoc idem facit quod sensus fit cum sensato sive cum eo quod habet sensum, hoc enim sensatum dicimus : simul enim fit animal cum sensu, quia propter sensum dicitur et est animal, ut dicit Avicenna. Sensibile autem ante est per naturam quam esset animal vel sensus, quia ex sensibilibus generatur animal et sensus : ignis enim et aqua et hujusmodi elementa ex quibus constat materialiter secundum naturam sunt antequam sit animal. Ergo sensibile videtur esse prius quam sensus.

Removet dubia. Attendendum autem quod omnia relativa, sicut dictum est, sunt simul natura secundum quod sunt relativa, quamvis non sint simul secundum quod simpliciter sunt. Sunt enim relativa ea quæ sunt prius et posterius, quæ quidem secundum esse suum non possunt simul esse, tamen prius in ratione prioris simul est cum eo quod eo est posterius in ratione posterioris, et hoc modo posita se ponunt et perempta se perimunt.

Hoc autem quod de scibili et scientia dictum est et de sensibili et sensu, sic in-

telligendum est quod scibile quidem et sensibile possunt accipi secundum hoc quod stant in esse substantiali, vel secundum hoc quod stant sub forma scientiæ et sensus : et hoc est dicere quod possunt accipi materialiter, vel formaliter. Si accipiuntur materialiter, tunc scibile præcedit scientiam, et sensibile sensum, sicut in ante habitis dictum est, quia scibile est causa scientiæ et sensibile causa est sensus secundum actum facti. Si autem accipiuntur haec formaliter secundum quod scibile quidem stat sub forma scientiæ, sensibile autem sub forma sensus, sic sunt simul natura, et hoc solo modo sunt correlativa et non aliter. Et similiter est de causa et causato, et principio et principiato, et multis aliis.

Attendendum etiam est, quod natura (cum dicitur quod relativa sunt simul natura) non supponit nisi formam relationis : unde simul sunt natura, quæ simul sunt secundum formam sive secundum naturam relationis : quia ad naturam eorum quæ sunt relata ad invicem, non sunt simul, et secundum naturam illam aliquando unum est prius, et alterum posterius, ut dictum est de causa et causato, et principio et principiato, et patre et filio, et præcipue in hoc quod est prius et in hoc quod est posterius.

Adhuc autem scias, quod hoc argumentum non valet : scibile dicitur secundum potentiam : potentia refertur ad actum, ut dicit Aristoteles in decimo *primæ philosophiæ* : ergo scibile refertur ad scientiam secundum actum : quia multa sunt relativa in genere, quæ non sunt relativa in specie, ut patet in scientia quæ refertur, et grammatica quæ non est relata.

Quid per naturam intelligendum.

### CAPUT VIII.

*De disputatione contra diffinitionem Platonis inductam et correctionem ejus dicti.*

Habet autem quæstionem sive dubitationem, utrum secundum superius indu-

ctam Platonis diffinitionem nulla substantia ad aliquid dicatur, quemadmodum videtur ex substantiæ ratione quæ est ens per se subsistens : et quod est per se subsistens, est absolutum, et sibi apud seipsum et esse suum non est ex hoc quod sit ad alterum. Sic ergo videtur quod nulla sit ad aliquid, sive sit prima substantia sive secunda : sive significetur substantia de toto sive de parte, suo nomine semper est ens per seipsum et non est alteri.

Si autem hoc conceditur esse verum, tunc adhuc remanet ad oppositum disputationem secundum superius inductam diffinitionem, quæ dicit ad aliquid esse, quæcumque hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur : quia si hæc diffinitio est bene assignata, substantia videtur ad aliquid esse secundum quasdam substantias de parte et non de toto significantes. Cujus probatio est, quia in primis substantiis verum est quod non dicuntur ad aliquid, sive de toto sive de partibus significetur primarum substantiarum : aliquis enim homo non dicitur alicujus aliquis homo, cum tamen per genitivum maxime dicantur ad aliquid in his quæ sunt relativa<sup>1</sup> : neque aliquis bos alicujus aliquis bos, quia homo et bos rationem substantiæ important in nominibus suis, et nihil additum dicunt substantiæ per quod ad aliquid referantur : et ideo etiam non grammaticæ dicitur, alicujus aliquis bos, nec alicujus aliquis homo : quia genitivus in talibus nullam habet notare habitudinem secundum quam fiat constructio. Similiter autem est etiam in partibus quæ sunt ut primæ substantiæ partes : quædam enim manus non dicitur alicujus quædam manus, sed simpliciter dicitur alicujus manus. Et illius causa est, quia quamvis dicat substantiam quæ est pars alicujus totius, et in nomine manus per rationem manus ut est organum intellectus et organum organorum, importetur comparatio ad motorem manus, per quod efficitur motor, ita quod non absoluta sit a rela-

tione, tamen per hoc quod dicitur quædam manus, fit singularis manus : et est idem quædam manus, quod hæc manus demonstrata, et demonstratione determinatur ad hoc quod sub sensu est, quod secundum quod sub sensu est, non referatur ad alterum : et ideo nihil est dictu, alicujus quædam manus : et hæc est vera causa. Nec est curandum de hoc quod alii dicunt in loco isto.

Per eamdem etiam rationem quoddam caput non dicitur alicujus quoddam caput, quia quamvis caput sit dicens substantiam sub comparatione ad motorem cuius est caput, cum tamen refertur ad hoc singulare per hoc quod dicitur quoddam caput, quod idem est quod hoc caput, non dicitur nisi sub accidentibus quibus demonstratur : et per hoc non dicitur ad aliquid, quia comparatio quam dicit in nomine, non est demonstrabile accidens : et ideo non dicitur alicujus quoddam caput, sed dicitur alicujus caput sine determinatione ad hoc singulare propter comparationem quam importat nomen, quando absque determinatione ponitur ad singulare : tunc enim est nomen organi sive organicæ partis quæ semper secundum rationem sui nominis refertur ad aliquid cuius est organum : talia enim quæ talem in nomine important comparationem dicuntur ad aliquid, ut dixit Plato.

Similiter autem manifestum est in secundis substantiis quæ de toto significant, quod non dicuntur ad aliquid : et hoc patet inducendo in pluribus, ut homo non dicitur secundum nomen alicujus homo : quia homo absolute nominat substantiam, et per rationem nominis nullam addit supra substantiam comparationem quæ in nomine significetur. Et per eamdem rationem non dicitur bos alicujus bos sub nomine bovis, vel lignum alicujus lignum sub nomine ligni, sed hoc si alicujus dicitur, erit sub alio nomine, comparationem ad aliquid in modo signifi-

<sup>1</sup> Et ideo supra, in cap. 6, dicit quod geniti-

vus est maxime præpositus relativis.

candi importante, ut si dicatur possessio, quia possessio importat ad possessorem comparationem, dicitur enim possessor possessionis possessor, et possessio possessoris possessio. In his igitur substantiis manifestum est quoniam sub nominibus primæ et secundæ substantiæ non sunt ad aliquid.

In aliquibus autem secundis substantiis de parte organica et non de toto significantibus habet aliquam dubitationem propter hoc quod nomen partis organicæ non dicit substantiam nisi stantem sub comparatione, quæ quia importatur in nomine, necesse est quod semper dicatur ad aliquid, quamvis secundum esse suum quod est substantiale, scilicet esse ex carnisbus et ossibus non sint ad aliquid: talia ergo dicuntur ad aliquid et non sunt ad aliquid secundum id quod sunt sive secundum esse substantiale a quo impunitur nomen. Sic ergo caput dicitur alicujus caput, et manus alicujus manus, et singula nomina partium organicarum sunt hujusmodi secundum dici relata ad aliquid et non secundum esse: propter quod hoc nomina partium organicarum secundæ substantiæ fortasse ad aliquid esse alicui videbitur.

Videtur enim fortasse alicui quod sicut est in dici per nomen, ita sit secundum esse, quod tamen non est verum ut patet inferius: cum hoc fuerit causa deceptionis Platonis, qui omnia talia dicebat esse ad aliquid propter modum eorum quæ sunt ad aliquid quæ important in dictione. Si ergo aliquis concedat quod diffinitio eorum quæ sunt ad aliquid, sufficienter est assignata, ita quod convertibilis sit cum his quæ sunt ad aliquid, aut nimis difficile aut impossibile est solvere quin secundum illam diffinitionem aliqua substantia sit ad aliquid. Si enim quæcumque ad aliquid dicuntur secundum nomen, et ad aliquid sunt secundum esse et veritatem, ut dixit Plato, impossibile est evadere quin pes, manus, et caput (quæ sunt secundæ substantiæ) sint ad aliquid, et præcipue si concedatur quod est

idem dici ad aliquid et esse ad aliquid. Si autem dicatur quod dici ad aliquid secundum nomen connotans relationem, non sit esse ad aliquid secundum veritatem, adhuc difficile erit solvere vel evadere quin aliquæ secundæ substantiæ sint ad aliquid: quia nomen manus et nomen capitidis et nomen pedis et hujusmodi, quamvis materialiter dicant substantias tanquam id cui imponitur nomen, tamen formaliter quantum ad proprietatem a qua imponitur nomen, dicunt id quod refertur ad aliud, quia dicunt id quod dicunt per modum organi et officialis membra ad actum aliquem: tale autem nomen dicit relationem ad aliquid, scilicet ad motorem cujus est tale organum. Boetius tamen et Alexander dicere videntur quod cum dicitur, aut nimis difficile, aut impossibile est solvere, quod unum dicitur ad alterius expressionem: ac si diceretur, nimis difficile est et, ut expressius dicitur, impossibile est solvere.

Si autem dicatur quod inducta diffinitio non sufficienter sive convertibiliter est assignata, sed sit corrigenda, quia sunt ad aliquid, quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere et non solum dici, tunc fortasse aliquid dicetur. Et dici potest contra illa, scilicet quod substantiæ secundæ sicut substantiæ non sunt ad aliquid nisi secundum modum quemdam qui est in dictione: quia tunc ista nomina, pes, manus, et caput, partes substantiæ principaliter significant, et substantia non est composita nisi ex substantiis, et secundario per modum significandi connotant cum principali significazione id quod dicitur ad aliquid: et hoc quidem est verum. Ea autem quæ sunt ad aliquid, in principali significacione dicunt id quod suum principale esse est ad aliquid, et esse suum habet ab eo ad quod est, et non a seipso, nec in seipso, sicut pater, et filius, et dimidium, et hujusmodi.

Hæc autem diffinitio differt ab alia quæ præinducta est: quia prior diffinitio sequitur omnia relativa, sive secundum

Alia diffinitio eorum quæ sunt ad aliquid, et est Aristotelis.

veritatem sint aliquid, sive secundum modum solum : sed non propter hoc inest omnibus relativis, quod hoc ipsum quod sunt secundum totum suum esse aliorum dicantur : hoc enim non omnibus convenit relativis : quædam enim connotant cum principali significatione modum relativorum, et non secundum veritatem. Hoc Plato videtur ignorare.

Et sic caput et manus connotant id quod dicitur ad aliquid: principali autem significatione dicunt substantiam. Et hæc est vera solutio difficultatis inductæ : quia sic reducitur nomen relationis ad rem quæ est una de rebus primis vel de primis generibus rerum, quæ significare contingit per unam de primis vocibus prædicabilium.

#### CAPUT IX.

*De proprio verorum relativorum quod est si quis noverit unum eorum diffinitæ, et reliquum noscet diffinitæ.*

Ex his autem potest haberi, quod ex quo eorum quæ sunt vere ad aliquid, esse et quidditas est ad aliquid, quod si quis diffinitæ, hoc est, determinate per veram diffinitionem, novit unum eorum quæ sunt ad aliquid, sequitur quod id ad quod est et ad quod dicitur, per veram diffinitionem sciturus est : et hoc est unum relativum diffiniri non quidem per reliquum, sed diffiniri ad reliquum : nec intellectus quidditatis sive diffinitionis ejus stat ut determinatum nisi determinari significetur ad alterum, sicut cum dico, pater filii pater, et filius patris filius. Palam ergo hoc est quod dictum est. Si enim novit aliquis diffinitæ id quod ad aliquid est secundum veritatem et esse suum, hoc est, si esse talis quod ad aliquid est, diffinitum et certum quodammodo habet, hoc est, secundum relationem se habere, ita quod habeat esse principale relationis, necessario sequitur quod etiam novit diffinitæ ad quod se habet illud quodammodo sive secundum

relationem : et hoc non sequitur nisi quia diffinitæ non ponitur primum, nisi alterum ponatur determinate secundum vocem secundum esse diffinitam. Si enim non novit hoc ad quod id quodammodo, hoc est, secundum relationem se habet cum diffinitæ ponatur in diffinitione, idem est sciturus si id quod dicit esse ad aliquid, se habet ad id secundum esse. Hoc autem palam est per inductionem in singulis, ut in hoc quod est duplum : si quis enim diffinitæ novit, quod hoc est duplum, et diffinitæ intellectus quidditatis ejus assignatur secundum nomen certum ad id cuius est duplum, sequitur quod mox ipsa assignatione novit et hoc cuius est duplum : quia hoc certa nominatione exprimitur in dupli assignatione, cum dicitur duplum dimidii duplum. Si autem nihil sive nullo modo diffinito et certo novit cuius est duplum, sequitur quod etiam omnino non novit, quod id est duplum quod duplum esse dicebat. Similiter etiam si novit diffinitæ in comparativo, quod hoc melius vel majus est, sequitur etiam quod diffinitæ cognovit quo melius est : quia comparatio aliter vaga esset, quæ significatur in comparativo, cum nulla possit esse comparatio nisi finita in terminis : quia aliter comparationis non habet intellectum. Propter quod generaliter concluditur, quod est necessarium, quod si quis diffinitæ novit unum relativorum, etiam id ad quod dicitur, secundum relationem diffinitæ cognoscere necessarium est.

Si autem objicitur contra hoc quod relativæ opposita sunt, opposita enim nata non sunt se invicem diffinire, Dicendum quod uniuscujusque rei debet esse diffinitio secundum modum quidditatis ipsius : esse autem et quidditas relationis non est esse absolutum et quidditas absoluta, nec ex genere et differentia constituitur sicut ens absolutum, sed sicut ens dependens, et quod plus est sicut dependentia quædam ad aliud, et dependentia est ei pro genere, et correlativum ad quod est, sibi est pro differentia fini-

objectio.

Solutio.

ente ipsum ut actu sit relativum : et ideo sic non per ipsum sed ad ipsum diffinitur, sicut in esse et quidditate est ad ipsum<sup>1</sup>, et hoc modo utrumque diffinitur per reliquum. Nec tamen sequitur quod unum sit notius altero, vel prius altero, vel simplicius altero, secundum quod esse utriusque finitur et determinatur per reliquum : nec est inconveniens, quod id quod est ad aliquid, non diffiniatur sicut prædicamenta alia, quia esse suum non est sicut esse aliorum<sup>2</sup>.

Ex his autem manifestum est quod manus et caput et similia quæ sunt de numero eorum quæ sunt substantiæ sicut partes substantiæ secundæ, hoc ipsum quod sunt secundum esse substantiale quod in nomine principaliter significatur, potest sciri diffinitive secundum quod est pars componens substantiam : et propter hoc non est necessarium scire hoc ad quod dicuntur, quia non habent relationem nisi in connotato in nomine, et non in principali significatione : et ideo in ratione capitum et in ratione manus quantum ad principalem significationem non est dici diffinitive cuius est hoc caput et cuius est hæc manus : quia caput et manus diffiniuntur non ad id cuius est caput et cuius est manus<sup>3</sup> : et sic non potest diffiniri pater vel duplum : vel melius propter quod sequitur, quod secundum veritatem et esse suum principale non sunt ad aliquid. Si autem hæc quæ sunt partes substantiæ secundæ, non sunt de numero relativorum, cum de illis magis videatur quam de aliis, necesse est dicere quod nulla substantiarum primarum vel secundarum sit ad aliquid secundum veritatem.

Tamen fortasse difficile est de hujusmodi relativis confidenter, hoc est, ratione certa aliquid determinare propter similitudinem eorum quæ dicuntur ad aliquid, ad ea quæ sunt ad aliquid secun-

dum veritatem, nisi saepè subtiliter retractata sint, ut distinguantur ea quæ dicuntur ad aliquid ex connotato, ab his quæ dicuntur ad aliquid secundum esse totum et quidditatem et secundum veritatem. Pertractando autem subtiliter dubitate de singulis horum quid hoc vel id sit non erit inutile, quia sic invenitur veritas eorum quæ dicuntur ad aliquid, et eorum quæ sunt ad aliquid secundum esse suæ quidditatis et secundum veritatem. Propter quod dicit Aristoteles<sup>4</sup> quod potentes ad utramque partem dubitare, de facili speculabuntur quid sit verum et quid sit falsum in unoquoque.

Attendendum tamen quod multis modis dicitur ad aliquid, scilicet ut ad finem et actum propter quem est, sicut oculus ad videndum, et securis ad incidendum, et multæ substantiæ sunt ad aliquid. Dicitur etiam ad aliquid ut materia ad formam, et sic propria materia est ad propriam formam. Et dicitur ad aliquid ex connotato cum principali suo esse, sicut caput, et manus. Et dicitur ad aliquid secundum principale et totum esse, sicut pater et duplum : et sic nulla substantia est ad aliquid, ut dictum est. Sic igitur corrigi debet diffinitio : non enim facit esse prædicamentum, habere in aliquo alicuius prædicamenti modum, quia etiam differentiæ substantiales habent qualitatis modum, et non propter hoc sunt de prædicamento qualitatis.

Nota.

## CAPUT X.

*De dubitalibus quæ sunt circa prædicta.*

Est autem dubitatio quæ oritur ex his quæ dicta sunt : si enim relativa sive ad aliquid sunt quæcumque, hoc ipsum quod sunt, alterius sunt, et ex comparatione ad aliquid habent esse : tunc videatur quod unum accidens aliquo modo ha-

Prima  
objectio.

affirmat quod caput, manus et hujusmodi possunt capi materialiter et formaliter.

<sup>4</sup> ARISTOTELES, In I Topicorum, cap. 2.

<sup>1</sup> Id est, ad reliquum.

<sup>2</sup> Cf. 6 Topic, cap. 5.

<sup>3</sup> Hic nota quod videtur D. Albertus contradicere his quæ dixit in capite præcedenti, ubi

bet esse in duobus subjectis, ita tamen quod remanet idem in essentia: qua enim ratione est in uno, eadem ratione est in alio: dicitur enim pater filii pater: nec potest uno subjecto determinari vel diffiniri.

**Secunda.** Adhuc autem videtur quod secundum hoc duas oppositæ relationes sunt una numero relatio, sicut paternitas quæ est in patre respectu filii, et filiatio quæ est in filio respectu patris.

**Tertia.** Item videtur quod filiatio et paternitas non differant nisi penes terminos, sicut via quæ est a Thebis ad Athenas, et ab Athenis ad Thebas, quæ eadem est, quamvis terminis differat.

**Quarta.** Adhuc quæcumque comparationes ab eisdem comparatis et eadem causa comparationis sunt, essentialiter illa sunt eadem: sed paternitas et filiatio et universaliter quæcumque relations vel correlationes ab eisdem comparatis et eadem causa comparationis contrahunt esse: videtur ergo quod eadem sint in essentia.

**Quinta.** Adhuc autem quæritur, si paternitas relatio est, ad quid refertur? si dicatur quod ad filiationem, videtur quod falsum sit, quia relationes generantur ex motu aliquo, sed circa filiationem non fit motus, sed circa filium.

**Sexta.** Adhuc filius refertur ad patrem filiatione: si igitur filiatio etiam refertur, aliqua relatione refertur, et relationis est relatio, et hoc procedet in infinitum.

**Sepima.** Adhuc generatione activa pater efficitur pater, et fit paternitas in ipso: et si generat alium filium, eadem ratione fit in ipso nova paternitas, et eadem ratio est de tertio, ac deinceps: videtur ergo quod multæ paternitates secundum idem fiunt in eodem. Sed contra hoc est: quia duo accidentia ejusdem speciei non possunt esse simul in eodem secundum idem, sicut duas albedines: fiunt enim unum accidens, quia nec essentiæ ac substantiæ possunt habere differentiam. Ergo etiam duas vel plures paternitates in eodem secundum idem esse non possunt.

Si dicatur quod distinguuntur respectu diversorum filiorum, contra hoc est, quia secundum quod sunt in patre, per hoc distingui non possunt. Adhuc autem relatio accidens est genere, quia in subjecto est, et postea est comparatio ad alterum: ergo habet in se duo: et sic generalissimum est compositum, ut videatur.

Ad hæc autem et his similia dicendum videtur quod unum accidens non est in duobus subjectis ut subjectis, sed unum in uno ut subjecto, et in altero non ut in subjecto, sed sicut in termino et fine ad quem sumitur dependentia ipsius, sicut paternitas est in patre ut in subjecto, et in filio ut in termino ad quem sumitur dependentia ipsius: et sic filiatio est in filio ut in subjecto, in patre autem sicut in termino finiente dependentiam ipsius: et hoc est ad patrem et non in patre: et sic pater cadit in diffinitione filii, et e converso. Nec est inconveniens, quod hoc modo diverso unum accidens ad duo se habeat.

Ad aliud dicendum quod duas oppositæ relationes, sive correlationes non sunt una: comparatio enim relationis in medio duorum relativorum nihil est: quia, sicut jam dictum est, relatio in uno non est, sicut in subjecto, et non extenditur essentialiter ad aliud: sed unum dependet ad ipsum secundum intellectum.

Et quod objicitur de eadem via quæ est de Thebis ad Athenas, et e converso, dicendum quod omnino simile non est, nisi in terminis: medium autem extensem non habet, sed per extensionem non habet nisi inclinationem dependentiæ unius ad alterum, et ideo non est omnino simile.

Ad aliud autem dicendum quod paternitas, et relatio, et hujusmodi abstracta, sunt de prædicamento relationis in genere vel in specie, ut concepta et non ut exercita: et ideo talia ad nihil referuntur, sed ipsis ut formis ea quæ referuntur ad invicem, scilicet relativa, referuntur, relatio relatione, et pater paternitate, et

Ultima.

Responsio  
ad primam.Ad secun-  
dam.Ad quar-  
tam, et quin-  
tam, et sex-  
tam.

hujusmodi, et ideo non itur in infinitum.

**Ad septimam.** Ad aliud dicendum quod multæ paternitates non fiunt in uno : cum enim unum sit principium ex quo generat pater, et actus generationis specie unus ad omnes genituras, una erit paternitas ad omnes : sed multi filii multis filiationibus numero referuntur ad istum unum patrem.

**Objectio.** Et si objicitur quod mortuo filio non est pater ; et ponamus quod unus filiorum moriatur, tunc videtur semper quod una paternitas destruitur, et manet, Dicendum quod non est verum : non enim facta tali positione destruitur paternitas simpliciter, sed destruitur respectus ejus ad hoc, et hoc non est destrui simpliciter.

**Alia objectio.** Et si secundo objicitur quod paternitas

non est nisi respectus, et si destruitur quoad respectum, tunc videtur destrui simpliciter, Dicendum quod hoc non est verum : manet enim adhuc in causa, et ideo non simpliciter destructa est : dico enim quod manet in causa ad effectum reducta respectu aliorum filiorum.

Ad ultimum dicendum quod relatio est **ad ultimum** accidentis : et ita oportet quod aliquid addatur accidenti per quod fiat hujus generis accidens : et sic omne generalissimum est compositum ex duobus intelligibilibus : propter quod generalissima dicuntur species entis : unde etiam propria non assignantur eis nisi prout sunt species entis : quia omne proprium causatur a specie, ut dicit Boetius ; species autem habet duos intellectus, sicut saepe in scientia de *Universalibus* dictum est.

Solutio

Generalia  
ma dicunt  
species  
tis, nec p  
pria eis  
signant  
nisi pro  
sunt spec  
entis.

## TRACTATUS V

## DE QUALITATE.

## CAPUT I.

*Quid sit qualitas, et secundum quam intentionem sit unum de decem prædicamentis.*

**Natio ordi-**  
**nin bus**  
**prædicamen-**  
**tum qualiti-**  
**tatis.**

Postquam jam dictum est de quantitate quæ cum substantia proxima ordinanda fuit, eo quod substantia motui et alterationi secundum quam fiunt formæ accidentales multæ in substantia, per quantitatem subjicitur, eo quod non movetur, nisi quantum, ut probat Aristoteles<sup>1</sup>; postquam etiam ad aliquid determinatum est, quod alteram partem accidentis importat, quod est ad aliquid quodammodo se habere: nunc de qualitate restat dicendum, eo quod per qualitates activas et passivas ad agere et pati substantia disponitur, quæ sunt sequentia prædicamenta: per ad aliquid autem quodammodo efficitur susceptibilis ubi et quando, situs et habitus. Et ideo ista quatuor prædicamenta quasi principia disponentia ad illa sex quæ sequuntur præmittuntur. In quantitate enim determinatur de esse quod accidenti convenit; in ad aliquid autem determinatur ad aliquid se habere, a quo non absolvuntur ubi et quando, situs et habitus: in qualitate disponitur substantia ad agere et pati, quæ duo qualitatem consequuntur. Hæc igitur quatuor præcedunt, ut substantiam ad sequentia disponentia. Et quia ad aliquid se habere accedit ex comparatione suæ substantiæ ad aliquid, qualitas autem ex hoc quod est activa

**Quare ad**  
**aliquid pre-**  
**ponit qualiti-**  
**tatem.**

vel passiva ab alio vel in aliud, ideo ad aliquid ordinatur ante qualitatem.

Assignando igitur qualitatis descriptio nem dicimus, quod qualitatem describens, dico secundum quam ut formam accidentalem quales dicimur per denominationem. Non enim, ut diximus in ante habitis<sup>2</sup>, denominatio a substantia fieri potest, eo quod forma substantialis abstrahi non potest, eo quod est in ratione subjecti de quo prædicatur, sive sumpta in potentia ut notio totius, sicut signatur in differentia, sive sit notio totius implicite, sicut significatur in specie, sive sit notio totius explicite, sicut significatur in diffinitione: et ideo non secundum illam quales ut quales dicimur, sed potius quod vel quale quid dicimur. Et quia differentia secundum Porphyrium et Antiquos non in quale tantum sed in quale quid prædicatur, quia quamvis prædicetur in quale, tamen quid efficitur in eo de quo prædicatur. Quantitas autem non est secundum quam quales dicimur, sed secundum quam quanti vel aliquanti dicimur. Ad aliquid autem et alia prædicamenta sunt secundum quæ dicimur ad aliquid nos aliquo modo habere, quia comparatione unius ad alterum non absolvuntur<sup>3</sup>. Et ideo soli qualitati convenit quod secundum eam simpliciter et absolute quales dicimur: hoc enim nec substantiæ, neque quantitati, neque ad aliquid simpliciter convenit, quia forma substantialis vel differentia non dicuntur simpliciter quale, sed quale quid, ut diximus. Alia autem prædicamenta et formæ acci-

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 6 Physic. tex. com. 32.

<sup>2</sup> Vide supra in capite de denominativis.

<sup>3</sup> Ex quo patet quod septem sunt prædicamenta respectiva.

dentales et prædicamenta accidentalia, aut dicunt id secundum quod formæ accidentales, et prædicamenta accidentalia qualitatem accipiunt per accidens in subjecto, quamvis non insit nisi substantiæ, aut dicunt id quod est ad aliquid se habere.

Tertius autem modus prædicationis remansit, qui est quales dici : secundum quem modum activum et passivum substantia quæ est subjectum efficitur. Et iste modus inter simplices modos prædicandi remansit solus. Simplices autem dico, qui in suis prædicandi modis nihil aliud concipiunt, nisi unum modum simplicem<sup>1</sup>. Omnes enim sex alii modi prædicandi aliquid præter se concipiunt in subjecto de quo prædicantur, sicut actio principium actionis, passio principium passionis, et quando, et ubi, et situs, et habitus concipiunt unius ad alterum comparationem. Isti autem quatuor prædicandi modi simplices sunt, sicut substantia in quid, quantitas subjecti in quantitatem dimensionum, ad aliquid in comparationem, et qualitas in qualitatem secundum quam affecta vel disposita substantia perfecta est ad agere et pati. Et quia antecedentes tres modi sunt substantiæ ut substantia est, ideo prius de ipsis erat agendum. Quia vero qualitas non est substantiæ, ut substantia est in seipsa vel comparata, sed est ipsius ut perficitur ad id quod est agere et pati, propter hoc quarto loco de hoc prædicamento est agendum.

Sic ergo qualitatem describens dico secundum quam simpliciter nos, qui homines sumus, quales dicimur : quia quamvis et alia qualia dicantur secundum aliquam qualitatem, tamen non omnia omnium qualitatum sunt susceptiva : sed solus homo inter ea quæ nota nobis sunt, contrariarum est qualitatum susceptivus : habitus enim et dispositionis secundum

*Alia ratio ordinis prædicamenti qualitatis.*

*Solus homo est susceptivus omnium qualitatum inter omnia animalia.*

<sup>1</sup> Quatuor ergo tantum sunt modi prædicandi simplices, scilicet substantiæ, quantitatis, qualitatis et ad aliquid: alia autem sex principia

omnes species et habitus dispositionis non est susceptivus nisi homo, et non alia existentia nota nobis. Hæc est igitur causa quia sic dicimus, quod qualitas est secundum quam quales dicimur, et non dicitur secundum quam qualia dicuntur.

Et quod posset objici quod differentia est secundum quam quales dicimur, jam solutum est : non enim secundum differentiam simpliciter quales dicimur, sed etiam quid : quia, ut dicit Porphyrius, differentia est quod ad esse substantiale conduceit, et quod ejus quod est esse rei pars est : omnis autem alia forma accidentalis quamvis in quale prædicetur omne accidens, non tamen dicit quale simpliciter, sed potius vel quantum, vel aliquo modo se habere addit supra quale quod prædicat præter solam qualitatem accidentalem : et ideo sola qualitas per quale secundum eam dici recta diffinitio diffinitur.

Si autem aliquis objiciat quod quale est quod a qualitate quale dicitur, et quale per qualitatem et qualitas per quale diffinitur, et est idem notius et ignotius altero, et e converso, et idem notius et ignotius seipso. Facile est respondere secundum antedicta, quod scilicet quando quale per qualitatem diffinitur, datur diffinitio ex notioribus simpliciter : quando autem e converso qualitas per quale diffinitur, tunc datur per notiora quoad nos, et hoc modo non est inconveniens idem esse notius et ignotius altero nec seipso.

Ab his autem facile est intelligere in qua intentione qualitas vel quale sit prædicamentum : est enim qualitas vel quale prædicamentum secundum quod est prædicans simpliciter quale et nihil aliud : hoc enim est solum quale accidentale omnino absolutum a comparatione et quantitate quæ possint ipsum ad aliud genus prædicamenti determinare, sicut dimiximus.

*Objectio.  
Solutio.*

*Objectio.*

*Solutio.*

*In qua intentione qualitas vel quale sit prædicamentum.*

aliquid præter se concipiunt in modo prædicandi.

Ex hoc autem facile patet quare de prædicamento quantitatis non diximus, quantitas est secundum quam quanti dicimur: quantitas enim in quale prædicatur, eo quod est accidens: sed id quale materiale est in ipsa ad quantitatem per quam ad genus prædicamenti determinatur. Et ab illo communi quanto unius modi non poterat haberi communis denominatio, quia aliter fit denominatio a quantitate discreta et aliter a continua, Adhuc autem quantitas est propinquissima substantiæ, et ideo subjectum potius constituit secundum esse quo substare potest motui qui est secundum accidentia, quam denominet proprie loquendo. Qualitas autem continet terminos motus secundum quos fit substantiæ denominatio.

**Objectio.** Et si quis objiciat quod motus etiam est in quantitate et sic deberet esse denominatio. Jam in ante habitis hoc solutum est, quod motus non est in quantitate secundum quod est quantitas, sed secundum rationem perfecti et imperfecti quæ sunt qualitates in quantitate. Contingit ergo proprie soli qualitati simpliciter secundum quale denominatio, et secundum hoc simplex prædicatum ipsa est prædicamentum: quia etsi in aliis prædicamentis quale prædicatur, tamen ad aliud aliud formale determinatur.

**Solutio.**

qualitatis, quorum nullum per alterum participat qualitatis prædicationem, et ideo species qualitatis ab hoc communi quod est qualitas, exeunt ut multitudo. Propter quod dicimus, quod qualitas de istis dicitur ut de multis, et non de uno per quod de aliis dicatur, sicut substantia, vel aliud genus: quia etiam in quantitate quantitas continua non fit mensura substantiæ nisi quantitas continua fiat numerus. Et in aliquid ad ea quæ sunt ad aliquid secundum modum, oportet quod respiciatur ad ea quæ sunt ad aliquid secundum veritatem, et sic ad unum ordinantur. In qualitate autem statim commune multiplicatur in quatuor, quorum unum non participat commune per alterum, sed sunt coæqualia sub ipso quod commune est.

**Objectio.** Et si queritur, secundum artem dividendi cujus sit divisio, quando dividitur qualitas in quatuor genera vel species qualitatis? Constat quod non potest reduci nisi ad generis in suas species divisionem: sed illæ quatuor species sunt coæquæ sub genere, et nulla alteri subalterna.

**Solutio.** Si autem objicitur quod divisio debet esse bimenbris, Dicimus quod hoc verum est quando datur omnino per differentias in genere vel specie constituentes: has enim oportet esse oppositas per affirmationem et negationem, sicut rationale et irrationale: quando autem datur divisio accidentis in modos vel species quibus accidens efficitur in substantia, non oportet: quia illi modi non sunt finiti, nec finitam stantem et ordinantem habent causam. Et ideo oportet dare talem dispositionem per modum multiplicitatis et multitudinis: et sic est de speciebus qualis et qualitatis, nam in qualitate talis convenit divisio. Et haec est causa quod (sicut dicunt Alexander et Boëtius) ipse Aristoteles hoc prædicamentum intitulavit de quali et qualitate: quia qualitas non cognoscitur nisi ex modis ejus quod est quale, cum de modis substantiæ qualitas haec vel illa causetur.

**Objectio.** Prima autem harum est, quæ commu-

## CAPUT II.

*Qualiter qualitas multipliciter dicitur, et de speciebus ejus.*

Est autem qualitas secundum quod sic in communi accipitur ut prædicamentum, de numero eorum quæ multipliciter dicuntur. Non autem sic dicitur multipliciter, ut æquivocum, vel analogum quod per prius et posterius dicitur, sed est multipliciter dictum ut genus, quod per diversas differentias in ea dividitur quæ sunt sub ipso æqualiter, ita quod æque exeunt ab ipso, et non unum per aliud. Sic enim sunt quatuor genera vel species

**Objectio.****Solutio.****Objectio.****Solutio.****Quomodo****intelligitur****illud dictum****quod divisio****debet esse****bimenbris.**

*Prima spe-  
cies qualita-  
tis.*

nus respicit substantiam, quæ habitus et dispositio dicitur: hæc enim incorporeæ substantiæ convenit et corporeæ rei quæ est ex utrisque composita, ut homo. Et convenit secundum animam et secundum corpus: quia scientia et virtus secundum animam insunt homini, et sanitas et complexio quæ sunt habitus et dispositiones, insunt homini secundum corpora. Habitus igitur et dispositio primæ sunt species qualitatis.

Quamvis autem circa idem sunt habitus et dispositio, et ideo dicuntur una species qualitatis, tamen quia oppositum modum vel oppositos modos dicunt circa idem subjectum in quo sunt, et quod secundum ea quale dicitur, unum nomen habere non possunt, quia opposita non significat nomen unum, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>. Et hæc est causa quare unus modulus dicitur habitus, et alias modus dicitur dispositio. Habitus autem est nomen perfecti in hac specie, dispositio autem est nomen imperfecti. Et ideo principale nomen est habitus, et secundarium quod adhuc est in fieri, est dispositio. In quocumque autem sunt (ut dictum est) circa idem sunt, non ex æquo, sed secundum quod subjectum per ea quale efficitur: hoc enim movetur ad hoc, et est in fieri: et postquam perfecte ad hoc motum est et in facto esse, et tunc est perfectum: et ideo quamdiu est in fieri, est in dispositione: quando autem est in facto esse, tunc est in habitu. Habitus igitur est actus quidam, dispositio autem est admixta potentiae.

*Quomodo  
differt habi-  
tus a dispo-  
sitione.*

Ex quo patet quod habitus differt a dispositione, eo quod habitus diurnior est et permanentior in subjecto in quo est: quod fit vel usu temporis, vel radicatione in subjecto quæ fit per remotionem eorum quæ impediunt subjectum ad expedite agendum id cuius accipit habitum: dicit enim Averroës<sup>2</sup>: habitus est quo quis aliquid agit quando voluerit. Unde habitus est qualitas faciens potentiam ad

perfecte agendum effectum illius potentiae proprium, sive sit potentia animæ, sive corporis. Tales sunt habitus intellecutales, vel rationales, vel opinativi, vel virtutes quæ insunt secundum voluntatem, et secundum alias partes appetitus, sicut est concupisibilis et irascibilis, et etiam secundum rationem secundum quod ipsa est rationem participans: quia secundum hæc ordinativa est aliorum, et est in ea sicut virtus moralis quæ dicitur justitia. Scientia enim et virtus secundum suum nomen videntur esse de numero eorum quæ sunt permanentia, et sicut perfecta, et stantia et radicata in subjecto: et videntur esse de numero eorum quæ difficile moventur, sive removentur a subjecto. Hujusmodi autem exemplum est, ut si dicamus aliquem mediocriter scientiam sumere: sumens enim eam non fortiter non tenet, quia de facili delebile est, quod ad perfectum non est acceptum: sed postquam sumpta est, difficile mobilis est a subjecto, nisi forte fiat grandis permutation per aliquam amentiam, aut apoplexiā, vel aliud hujusmodi. Et quia non nisi magnis accidentibus mutatur, propter hoc quidem non omnino immobile est, sed difficile mobilis esse videatur.

Per ægritudines autem maxime fiunt hujusmodi permutations, quia quamvis tales habitus insint secundum animam, quia tamen corpus organum est animæ, permutation corporis impedit animæ operationes et corruptit habitus tales. Talis etiam habitus (cum perfecte et ad actum expeditum habetur) dicitur. Similiter dicitur et virtus, quæ est fortitudo, et justitia, vel castitas et hujusmodi, quæ sunt de numero talium, quæ scilicet dicunt perfectiones ad proprium et generalem actum, sive sit naturæ, sive sit artis, sicut visus habitus est naturalis, et scientia et virtus habitus sunt acquisiti, et sanitas habitus corporis et ægritudo. Similiter quando talia perficienlia potentias animæ

*Removet  
dubium.*

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 4 primæ philosophiæ, tex. com. 27.

<sup>2</sup> Averroës, 3 de Anima, com. 18.

vel corporis ad actus sibi debitos, radicata sunt et adepta sic ut non facile possint a subjecto removeri nec facile permutari nisi ex magnis permutationibus, tunc dicuntur habitus, eo quod tunc habeantur adeptione perfecta: et quia tunc potentia quæ ante nutabat in actu et fluctuabat, stat in ipsis, sicut in forma perficiente et perfecta ad operationes illius potentiae.

**Habitus  
quare sic  
dicuntur.**

Affectiones vero dicuntur sive dispositiones, quando subjectum non nisi aliqualiter est affectum vel dispositum per illa, et potentia nondum adepta est perfecte, sed continue disponitur ad aliud. Et ideo tales dispositiones vel affectiones sunt facile et cito etiam parvis occasionibus permutabiles in contrarium, sicut calor quando primum afficit corpus, et non transivit in habitum, sicut in ethico in quo habetur calor ut habitus: et sicut frigiditas quæ primo afficit id quod tangit, et adhuc non transivit in habitum, sicut in eo qui frigida paralysi dissolutus est: et sicut sanitas quæ est habitus et medietates temperatæ ad naturam complexionis, et ægritudo quæ est hujusmodi medietatis distemperantia, et alia hujusmodi: circa enim talia quamdiu dispositiones sunt, afficitur homo quodammodo tactu metaphorio ad non magnam immutationem: cito enim et facili occasione permutatur homo talibus, sicut cum ex calido frigidus fit, et e converso: et sic facile ex sanitate in aliquam ægritudinem transit. Similiter autem est in aliis habitibus per modum habitus dictis. Dispositio enim quodlibet talium dicitur, nisi forte in his quæ dicta sunt sic fiat, quod contingat ea per longitudinem temporis transferri in aliquod simile naturæ cujuscumque, quod secundum ea quale dicitur: tunc enim vincit potentiam, et stat in eo potentia sicut in ultimo perfecto, et tunc est habitus: et tunc aliquis secundum ista efficitur insanabilis, hoc est, non facile sanabilis et permutabilis ad formam habitus: talis enim affectus sive dispositio afficiens quemcumque, non de facili mobilis efficitur, et est talis quem quilibet recte lo-

quens habitudinem vel habitum potius quam affectum vel dispositionem nominat.

Quod autem ipsa sua substantiali ratione velint habitudines nominari et non dispositiones, manifestum est quando sunt difficile mobilia et tempore diuturniora per quod transeunt in modum naturæ. Et hoc patet inductione: namque in disciplinabilibus qui disciplinas etiam non multum sunt retinentes, sed adhuc ab eis facile mobiles sunt per oblivionem, dicuntur habitum scientiæ disciplinalis non habere, quamvis ad disciplinam sint vel pejus vel melius forte dispositi et affecti. Propter quod patet quod differt habitus a dispositione non formaliter, sed in hoc quod dispositio facile mobile aliquid est, illud autem quod est habitus, diuturnius radicatum est et ideo difficile mobile.

Habent autem ad se invicem habitus et dispositio secundum quod quallem faciunt substantiam, quodammodo sicut inferius et superius: et ideo ad idem et ad eamdem pertinent speciem. Habitum enim sunt aliquo modo dispositiones sed dispositiones non necesse est esse habitus. Dispositio enim est id quod disponit ad aliquod agendum, et cum habitus perficiat et inclinet potentiam ad actum sive operationem, est habitus secundum hoc dispositio. Propter quod dicit Tullius, quod habitus est dispositio perfecti ad optimum. Et hoc modo vult Aristoteles in *Ethicis*, quod habitus est dispositio ad felicitatem. Sed dispositiones non necesse est esse habitus, cuius probatio est: quia qui retinent habitum, sunt etiam quodammodo dispositi, quia dispositio dicit ordinacionem potentiae ad actum. Unde habitum habentes dispositi sunt pejus vel melius ad ea quæ habent habitum. Qui autem quodammodo dispositi sunt, non sequitur omnino sive universaliter quod retineant habitum. Et hujus causa est, quod dispositio nomine suo non dicit nisi ordinacionem potentiae ad actum: et hoc potest esse vel plene adeptum, et sic est habitus, vel non plene, et sic non addit ali-

Quomodo  
dispositio  
est quodam-  
modo super-  
rius ad ha-  
bitum.

quid super commune nomen dispositio-  
nis, et vocatur nomine communi disposi-  
tio : et in quantum deficit a perfecto, op-  
ponitur habitui, et ideo nomen habitus  
non meretur.

## CAPUT III.

*De dubitationibus quæ sunt circa præ-  
dicta.*

**Prima dubi-  
tatio.** Est autem in his quæ dicta sunt multa  
dubitatio. Est enim primum dubium, cum  
una species qualitatis sit una forma sim-  
plex, videtur quod unico et simplici no-  
mine habeat nominari. Et videtur quod  
hæc species unum simplex nomen habere  
debeat, ut dicatur habitus vel dispositio  
tantum altero nomine, non autem dicitur  
habitus et dispositio tanquam utrumque  
nomen conveniat per copulativam con-  
junctionem.

**Secunda.** Adhuc propter hoc quod est facile mo-  
bile vel difficile, videtur quod non debe-  
ret nomen geminari vel variari : quia hæc  
accidunt eidem, et propter accidens no-  
men substantiale variari non debet, ut  
videtur.

**Tertia.** Adhuc autem cum ex similibus actibus  
similes relinquuntur dispositiones et ha-  
bitus, videtur quod tam habitus quam  
dispositio habeant causam efficientem  
quæ formaliter agit unum : cum autem  
formaliter agens non nisi ad formam  
suam agat in eo in quod agit et formam  
suam inducit, videtur quod dispositio et  
habitus sint unius formæ, sed a forma no-  
mina imponuntur. Videtur igitur, quod  
uno nomine formali debeant nominari. Et  
hoc quidem concesserunt Antiqui, ut vi-  
detur Boëtius innuere, et hoc quod nos  
dicimus dispositionem et habitum com-  
muni nomine applicationem nominaver-  
runt.

**Quarta.** Ulterius etiam quæritur, cum ex dispo-  
sitione fiat habitus, qualiter fiat habitus  
ex dispositione : quia enim ex actibus re-  
linquuntur dispositiones, oportet quod

aliquid formale relinquat primus actus et  
aliquid secundus, et sic deinceps : aut ergo  
idem est quod relinquitur ex actibus aut  
non est idem. Si idem, sequitur quod  
idem simpliciter secundum formam aga-  
tur a multis agentibus tempore divisis,  
quod non est intelligibile : idem enim et  
unum non potest habere multas causas  
æque propinquas secundum unum et idem  
genus causalitatis. Si autem diversa sunt  
quæ relinquuntur ex actibus, tunc quæ-  
ritur quid illa uniat in una habitus sub-  
stantia : hoc enim non potest facere sub-  
jectum, quia unitas subjecti non facit ac-  
cidentium unitatem : quia in uno et eodem  
subjecto multa sunt accidentia et  
genera et specie differentia.

Adhuc quæratur quot actus, vel quid  
sive quantum tempus exigitur ad hoc quod  
de dispositione fiat habitus ?

Adhuc secundum Aristotelem<sup>1</sup>, cum  
aliquis de non sciente fit sciens, est mo-  
tus quidam : in alteratione autem est mo-  
tus, in quo est quale post quale, et forma  
post formam, et continue fluxus de poten-  
tia ad actum : et secundum hoc videtur  
quod operationes habitum inducentes se-  
cundum formam scientiæ vel virtutis conti-  
nue alterent potentiam animæ et animam,  
donec veniat in actum perfectum scientiæ  
vel virtutis, et hoc sit ex dispositione fieri  
habitum, quod dispositio sit sicut motus, et  
habitus sit sicut finis motus, quando est in  
motum esse in actu perfecto. Sed si hoc  
conceditur, tunc videtur, quod operationes  
quæ disponunt, non sint continuæ sed in-  
terruptæ : et qui sic accipit habitum, non  
movetur motu continuo, sed interrupto :  
et videtur quod multoties sit in motum  
esse, et sic multoties in habitu, ut vide-  
tur.

Adhuc multi sunt habitus qui non fiunt  
ex præcedentibus dispositionibus, sicut  
habitus infusi et concreati : et sic non  
semper est habitus ex dispositione.

Adhuc ulterius quæritur de hoc quod  
videtur dicere Aristoteles dispositiones

**Quinta.****Sexta.****Septima.****Octava.**

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 2 de Anima, tex. com. 57.

esse affectiones: et videtur quod calidum et frigidum, sive calorem et frigus vocet dispositiones et habitus, quæ sunt potius in tertia specie qualitatis, quæ est passio vel passibilis qualitas. Si autem dicatur quod sunt in prima specie et in tertia secundum aliquem modum, contra hunc modum hoc est quod supra in ante habitus determinatum est, quod scilicet divisorum generum non subalternatim positorum diversæ sunt species et differentiæ: dispositio autem et habitus, et passio vel passibilis qualitas, diversa sunt qualitatis genera et non subalternatim posita.

**Ad primam.** Ad hæc autem et similia dicendum videtur, quod dispositio et habitus sunt una species et prima qualitatis, quæ facit quale secundum accidentalem denominacionem. Sunt autem una species ab una forma qua informatur subjectum in specie: quia dispositio ejusdem speciei est cum habitu, sicut si dispositus sit aliquis scibili logico vel geometrico, idem scibile perfecte habet quando scientiam habet in habitu. Unde scibile in dispositione, et scibile in habitu est ejusdem formæ in scientia, et propter hoc etiam una species et non duæ sunt qualitatis habitus et dispositio. Nominatur autem duobus modis: quia ipsa non nominatur tantum quale quod talis qualitas relinquit in subjecto secundum formam: sed nominatur et hoc accidens secundum quod est id quale in subjecto, secundum hoc quod perfecte subjectum habet illud vel imperfecte. Quæ duo quia modum habent oppositum, uno nomine nominari non possunt, sed unum est imperfectum, alterum perfectum ad actum: habens enim habitum sine impedimento agit cum voluerit, dispositus autem agit impedit. Et quia, ut dictum est, ad unam formam pertinent habitus et dispositio, ideo nomina perfecti et imperfecti per copulativam conjunguntur conjunctionem, quia indifferenter per esse perfecti et imperfecti quæ in motu uno ordinantur ad unum finem: ideo dispositio materialis est ad habitum, et dispositio est actus imperfecti, habitus autem

est actus perfecti et constituti. Hæc est ergo causa duorum nominum et ordinis dispositionis ad habitum, et copulationis quæ conjungit inter duo nomina.

Ad id autem quod objicitur, quod facile esse mobile vel difficile sunt accidentia qualis, secundum quod est in substantia, Dicendum quod hoc verum est, sed quia nomina ab his accidentibus imponuntur, propterea necesse fuit dari duo nomina. Et quod objicitur, quod duo sunt nomina illius qualis secundum formam, Dicendum quod hoc verum est, sed sunt nomina qualitatis illius, secundum quod quale quod dicit qualitatem illam, radicatum est in subjecto: et a talibus accidentibus saepe fiunt impositiones nominum, maxime autem in accidentibus quorum propria nominatio et etiam diffinitio est, quod nominentur secundum quod sunt in subjecto a quo et in quo esse et nomen et diffinitionem accipiunt: et hæc est causa quod duo sunt nomina illius speciei, quæ tamen in forma unum sunt et in fine.

**Ad tertiam.** Ad hoc autem quod objicitur quod ex similibus actibus similes relinquuntur dispositiones et habitus, Dicendum quod verum est, et verum est etiam quod sunt unius formæ: sed non semper a forma est nominatio: quandoque enim, sicut dictum est, fit denominatio ab accidente formam consequente, et sic fit hic quando dicitur dispositio et habitus. Ad hoc quod dicitur quod Antiqui hanc speciem uno nomine applicationis nominaverunt, Dicendum quod hoc verum est, et ideo per errorem decepti istas species dixerunt non esse species qualitatis, sed dixerunt eas per modos distingui per quos efficiuntur in substantia, sive per modos per quos insunt subjecto: et quia prima species est per modum acquisitionis per ipsas subjecti operationes, et quod per operationes acquiritur, subjecto paulatim applicatur, ideo primam speciem applicationem communem nomine dispositionis et habitus notaverunt. Et quia secunda species est de potentia consequente esse substantiale,

Ad secundam.

per quod efficitur aliquid potens ad agendum vel patiendum, ideo illam communis nomine naturalem aptitudinem dixerunt. Quia vero tertia est de his quæ casu agunt in sensibus passiones, vel aguntur ab illis, ideo illam speciem communi nomine vocaverunt casum. Quia autem per quartam speciem componitur substantia in partibus secundum certitudinem terminorum suæ quantitatis, ideo illam communis nomine vocaverunt compositionem. Et quamvis hoc illa ratione quæ dicta est verum sit, tamen patet quod illa nomina communia non dicunt species et formas differentes qualitate et quali quod a qualitate quale dicitur, et sic habent propriæ distingui secundum quod etiam species quantitatis, et ejus quod est ad aliquid distinctæ sunt: hæc autem in modo distinguendo unum nomen habere non possunt.

*Ad quartam.*

Ad hoc autem quod ulterius quæritur de relatione dispositionum et habitum ex actibus sive operationibus, Dicendum quod verum est quod ex similibus actibus similes relinquuntur habitus et dispositiones. Actus autem inducunt dispositiones et habitus duobus modis. Uno modo dispositiones et habitus contrarios a subjecto quod est potentia secundum quam fit operatio removendo: et hunc modum dixerunt Socrates et Plato, qui dixerunt scientias et virtutes inesse per naturam, et per studium et exercitium depurari subjectum ut eluceat in anima quod est per naturam, sicut lapis pretiosus positione quidem nihil accipit, sed cum abstergitur ab eo quod impurum est, tunc micat in eo puritas naturalis. Hic est ergo unus modus quo contrariæ dispositiones removentur. Secundus autem modus est quo generatur in actu forma in anima, quæ est operationi formæ similis, sicut in eo quod movetur forma motoris secundum actum, quæ antequam moveret motum, non fuit in eo quod movetur nisi secundum potentiam: et sic de potentia ad speciem ope-

rationis educitur anima in dispositione et habitu. Ad hoc autem quod quæritur utrum idem sit quod relinquitur ex primo actu cum eo quod relinquitur ex secundo, et sic deinceps, videtur secundum Aristotelem, quod idem est in substantia formæ sed diversum secundum esse: esse enim relictum ex prima operatione, magis est permixtum potentiae quam relicturnum ex secunda, sicut id motu quod est juxta principium, magis in potentia est quam id quod est juxta finem. Quod autem ulterius infertur, quod unum et idem sic habet multas causas secundum genus causalitatis, Dicendum quod nihil est inconveniens dummodo illud idem sit diversum secundum esse: quia sunt diversa agentia per quæ efficitur in esse, et esse diverso quoque stet in actu ultimo: et sic in uno alterato possunt esse diversa non specie sed numero alterantia, et in uno augmentato possunt esse diversa non specie sed numero augmentantia: et hoc nihil est inconveniens. Sed quod simul in una et eadem hora sint diversa, et æque immediata secundum unum et idem genus causalitatis in idem eodem modo agentia, hoc esse non potest.

Ad hoc autem quod quæritur quot *Ad quintam.* numero actus vel quantum tempus requiritur ad hoc quod ex dispositione fiat habitus, Dicendum quod non est determinare, quia subjecta non æque habilia sunt ad habitus susceptionem: et ideo in uno plura, in alio vero pauciora requiruntur.

Ad hoc quod quæritur de talis motus *Ad sextam.* continuitate vel interpositione, Dicendum quod nihil prohibet motum hunc ex parte mobilis esse continuum, et ex parte motoris esse interruptum. Hoc dicit Averroes super 2 de *Anima* et super librum de *Generatione et Corruptione*<sup>1</sup>, quod si aliquis per annum augeatur per spatum cubiti, non est necesse quod hoc qualibet septimanam, et qualibet die et qualibet hora proportionaliter secundum divisionem

<sup>1</sup> Vide etiam 3 Physic. com. 6 et D. Albertum,

ibid.

temporis augeatur : aliquando enim minus, aliquando plus augetur, cum semper exeat de imperfecto ad perfectum, vel exeundo a dispositione contraria, vel augmentum accipiendo. Ita etiam dicendum est hic quod motus est continuus ex parte mobilis continue deponendo dispositiones contrarias, vel speciem moventis accipiendo : sed non oportet quod motor semper maneat actu, quia forma quam primo impressit ipsa in se habens virtutem motoris, movet actu, sicut est virtus movens in semine : propter quod non sequitur quod motus sit aliquando ex parte mobilis interruptus. Et ideo dicit Boëtius quod scientia principiorum in sensibilibus seminalem sensualem habet virtutem ad scientias.

*Ad septi-  
mam.*

Ad hoc autem quod dicitur quod multi sunt habitus connaturales et concreati, qui ex dispositionibus non videntur relinquiri, Dicendum quod multi habitus connaturales ex dispositionibus relinquuntur naturalibus, ut habitus visus ad quem per principia alterantia disponitur oculus intuentis ex humorum oculi adunatione. Quidam etiam sunt ad quos subjectum per naturam statim dum esse dispositum est, et illi fundantur in dispositionibus suis, quamvis habeant dispositiones se tempore præcedentes.

*Ad octavam.  
Dispositio  
dicitur affec-  
tio per simi-  
litudinem  
quandam.*

*Quomodo  
color et fri-  
gus sunt  
dispositio-  
nes.*

Ad hoc autem quod dispositio dicitur affectio ab Aristotele, Dicendum quod hoc dictum est per quamdam similitudinem, quia sicut affectio est per suam operationem aliquid faciens, hoc est quod actione appropinquat, sed id in quod agit, nondum per actionem suam ad formam suam convertitur : ita dispositio est quædam patientis et moti ordinatio ad actum agentis quem nondum perfecte adeptum est : et per hanc similitudinem dispositio dicitur affectio. Et quod dicitur de calido et frigido per affectionem vel per modum habitus suscepto, totum per similitudinem dictum est ad modum accipendi habitum et dispositionem : et

non est ideo dictum quod calor et frigus per se sint habitus et dispositiones, sed ideo quia receptio eorum in subjecto aliquando est per modum dispositionis, aliquando per modum habitus. Et ex his patet solutio quæsitorum.

#### CAPUT IV.

*De alio genere qualitatis quod naturalis  
potentia vel impotentia dicitur.*

Aliud vero genus non quidem genera- Quod sit na-  
turalis po-  
tentia vel  
impotentia,  
et ex quibus  
causis cau-  
setur. lissimum, sed genus subalternum est, quod dicimus naturalem potentiam vel impotentiam. Est enim quædam qualitas in substantialibus principiis rei radicata, quæ totum substantiale esse constitutum et perfectum consequitur, secundum quæ quales, hoc est, potentes dicuntur ad facile faciendum vel patiendum, et non facile faciendum ea quæ sunt secundum naturam vel naturæ conservationem. Et quando quidem talis potentia causatur ex victoria formæ super materiam quam forma perfecte ad se terminat et tenet terminatam, ita quod contrariis resistit alterationibus, tunc vocatur talis qualitas naturalis potentia : naturalis quidem, quia in substantialibus principiis radicatur ; potentia autem est, quia est vigor et valor formæ super materiam ad agendum ea quæ sunt secundum naturam sine impedimento. Per oppositum autem naturalis impotentia causatur ex victoria materiæ et privationis super formam quam contraria impedit dispositio : quam materia perfecte comprehendere et ad se terminare non potest : et ideo vigor diminuitur ad actiones naturales, et facile patitur, et vincitur a contrariis. Et dicitur naturalis impotentia, non quia natura hujus defectus principium sit, sed quia natura impeditur contrariis dispositionibus ne ad talem vigorem possit pervenire.

Hoc igitur genus et non species dicitur<sup>1</sup>, quia convenientia in genere minor

<sup>1</sup> Hæc appellatio ab Aristotele est.

est quam convenientia in specie ; convenientia enim in genere convenient in potentia materiæ, convenientia enim in specie convenient in actu et forma : et quia naturalis potentia vel impotentia non convenient nisi in potentia materiæ, ideo dicuntur genus, quia in solo genere convenient. Et quia non uniuntur in uno hæc duo, ideo non per copulativam, sed per disjunctivam disjunguntur conjunctionem.

Naturalis igitur potentia est qualitas secundum quam habentes eam potentes ad naturalia dicuntur ; naturalis impotentia etiam quales facit secundum quam eam habentes impotentes dicuntur ad naturalia. Hæc igitur a principiis habita species, aliud est genus qualitatis secundum quod quales dicimus aliquos pugillatores, qui ex ipsis principiis naturam constituentibus apti sunt fortes ictus dare, ut qui fortiora et exercitata ad motum facilem habent brachia et non impedita : et secundum quod dicimus quosdam ex naturalium principiorum dispositione cur-

*Qui sint pugillatores.*

*Qui sint boni cursores.*

*Qui sint salubres, et qui sint insalubres.*

sores, qui valde longa et agilia et mobilia habent crura, et non magnum pondus corporis quod lassitudinem inducat. Et secundum quod quosdam dicimus salubres sive salvos, ut quorum caro proportionalis est in membris et densa et vestita undique modico adipe : hæc enim non recipit contraria, et fortiter tenet temperamentum complexionis, et a se repellit nociva. Contrarios autem horum in carnis dispositione dicimus insalubres vel ægrotativos secundum naturalem impotentiam, quia nihil horum quæ dicta sunt perficere possunt per potentiam naturalem, hoc modo dicimus sanativos vel ægrotativos. Et simpliciter sive universaliter dicimus omnia illa, et secundum hanc qualitatem qualiacumque dicuntur potentia vel impotentia secundum qualitatem quæ dicitur naturalis potentia vel impotentia. Hos enim dicimus sic potentes vel impotentes, quod aliquo modo sunt dispositi per aliud generatum in ipsis.

Unde non propter dispositionem adventientem dicimus unumquodque illorum naturaliter potens vel impotens, sicut illi qui per artem vel exercitium efficiuntur pugillatores vel cursores, vel operatione medicinæ fiunt sanativi vel ægrotativi : sed ideo dicuntur tales, quod habeant potentiam naturalem in principiis naturalibus fundatam ad facere quid facile eorum quæ sunt secundum naturam, vel nihil pati eorum quæ sunt contra naturam : sicut pugillatores vel cursores ex naturali potentia dicuntur, non quod sint dispositi arte vel exercitio, sed quia habent naturalem potentiam in principiis naturalibus fundatam hoc facile faciendi sine naturali impedimento : sicut etiam dicuntur sanativi, eo quod habeant potentiam naturalem, ut contra sanitatem aliquibus levibus accidentibus patientur. Ægrotativi autem dicuntur qui ad hoc ipsum habent impotentiam naturalem, nihil scilicet contra sanitatem patiënti. Similiter autem his dicitur durum et molle, et similiter his sese habent secundum potentiam naturalem. Durum enim dicitur quod a constantia partium habet potentiam naturalem quod non cito secetur vel dividatur, molle autem eo quod cedit cito tangenti, et dicitur ejusdem sectionis passivum, in quantum ad resistendum habet impotentiam naturalem, et sic de aliis.

## CAPUT V.

*De dubitationibus quæ sunt circa secundum genus qualitatis.*

Oritur autem dubium circa prædicta : quia cum naturalis potentia vel impotentia sint in primis principiis rei constituentibus radicata, habitus autem et dispositio sint acquisita tempore, indigentia et doctrina, et exercitio assuetudinis, videatur quod naturalis potentia vel impotentia propinquiora sunt substantiæ quam habitus et dispositio. Videtur ergo quod naturalis potentia vel impotentia debeat esse prima species qualitatis et non secunda.

*Prima dubitatio.*

**Secunda.** Ad hoc idem facit quod potentia naturalis præcedit esse, dispositio autem et habitus esse rei consequuntur: videtur ergo quod potentia naturalis vel impotentia prima qualitatis species esse deberet.

**Tertia.** Adhuc omnis dispositio et habitus supponit ante se potentiam naturalem vel impotentiam. His igitur rationibus prior videtur esse species qualitatis, quæ est naturalis potentia vel impotentia.

**Quarta.** Ulterius autem quæritur utrum potentia naturalis sit qualitas? potentia enim naturalis est a forma vincente super materiam, ut dictum est: hoc autem modo potentia naturalis est rationalitas, et intellectus, et ratio, et voluntas, et hujusmodi, ut generaliter dicatur, omnis potestas animæ secundum omnem partem ipsius, ut adhuc generalius dicas, omnis potestas formæ secundum quod actionis principium est forma: hæc autem omnia partes substantiales esse dicuntur et non qualitates.

**Quinta.** Adhuc dicit Averroes, super secundo de *Anima*, quod omnis diversitas organorum quæ est in corpore, est propter diversitatem potestatum quæ sunt in anima: sicut ergo se habent partes corporis ad corpus, sic se habent partes animæ ad animam: partes autem corporis substantiæ sunt constituentes et integrantes corpus organicum, partes igitur animæ substantiæ sunt integrantes potestatem animæ, et sic non sunt qualitates animam consequentes: et similiter est de aliis potentiis naturalibus formarum substantiarum quarumcumque.

**Sexta.** Eodem modo objicitur de potentiis naturalibus formarum: hoc enim nomen fundatur in privatione, et non videtur fundari in aliquo ente vel in aliqua entis specie: videtur ergo quod non sit qualitas aliqua.

<sup>1</sup> Hanc objectionem non solvit D. Albertus. Posset tamen dici ad eam quod potentia attenditur penes resistantiam, impotentia autem penes non resistantiam: cum autem durum resistat sectioni, videtur habere potentiam

Adhuc autem non videtur rationabiliter dictum quod dictum est, quod scilicet durum est quod potest habere potentiam naturalem ad non secari, et quod molle ejusdem rei habet impotentiam: quia eodem modo potest dici quod molle habet potentiam naturalem ad facile secari, et quod durum ejusdem rei habet impotentiam<sup>1</sup>.

**Septima.** Ulterius etiam quæritur, cum potentia se magis teneat ex parte materiæ quam ex parte formæ, videtur quod potentia naturalis debeat esse ex victoria materiæ super formam potius quam e contra.

**Octava.** Ulterius etiam adhuc quæritur quare hæc species vel genus qualitatis uno nomine non nominatur, ut diceretur aptitudo, sicut Socrates et Plato et alii antiqui nominaverunt?

**Ultima.** Ad hæc autem et similia dicendum est, quod habitus est prima species qualitatis, propter hoc quod ipsæ formæ substantiales in materia sunt ut habitus, sicut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, quod anima secundum quod est endelechia, inest ut habitus, et secundum hoc forma substantialis inest ut qualitas materiæ, et hoc modo differentia est ut qualitas generis. Quia ergo dispositio et habitus modum suum ponunt in primis substantiæ compositæ principiis, quæ sola substati accidentibus, ideo sunt prima species qualitatis. Potentia autem naturalis est consequens esse compositi: est enim consequens ad actum quem forma habet in composito et ad actus consequentes naturam compositi, ideo potentia naturalis est secunda species et non prima. Et quod objicitur de tempore et doctrina, non est verum de omni eo quod habet modum habitus, sed est verum de habitu acquisito tantum.

**Ad secundam.** Ad hoc autem quod objicitur, quod potentia naturalis præcedit esse, Dicendum quod hæc est potentia materiæ ad for-

naturalem; molle vero cum cedat et non resistat sectioni, videtur naturalem habere impotentiam. *jammy.*

<sup>2</sup> ARISTOTELES, In 2 de Anima, tex. com. 5.

mam et ad esse : et hæc non est naturalis potentia, sed hæc potentia est consequens semper esse.

*Ad tertiam.* Ad hoc autem quod dicitur, quod omnis habitus inest secundum aliquam potentiam, Dicendum quod verum est hoc, sed non oportet quod illa potentia sit esse consequens : quia forma ut habitus inest secundum potentiam esse præcedentem : sed hoc verum est quod aliquis habitus ut acquisitus vel infusus inest secundum potentiam quæ consequitur ad esse, sed ex hoc non sequitur quod generaliter potentia consequens esse sit ante habitum, ut patet per ante dicta.

*Ad quartam.* Ad hoc autem quod ulterius quæritur, si potentia naturalis sit qualitas ? Dicendum quod potentia naturalis ad actus esse consequens est qualitas et accidentis, secundum quod omne illud est accidentis quod sequitur ad esse perfectum, quia non est de substantia : hæc autem qualitas fluit a substantialibus sicut proprium fluit ab essentialibus speciei. Et quod ob- jicitur de partibus animæ, Dicendum quod anima non habet partes essentiales cum sit substantia simplex : sed secundum quod anima est totum potestativum, sic vires ejus intellectus, et voluntas, et sensibilis, et vegetabilis sunt partes ejus potestativæ, et sic dicuntur potentiae na- turales radicatæ in substantia ipsius, et tamen qualitates quia sunt ad actus esse consequentes<sup>1</sup>.

*Ad quintam.* Et quod dicitur, sicut se habent partes corporis ad corpus, sic partes animæ ad animam ; hoc est verum secundum aliquid, et secundum aliquid non est verum : quoad hoc enim verum est, quod anima comparatur ad corpus, ut principium vitæ et motus : sic enim fluunt potentiae ab anima, quibus influit vitam et motum corpori, quæ integrant potestatem et vir- tutem ejus, sicut corpus in quantum mo- bile ab anima et vitam recipiens, non pot- est esse simplex, sed oportet quod a na-

tura ejus fluat diversitas complexionis et compositionis organorum, quibus recipiat diversimode vitam et motum : et hæ sunt partes organici corporis in quantum est organicum et non in quantum est corpus, et hoc modo sic potentiae sequuntur natu- ram corporis et substantiam animæ, sicut operatio organorum sequitur naturam corporis : et hoc modo utrumque inte- gratur partibus suis potestativis. Sed quoad modum communem non est ve- rum, quia potentiae animæ naturam ani- maee consequuntur, non ut partes natura- les, sed ut proprietates naturam animæ constituentes, sed naturam animæ non derelinquentes : organa autem corporis materiales sunt partes corporis, materia- liter ipsum constituentes. Et primo modo loquitur Averroes et non secundo. Idem dicendum de omnibus potentiis naturali- bus a forma substantiali post esse sub- stantiale ad actus consequentes fluenti- bus.

Ad hoc autem quod objicitur de natu- *Ad sextam.* rali impotentia, Dicendum quod quamvis quantum ad nomen fundetur in priva- tione, tamen secundum esse fundatur in contrario quod est contraria qualitas in materia potentiam naturalem impediens.

Ad hoc autem quod dicitur quod po- *Ad octavam.* tentia se magis tenet ex parte materiae, Dicendum quod hæc non est potentia ad agendum quæ est esse consequens, sed potius est potentia ad esse, sicut dictum est in capitulo præcedenti : unde per hoc patet solutio.

Ad hoc autem quod quæritur de nomine *Ad ultimam.* Antiquorum, qui istam speciem vocabant aptitudinem, Dicendum quod non est no- men usquequaque conveniens : quia apti- tudo non est nomen univocum ad poten- tiæ et impotentiam ; quia si aliquid est aptum ad agendum, per hoc ipsum non habet aliquid commune isti et illi, per quod erit aptum ad patiendum.

<sup>1</sup> Ex quo patet quod potentiae animæ sunt realiter distinctæ ab essentia ejus secundum.

## CAPUT VI.

*De tertia specie qualitatis quæ est passio  
vel passibilis qualitas.*

Tertia vero species qualitatis est quæ dicitur passio et passibilis qualitas. Hanc enim unam speciem ponimus, ideo quod formæ qualitatis non differunt, sed sunt ejusdem speciei qualitatis, et aliquando eadem numero qualitas: primo enim est passio, et postea passibilis qualitas. Quia ergo neque in qualitate, neque in quali (quod secundum eas dicitur) specie differunt, ideo dicimus eas esse species et non genus, et unam speciem hæc duo dicimus esse. Et non conjungemus ea disjunctiva conjunctione sed copulativa, ut notentur ad idem pertinere. Tamen quia passio est afficiens et cito transiens qualitas, passibilis autem qualitas est durans et radicata in subjecto, qui modi sunt oppositi, ad idem nomen non possunt reduci, eo quod hoc nomen ab oppositis rei proprietatibus imponeretur et opposita significaret: ideo duobus modis copulatis hanc speciem designamus. De qualitate enim non possumus loqui nisi sicut de accidente, quod semper in comparatione ad substantiam habet determinari, et ideo oportet quod determinetur per modos quibus est in subjecto. Sic igitur dicunt quod tertia species qualitatis est passibiles qualitates, quæ jam in subjecto radicatae et firmatae sunt et passiones.

Hujus autem manifestatio est inductione et exemplo. Sunt enim hujusmodi ut dulcedo, amaritudo, austeritas, sive acuitas in saporibus extremis et mediis omnibus, et qui his qui inducti sunt cognati sunt, ut salsedo, ponticitas, et sapor pinguis. Amplius autem secundum tactum calor et frigiditas, et his similia: secundum visum albedo et nigredo. Odores autem qui inferunt olfactui passio-

Quare con-  
junxit eas  
per notam  
copulatio-  
nis.

Quare non  
vincavithanc  
speciem uno  
nomine.

Removet  
dubia.  
Primum.

nem, juxta sapores determinantur, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>. Differentiae enim sonorum non inducuntur hic<sup>2</sup>: quia quamvis inferant passionem auditui, tamen ex primis qualitatibus (quæ primo sunt activæ et passivæ, et virtute earum agit quod agit, et patitur quod patitur) non causantur: et ideo etiam non transmutant substantiam nisi per accidens, sicut aer cum tonitru, ut dicit Aristoteles<sup>3</sup>, scindit lignum.

Quoniam autem hæc quæ dicta sunt sensibilia, sunt qualitates, manifestum est per descriptionem quam primo dedimus de qualitate: quæcumque enim subjecta suscipiunt illa quæ ita dicta sunt qualitates, et quæcumque etiam informantur ipsis, secundum ipsa qualia dicuntur. Qualitas autem est secundum quam quales dicimur; igitur ista sunt qualitates. Hoc autem inductione probatur et exemplo, ut mel: ex hoc enim quod subjectum mellis dulcedinem suscipit, dicitur secundum hoc quale, quia dulce. Eodem modo dicitur corpus album, quia suscipit albedinem se informantem. Similiter autem se habet in cæteris omnibus quæ enumerata sunt.

Hæc autem non ideo passibiles qualitates dicuntur, quod subjecta et objecta quæ ea suscipiunt ut formas aliquid patientur vel passa sint accidentaliter passionem vel aliqua alia (quamvis naturali passione digestionis habitu passa sint) sed ideo dicuntur passibiles qualitates, quia passiones inferunt sensui: non enim ideo dicitur dulce, quia aliquid ab extrinseco passum sit, et quod hanc sibi impressit dulcedinem. Similiter autem est de omnibus quæ sunt hujusmodi olfactui vel gustui passionem inferentia. Similiter autem est de calore et frigore in igne vel glacie vel aqua: hæc enim omnia non ideo passibiles qualitates dicuntur, quod ea subjecta quæ suscipiunt ea, aliquid passa sint extrinsecus, sed ideo quoniam singula eo-

Passibiles  
qualitates  
quare sic  
dicuntur.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 2 de Anima, tex, com. 92 et in libro de sensu et sensato.

<sup>2</sup> Vide 7 Physic. com. 44.

<sup>3</sup> In 3 Metereorum.

rum quæ dicta sunt, secundum alicujus sensus qualitatem in ipso sensu passionis alicujus ad sensus immutationem perfectiva sunt, et ideo passibiles qualitates dicuntur. Patet hoc inductione: dulcedo enim passionem quamdam secundum gustum efficit ad gustus immutationem. Sic facit calor qui passionem facit secundum tactum, et similiter aliæ qualitates tangibles. Albedo autem et nigredo et alii colores medii non similiter passibiles qualitates dicuntur: non enim sic agunt in subjectum secundum esse materiale, quod suis qualitatibus informent visum: visus enim albi non est albus, quemadmodum gustus dulcis est dulcis, et sicut tactus calidi est calidus: et ideo in visu non perficiunt colores passibiles qualitates. Sed ostenduntur colores passibiles qualitates: quia ipsi colores qui sunt qualitates, innascuntur in nobis ex passionibus quibusdam præcedentibus in nobis. Quod non multæ colorum mutationes sunt in nobis per aliquam passionem præcedentem, est manifestum per inductionem experimenti: erubescens enim aliquis rubeus factus est, cum erubescens sit timor in turpi perpetrato: timor autem passione et fuga cordis secundum systolem propellens sanguinem in faciem. Et similiter timens aliquis factus est pallidus, sanguine a facie ad cor retracto. Similiter unumquodque talium colorum aliqua innascitur passione: et si tales colores talibus innascuntur passionibus, probatur quod si aliquis est naturaliter aliquid similius passus, quod scilicet sanguinem diffundat in facie, vel ad cor reducat sanguinem, illum naturaliter oportet habere similem colorem illi qui passione verecundiæ vel timoris rufus vel pallidus factus est: quod ex hoc constat quod quæ affectio naturæ facta est ad verecundiam in expulsione sanguinis ad frontem circa corpus, eadem etiam causa fit etiam secundum naturalem affectionem: ita quod color naturalis sit similis ei qui ex passione animæ vel cordis naturalem recipit colorem.

Generaliter autem loquendo quæcumque qualitates sunt de numero talium casuum, hoc est, quæ ex talibus casibus passionum sumpserunt principium ab aliquibus passionibus difficile mobilibus et permanentibus in subjecto, illæ dicuntur passibiles qualitates. Quamvis enim secundum naturalem substantiam sive substantiam in primis complexionibus pallor aut nigredo facta est in aliquo, tamen passibiles qualitates dicuntur secundum primam qualitatis rationem: quales enim dicimur secundum tales colores sive qualitates, sive etiam inducta sint talia per accidens, sicut propter longam ægritudinem quæ facit pallorem. Aut propter æstum qui inducit ruborem qui aliquando in facie comburit sanguinem, ita quod remanet, et stantem et permanentem ruborem inducit, aut aliquid simile his: propter quod nigredo vel pallor contingit, non facile præterit, ita quod immutable vel difficulter mutabile manet. Ista dicuntur passibiles qualitates: secundum tales enim qualitates dicimur quales simpliciter, sicut secundum eas quæ a passionibus naturalibus inducuntur.

*Quæ sint  
passibiles  
qualitates.*

Quæcumque vero sunt de numero talium qualitatum quæ cito transeunt et citato de facili solvuntur, dicuntur passiones: non enim secundum has dicuntur quales, sed potius aliquid passi: nullus enim simpliciter dicitur rubeus propter hoc quia ex verecundia rubeus factus est. Similiter ille cui pallor subitus propter timorem venit, non simpliciter dicitur pallidus sive qualis secundum pallorem, sed magis dicitur convenienter quod aliquid passus sit, non ad denominationem, sed ad subitam mutationem. Ea propter hujusmodi subitæ mutationes dicuntur convenienter passiones: non autem convenienter dicuntur qualitates, quia non simpliciter quales dicimur secundum eas. Hoc ergo modo se habet de passionibus et passilibus qualitatibus corporis.

*Quæ sint  
passiones.*

Ad similitudinem autem horum se habet etiam de passionibus et passilibus qualitatibus quæ inducuntur secundum

accidentia animæ, hoc est, quarum principium est in anima, quamvis mutatio sit in corpore : quæcumque enim talium mox sive subito in nascendo fiunt, ab aliquibus advenientibus passionibus fiunt subito, ut dementia sive insanía, vel ira, et aliae hujusmodi passiones, si qualitates dicuntur illatæ per sensum et phantasiam vel opinionem : secundum enim talia quales dicimur et denominamur, dicimur enim iracundi et dementes et insaní. Similiter autem est si quæcumque alienationes et insaniae non naturaliter sunt factæ, sed sunt aliquibus casibus inductæ, ut ex visu, vel terrore sonorum vel his similibus, et sunt difficile prætereuntes vel etiam omnino immobiles : omnia hujusmodi sunt dicenda passibiles qualitates, eo quod secundum tales qualitates quales dicimur et denominamur. Quæcumque vero talium passionum sunt ex his quæ citius prætereunt et facile subjectum derelinquent, passiones dicuntur et non passibiles qualitates. Hujus exemplum est ut si quis forte contrastatus ab aliquo injuriam inferente, iracundior solito effectus sit : hic enim non dicitur propter hoc iracundus per denominationem qua in hujusmodi occasionata passione iracundior est solito, sed magis dicitur secundum iram aliquid passus : propter quod talia passiones quidem dicuntur, sed non passibiles qualitates.

## CAPUT VII.

*De dubitationibus circa tertiam speciem qualitatis.*

I' prima dubi-  
tatio.

Est autem circa ea quæ dicta sunt dubitatio. Passio enim per se est genus generalissimum, et ideo non videtur posse esse species qualitatis.

Necunda.

Adhuc autem passibile est potens pati vel habens aptitudinem ad patiendum : qualitas autem nulla pati potest, sed secundum eam est passio : videtur ergo quod nulla sit passibilis qualitas.

Adhuc autem aut passio inducit qualitatem coloris, aut si non inducit, tunc remanet tantum passio, et non habet in qualitate determinari : si autem inducit, constat quod ille color qualitas est, et sic passio est passibilis qualitas, et sic male distinguitur inter passionem et passibilem qualitatem.

Adhuc secundum passionem videtur aliquis dici qualis : est enim passio hæc in aliquo genere, constat quod non nisi in genere qualitatis : sed qualitas est secundum quam quales dicimur : ergo secundum passionem dicimur quales, et sic nulla est distinctio inducta inter passionem et passibilem qualitatem.

Adhuc dubium est de hoc quod albedo et nigredo non dicuntur qualitates, eo quod passiones inferant sensibus : hæc enim sunt objecta visus : visus autem est potentia passiva : objectum igitur quod est proprium agens in visum infert visui passionem, et secundum hoc dicuntur colores passibiles qualitates, sicut alia, et ex simili causa, ut videtur.

Adhuc autem istæ passiones dicuntur inferentes vel illatæ : colores autem sæpe inferunt passiones, ut concupiscentias, et delectationes, et tristitias, et hujusmodi : et sic iterum patet, quod sunt qualitates sensibiles ex eadem causa qua alia sensibilia dicuntur passibiles qualitates.

Adhuc autem quæritur quare tertia species qualitatis non dicatur forma aut circa aliquid constans figura ? Terminatio substantiæ est secundum qualitatem : passio vero et passibilis qualitas a casu passionis innascuntur, et ita videtur quarta species propinquior esse substantiæ quam passio vel passibilis qualitas : non ergo ista est tertia, sed quarta (ut videtur) species qualitatis.

Adhuc quæritur quare non uno nomine hæc species nominatur, cum omnes Antiqui et etiam Aristoteles illa communis nomine casus appellaverint ?

Ad hæc autem et similia dicendum est, quod passio secundum quod est prædicamentum, est effectus illatioque actionis

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octava.

Ad primam.

nis in id quod patitur : et sic non sumitur passio quæ est species qualitatis, sed pro forma qualitatis quæ afficit subjectum ex hoc quod aliquid passum est, quod est causa affectionis illius, vel ex eo quod affectui subjectum ex ipsa affectione inducit passionem quæ continet subjectum secundum complexionantia vel componentia subjectum, sicut ira inducta ab aliquo circumstante accedit sanguinem circa cor et immiscet vaporem fellis ad vindictæ appetitum. Et ideo æquivocatio est in passione, quæ secundum quod est effectus agentis genus est : secundum autem quod affectio commotione facta vel commotionem inducens est species qualitatis.

**Ad secundam.** Ad aliud dicendum quod non dicitur passibilis qualitas eo quod ipsa qualitas aliquid patiatur, sed (sicut dictum est) quod vel passione inducitur vel passionem inducit, et quia sic passioni conjuncta est, ut causa vel effectus, ideo dicitur passibilis qualitas.

**Ad tertiam.** Ad aliud dicendum quod passio inducit id quod est qualitas secundum essentiam : sed non est qualitas secundum quod ab ipso quale dicitur denominative, quia denominationes non sunt nisi ab his quæ insunt simpliciter : simpliciter autem non inest quod non est in subjecto radicatum et firmatum, quia sic non sequitur, iste est affectus rubore ex verecundia, ergo est rubeus.

**Ad quartam.** Et per hoc patet solutio ad sequens : est enim id quod inducitur ex passione in genere qualitatis, sed non secundum quod quale simpliciter, sed secundum hoc denominative prædicatur.

**Ad quintam.** Ad id autem quod ulterius dubitatur de albedine et nigredine, satis in ante habito capitulo responsum est. Et quod dicitur quod passiones inferunt visui, Dicendum quod illæ sunt passiones secundum quid et non simpliciter : quia sunt talia in visu secundum esse spirituale, et ideo motum et passionem simpliciter non inducunt.

Ad hoc autem quod objicitur, quod in- **Ad sextam** ducunt delectationes et concupiscentias, Dicendum quod hoc est per accidens, non enim hoc faciunt in quantum visibilia tantum, sed in quantum sunt signa delectabilium secundum gustum et secundum tactum : secundum quid enim et non simpliciter est delectatio in visu secundum quod visus movetur a visibili tantum.

Ad id autem quod ulterius quæritur de ordineistarum specierum qualitatis, Dicendum quod ordo est primæ speciei ad secundam qui in præhabitibus determinatus est. Quia autem de numero naturalium potentiarum sunt sensibiles vires animæ, et istis inferuntur passiones per passibiles qualitates, ideo statim tertiam speciem qualitatis oportuit esse passionem vel passibilem qualitatem, sicut activum proprium sequitur suum passivum proprium quod infert ei passionem : quia activum suam propriam formam dat passivo, et utrumque refertur ad alterum et cognoscitur per alterum : propter quod tertium statim sequitur post secundum. Adhuc cum objicitur, quod secundum hoc etiam tertia deberet esse quartæ, quia actus sunt prius potentis secundum rationem et objecta actibus, sed ad hoc dicendum quod hoc verum esset, nisi potentia naturalis hic acciperetur secundum quod radicatur in substantialibus principiis substantiæ : secundum hoc enim determinatur hoc accidens, secundum quod substantiæ propinquius est, et ideo secundum hunc ordinem potentia naturalis est ante passibilem qualitatem.

Ad hoc autem quod ultimo quæritur de nomine, dicendum quod de qualitate hic intendimus secundum quod denominative quale ab ea dicitur : et ideo de qualitate hic non intenditur in comparatione ad causam per quam inducitur, sed potius secundum modum quo inheret subjecto ad denominationem per quale : sed non dicitur casus hic qualitas, nisi in comparatione ad causam per quam inducitur, quia casualis est. Hæc igitur casus non

**Ad septu-**  
**dam.**

**Nota ratio-**  
**nem ordinis**  
**in tertia spe-**  
**cie qualita-**  
**tis.**

**Ad octa-**  
**vam.**

vocatur. Secundum autem quod est in subjecto, non habet modum unum, sed diversum et compositum secundum quod denominat subjectum simpliciter, et secundum quid, hoc est, ut nunc. Oppositi autem modi eodem nomine non possunt comprehendendi. Uno ergo nomine non poterat convenienter nominari, sed duobus, quæ sunt passio et passibilis qualitas.

## CAPUT VIII.

*De quarto genere qualitatis quod est forma, vel circa aliquid constans figura.*

Quatum vero genus qualitatis est forma et circa aliquid constans figura. Hoc autem genus qualitatis, sicut in *prima philosophia* dicit Aristoteles, consequens est speciem substantialem in omni corporeâ substantiâ differunt speciebus, ita differunt figuris : et quorum est una species in communi, horum est in communi figura una, tam in toto quam in membris : sicut hominis figura una, et capræ, asini, et sic de aliis. Forte hoc dicitur genus non species, quia multa valde comprehendit.

Differunt autem hæc, quia modus terminationis linearum in superficie vel corpore referri potest ad intra, ad formam scilicet substantialem, quæ tam in toto quam in partibus, causa est quare dicitur vel sit membrum hoc vel illud, vel etiam totum formetur, et sic dicetur forma. Potest etiam referri ad extra, ad quantitatem scilicet sic vel sic terminatam in tales vel tales angulos, et sic dicitur figura. Unde patet quod unum et idem secundum id quod qualitas est figura et forma, sed secundum esse differt : quia relatum ad intra quod continet et terminat, est forma : relatum autem ad extra, quo talibus vel talibus angulis terminatum aptum est ad hos motus vel illos secundum hos actus vel alios, sic dicitur figura.

Oportet autem scire quod figura dici-

tur dupliceiter : secundum id quod est quantitas terminata, et sic dicitur id quod est in genere quantitatis : est etiam figura secundum id quo est figura terminatio quantitatis, et hoc modo non dicit nisi id quod est in genere qualitatis, sed hæc qualitas est circa quantitatem posita. Forma autem quamvis idem sit subjecto, differt tamen ratione, nec dicitur forma nisi secundum quod causata est a forma substantiali actu continentis intrinseca, et ideo forma dicit id quod est qualitatis, et non quantitatis.

Hæc autem ideo genus dicuntur, quia in actibus et ratione non convenientiunt : continere enim quod est formæ non convenit nisi genere cum sic vel sic angulatum esse acuto angulo vel recto vel hebete : hoc enim non dicitur quia contineat, sed quia sic vel sic pungat vel tangat, propter quod non est convenientia speciei sed generis inter illa sic sumpta. Quia tamen hæc unum sunt in eo quod est forma et figura, propter hoc non disjunctiva conjunctione conjunguntur. Duobus autem modis nominatur et non uno : quia continere ad intra, et sic vel sic pungere extra, non sunt reducibilia in unam proprietatem cui nomen unum commune imponatur.

Dicitur autem figura, eo quod ad extra refertur : circa aliquid constans, quia in exterioribus terminationibus linearum concludit et terminat exterius in circuitu, et constant terminations ejus ad puncta in quibus concurrunt lineæ terminatæ. Hæc ergo est ratio omnium istorum. Hæc autem proprie corporum sunt et superficierum quæ pluribus lineis terminantur.

Amplius autem adhuc in lineis etiam inveniuntur quædam quæ in hoc modo qualitatis sunt ponenda, sicut rectitudo et curvitas : rectum enim est cuius extrema tegunt media, ita quod postea videri non possunt, si rectorum extremitates directe aciebus oculorum opponantur : et hoc dictum est Platonis. Hoc autem magis est forma quam figura, quamvis rationem figuræ habeat secundum quod ad extra

quare dicitur quartum genus, et non quarta species.

quare distinctius non conjunguntur.

quare nominat duobus nominibus.

quare dicitur figura, et quare circa aliquid constans.

quid rectum secundum Platonem.

undique terminatur in puncto uno. Curvitas autem ex duabus semper componitur formis : habet enim formam concavam subitus, et habet formam convexam exterius, et ideo omne curvum compositæ est formæ. Figuras autem habet tot, quot habet curvitates, quia tot habet terminations ad angulos divisos. Tale etiam est quod his simile est, sicut circulare, vel sphæricum, et generaliter loquendo rotundum : omnia enim hæc formam habent concavi ad interius, et figuram convexi ad exterius. Quod hæc autem qualitates sint secundum quod talium sunt formæ et figuræ, probatur ex hoc quod secundum unumquodque talium id dicitur quale quod informatum est ex his, sicut patet inductione et exemplo : triangulum enim vel quadrangulum vel rotundum esse quale aliquid dicitur. Similiter autem et rectum vel curvum esse qualis habet prædicationem. Et similiter est in aliis secundum formam vel figuram hoc modo dictis<sup>1</sup>.

Rarum autem et spissum et asperum et lene fortasse putabuntur apud aliquos qualitates principaliter significare : quamvis a linea habent ad hoc quod qualitatem principaliter significant : significant enim primo positionem, et secundario qualitatem partium in loco et in toto positarum, et ideo non pertinent ad divisionem eorum in qua ponuntur ea quæ principaliter sunt in qualitate : hæc enim (ut dictum est) quamdam positionem partium in toto et loco primo principaliter significant quodammodo et non qualitatem :

spissum enim sive densum dicitur, eo quod partes materiales ad se invicem sunt propinqua positione : rarum vero per oppositum dicitur, eo quod partes materiales ad se invicem distant in toto : et hæc duo sic secundum positionem partium intrinsecarum sic dicuntur. Lene autem et asperum secundum positionem quamdam partium exteriorum : lene quidem eo quod in rectum vel æque secundum li-

Densum et rarum quid.

Lene et asperum quid.

neam vel superficiem sibi partes jacent exteriore et una super alteram non eminet : asperum vero per oppositum hujus dicitur, ideo quod una quidem extremarum partium in linea vel superficie superiori est super aliam eminendo porrecta, alia vero est inferior et simul super alia est depressa. Positiones igitur dicuntur primo, et si qualitates dicuntur, hoc est secundario. Hæc igitur sunt quatuor species qualitatis quæ communiter inveniuntur.

Et fortasse alii quidam modi qualitatum apparebunt : quia quale multipliciter dicitur de substanciali et accidentalí qualitate, et ideo multi sunt ejusdem modi : sed quia maxime et principalius dicuntur qualitates et quales hi qui dicti sunt modi, concludatur ergo generaliter quod species vel genera qualitatum sunt quæ prædicta sunt.

## CAPUT IX.

*De dubitationibus quæ sunt circa quartam speciem qualitatis.*

Est autem in his dubitatio, cum forma sit principium substanciali uniuscujusque, qualiter possit esse species qualitatis : potius enim reducenda est ad genus substanciali, quam qualitatis.

Adhuc autem cum figura sit de mathematicis, nihil autem sit mathematicum nisi quantitas discreta vel continua : videatur figura esse aliquid in genere quantitatis et non qualitatis.

Adhuc autem nihil ens videtur addere forma vel figura super quantitatem, quia quod lineæ sic in acutum vel rectum angulum jungantur, non addit quanto ens sed rationem : et sic videtur quod non sunt species in genere qualitatis.

Adhuc autem quod de aspero et leni dictum est, omnino contradicit ei quod dictum est in *sex principiis* de situ vel positione, ubi dicitur quod asperum et lene,

Secunda.

Tertia.

Quarta.

<sup>1</sup> Vide in ex principiis, cap. de Positione.

et rarum et densum, non positiones dicunt sed qualitates circa positiones dictas.

**Quinta.** Ulterius quæritur qualiter numerus specierum qualitatis accipiatur?

**Ad primam.** Sed ad hæc et similia dicendum est quod forma dicitur secundum id quod forma secundum rationem et substantiam: et sic forma est principium esse et substantiæ in omni eo quod est: et quia substantia vera est, propter hoc forma est principium esse et substantiæ veræ, et secundum aliquid est principium aliorum quo est unumquodque eorum. Dicitur enim forma quasi foris manens secundum nomen, et sic modus continentia in terminatione linearum et superficierum dicitur forma, et hæc forma est species qualitatis.

**Ad secundam.** Ad hoc autem quod de mathematica objicitur, Dicendum, quod figura non ratione figuræ mathematica est, sed ratione quantitatis cuius est qualitas, et ab ipsa absolvı non potest. Vel potest dici, sicut dictum est, quod figura est mathematica secundum quod est quantitas terminata: secundum autem quod est terminatio quanti, sic est qualitas, et hoc modo non consideratur a mathematico.

**Ad tertiam.** Ad hoc autem quod dicitur, quod figura nihil addit supra quantitatem, Dicendum quod falsum est: addit enim modum qualitatis qui non est quantitas, qui est acutum, vel rectum, vel hebes in angulis, vel rotundum, vel planum: quæ non sunt rationes tantum, sed sunt res: unde etiam aliter et aliter immutant proprium sensum tactus: omnis autem immutatio sensus proprii est per qualitatem.

**Ad quartam.** Ad hoc autem quod de *sex principiis* objicitur, Dicendum quod sicut dictum est, asperum et lene, et densum et rarum, positiones dicunt partium materiæ interius et exterius, sed secundario dicunt qualitates: quia sic vel sic agunt in sensum, et hoc consideratur in libro *sex principiorum*; et ideo dicuntur qualitates, quia lene est quod suaviter immutat, asperum quod immutat cum punctione, et densum est quod visu non penetratur,

rarum autem quod ubique est pervium: et ideo in comparatione ad sensum ita dicuntur qualitates, sed tamen quia positio causa est, quod sic vel sic sensus istos immutent, ideo illa principaliter sunt positiones, secundario qualitates.

Ad hoc autem quod quæritur, penes **Ad quintam.** quid ista species qualitatis accipientur, Dicendum quod numerus et ordo sic simul accipi possunt: aut enim accipitur penes formale principium substantiæ, aut penes materiale, ex quo omne accidentis accipi habet penes modum substantiæ a qua causatur. Si autem accipitur penes principium formale, hoc non potest esse nisi duobus modis: aut enim accipitur penes modum quo perficit forma materiam, aut penes modum quo forma principium est agendi in composito quod perfectum est. Si primo modo, forma non habet se ad materiam nisi ut dispositio vel habitus, et penes hunc modum est prima species accepta qualitatis. Si autem secundo modo est, a forma effluunt potentiae naturales, et sic est secunda species qualitatis accepta. Illæ ergo potentiae aut accipiuntur in se aut secundum quod propria activa inferunt eis proprias passiones. Et primo modo est iterum secunda species qualitatis: secundo autem modo tertia inducitur species qualitatis. Si vero ex parte materiæ sumatur quæ per se est corpora, et necesse est quod sit secundum relationem ad formam quæ continet et terminat materiam, tunc inducitur quarta species quæ est forma vel circa aliquid constans figura. Et istæ sunt quatuor species qualitatis, secundum quas aliquid ut frequentius quale dicitur, et a quibus proprie accipitur modus iste prædicamenti qui est proprius qualitatis. Si qui autem alii modi qualitatis inveniuntur, facile reducuntur ad istos.

Sciendum quod Antiqui hanc ultimam qualitatis speciem uno communi nomine vocaverunt cōpositionem: sed quia duos actus includit, unum ad intus qui est formæ, alterum ad extra qui est figu-

**Quomodo  
forma est  
species qua-  
litatis.**

**Aliorū.**

**Quomodo  
figura addit  
supra quan-  
titatem.**

**Ad quar-  
tam.**

ræ, ideo convenientibus duobus modis nominatur. Quare etiam genus melius dicitur quam species, jam in ante habitu capitulo dictum est.

Quod autem quidam has species accipiunt penes ea quæ sunt in nobis in anima, quidam per acquisitionem primam speciem, et secundum ea quæ insunt naturæ secundam speciem, et in corpore quidem per motum tertiam speciem, vel per materiæ terminum quartam speciem: potest dicere qui vult, sed rationem perfectam non videtur habere.

**Dubitatio.** Sed de hoc quæri potest, quare secundum solam tertiam speciem qualitatis quæ passio vel passibilis qualitas, sit alteratio præhabita, sicut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, et non secundum aliam speciem qualitatis? Et hæc quidem quamvis pertineat ad Philosophum determinare et non ad logicum, tamen dici potest quod in habitu et dispositione alteratio esse non potest: quia dispositio et habitus sunt ad perfectionem secundum propriæ naturæ actum, qui est ratio vel rationis actus: et ideo attingens esse perfectum non est proprie alteratus physice, sed in esse connaturali et proprio perfectus. Fere eadem ratione non potest esse alteratio in specie secunda: potentiae enim naturales radicantur in forma substanciali, secundum quod ipsa in eo quod perfectum est convertitur in principium agendi, et ideo consequuntur esse perfectum sicut id quod est esse substantiale consequens, cum perfectio ipsius sit perfectio in illis: propter quod etiam attingens esse perfectum naturalis potentiae perfectus est, et diminutus ab illo secundum esse corruptus vel in via corruptionis. In quarta etiam specie motus esse non potest, quia circa quantitatatem est qualitas quæ a quantitate non absolvitur: sed quantitati nihil est contrarium, ita quod nec illi speciei contrarium est aliiquid.

Et si objicitur de recto et curvo, et aspero et leni, et raro et denso, patet quod illæ qualitates nec activæ nec passivæ sunt, neque absolvuntur a positione et situ, et ideo in talibus non potest esse motus alterationis: quia alteratio physica non est nisi inter contraria agentia et patientia ad invicem, et hoc est quod intendit Aristoteles, si quis bene dicta sua inspiciat.

Objectio  
Solutio,

## CAPUT X.

### *De quali quod dicitur secundum qualitatem.*

Quia autem, ut dicit Alexander, Aristoteles ipse istum tractatum intitulavit *de quali et qualitate*, et nos jam determinavimus de speciebus qualitatis secundum quam quales dicimur, restat nunc determinare de quali quod denominative ab his speciebus dicitur qualitatis. Dicimus ergo quod qualia dicuntur quæ secundum qualitates dictas dicuntur denominative: denominative autem, quia simpliciter subjectum ab eis denominatur, vel quomodolibet aliter ab his dicuntur informata. Difficile enim est eam quæ ab accidente denominationem simpliciter fieri: multis enim modis accidens inest, ita quod non denominat, ut si inest secundum partem, ut Æthiops est albus dentes, vel si inest ut nunc et non simpliciter, ut rubeus ex verecundia nunc, non sequitur quod sit rubeus. Licet aliquando etiam hoc sit ex parte accidentis, quod ab ipso fieri denominatio non potest, quamvis simpliciter insit et non secundum quid, ut in sequentibus patet. Et ideo quale secundum istas qualitatis species (aut dicatur secundum istam denominationem aut quomodolibet aliter dicatur ab his) dicitur qualitas ut informans subjectum per concretionem significans: quale enim et qualitas idem prædicatur, quamvis in modo different:

Quid sit quale.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 7 Physic. tex. com. 45.

quale enim dicit qualitatem subjectum informantem, qualitas autem dicit qualitatem simpliciter.

**Objectio.** Et si quis objiciat quod quale dicit duo, subjectum scilicet, et qualitatem, Dicendum quod non dicit principaliter et formaliter nisi qualitatem, sed quia dicit qualitatem in concretione ad subjectum, ideo dicitur ex consequenti de subjecto facere significationem. Propter quod etiam quale cum qualitate ad idem pertinet prædicamentum.

In pluribus tamen qualitatibus, pene etiam in omnibus qualia dicuntur denominative a qualitatibus, ut a candore candidus, et a grammatica grammaticus, et a justitia justus dicitur denominative, et similiter in aliis multis. In aliquibus vero hoc non convenit secundum vocem, quamvis similiter sit secundum esse. Et hujus causa est quod qualitatibus nomina talia posita non sunt quæ solo casu differentia secundum appellationem possint inflecti et informari in nomina denominativa, sicut dicitur cursor, aut sicut dicitur pugillator, non quidem dictus ab actu vel officio currendi vel pugillandi, sed ab ipsa qualitate quæ est naturalis potentia hoc faciendi : hæc enim qualitas nomine proprio non est designata, ita quod nomen secundum valitudinem naturalem ad hæc exercenda significet illam propriam qualitatem : non enim sunt talibus valitudinibus (quæ qualitas sunt) posita nomina secundum quas quales dicuntur et cursor et pugil sive pugillator : sed nomina illa sunt disciplinarum nomina, sicut cursoriæ et pugillatoriæ artis : et hæc non sunt nomina illius vel illarum qualitatum, qua vel quibus dicuntur illi quales, qui affecti sunt illa qualitate, quæ est naturalis potentia ad illa facienda. A nomine autem artis vel disciplinæ denominari potest, qui artis istius vel disciplinæ est ignarus, sicut frequenter contingit, quod habens naturalem potentiam ad aliquid artis, illius ignarus est, quæ docet operationem eamdem ad quam habet quis naturalem potentiam : pugillatoria enim di-

citur disciplina pugillandi, sed quales in hac qualitate dicuntur, non qui sunt de arte sive disciplina illa, sed qui afficiuntur per informationem qualitate quæ dicitur potentia naturalis ad pugnandum, sicut dicitur pugil vel cursor qui forte nihil scivit de arte sive disciplina illa, et ideo a disciplina non accipiunt denominationem ut dicantur cursores vel pugilles.

Alii autem etiam posito nomine qualitatis non adhuc quales illa qualitate dicuntur denominative, ita quod nomen qualis secundum figuram appellationis a nomine qualitatis determinetur. Sicut patet in nomine quod est virtus, a quo nomine si denominatio fiat non dicitur virtuosus, sed secundum alios dicitur studiosus, nomine formato a genere virtutis quod est studium, vel quod verius est nomine formato a virtutis causa, quæ est studium. Et secundum posteriores dicitur virtuosus, quamvis non simplicem dicat denominationem, sed cum denominazione, notat plenitudinem. Virtutem enim habens studiosus dicitur, sed non dicitur denominative simplici denominatione a virtute : sed si a virtute dicatur, dicitur virtuosus, quod nomen plenitudinem significat et non facit simplicem denominationem. Hujus autem causa est, quia in virtutibus et vitiis politicis nos domini et causa sumus operum quibus efficiuntur virtutes : quia virtutes per studium flunt in nobis : quod studium, ut dicit Tullius, est vehemens applicatio animi ad aliquid discendum vel faciendum : ideo Antiqui nomina imponentes, virtuosos intellectuali virtute vel morali vel heroïca dixerunt studiosos nomine communi. Virtuosi autem dicuntur non ita convenienter, quia virtus nominat ultimum in bono, ut dicit Aristoteles, et hoc non est ita generale ut primum. Consignificata autem plenitudo adjungitur in talibus, propter hoc quod dicit Aristoteles quod nec intellectualis virtus quæ est prudentia, potest esse sine moralibus, nec morales possunt esse sine prudentia : quia moralis continet finem, prudentia autem eligit ea, et

studium quid.

docet per quæ et qualiter ad finem deve-  
nitur: et ideo in quocumque est virtus,  
quamdam plenitudinem virtutis esse oportet.  
Propter quod illam denominationem  
conveniens fuit nomine plenitudinem con-  
notante formari. Et dicitur studiosus et  
non studialis, et virtuosus et non virtua-  
lis. In pluribus autem denominativis non  
est sic, sed denominativa eorum a nomi-  
nibus formantur qualitatum quæ insunt  
ipsis. Concluditur ergo generaliter quod  
quæcumque dicuntur qualia, aut dicun-  
tur denominative a prædictis quatuor spe-  
ciebus qualitatis, aut aliquo modo, sicut  
dictum est, dicuntur aliter ab illis quali-  
tibus quæ dictæ sunt.

## CAPUT XI.

*De proprio qualitatis quod est suscipere  
contrarium.*

Postquam autem jam de quali et qua-  
litate secundum diffinitionem et divisio-  
nem in species determinatum est, conse-  
quenter de quali et qualitate secundum  
suas consequentes proprietates et passio-  
nes est determinandum, et primo de pro-  
prio quod nec soli nec omni convenit,  
quod est esse qualitati contrarietatem. Di-  
cimus igitur quod inest qualitati et quali-  
contrarietas secundum quod est quale,  
sicut justitia injustitiæ est contraria, et  
albedo nigredini. Quamvis injustitia pri-  
vationis habeat nomen, tamen hæc pri-  
vatio in contrario fundatur habitu cuius  
nomen proprium non est positum, et sic  
justitia contraria est injustitiæ. Ita et ipsa  
quæ secundum qualitates has qualia di-  
cuntur, sunt contraria, sicut injustum  
contrariatur justo, et album nigro. Pa-  
tet igitur quod in prima et tertia specie  
qualitatis est contrarietas. Non est autem  
hoc proprium in omnibus qualitatibus  
primæ et tertiae speciei, secundum quod  
contrarietas est distantia et oppositio com-  
pleta eorum quæ sunt in eodem genere:  
rubeo enim vel pallido aut hujusmodi co-

loribus mediis nihil est contrarium, cum  
tamen sint qualitates et in genere quali-  
tatis.

Si autem objicitur quod justitia et in-  
justitia non sunt contraria, quia motus al-  
terationis est inter contraria: in prima  
autem specie, ut jam ante habitum est,  
non est alteratio. Dicemus ad hoc, quod  
alteratio physica non est in prima specie  
qualitatis: alteratio autem large dicta est  
in prima specie, secundum quod altera-  
tio est, quando subjecto eodem manente  
mutatio fit in suis passionibus vel quali-  
tibus. Sic enim quando de justo fit in-  
justus, alteratio facta est: non enim suf-  
ficit ad alterationem physicam, quod sit  
inter contraria, sed cum hoc exigitur  
quod contraria sint ad invicem activa et  
passiva secundum actionem et passionem  
a substantia abjacentem, et subjectum  
continue a contrario in contrarium trans-  
mutantem.

Ad hoc autem quod diximus de colori-  
bus mediis nihil esse contrarium, cum ta-  
men in quinto *Physicorum*<sup>1</sup> dicatur quod  
medium comparatum extremo, contra-  
rium est, et cum in *Ethicis* dicatur quod  
medium utriusque extremorum contrarium  
est: non debet aliquis instare, quia hic  
contrarium accipimus quod secundum  
maximam distantiam contrarium est. Hoc  
autem est simplex, nihil de contrario ha-  
bens admixtum: et secundum hunc mo-  
dum medium nec opponitur medio nec  
extremo. In physicis autem contraria ac-  
cipienda sunt secundum potentiam et ac-  
tum ubi est motus, et ideo ibi contrarium  
est id quod aliquid participat contrarii, et  
est potentia ad alterum, secundum hoc  
enim movetur ad ipsum ut ad contra-  
rium.

Quod autem in *Ethicis* dicitur quod me-  
dium utriusque extremorum contrarium est,  
ideo dictum est, quod quamvis virtus sit  
medium quantum ad actum et circum-  
stantias, tamen secundum bonum et ratio-  
nem boni est extreum: et sic ambobus

Objectio.

Solutio.

Objectio.

Solutio.

<sup>1</sup> Tex. com. 52.

extremis opponitur ut extremum, quia sic ambo extrema sunt in genere mali.

Amplius generaliter verum est, quod si ex contrariis unum fuerit quale, et reliquum illi contrarium est quale: cum contraria sint in eodem genere. Hoc autem palam est et manifestum proponenti sive inducenti alia contraria ab his quæ dicta sunt in singulis generibus contraria suscipientibus: semper enim contraria in eodem sunt genere: nam si justitia contraria est injustitiæ, et justitia est quale quoddam sive qualitas, sequitur quod etiam injustitia est quale et qualitas est quædam: nulli enim aliorum prædicamentorum sicut generi aptari potest injustitia ut species vel individuum: justitia enim neque est quantitas, neque ad aliquid, nec ubi, nec omnino sive universaliter aliquid de numero prædicamentorum, nisi quale et qualitas, et illud idem secundum genus prædicamenti est etiam justitia. Et sic est in omnibus aliis contrariis quæ sunt secundum quale vel secundum qualitatem.

**Objectio.** Ex hoc autem forte videbitur alicui, quod prima contraria sint in qualitate: et contra hoc videtur esse, quod prima contraria videntur esse rarum et densum: hæc enim videntur præcedere calidum et frigidum, et inducere ipsa, quia rarum efficitur calidum, et spissum efficitur frigidum: sed ad hoc dicendum, quod in veritate prima contraria vere secundum actionem et passionem sunt contraria in qualitate, et non in positione<sup>1</sup>: quia contrariorum est mutuo se expellere ab eodem susceptibili: expulsio autem hæc fieri non potest, nisi per actionem et passionem, et ideo ea quæ vere sunt contraria, sunt activa et passiva ad invicem: et hæc prima contraria sunt calidum et frigidum, et subjecta eorum passiva sunt humidum et siccum, quorum utrumque respicit utrumque illorum ut subjectum: humidum enim est subjectum calidi, et

est subjectum frigidi, et siccum est subjectum calidi et est subjectum frigidi in materia elementali: calidum est effectivum rari, et frigidum est effectivum spissi: et sic prima simpliciter contrarieitas est in qualitate: prima autem dispositio materiæ est in positione quæ non absolvitur a qualitate quæ est rarum et densum.

Si autem quis dicat quod leve et grave sint prima contraria, eo quod motus localis sursum et deorsum sunt ad formam: leve autem movetur sursum, grave autem deorsum, hoc omnino nihil est et est determinatum in physicis, quod motus sursum non causatur a levitate, nec motus deorsum a gravitate, sed potius a generante vel removente prohibens: et ideo prius aliquo modo habet formam generantis antequam habeat motum quæ est consequens formam generantis<sup>2</sup>. Et ideo leve et grave non sunt prima contraria moventia, sed potius leve causatur in materia per rarum, et grave causatur in materia per densum: et sic adhuc remanet, quod calidum et frigidum quæ sunt in tertia specie qualitatis sunt contraria.

Si quis vero adhuc objiciat, et dicat contra hoc, quod si simpliciter calidum et simpliciter frigidum quorum neutrum de suo contrario habet aliquid admixtum, sunt contraria prima, tunc sequitur quod nata sunt fieri circa subjectum unum et idem: non autem simpliciter calidum, et simpliciter frigidum nata sunt fieri circa idem: nullum enim elementum est quod manens in substantia ejusdem elementi hoc natum sit suspicere: ergo ista non sunt contraria prima, ignis enim habet non admixtam caliditatem, et non potest habere frigiditatem et caliditatem: ad hoc dicendum quod secundum quod caliditas et frigiditas sunt qualitates primæ, sic opponuntur circa materiam primam elementorum, et circa illam nata sunt fieri: secundum autem quod sunt in ge-

**Objectio.**

**Solutio.**

**Objectio.**

**Solutio.**

<sup>1</sup> Vide 2 Physic. com. 45, ubi vult proprias qualitates esse prima contraria.

<sup>2</sup> Ex quo patet quod elementa moventur de

potentia accidentalí a generante vel a removente prohibens.

neratis primis quæ sunt elementa, sic sunt potentiae naturales consequentes esse elementorum, et ideo elementis manentibus non deserunt substantias elementorum : et hoc modo circa idem nata sunt fieri, et mutuo se invicem expellentia ab eodem.

Ex hoc autem quod in qualitate est contrarietas prima, intelligitur quod contrarietas in omnibus aliis generibus in quibus est, non est nisi in ratione qualitatis : primum vero est causa omnium aliorum in quolibet genere in quo est primum. Unde etiam in quantitate ratione motus augmenti et decrementi non est contrarietas nisi secundum qualitatem, sicut in tractatu de *Quantitate* dictum est. Et si contraria sunt in ubi vel in situ, oportet quod sint in eis secundum quod non absolvuntur a qualitate. De his autem disputatione pertinet ad physicum vel metaphysicum, et non ad logicum : logicus enim non considerat contraria, nisi secundum quod sunt in eodem genere maxime distantia, et non considerat ea secundum quod prima et non prima.

## CAPUT XII.

### *De secundo proprio quod est suscipere magis et minus.*

Suscipit autem qualitas magis et minus, et hæc est secunda proprietas ex ea quæ præcessit causata. Quod autem quale magis et minus suscipiat patet inductione : album enim magis et minus alterum altero dicitur secundum albedinis intensionem et remissionem, et similiter justum magis et minus alterum altero dicitur secundum intensionem justitiae et remissionem. Hoc autem non tantum est in ipsis quæ qualia sunt sicut alba et justa, sed etiam ipsa quæ sunt qualitates (a quibus talia dicuntur qualia) suscipiunt in seipsis, sicut quæ dicuntur crementa et diminutiones in seipsis. Et dicit Boetius quod hæc fuit sententia Platonis. Hoc autem declaratur exemplo, cum, sicut di-

cunt, candidum quod est candor, sit candidum, contingit, ut dicunt, illum candorem magis intendi per majorem (ut dicit Nicolaus Peripateticus) luminis contrarii admixtionem.

Quamvis autem hoc sit quoddam qualitatis proprium, non tamen convenit omni qualitali, sed plura sunt quæ suscipiunt magis et minus, et non omnia quæ sunt qualitates : justitia enim cum sit qualitas si dicatur (secundum quod in abstracto significatur) suscipere magis et minus, potest quilibet ambigere utrum verum sit an falsum quod dicitur. Similiter autem est etiam in aliis qualitatibus quæ afficiunt per inhærentiam subjecta in quibus sunt, quando per modum abstractionis significantur, ut justitia, albedo, sanitas et hujusmodi. Quidam namque dubitant de talibus, utrum magis et minus suscipiant : quidam enim justitiam a justitia et albedinem ab albedine aiunt non multum dici secundum magis et minus, ita quod una justitia sit magis justitia quam alia, vel una albedo magis albedo quam alia : neque dicunt unam sanitatem ab alia sanitatem dici secundum magis et minus. Et causa etiam dicti est, quod nomen uniuscujusque abstractorum imponitur in termino, et non potest intendi et remitti : isti autem dicunt, quod intensio et remissio secundum magis et minus accedit qualitatibus secundum quod sunt in subjecto recipiente ipsas qualitates : dicunt enim alterum altero magis et minus sanitatem et justitiam habere, secundum quod unum dicimus altero saniorem et justiorem. Sic etiam dicunt et grammaticam et alias qualitates (quæ subjecta in quibus sunt afficiunt, et ideo affectus generaliter dicuntur) secundum magis et minus inesse. Licet tamen Antiqui diversa circa ista sentiant, tamen hoc dubitanter verum est, quod subjecta (quæ secundum illos affectus qualitatum dicuntur qualia) illa procul dubio secundum quasdam qualitates recipiunt magis et minus, et in prima et in tertia specie qualitatis : hoc enim modo unus alio dici-

tur grammaticior, qui magis habet grammaticam : et sic unus dicitur justior et sanior, et sic est in multis aliis primæ et tertiae speciei qualitatibus.

Sed non est hoc in quarta specie qualitatis : triangulus enim et quadrangulus secundum quod denominative dicta sunt a triangulatione et quadrangulatione, sic dicuntur qualia et non qualitates : et sic dicta non videntur magis et minus suscipere triangulus et quadrangulus, neque aliquod denominatum ab aliis figuris, ut circulus, vel pentagonum, vel exagonum : hæc enim non dicuntur secundum prædicationem, nisi de illis quæ diffinitionem eorum recipiunt: hæc autem omnia sunt in termino : unde omnia de quibus prædicatur circulus nomine et ratione qualitatis, æqualiter et non secundum magis et minus sunt et dicuntur circulus. Ea autem quæ sunt de numero eorum quæ circuli nomen et rationem non recipiunt, illa in quantum non sunt circulus, et non secundum magis et minus, sed æqualiter circulus negatur in ipsis. Hoc autem patet per exempla : quadratum enim et quadrangulum circuli nomen et rationem non recipiunt, sed ab utrisque negatur circulus, et ideo quadratum non magis et minus est circulus quam quadrangulus. Est enim quadratum figura quatuor lineis æqualibus et quatuor rectis angulis conclusa. Et quadrangulus est figura quatuor rectis lineis, quarum duæ oppositæ sunt æquales sibi invicem, aliis non oppositis inæquales, et quatuor rectis angulis contenta. Et neutra istarum suscipit circuli nomen. Quia circulus est figura plana, una linea contenta, in cuius medio punctum est qui vocatur centrum, a quo omnes lineæ rectæ ductæ ad circumferentiam sunt æquales. Et hæc ratio neque quadrato convenit, neque quadrangulo, quod altera parte longius est. Et ideo æqualiter et non secundum magis et minus quadratum et quadrangulum non sunt circulus, nulla enim talium figurarum recipit diffinitionem rationem circuli. Simpliciter autem loquendo sive univer-

saliter si utraque ista nullo modo recipiunt hujusmodi quod propositum est, hoc est, circuli rationem secundum aliquem modum, tunc sequitur quod alterum istorum non dicitur secundum magis et minus esse circulus : quia quod secundum magis et minus esse vel non esse non dicitur, aliquo modo participat nomen et rationem ejus quod participat secundum magis et minus. Concluditur ergo, quod non omnia qualia suscipiunt magis et minus. Horum itaque prædictorum proprium nihil est proprie proprium qualitatis : neutrum enim illorum convenit omni et soli et semper. Est autem attendendum, quod sicut dicit Boetius ab Alexandro accipiens in commento libri *Prædicamentorum*, fuerunt tres sectæ Antiquorum circa hoc. Plato enim qui po- Opinio Pla-tonis.  
nebat formas, dixit intensionem et remissionem fieri in qualitatibus maxime primæ speciei, sicut circa habitus et dispositiones, quæ dona dixit esse deorum, sicut expresse legitur in libro qui Menoni ascribitur, per immissionem boni divini plus et plus, sicut albedo plus et plus est albedo, cui immittitur plus et plus de claritate luminis, et sic dixit intendi omnes virtutes. Alii autem quidam Epicurei dixerunt per incrementa partium subjecti fieri intensionem, ut albedo vel justitia fit plus et minus, quæ plus et minus occupat et informat de partibus subjecti. Media autem Aristotelis et Pe- Opinio Epicureorum.  
ripateticorum opinio est, quod intensio fiat circa qualitatem secundum inhærentiam. Qualitas inhæret subjecto dupli-  
citer : ex parte subjecti et ex parte qualitatis. Ex parte subjecti quidem ex hoc quod plus et minus aptatur qualitati recipienda. Ex parte autem qualitatis du-  
pliciter : si enim habet contrarium, tunc plus et minus intenditur secundum majorem et minorem contrarii admixtionem : si autem non habet contrarium, tunc plus intenditur secundum majorem vel minorem accessum ad naturæ terminum, cui nomen et a qua nomen imponitur : et hoc est dicere ad veram nominis impo-

Quid quadratum.

Quid quadrangulus.

Quid circu-  
lus.

**Contra opinionem Platonis.** sitionem. Positio autem Platonis non habet hic probari nec improbari, sed in prima philosophia. Hic autem dici potest, quod si additione doni divini fieret intensio in qualitate, difficile esset valde dicere qualiter addendum ei (cui additur) conjungeretur: et tamen illud quod augetur, augeatur per additum aliquod. Adhuc difficile esset invenire qualiter differt augens ab aucto, vel utrum virtus augens esset in augente vel in eo quod augetur, et alia multa difficilia sunt circa illud, quamvis theologizantes hanc opinionem sequi videantur. Quod autem dicunt Epicurei, probabilius dictum fuit, quamvis in hoc non perfectum sit, quod dicunt secundum partes quantitativas subjecti magis et minus in qualitate esse, cum videamus parvum albius esse quam magnum, sicut margarita fulgens albior est multa cerusa. Media ergo Peripateticorum opinio vera est et tenenda: ad hanc enim pauciora sequuntur inconvenientia.

**Contra Epicureos.**

dum eam simile vel dissimile alterum altero dici.

Cum autem dicitur quod similitudo est eadem qualitas in differentibus substantia et esse, non potest accipi eadem numero qualitas: quia eadem numero qualitas non potest esse in differentibus numero, cum qualitas sicut et alia accidentia numerentur numero subjecti. Nec sufficit quod sit eadem genere, quia sic omnia essent similia: nihil enim est quod aliquam non suscipiat qualitatem. Relinquitur quod similia sunt, quorum qualitas est una specie. Unde quandocumque ostendentes erimus convenientiam diversorum in una qualitatis specie, dummodo simpliciter et non secundum quid insit utriusque, ostendemus quoniam illa sunt similia. Si autem qualitas illi uni inesset secundum quid et alteri simpliciter, tunc per unam qualitatem quae sic inesset utriusque non probaretur quod illa essent similia, nisi secundum quid: quia aliter *Æthiops* qui est albus secundum dentes et nix quae est alba simpliciter essent similia, quod est falsum: et ideo etiam grammaticus perfectus non est similis grammatico discipulo in grammatica, sed dissimilis, et in aliis est similiter.

Sed objiciunt quidam de hoc quod Boetius dicit quod species est essentialis similitudo individuorum, et genus est essentialis similitudo specierum. Ergo secundum genus et speciem aliquid dicetur simile alteri et dissimile, cum tamen genus et species non sint qualitates eorum quorum sunt genera et species. Ad quod dicendum, quod similitudo primo et per se est in qualitate et secundum qualitatem, per posterius autem in his quae (quamvis essentialiter non sint qualitates) habent tamen modum prædicationis in quale, sicut sunt formæ substantiales. Et si dicatur quod nec genus nec species prædicatur in quale, sed in quid, Dicendum quod prædicari in quid non habent in quantum sunt formæ, sed in quantum sunt formalia vel formata per differentiam constitutivam quae est forma. Quod au-

**Differentia inter simile, et æquale,**

Proprie autem proprium qualitatis est (quod et omni convenit et soli) secundum qualitatem qualia similia, aut dissimilia dici. Unum enim in qualitate est simile, sicut unum in substantia est idem et unum in quantitate est æquale. Aut igitur in diversis est eadem qualitas, aut diversa. Si eadem, tunc dicuntur illa sic affecta similia. Si autem diversa, tunc dicuntur illa sic affecta dissimilia: ut etiam dicit Boetius similitudo est rerum differentium substantia et subjecto qualitas eadem. Similia igitur et dissimilia secundum solas dicuntur qualitates: simile enim et dissimile alterum alteri non est secundum aliquod aliud prædicamentum, nisi secundum illud quod est quale secundum prædicamentum qualitatis. Proprie ergo proprium qualitatis est, secun-

**Objectio.**

**Solutio.**

tem similitudines sunt specierum vel individuorum, habent in quantum sunt formæ et qualitates essentiales specierum vel individuorum. Hoc igitur est proprium.

## CAPUT XIV.

*De exclusione erroris qui posset esse circa prædicta.*

Dubitatio  
textus.

Circa autem ea quæ dicta sunt, non decet aliquem turbari tanquam nos nobis contrarium dicamus, ea esse genera permixta qui prius distincta esse determinavimus, quando diximus diversorum generum non subalternatim positionum diversas esse species et differentias: hæc enim adhuc certa sunt et firma veritate confirmata et stabilita. Nemo ergo de hoc conturbetur quod de qualitate propositum facientes et tractantes, multa de relativis interposuimus: habitus enim et dispositiones quæ sunt in prima specie qualitatis, sunt de numero eorum quæ sunt ad aliquid: habitus enim alicujus habitus. In omnibus enim talibus pene ipsa genera ad aliquid dicuntur: nihil autem eorum in talibus quæ singularia sunt, ad aliquid sunt: aliter species secundum nomina specierum non dicuntur ad aliquid, sed in generibus et secundum nomina generum sunt ad aliquid: nam cum disciplina sit genus intellectualium habituum, disciplina hoc ipsum quod est, alterius dicitur et ad aliquid: dicitur etiam disciplina alicujus disciplina, quia disciplina dicitur alicujus disciplinati disciplina, sed eorum quæ sunt in hoc genere quod est disciplina singularia sive specialia, nihil hoc ipsum quod est, alterius dicitur, ut aliqua grammatica non dicitur alterius secundum quod est grammatica, non enim dicitur grammatica alicu-

lus quædam grammatica, nec musica, sed quædam grammatica dicitur alicujus disciplina, non alicujus grammatica, et musica dicitur alicujus disciplina, non alicujus musica.

Propter quod quæcumque istarum singularium per se sunt qualitates, et non sunt ad aliquid. Hujus autem causa est, quia singulariter accepta, ut quædam grammatica et quædam musica, in seipsis claudunt ea quorum sunt et ad quæ dicuntur, et ideo nugatorie extrinsecus apponentur. Hæc tamen in specie et in singulari qualitates sunt: quia secundum ea quales dicimur cum hæc habemus, et secundum quod habemus ea ut adepta, quales dicimur secundum ea: scientes enim dicimur, eo quod habemus singulas scientias: scientes autem dici, est quales dici secundum scientias. Propter quod hæc etiam erunt qualitates, quamvis secundum genus dicantur ad aliquid. Et hoc est secundum singulas scientias secundum quas etiam dicuntur quales et scientes. Hoc autem secundum quod quales dicimur secundum quod hujusmodi est, non est de numero eorum quæ sunt ad aliquid. Amplius adhuc alia causa est quod non oportet ex talibus conturbari, quia nihil est inconveniens si contingat idem et quale et relativum esse secundum diversa quæ sunt in illo: secundum enim diversa quæ sunt in ipso, nihil prohibet idem ipsum diversis generibus enumerare: et sic grammatica, ut est scientia recte scribendi recteque componendi, quales nos facit, et est in genere qualitatis: ut autem est disciplina, est in eo quod est ad aliquid. Et similiter album per hoc quod subjectum dicit, in substantia est: per hoc autem quod quale dicit subjectum, est in qualitate. Hæc ergo de quali et qualitate dicta sunt.

Solutio  
textus.

Alia solutio  
textus.

# TRACTATUS VI

## DE ALIIS SEX PRÆDICAMENTIS IN COMMUNI.

### CAPUT I.

#### *De agere et pati.*

Quid prædicat substantia et quid quantitas.

Quid prædicat ad aliiquid.

Quid prædicat qualitas.

Ordo quatuor prædicamentorum primo-rum.

Habitis quatuor vocibus quatuor genera rerum significantibus, in quibus substantia prædicat id quod simpliciter est ens et per seipsum, Quantitas prædicat ens in alio per quod ipsa subjicitur et substet multis aliis accidentibus, et etiam motui, quia illi non subjicitur substantia simpliciter sed substantia quanta: et omnibus illis quæ dicunt formas quæ in majori quantitate majores, et in minori minores sunt, sicut sunt omnes qualitates activæ et passivæ, per hanc subjicitur motui et mutationi, quia illis subjicitur materia quantitate determinata: propter quod etiam quantum separatam rationem habet a physico, et est secundum rationem ante ipsum, sicut metaphysicum ante physicum. Ad aliquid autem prædicat id quod est comparatum ad aliquid, qui modus immixtus est omnibus sex prædicamentis, et ideo ut principium ad alia præmitti debuit. Habita etiam qualitate et qualibus, quæ etiam generalem modum prædicandi in quale habent, qui quodammodo inest omnibus aliis. Propterea etiam præmitti debuit, ut hic substantia præcederet ut omni subjectum, quantitas ut subjectum ad physicum, ad aliquid autem ut modus aliorum comparatus, quale autem et qualitas ut modum prædicandi dans residuis omnibus.

Restat enim dicere de his quæ non habent res absolutas prædicare nec modum prædicandi habent ab illis absolutum:

habent enim modum relationis et qualitatis, et addunt aliquid super utrumque, per quod efficiuntur specialia prædicamenta. Propter quod ipsa sex genera causantur ab aliis quatuor, quæ præhabita sunt, et non causantur ab ipsis sicut inferiora causantur a superioribus, quia si hoc ita esset, continerentur in eis, sicut in suis generibus, sed causantur ex comparationibus supradictorum generum ad aliud: cum tamen secundum causam eamdem vel diversam non dicantur ad convertentiam. Sicut actio a forma vel qualitate substantiali, vel accidentalis comparata ad id quod actioni subjicitur. Passio a materia vel subjecto quod agenti subjicitur, et in qualitate accidentalis actio a potentia naturali, passio a naturali impotentia. Quando vero non a tempore, sed a temporis adjacentia. Ubi autem non a loco, sed a loci circumscriptione. Positio autem a partibus secundum ordinem comparatis inter se et toto et in loco. Habitat autem comparatione extrinsecorum ad totum subjectum. De quibus omnibus non magnum hic oportet facere tractatum, eo quod hic specialiter intendimus de quatuor quæ aliorum sex sunt causa, postea autem in alio libro de aliis sex est tractandum. Inter hæc primum est prædicamentum actionis, quod est de facere: et quia actio est in patiens per effectum procedens virtus agentis, ideo cum hoc genere oportet etiam de pati determinare.

Sciendum quod Aristoteles in sexto *Ethicorum*. ponit distinctionem inter agere et facere, et dicit quod actio est proprie in humanis voluntatibus, sicut sunt consi-

Unde cau-satur actio.

Unde pas-sio.

Unde qua-do et ubi.

Unde pos-t et habitus.

Differentia inter agere et facere.

liari, et eligere, velle et hujusmodi, de quibus est prudentia virtus: facere autem quia virtus efficientis per effectum procedit in patiens, sicut materiam extrinsecam, sicut est secare, vel dolare, vel aliquid talium de quibus cum certa ratione est ars mechanica. Sed quia nos hic non consideramus nisi prædicationis modum, hic generaliter intendimus de facere vel agere, prout communiter se habent ad utrumque, scilicet agere, et facere: et dicimus omnem illam vocem agere vel facere prædicare, quæ significat activam virtutem in effectum procedere ab agente in id quod agenti secundum illam virtutem subjicitur, sicut est intelligere, secare, et urere secundum totum illum modum quo significare potest secundum totum suum declivium, et secundum omnem modum verbalem suum vel etiam participiale: quia etiam participium significat cum actione et tempore, sicut arans, vel secans, sive quodcumque tale similem illis habens suæ prædicationis significationem: iste enim modus significandi rem prædicabilem non potest reduci ad aliquod aliud prædicamentum: per oppositum autem passionem quæ est ab actore receptio ad simplicem actus agentis receptionem, sive ex hoc immutetur patiens, ut in actione physica passum immutatur in aliud ut in physicis, sive non immutatur.

Sed logice loquendo de pati communiter sumitur prout est vox rem prædicamenti significans, quæ est susceptio actus agentis simpliciter prout est suscipiens ipsum tantum: hic enim modus ad nullum aliud reduci potest prædicamentum, et propterea enumerata sunt hæc duo inter prædicamenta: quia sic dicuntur et prædicantur prima quidem rerum principia: principium enim est illud in quo suæ coordinationis secundum communitatem est reductio, et quod ad nullum ut genus reduci potest. Sic ergo ejus quod est agere accepto, distinctio est in agentibus: eo quod virtus agentis in effectum procedens ab ipso, aliquando per seipsum

agit, sicut agit intelligentia et anima. Ali quando autem processus est ab ipsa per qualitatem agentem, sicut est agere a calefaciente vel infrigidante. Et quandoque est processus ab hoc agente per organum et instrumentum, ut secare significat agere, et ad omnia communiter sumitur facere vel agere quando est prædicamentum. Et similiter id quod est pati convenienter significatur per verbum, et non ita convenienter per nomen: melius enim dicitur agere vel facere, quam actio vel factio: et melius dicitur pati, quam passio, quia nominaliter significant ut in quiete et sine tempore, quod non convenit cum agere et pati.

His enim sic determinatis, non videtur aliud dici debere hic de agere et pati, nisi quod suscipiunt contrarietas facere et pati, eo quod contrariis virtutibus causantur: et quia recipiunt contrarietatem, necessarium est quod etiam recipient magis et minus sive intensionem et remissionem: quia actiones et passiones contrariarum virtutum sunt contrariae, sicut caleficere contrarium est ad infrigere, eo quod calidum contrarium est frigido. Et humectare ad exsiccare contrarium est, eo quod humidum est contrarium sicco: et sic se habent albificare et nigrificare, et actiones omnium contrariorum sic se habent ad invicem. Et sic est in actionibus animæ: quia sic delectare contrarium est ad contristare, et ideo agere et pati recipiunt contrarietatem: quia sicut caleficere contrarium est ad frigescere, ita calefieri contrarium est ad frigesieri, et sic delectari contrarium est ad contristari, sicut delectare ad contristare. Quia recipere contrarium est causa ejus quod est recipere magis et minus, sicut saepe dictum est, ideo ista recipiunt magis et minus, quamvis intensionem non recipient secundum gradus operacionis, tamen ipsum agere et ipsum pati sunt res recipientes magis et minus: et hæc intensio causatur ex intensione virtutis in agendo et intensione virtutis passivæ in patiente: et sic caleficere est ma-

gis et minus, et in passione contrastari, et calefieri est secundum magis et minus. Recipit ergo magis et minus facere et pati.

De his autem duobus simul determinare oportuit, quia unum est causa alterius, et alterum est effectus ipsius : tandem illud quod prædicat unum istorum, non continetur sub alio sicut sub genere. De his igitur duobus quantum ad præsentem spectat intentionem tantum hæc dicta sunt.

## CAPUT II.

### *De aliis prædicamentis quatuor in communi.*

**situs quid.** De situm autem esse (hoc est positum esse secundum ordinem partium ad invicem et in toto et in loco totius et partium) dictum est in his quæ ad aliquid sunt, et quædam sunt quæ sunt relationes, quædam denominative a positionibus dicuntur sicut asperum et lene, rarum et densum, et hujusmodi quæcumque situs partium in toto et in loco significant.

**Quando quid.** De reliquis autem prædicamentis quæ sunt quando, et ubi, et habere (eo quod manifesta sunt) nihil aliud in hoc loco dici oportet, quam quæ in principio in ante habitis dicta sunt : quia scilicet unumquodque illorum unum per se significat prædicamentum. Quando quidem non tempus significat, sed esse temporis secundum aliquam temporis differentiam, ut heri quidem fuisse, aut cras futurum esse, aut longe a præsenti, aut prope, et

a præterito, similiter olim fuisse, aut jam, aut dudum, et aliquid hujusmodi : hoc enim prædicamentum nullum aliorum significat. Et similiter est de ubi, ut hic

Ubi quid.

esse, aut esse in foro, aut in theatro, et quæ hujusmodi habent prædicationem : sic enim significant : ubi enim non est locus, sed in loco aliqualiter esse situm : et quando non est tempus, sed in tempore esse : et ideo speciale oportet esse prædicamentum. Habere autem comparationem habentis significat ad habitum circumdantem, quamvis habere dicatur multipliciter, sicut in sequentibus istius libri determinabitur : prædicamentum enim ejus quod est habere, non dicit nisi relationem ad habitum exteriorem qui se mutat ad figuram et circumdationem habentis, et hoc est habere, sicut dicimus vel bene vel male habere vestimentum ad necessitatem vel decus habentis. Sic enim generalis vox est ens prædicans quod in nullo aliorum prædicatur : et ideo hic secundum intentionem hujus libri nihil aliud de his esse videtur dicendum, quam quæ in principio in enumeratione prædicamentorum dicta sunt, scilicet quod hoc habere significat et prædicat calceatum esse vel armatum esse. Ubi autem prædicat in loco esse, quando etiam heri vel cras vel hodie esse, et alia quædam quæ de his dicta sunt in istius libri parte prima, ubi prædicamenta enumerata sunt. De propositis itaque generibus ea quæ dicta sunt sufficient. Adhuc etiam in libro

*sex principiorum* sigillatim tractabimus de his de quibus hic non est tractatum.

Habere  
quid.

## TRACTATUS VII

## DE POST-PRÆDICAMENTIS.

## CAPUT I.

*Quæ sint et quot tractanda in hoc tractatu.*

Omnibus igitur jam determinatis, quæ de prædicamentis dicenda esse videbantur, in quantum prædicamentum est sub uno communi nomine prædicabilium coordinatio. Non enim omnia quocumque modo coordinata reducuntur ad genus unum : ideoque post prædicamenta oportuit sequi tractatum de his quæ quidem coordinanda sunt, sed ad unum genus prædicamenti reduci non possunt. Et hæc sunt opposita, quæ in pluribus generibus inveniuntur, et ea quæ sunt prius et posterius, et ea quæ sunt simul, et motus, et habitus : hæc enim omnia talia sunt cum ipsis nominibus coordinabilitatem habentia, et tamen ad unum aliquod genus prædicamenti reduci non possunt.

De his igitur quinque necesse est tractatum facere specialem secundum quod ad logicum pertinent : quamvis enim opposita sint in rebus et in intentionibus quæ considerat metaphysica, tamen oppositio quæ ponitur inter ea intentionis est : et cum intentio rationem dicat cuiusdam ordinationis, et illam habet logicus considerare. Et similiter est de his quæ sunt simul in omnibus : ea quidem quæ sunt opposita per prius vel posterius et simul, sunt in natura rerum : forma autem et intentio oppositionis et prioritatis et simul ponitur a ratione. Motus autem secundum omnes sui differentias est in natura. Reductio autem ad universale et ad genus oportet quod sit in ratione, et

Necessitas  
post-prædi-  
ca-  
mento-  
rum et nu-  
merus.

ideo motus cum sit prædicabile quidem de multis, oportet quod secundum hoc a logico et secundum formam coordinatio- nis prædicabilium tractetur. Est autem adhuc coordinatio ejus quod inest cum eo cui inest sicut habitum in habente : quod licet ex parte habentis sit secundum genus unum, tamen ex parte habiti est secundum modos multos ad unum et idem genus non reducibles : et ideo oportuit etiam tractare de habere secundum rationem coordinationis ejus quod habetur ad id quod habet. Et sic completur omnis coordinabilium et prædicabilium coordinatio, quam sequitur actus rationis, qui est prædicabilium rerum de quibus prædicatur compositio.

Accipiuntur autem eorum quinque co- ordinaciones penes quæ sunt in pluribus generibus aliquo modo coordinationis unam rationem habentibus : hæc enim aut penes omnium generum diversitatem sunt accepta, aut penes ea quæ sunt in gene- ribus contenta, aut penes aliorum coor- dinationem ad substantiam. Si accipiun- tur penes omnium generum diversitatem, cum sicut dicit Boetius, oppositio sit prima causa diversitatis, tunc est oppositio : quia omnia diversa per divisionem quæ est per opposita, exeunt ab uno aliquo, et est oppositio causa diversitatis. Si au- tem sumitur ratio coordinationis penes illud quod est in quolibet genere, aut su- mitur penes naturam eorum quæ sunt ordinata in genere, aut penes ea in qui- bus stat coordinatio et per quæ fit divisio coordinatorum. Et si primo sumitur, tunc cum ordinata in genere non sint nisi ge- nus et species, inducitur tractatus de eo

Sufficientia  
post-prædi-  
ca-  
mento-  
rum.

quod est prius et posterius: quia genus se habet in coordinatione sicut prius, et species sicut posterius, et prius et posterius est ratio coordinationis eorum in genere uno. Si autem sumitur penes ea in quibus stat coordinatio tota, et per quae fit divisio coordinatorum, tunc erit tractatus de simul: quia etiam et individua in quibus stat coordinatio sunt simul natura, et differentiae per quas fit divisio coordinatorum, ex quo sunt oppositæ simul exeentes ex eodem genere, sunt simul natura. Hic ergo de necessitate tractandum est eo quod est simul. Quia autem in omni natura cuiuslibet generis est potentia et actus, et inter hæc aliquo modo motus (et ideo etiam motus est in omnibus generibus) ideo necesse fuit etiam de illa ratione coordinationis prædicabilium determinare: et ideo oportuit tractare de motu secundum motus communitatem quam in motibus ponit ratio coordinans prædicabilia ad unum commune quod in generibus pluribus invenitur. Si autem est secundum ordinationem illorum generum ad primum quæ est etiam coordinatio quam ratio ponit, sic logico necesse fuit tractare de habere, et in his sufficientia est coordinationis prædicabilium.

*Ordo capitulorum.* Et per ipsam divisionem patet ordo capitulorum istorum: quia prius est id quod sumitur secundum ipsorum generum diversitatem, quam quod sumitur penes ea quæ sunt in genere: et sic oppositio est ante omnia alia. Adhuc prius est quod est in genere secundum substantiam suæ coordinationis, quam id quod est in genere secundum reductionem ad ens generis: et sic prius et simul sunt ante reliqua. Adhuc quod est in genere secundum reductionem ad commune quod est hoc genus, vel id, est ante reductionem ad unum quod est habens ut subjectum: et sic *capitulum de motu* est ante *capitulum de habere*. Patet igitur sufficientia post-prædicamentorum et ordo eorum ad invicem: quia etiam prius est ante simul: quia in coordinatione prius sunt ipsa coordinata

secundum rationem, quam ea in quibus stat coordinatio: et de his hac de causa quæ dicta tractandum est.

## CAPUT II.

### *De oppositione in communi et generibus oppositorum.*

Inter illa ergo primo tractandum est de oppositione, quæ forma est et intentio rationis posita supra ea quæ opposita sunt: ideo in quantum stat super ea quæ sunt entia aliquo modo forma est entis: in quantum autem actualis oppositio est comparatio rationis, qua unum oppositorum comparatur alteri, tunc est forma et intentio quæ attingit et non ens, in quantum ens opponitur non enti tam in contradictoriis, quam in privative oppositis, et etiam in contrariis secundum quod contraria ad privationem et habitum reducuntur. Hoc enim non est inconveniens, quod intentio vel forma quæ potentialiter est in rebus et actualiter in ratione, sit et entis et non entis: quia rati comparans unum alteri, comparationem facere non potest nisi respiciat et stet aliquo modo super utrumque: et sic quidem oppositio simpliciter est forma entis, secundum quid autem etiam est non entis.

Ex his etiam patet quod oppositio aliquo modo forma est unius, et aliquo modo multorum: est enim unius secundum quod unum consideratur oppositum alteri, sed non est forma quæ absolute sit in uno, hoc est, in uno respectu alterius. Est etiam oppositio multorum, quia dicimus quod illa vel illa sunt opposita, et hoc est, quod per rationem utriusque oppositorum comparata est ad alterum et stat sic in oppositis: hoc enim modo forma quæ non est absoluta potest esse multorum.

Ex his etiam patet quod oppositio in quantum oppositio secundum genus est ad aliquid: quamvis species oppositionis non sint ad aliquid, nisi mediante genere, hoc est, reduplicatione ad genus, sic ut dicatur, quod contrarietas in quantum est oppositio, est ad aliquid, secundum quod

in antehabitis dictum est, quod grammatica secundum quod est disciplina est ad aliquid, et non secundum quod est grammatica vel hæc scientia.

**Objectio prima.**

Et si quis objiciat, quod relatio est forma eorum quorum utrumque est ens actu: oppositio autem potest esse eorum quorum alterum est non ens: et quod ideo oppositio non sit relatio. Adhuc autem quia relatio est secundum genus unum tantum; oppositio autem est in pluribus generibus, et quod ideo oppositio non est relatio.

**Relatio prima.**

Dicendum quod hæ argumentationes non valent, quia oppositio, sicut ante dictum est, est intentio quam ponit ratio super res: et ideo relatio quæ ponitur ibi a ratione, intentio est, et talis relatio est relatio entis, quod (ut oppositum est et non ut res) est in ratione: et tale ens sufficit relationi quæ est posita super intentiones. Ad aliud autem dicendum quod quamvis relatio sit unum genus, non tamen propter hoc sequitur quod relativa sint in genere uno omni modo: oppositio autem est distantia relatorum ad invicem, et hoc modo est in diversis prædicamentis. Sic ergo patet quid sit oppositio: est enim, ut dicit Boetius, hoc habens quod opposita non possunt esse simul in uno et eodem: unde oppositio est repugnantia vel essentialis distantia aliquorum se non permittentium esse in eodem simul.

**Relatio secunda.**

Nunc ergo quærendum est secundum oppositionis divisionem, quoties sive quot modis solet unum opponi alteri. Dicitur autem alterum alteri sive unum alteri opponi quadrupliciter, hoc est, uno quatuor modorum: aut enim opponitur ut ad aliquid, aut ut contraria, aut ut habitus et privatio, aut ut affirmatio et negatio. Oppositio enim (quæ est forma rationis secundum intentiones quæ in ratione sunt, quæ respicit tam ens quam non ens) aut est inter ea quæ actu sunt, aut inter ea quorum unum est et alterum non est. Si enim est inter ea quæ actu sunt, et suis formis repugnantiam habent oppositionis,

tunc aut se sunt expellentia ab eodem susceptibili secundum potentiam et actum, aut expellentia se secundum actum, non secundum potentiam. Si primo modo: tunc est oppositio secundum ad aliquid, sicut patet in patre et filio. Idem enim respectu ejusdem pater nec est nec potest esse et filius. Si autem se expellant ab eodem secundum actum, et non secundum potentiam: tunc est oppositio contrarietas. Et istæ duæ, quia sunt super ens, aliis duabus oppositionibus præordinandæ sunt: et quia oppositio relationis expellit oppositum secundum actum et potentiam, contrarietas autem secundum actum tantum, ideo oppositio relationis ponitur ante oppositionem contrarietas. Si autem est inter ens simpliciter, et non ens: tunc aut est inter ens simpliciter et non ens secundum quid, aut inter ens simpliciter et non ens simpliciter. Et primo quidem modo est oppositio inter habitum et privationem, quæ licet privet habitum, relinquit tamen subjectum. Et si est secundo modo: tunc est oppositio inter affirmationem et negationem, in quibus affirmatio dicit ens, negatio autem simpliciter non ens, et habent ordinem secundum quod plus vel minus habent de ente, et hoc modo privatio et habitus sunt ante affirmationem et negationem.

Vel si placet, dici potest quod oppositio aut est inter complexa, aut inter incomplexa. Si inter complexa: tunc est oppositio conditionis. Et quia in hac parte complexa secundum logicos non intenduntur nisi secundum potentiam: tractatur enim de ordinabilibus ad complexionem, propter hoc oppositio contradictionis ponitur ultimo, ut minus intenta. Si autem est inter incomplexa: aut est inter ea quæ secundum formam opponuntur ratione repugnantia formarum, vel ratione perfecti secundum formam et imperfecti. Si secundo modo: tunc est oppositio privationis et habitus. Si primo modo, aut est oppositio secundum formas quæ sunt formam et totum consequentes, aut secundum formas materiam respicien-

tes, in qua fiunt secundum potentiam materiæ ad utrumque per motum et mutationem. Et primo quidem modo est oppositio ad aliquid: secundo autem modo est oppositio quæ est contrarietas. Potest etiam pluribus aliis modis sumi divisio oppositionis: et hoc quia valde facile est cuilibet consideranti naturas oppositorum, ideo pertransimus.

Ut autem sigillatim illa per exempla declarentur, unumquodque istorum oppositorum opponitur, ut relative id quod est dimidium et duplum: ut contraria autem, ut malum et bonum. Quamvis enim malum, ut Aristoteles dicit in tertio *Metaphys.*, sit privatio boni, tamen secundum quod bonum est in habitibus et actibus sunt contraria: quia malus habitus ex malis relinquitur actibus et est qualitas quædam in anima, sicut malus actus est operatio quædam ab anima elicitæ, et sic contrarie opponitur malum ad bonum, prout est bonum in oppositis habitibus et actibus ad malum. Et hoc est accipere id quod est malum, et id quod est bonum: si enim accipiatur utrumque istorum formaliter, scilicet unde malum, et unde bonum, tunc forma tam in anima quam in habitu et in actu, malum ad bonum privative opponitur et in corpore et in natura tota, sicut probant similiter et Aristoteles et Dionysius: quia etiam in corpore malum privatio est, et in tota natura non est nisi privatio: sed hoc non est præsentis intentionis, sufficit enim quod bonum et malum secundum id quod sunt contraria sunt. Secundum privationem autem et habitum opponuntur, ut cæcitas opponuntur visui, cæcitas enim est privatio visus in eo quod natum est habere visum. Ut affirmatio autem et negatio opponuntur, ut sedet, non sedet: quæcumque affirmatio affirmat, negatio negat, et econtra quæcumque negat negatio, affirmat affirmatio. Hi igitur figuraliter superficialiter dicti sunt modi oppositionum.

*Removet dubium.*

*Quomodo bonum et malum opponuntur contrarie et privative.*

Dubitatio. Si autem queratur quæ sit divisio oppositionis in quatuor opposita, Dicendum

quod communiter dicitur quod sit divisio sicut generis in species. Sed secundum veritatem per prius et posterius dividitur in suos modos, quia oppositio de esse et non esse sive secundum affirmationem et negationem, est plus habens de oppositione omnibus aliis. Et oppositio secundum habitum et privationem, quæ est oppositio secundum esse et non esse secundum quid, post hoc plus habet de oppositione. Oppositio autem secundum esse et non esse minus habet, et in tali oppositione plus habent ea quæ sunt actu contraria potentia esse in eodem, quam illa quæ sunt relativa quæ nec actu nec potentia possunt esse in eodem: quia quamvis actu et potentia simul esse non possint, tamen formalem contrarietatem non tantum habent quantum contraria quæ se mutuo expellunt: quia relativa se mutuo non expellunt, eo quod se in eodem non contingunt, et ideo formas non habent invicem activas et passivas. Ex his iterum patet quædam sufficientia oppositionum et ordo ipsorum, secundum quod plus vel minus habent de oppositione: quæ enim minus habent prius, et quæ plus habent posterius ordinantur.

### CAPUT III.

#### *De relative oppositis.*

Dicamus ergo primo de relative oppositis, quod quæcumque ut relative opponuntur, ea ipsa quæ sunt, oppositorum sunt, et dicuntur secundum eundem, casum vel quolibet aliter ad aliud secundum eundem casum vel diversum: ut duplum et dimidium hoc ipsum quod est utrumque ipsorum, alterius dicitur duplum, dicitur enim dimidi duplum: et haec sunt vere ad aliquid secundum hoc ipsum quod sunt: sed etiam secundum dici disciplina quodammodo secundum alium casum dicitur disciplinæ disciplina, et disciplinatus disciplina disciplinatus, et disciplina disciplinato est opposita secundum relationem, quia disciplina dicitur hoc ipsum quod est disciplinati, et

*Divisio op-  
positionis  
est divisio  
analogiæ.*

disciplinatum hoc ipsum quod est secundum quod disciplinatum est stans sub forma disciplinæ, ad suum oppositum sive correlativum est, quamvis non secundum eumdem casum, quia non dicitur disciplinatum disciplinæ disciplinatum, sed disciplina disciplinatum: disciplinatum enim dicimus aliquem, non disciplinæ disciplinatum, sed disciplina disciplinatum per ablativum casum convertentiam facientes.

Concludamus igitur generaliter quod quæcumque relative opposita sunt, hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur secundum genitivum, aut quomodo cumque aliter dicantur ad invicem secundum aliquem aliud casum. Hæc autem differunt ab omnibus aliis modis oppositionis et præcipue a contrariis: contraria enim non aliorum dicuntur, sed dicuntur contraria esse sibi vel ad se invicem: non enim dicitur bonum mali bonum, sed dicitur bonum malo contrarium, neque album dicitur nigri album, sed dicitur album nigro contrarium: ex quo patet quod hæc duæ ad invicem differunt oppositiones.

**Objectio.** Si autem quis objiciat, dicens quod opposita se mutuo perimunt et expellunt, relativa posita se ponunt et interempta se interimunt, et sic relativa non sunt opposita. Solvendum, sicut in ante habitis dictum est, quod relativa in hoc habent virtutem et naturam oppositorum, quod se expellunt actu et potestate ab eodem susceptibili sive subjecto, et quod posita se ponant, non habent ab eo quod sunt opposita, sed habent ab eo quod a se invicem dependent secundum intellectum: quia sic utrumque est finis et terminus alterius, et sic unum non potest poni sine reliquo: quia quod ponitur esse finitum per intellectum alterius, non ponitur esse finitum ante intellectum illius, nec habet esse sine illo: hac etiam necessitate fit quod destructa se perimunt: destructo enim uno, alterum non

est in esse finitum; nihil autem est actu nisi quod finitum est in esse: igitur quod non est finitum in esse, non est: quod finitum est intellectu, finitum est et in esse, quia per idem intelliguntur res per quod sunt in esse, sicut dicitur primo *Physicorum*<sup>4</sup>.

**Objectio.** Objicitur tamen contra ea quæ dicta sunt, quod contraria ut contraria ad invicem referuntur, quia contrarietas est forma relationis: et ideo quæcumque sunt contraria in quantum sunt contraria, sunt etiam relativa. Sed ad hoc dicendum sicut prius, quia contraria ut opposita ad invicem referuntur, et sunt relativa secundum genus et non secundum speciem, aut secundum individum. Et quando dicitur quod contraria ut contraria sunt ad aliquid, locutio est duplex: ex eo quod illud quod dicitur (secundum quod) potest facere reduplicationem contrarietas ut est oppositio, aut ut hæc oppositio in se designata. Et primo quidem modo vera est hæc, contraria ut contraria sunt relativa, sed tunc non sequitur conclusio, quod oppositio relationis sit oppositio contrarietas. Si autem facit reduplicationem hujus contrarietas, tunc est falsa hæc, contraria secundum quod contraria sunt relative opposita, et solvitur per interemptionem propositionis, et ideo patet quod non probat. Quamvis enim ex falso sequatur aliquid quando conclusio, tamen nihil probatur. Hoc igitur est primum genus oppositionis inter quatuor quæ dicta sunt. Et cum omnia opposita nata sint fieri circa idem, hæc quæ dicuntur relative opposita, semper sunt in diversis, et non sunt nata fieri circa idem, nisi in hoc quod ad invicem referuntur et sunt ad invicem hoc ipsum quod sunt. Quod autem mutuo se expellant actu et potentia essendi in eodem, jam in ante habitis expositum est, et qualiter conveniat relativis.

**Solutio.**

Quomodo  
relative op-  
posita inter  
aliaopposita  
non sunt na-  
ta fieri circa  
idem.

<sup>4</sup> Tex. com. 4.

## CAPUT IV.

*De contrariis, sive de oppositione contrarietatis.*

De contrarie vero oppositis tractantes, nos non oportet diffinire contrarietatis oppositionem, quia jam in tractatu de *Quantitate* ab opinione Antiquorum constat, quod contraria sunt quæ posita sub eodem proximo genere, vere maxime distant a se invicem. Quia etiam quamvis medium comparatum extremo sit contrarium, tamen in quantum distat, distare non habet, nisi in quantum participat aliud contrarium quod maxime distat, et sic medium ab extremo non distat nisi ratione maximæ distantiae. Et sic omnia quæ distant sub eodem genere proximo, aut sunt extrema maxime distantia, aut si non sunt extrema, distant tamen per ea quæ maxime distant, hoc est, participatione extremorum. Nata autem sunt fieri circa idem susceptibile, sive subjectum, quod est potentia utrumque contrariorum: quia quorum est unum genus proximum, horum est una potentia: quia genus est potentia in quo potestate est utrumque, et a quo per divisionem per oppositas differentias factam exit et educitur utrumque. Sic ergo constat de substantiali diffinitione contrariorum.

Dico autem, quod contrariorum quædam sunt circa suum subjectum sive susceptibile immediata, quædam autem media, hoc est, quod quædam sunt quorum alterum necesse semper est inesse suo susceptibili, quædam autem sunt talia quod alterum non est necesse inesse, sed potest inesse medium quod neutrum est extremorum. Horum autem quorum necesse est inesse alterum eorum, nullum est medium: quorum autem alterum non est necesse inesse, horum medium est aliquid.

Ut autem figuraliter per exempla quæ dicta sunt declarentur, contrariorum imediatorum in physicis quidem exem-

plum est languor et sanitas circa animal complexionatum in corpore: hæc enim circa corpus animalis nata sunt fieri, et necessarium est alterum inesse corpori animalis vel languorem vel sanitatem. Nec latet vos, quod Galienus inter sanum et ægrum ponit medium quod est neutrum: verbi gratia, quando animal est actu sanum sed dispositum ad ægritudinem: vel e converso, quando est actu ægrum sed dispositum ad sanitatem: vel quando est in toto et secundum partem ægrum, vel e converso, vel aliquo alio tali modo se habens. Omnia enim contraria quæ fundantur super æquale et inæquale, necessario sunt immediata, sicut et æquale et inæquale esse sunt immediata, quia ad affirmationem et negationem reducuntur et sunt contradictoria in genere, quamvis simpliciter non sint contradictoria. Sanum autem et ægrum fundata sunt super æquale et inæquale, quia sanum est, quod est in æqualitate complexionis, ægrum autem, quod ab æqualitate decessit: et hoc modo neutrum non est medium, sed est ægrum non multum distans a sano, vel sanum non multum distans ab ægro: et hoc considerat Philosophus secundum illam partem physicæ quæ medicina est. Intentiones sani et ægri prout contrarietas est inter eas considerat logicus: quia simpliciter sunt fundatae super æquale et inæquale, logicus dicit esse immediatas.

Est autem objectio contra ea quæ dicta sunt, in physicis: quia motus semper est de contrario in contrarium: motus autem omnis medium habet, quia omne quod movetur de extremo sive contrario in extremum contrarium, prius est in medio quam in extremo, et sic nulla sunt in physicis contraria quæ medium non habent, ut videtur. Et hoc quidem verum est per hunc modum, quo procedit objectio, scilicet secundum hoc quod contraria comparantur ab subjectum, quod potentia est sub utroque contrariorum successive: et sic contraria prout eorum est motus considerat physicus. Nihilomi-

Objectio,  
quod nulli  
contrarii  
sint immi-  
diata.

Solutio.

nus tamen intentiones contrariorum causam aliquando accipiunt oppositionis ab æquali et inæquali, aliquando autem a formis essentialiter repugnantibus. Et quando accipiunt causam oppositionis ab æquali et inæquali, non potest inter illas intentiones esse medium propter affirmationem et negationem : quando autem repugnantia et distantia essentialis est in causa, aut illæ essentiae sive formæ sunt miscibiles sibi ad invicem, aut non sunt miscibiles secundum numerum : et siquidem sunt miscibiles, illa contraria habent medium : si autem non sunt miscibiles, sicut æquale et inæquale, sed sunt immiscibilia, tunc illa contraria secundum intentiones suas formales non habent medium.

Sicut autem sanum et ægrum sunt immediata circa corpus animalis, sic par et impar circa numerum immediate opponuntur et de numero prædicantur immediate, ita quod omnis numerus est par vel impar, propter eamdem causam, quia numerus par est, qui in duo æqualia dividitur, impar autem qui in duo æqualia non dividitur, sed in duo inæqualia : et sic fundatur par et impar super æquale et inæquale : horum enim alterum necessarium est esse in numero, sicut abundans et perfectum. Dico autem hic abundans, non prout est passio quædam numeri, secundum quam dicitur numerus omnis aut esse perfectus aut esse diminutus. Non sic enim accipimus hic abundans et perfectum, sed secundum quod perfectum est æquale, abundans autem distans ab æqualitate : sic enim par numerus perfectus est quia perfecte stat super æquale, impar autem imperfectus, quia unitate abundans super æquale : impar autem numerus, ut dicit Pythagoras, est qui in duo æqualia non dividitur, impediente ea quæ intercedit unitate. Nihil ergo est in medio istorum inter sanitatem scilicet et languorem, nec inter numerum sic abun-

dantem et perfectum, et imparem et pa-

rem.

Contrariorum autem quorum non est necessarium alterum inesse susceptibili illorum, est aliquid medium propter miscibilitatem extermorum, sicut album et nigrum cum sint contraria, in corpore terminato habent fieri sicut in susceptibili : et non est necessarium alterum inesse corpori ; non enim omne corpus terminatum aut album, aut nigrum est, sed aliquando medio colore figuratum. Similiter autem pravum et studiosum prædicantur ut contraria de homine et de aliis multis : unumquodque enim studiosum est quod est perfectum sua connaturali virtute ad proprium et connaturalem actum, sicut homo ad actum hominis, et leo ad actum leonis, et miles ad actum militis, et philosophus ad actum philosophi, et sic est in omnibus aliis.

Hæc tamen contraria, pravum et studiosum, sunt mediata : quia non est necessarium hominem aut studiosum, aut pravum esse : et similiter est de aliis quæ prava dicuntur vel studiosa. Possunt enim esse media, ita quod neque prava neque studiosa sunt, sicut sunt corpora ad virtutem sui actus disposita, neque etiam contrarium habitum habentia, sicut dicit Averroes<sup>1</sup>, quia rusticus qui ad civilitatem et curialitatem et virtutem hominis non est dispositus, nec est bonus nec malus, nec pravus nec studiosus. Hesiodistæ autem philosophiam theologizantium sequentes, dicunt inter bonum et malum, sive inter pravum et studiosum non esse medium : non enim dicunt aliquod bonum bonum bonitate naturæ simplicis, sed bonum dicunt virtute perfectum ad actum omnem : qui autem ab illo deficit cum debeat esse perfectus, dicunt esse malum omissionis malitia ad minus, quia studium virtutis non fecit quod debuit : pravum autem dicunt bonum ad prævi actum in nocentia perfe-

*Quid per  
abundans  
et perfectum.*

<sup>1</sup> AVERROES, Cf. 5 Metaph. com. 27, et 10 Me-

taph. com. 16.

ctum, et sic dicunt Theologi nostri temporis. Physice autem loquendo medium est inter pravum et studiosum sicut dictum est. Est ergo horum contrariorum medium : albi quidem et nigri medium est fuscum, et pallidum, et sunt alii medii colores, sicut viride, et glaucum, et hyacinthinum, et croceum. Pravi vero et studiosi medium est, quod nec pravum nec studiosum est, sicut diximus.

Sed in aliquibus contrariis nomina mediorum inter media sunt posita, et sunt quorum formæ sunt miscibiles ad formam medii terminatam, sicut inter album et nigrum nominantur media fuscum, et pallidum, et alia hujusmodi. In contrariis autem, quorum scilicet formæ non sunt miscibiles ad medii determinationem, non est idoneum assignare mediorum nomina, cum tamen sint media secundum rei veritatem. Hoc medium in talibus habet determinari per abnegationem utriusque summorum sive extremorum : summa enim sunt maxime in summo distantia ab invicem, sicut si dicerem intermedium boni et mali esse quod nec bonum nec malum est, sicut rusticus nec bonus dicitur civiliter nec malus : vel sicut diceremus inter justum et injustum esse secundum generalem justitiam, quæ idem est omni virtuti, quia nec justum nec injustum est id quod ad civilem justitiam non est dispositum. Quamvis enim talia contraria sint miscibilia, eo quod in omni motu extrema aliquo modo miscibilia sunt, quia aliter inter ea non essent motus, tamen ad formam medii determinabilia non sunt, quia non est status in mediis ipsorum ad speciem determinati medii secundum medii formam.

In omnibus autem sensibilibus contrariis media sunt vel plura vel pauciora secundum doctrinam quæ traditur in libro *de sensu et sensato*. Quia contraria in illis sunt simplices formæ extremorum : in aliis autem quæ fundantur super quasdam

habituidines æqualitatis vel inæqualitatis, non potest esse medium. Quamvis dicant ethici virtutem esse medium duarum malitiarum, quæ tamen non miscetur ex duabus malitiis, quia virtus secundum boni rationem non est medium, sed extreum : in actu autem è medio habitus medium est, nisi mixtum ex duabus malitiis secundum medium duarum malitia rum in circumstantiis actus quas medio modo participat duarum malitiarum, quarum una est secundum abundantiam, altera est secundum defectum. Hæc igitur et talis est oppositio contrarietas.

## CAPUT V.

### *De privative oppositis.*

Privatio vero et habitus secundum quod oppositionis species esse dicuntur, habent fieri circa idem aliquod quod susceptivum proprie est ipsius habitus secundum naturam, sicut visio et cæcitas circa idem sunt habitus per naturam susceptivum, quod est oculus. Oculus enim per naturam susceptibilis est visus : propter quod Philosophus dicit <sup>1</sup>, quod si oculus esset animal, visus esset anima ejus : unde sicut mors et vita opponuntur circa idem quod per naturam vitæ susceptibile est, ita visus et cæcitas opponuntur circa oculum, et auditus et surditas circa aurem, et calvum esse et comatum esse circa frontem, quia per humiditatem naturæ cerebri frons nata est esse comata. Universaliter autem loquendo de omnibus taliter oppositis sciendum, quod in quocumque secundum naturæ principia et naturæ ordinem nascitur habitus vel habet nasci, circa hoc secundum eadem principia et eumdem ordinem habet fieri utrumque istorum oppositorum, habitus scilicet et privatio, habitus scilicet constantibus principiis et constante ordine secundum naturæ determinationem, privatio autem

<sup>1</sup> 2 de Anima, text. com. 9.

secundum corruptionem utrorumque, scilicet principiorum et ordinis determinata natura.

Quod vero ordo requiratur in talibus, patet ex hoc, quia tunc dicimus privari unumquodque suo habitu in illo tempore quo id quod natum est habere aliquem habitum, tunc non habet eum. Et si ante tempus determinatum ad habere habitum non habet, tunc dicimus quod non est privatum: edentulum enim dicimus non eum qui non habet dentes in quocumque tempore, sed eum qui non habet dentes in tempore in quo natus est habere dentes secundum naturam: neque cæcum dicimus, qui in quocumque tempore non habet visum, sed eum qui non habet in tempore in quo secundum naturam convenit eum habere visum vel dentes. Cum enim natura, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, nec abundet in superfluis, nec deficiat in necessariis, et omnia mensurantur periodo, ut dicit idem Aristoteles<sup>2</sup>, si in tempore in quo natus est habere, non habet, privatus pro certo est principio naturæ ad operandum: si ante periodum deficit, non est privatus naturali principio, sed materia in qua comparabatur naturæ principium, ad tam breve tempus complere non potuit. Propter quod pueros primæ plantationis dentes projicientes, edentulos non dicimus, quia manet in eis principium dentium generativum. Quædam enim sunt generationes sive quædam generata, quæ mox nata, nec dentes, nec visum habent, sicut est canis natus, lupus, et catus: et homo quamvis habeat visum, non habet adhuc adunatum, sed dentes mox natus non habet; et tales nati non propter hoc dicuntur edentuli, nec cæci, propter hoc quod non significat corruptionem principii vel membra in quo est privatio et habitus, sed significat brevitatem periodi in qua non poterat compleri organum ad habitus perfectiōnem.

Sic ergo opponuntur privatio et habitus, quod privatio dicit principiorum habitus corruptionem in eo in quo tunc natus est esse habitus. Et hoc est triplexiter secundum quod dicit Aristoteles in quinto *primæ philosophiæ*, scilicet circa idem numero, ut cæcum circa videns, hoc est, visum habens: vel circa idem genere, sicut talpa dicitur mus cæcus, non quod nata sit videre, sed quod genus ejus (quod est animal) natum est habere visum: tertio circa genus remotum, sicut planta dicitur habere visum, quia vivum natum est habere visum, cum vide sit de operationibus vitæ, quas natum est suscipere vivum secundum quod vivum. His igitur modis privatio opponitur habitui, quando scilicet habitus privatur privatione principiorum ipsius habitus: propter quod etiam videns non opponitur privative ad non videns, quia aliquid est non videns et visu non utens, et hoc non est privatum visu: et est non videns, principia visus nec habens ex genere nec ex specie, sicut lapis est non videns: et sic videns et non videns opposita sunt secundum affirmationem et negationem, et non secundum privationem et habitum. Ad hoc ergo quod privatio et habitus sint opposita, oportet quod sint circa idem habitus per naturam suscepibile, cuius suspicionis præcorruptiva sit privatio. Et hæc est causa quod habitus secundum ordinem naturæ præcedit privationem, et privatio comparatur ad habitum: sicut secundum, quia primum est habitus. Non oportet autem habitus præcedere actu, sed in ordine principiorum naturæ: si enim actu semper oporteret præcedere habitum, tunc nullus esset cæcus vel surdus a nativitate, quod falsum est.

Privari autem et habere habitum non est omnino idem, quod privatio et habitus: quamvis inter ea sit idem modus oppositionis. Habitus est visus: visus au-

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 3 de Anima, tex. com. 45.

<sup>2</sup> Id. 2 de Generatione et Corruptione, tex.

tem essentialiter non est habere visum. Similiter privatio est cæcitas, quia cæcitas suscipit prædicationem privationis, sicut species suscipit prædicationem generis. Habere igitur visum non est visus. Cæcum vero esse et privari visu, non est cæcitas vel privatio: si enim idem esset cæcitas et cæcum esse essentialiter, tunc utrumque eorum de altero prædicaretur, et de quocumque prædicaretur unum, de eodem prædicaretur reliquum: hoc autem minime vel nequaquam convenit, cæcum enim esse vel privari visu dicitur homo, cæcitas vero nullo modo dicitur homo. Et per hoc patet, quod privatio privat habitum in se, et in principiis habitus relinquunt subjectum, circa quod est potentia, et illud nihil est privationis. Hæc tamen scilicet cæcum esse et visum habere opposita sunt tanquam privatio et habitus, modus enim oppositionis in utroque idem est: cæcitas enim opponitur visui, sicut cæcum esse opponitur ad visum habere. Sed in hoc est differentia, quod cæcitas et visus nominant ipsa opposita secundum privationem et habitum: cæcum autem esse et visum habere nominant subjectum secundum quod stat sub privatione et habitu, quasi denominatum ab ipsis, et ideo cum subjectum ex se non habeat oppositionem ad seipsum, nec subjectum possit opponi subjecto, relinquitur quod non est ibi oppositio nisi privationis et habitus, quæ circa subjectum posita esse significatur, et ideo necessarium est, quod idem modulus oppositionis sit inter cæcitatem et visum, et inter cæcum esse et visum habere, sive inter privari visu et videre sive habitum habere.

Attendendum autem, quod hæc oppositio non est contrariorum oppositio: quamvis enim privatio salvetur in contrario, sicut cum dicitur quod ex non albo fit album, dico quod potest esse album, et hoc est nigrum: tamen nigrum et album prout sunt formæ contrariae actu, sunt etiam repugnantes sibi invicem, et sic opponuntur ut contraria. Sed in

quantum est idem in illis quæ participant utramque illarum formarum ut perfectum et imperfectum et ut formabile ad speciem, sicut est lux: vel logice loquendo genus quod est in utraque specierum ut potentia, et ut formabile ad speciem: sic opponuntur ut privatio et habitus: et sic de uno potest fieri reliquum, sicut actus de potentia: sic enim utrumque fit ex altero, sicut non hoc potens, potest tamen esse id, et utrumque inchoationem, et principium sui esse habet in reliquo: et hæc privatio quæ est unum de principiis motus, præcedit habitum secundum naturam: et quia materia nunquam est sine forma, ideo privatio talis est fundata secundum modum quem dicimus in forma contraria vel disparata: et ideo dicit Philosophus, quod quorumcumque est genus unum, illorum est materia una. Patet igitur quod privatio et habitus specialem habent modum oppositionis distinctum a modo oppositionis contrariorum.

## CAPUT VI.

### *De oppositione secundum contradictionem.*

Quartum autem genus oppositionis est secundum contradictionem: quod quia complexum est, non adeo proposito convenit huic tractatui. In hac enim parte loquentes logice, non intendimus nisi de prædicabilium ordinatione, secundum quod prædicabilia rerum prædicamentorum significativa sunt, et ad res habent reduci: et quia res oppositæ sunt sub contradictoriis, ideo tractando de oppositis, oportuit tractare de contradictoriis secundum quod sub contradictoriis res substant oppositæ. Et ideo sciendum quod id quod secundum rem sub affirmatione est, et id quod secundum rem est sub negatione, non est idem quod affirmatio et negatio: cuius probatio est: quia affirmatio est oratio affirmativa, negatio (quæ est contradictoria) est oratio negativa: horum autem quæ sunt affirmatione et

negatione, sunt ut res affirmatae et negatae: nullum enim est oratio, sed potius res quæ subjecit orationi, sicut significatum substata signo.

Affirmatio  
et negatio  
tripliciter  
dicuntur.

Sciendum enim quod affirmatio tripliciter dicitur, et similiter negatio. Dicitur enim affirmatio affirmationis qualitas et forma in parte per assertionem compositionis: et hoc modo affirmatio qualitas est propositionis, et per oppositum negatio dicitur qualitas vel forma divisionis compositorum, et est qualitas negativæ propositionis. Aliquando dicitur affirmatio enuntiativa oratio dicens unum de altero, et sic affirmatio species est propositionis. Aliquando dicitur affirmatio pars negationis, quando scilicet idem negatur in negativa, quod affirmatur in affirmativa: et sic affirmatio et negatio sunt opposita circa idem: quamvis affirmatio non opponatur negationi ut pars est, tamen oppositio est in hoc quod id quod significatur esse in una, significatur non esse in altera: non inesse autem et inesse sunt opposita per affirmationem et negationem.

Objectio.

Si quis autem objiciat quod inter affirmationem et negationem est ordo, quod affirmatio est ante negationem, non enim negat negatio nisi quod affirmat affirmatio; et videtur quod opposita secundum affirmationem et negationem sunt circa idem ordine, et sic sunt opposita ut privatio et habitus, sicut patet per ante dicta, Dicendum quod quando dicitur quod opposita ut privatio sunt circa idem ordine, intelligitur quod ordo ille sit in rebus a natura determinatis: ordo autem qui est inter affirmationem et negationem, non est talis, sed est ordo rationis: quia scilicet negatio non negat, nisi quod affirmat affirmatio in quocunque tempore: et hoc non est in oppositione privationis et habitus. Hæc igitur genera oppositionis distincta sunt ad invicem: et in argumento est paralogismus æquivocos, et quod aliter et aliter hinc et inde sumitur

Solutio.

ordo. Quamvis autem, sicut dictum est, quod substata affirmationi non sit affirmatio, et quod substata negationi non sit negatio, tamen concedendum quod ea quæ substantia affirmationi et negationi, sunt opposita tanquam affirmatio et negatio: et est in eis idem modus oppositionis, qui est etiam in contradictoriis: sicut enim affirmatio adversus negationem est opposita, ut quod sedet est oppositum ei quod non sedet, sic et res quæ sub utraque positæ sunt, affirmatione scilicet et negatione, eumdem habent modum oppositionis, ut sedere opponitur ad non sedere respectu ejusdem et circa idem.

Objectio.

Si autem quis quærat dicendo, quod ex quo affirmatio et negatio in sermone sunt complexa, in quibus ex natura contradictionis oppositionis, in rebus autem est modus illius oppositionis, videtur quod hæc oppositio prima sit in sermone, et non in re nisi per consequens et non per veritatem, sed per aliquem modum ipsius tantum: etiam hoc aliqui aliquando concesserunt. Sed contra hoc est, quod dicit auctoritas Platonis: quia non sermoni res, sed rei sermo subjectus est, quia sermo non est nisi propter res significandas: et sicut in ante habitis dictum est, in eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa est: et sic videtur primum esse in re, et consequenter, in sermone: et hoc est concedendum. Et propter hoc dicendum quod contradicatio non est in sermone, nisi secundum quod refertur ad rem, et est in re sicut in causa, in sermone autem sicut in signo rei. Adhuc autem attendendum est quod in re est sicut in causa et non in compositione et divisione: res enim est in re vel separata a re, sicut compositione media quæ diversa sit a rebus compositis, sed notam compositionis vel notam divisionis ponit anima, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>. Et ideo tria sunt in oppositione secundum affirmacionem et negationem, scilicet quod ad rem

Solutio.

Tria requi-  
sita in op-  
positione  
contradic-  
toria.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 9 primæ philosophiæ, tex.

referantur eamdem affirmatio et negatio, et ad eumdem intellectum componentem et dividentem, et quod observetur in sermone identitas significandi in affirmatione et negatione: quia res est causa, intellectus autem componens et dividens, et sermo signum compositionis et divisionis.

Attendendum autem quod diffinientes affirmationem et negationem, utuntur genere remoto dicentes, quod affirmatio est oratio affirmativa, et non dicentes quod est enuntiatio: quia volentes ostendere quod affirmatio et negatio opposita sunt, melius ostenditur ex genere quod est oratio, quia hoc commune est utriusque, affirmationi scilicet et negationi: enuntiatio autem species est orationis, et proprie loquendo nihil enuntiatur in enuntiatione negativa, sed potius negatur in enuntiatione aliquid de aliquo: et quod enuntiatum est in affirmatione, negatur in negatione.

**Notandum.** Adhuc notandum quod cum dicitur, affirmatio est oratio affirmativa, ponitur affirmatio pro specie enuntiationis sive propositionis cuius genus est oratio. Cum autem subjungitur affirmativa, ponitur affirmatio pro qualitate propositionis quæ ad quale informat et denominat orationem.

**Objectio.** Et si dicat aliquis, quod aliæ orationum sunt affirmativæ, Dicendum quod non sunt: quia non affirmant verum vel falsum. Unde cum dicitur, utinam non moriar, non est negatum aliquid, sed optatum est de non moriendo. Similiter etiam cum dicitur, non fac hoc, vel non facias aliquid aliud, nihil negatur, sed imperium vel præceptum est de non faciendo. Et idem est in affirmativis, cum dicitur, fac hoc, vel utinam facias: hoc enim nihil est dictum, sed præceptum vel optatum de aliquo fiendo vel faciendo: et in talibus non proprie est affirmatio vel negatio, sicut dictum est, quia si insit per modum affirmationis vel negationis, totum significat affectum mentis, qui per

modum verbi importatur quod ponitur in oratione.

## CAPUT VII.

*De differentia oppositionis secundum privationem et habitum, ab oppositione relationis et contrarietatis.*

Sic determinatis generibus oppositionum, videndum est in quibus differant a se invicem et inter seipsa. Quod autem privatio et habitus non sic, vel eodem modo opponantur ut ad aliquid, sed hæc duo genera oppositionis sunt diversa, manifestum est, accipiendo primo differentiam sive differentiæ rationem ex ipsis quæ opposita sunt: visus enim qui opponitur cæcitatì ut habitus privationi, non dicitur hoc ipsum quod est visus sui oppositi quod est cæcitas secundum aliquem casum sive secundum genitivum, sive secundum aliud casum, non dicitur ad ipsum: non enim dicitur visus cæcitatì visus, nec cæcitatì visus, nec ad cæcitatè visus, nec cæcitate visus: nullus enim horum habituum ad rem referri potest, et ad id quod est visus secundum quod est visus: aliter autem non potest visus hoc ipsum quod est ad alterum esse. Similiter autem nec cæcitas dicitur hoc ipsum quod est cæcitas visionis, nec secundum aliquem aliud casum dicitur alterius hoc ipsum quod est. Sed cæcitas dicitur privatio visionis, et sic secundum genus aliquo modo est alterius, sed non secundum speciem: cæcitas autem visionis cæcitas non dicitur. Hujus autem causa in ante habitis in tractatu de *Relatione* dicta est, quia aliquando in ratione nominis speciei clauditur vel concipitur id cuius est, et ad quod dicitur: et tunc incongrue extrinsecus opponentur.

Amplius adhuc ab ipsis oppositis rationem inducendo, sicut patet ex præhabitis, ad aliquid omnia dicuntur reciproce ad convertentiam: propter quod et cæcitas si esset de numero eorum quæ sunt hoc ipsum quod sunt ad aliquid, conver-

teretur utique ad illud ad quod hoc dicitur secundum ipsum hoc quod est: non autem convertitur: non enim dicitur visus cætitatis visus, sicut paulo ante probatum est; ergo nec cætitas hoc ipsum quod est, ad aliquid est. Sumitur autem modus oppositionis eorum quæ sunt ad aliquid, ex hoc ipso quod sunt ad aliquid. Cum ergo modus oppositionis privationis et habitus ex hoc non sumitur, patet quod alia est oppositio relationis, et eorum quæ opponuntur ut privatio et habitus.

Quoniam autem ea quæ opponuntur ut privatio et habitus, non opponuntur ut contraria, ex his quæ dicentur manifestum: contraria enim sunt aut mediata, aut immediata: quorum autem contrariorum nihil est medium, sicut contrariorum quæ sunt immediata, necesse est semper alterum contrariorum inesse subjecto susceptibili in quo nata sunt fieri illa immediata contraria, aut sunt in quibus et de quibus prædicari per denominationem videntur: alterum enim illorum semper de talibus prædicatur vel ambo sub disjunctione: semper enim secundum omne tempus eorum contrariorum nihil est medium, quorum alterum omni tempore necesse est inesse susceptibili, et quorum alterum semper est necesse de susceptibili prædicari, sicut patet de languore et sanitate circa animal, et abundantanti sive impari et perfecto sive pari circa numerum. Contrariorum vero quorum aliquid est medium, nunquam secundum aliquod tempus necesse est alterum inesse: semper enim potest inesse medium, quod neutrum est contrariorum: non enim necesse est omni vel alicui susceptibili aut candidum sive album, vel nigrum inesse, quia potest inesse fuscum vel pallidum. Similiter non est necesse omni vel alicui susceptibili inesse calidum, vel frigidum, quia potest inesse tepidum, quod nec calidum est, nec frigidum: horum enim et similiūm contrariorum medium nihil prohibet inesse quod neutrum est extremorum. Sed eorum, ut

diximus, est aliquid medium, quorum non est necesse alterum semper inesse suscepibili, exceptis his quibus naturaliter inest unum contrariorum, sicut inest igni calidum, et sicut inest per naturam nivi candidam esse. In talibus autem necessarium est alterum inesse, et illius oppositum non convenit inesse, sive impossibile et inesse sine substantiæ corruptione. Non enim possibile est ignem esse frigidum, ita quod maneat ignis substantia, vel nivem esse nigram, ita quod maneat substantia nivis: multa enim etiam alia susceptibili sunt calidi et candoris, præter ea quibus alterum inest per naturam. Et tunc ex his quæ dicta sunt patet, quod non omni susceptibili verum est alterum inesse contrariorum mediatorum, sed his solum susceptilibus, quibus alterum inest per naturam: et his determinate inest unum, et non alterum convenit inesse.

In privatione et habitu nihil eorum quæ dicta sunt de contrariis immediatis, verum est. Susceptibili enim privationis et habitus non semper necessarium alterum, hoc est, privationem vel habitum inesse: quia hæc non sunt in eo nisi in tempore determinato: sed animal mox natum nondum habet tempus determinatum ad videndum a natura, neque cæcum neque visum habens dicitur esse. Propter quod sequitur quod privatio et habitus non sunt de numero talium contrariorum quorum nihil est medium, quia illorum omni tempore necesse est alterum inesse suo susceptibili. Sed neque sunt privatio et habitus de numero talium contrariorum, quorum aliquid est medium; omni enim susceptibili privationis et habitus, necessarium est unum inesse vel habitum vel privationem, postquam venerit tempus in quo ipsum susceptibile natum est ad habendum habitum: sic enim aut cæcum, aut habens visionem' dicitur: et tunc non convenit necessario determinate inesse alterum, scilicet visum determinate vel cæcum determinate, sed indeterminate alterutrum necessario inerit: est enim vel videns, vel cæcum inde-

minate. In contrariis autem in quibus est medium, nunquam secundum aliquod tempus est necessarium alterum inesse, quia semper potest inesse medium : sed quibusdam susceptibilibus alterum contrariorum mediatorum determinate convenit inesse, sicut diximus, cui illud inest per naturam. Propter quod palam est, quod ea quæ privative opposita sunt, secundum neutrum modum habent oppositionem: nec enim semper alterum inest, sicut contrariorum immediatorum : neque unquam necessarium est alterum inesse, sicut in contrariis mediatis se habet oppositio.

Amplius adhuc idem probatur in contrariis sive mediatis sive immediatis, existente et manente secundum substantiam susceptibili, possibile est ex alterutro in alterutrum fieri alterationis mutationem, nisi alterum contrariorum insit naturaliter, sicut igni inest calidum per naturam. Nam in contrariis immmediatis, animal quod sanum est modo, possibile est languere, mutatum ex sanitate in languorem: et in contrariis mediatis, possibile est id quod modo candidum est, nigrum fieri et mutari ex candore in nigredinem, et similiter calidum possibile est fieri frigidum, et e converso, et id quod est studiosum possibile est fieri pravum, et e converso ex pravo possibile est fieri studiosum, quod tamen negat Plato in libro qui dicitur *Mennonis*, sed non est negabile si ponamus virtutem ex assuetudine fieri : secundum hoc enim pravus ad meliores exercitationes sive assuefactiones bonorum operum deductus, et in virtutibus intelligibilibus deductus ad meliores doctrinas et consimilia et electiones, quamvis forte primo modicum quid proficiat ut melior sit. Si vero saltem semper sive continuum modicum crementum sumpserit, palam est quia aut perfecte mutabitur et studiosus erit perfecte, aut satis multum accipiet incrementum, ita quod operabitur ut studiosus. Si enim assuetudine fiet bene mobilior ad virtutem, ut ea quæ virtutis sunt facile faciat et gau-

deat: vel etiam si homo non est, sed tamen quocumque incrementum sumat, palam est quod aut perfecte mutabitur, aut satis multum sumet incrementum quod sufficit ad virtutis acceptationem. Si enim a principio sumat aliquod incrementum, verisimile est apud eum accipere incrementum si perseveraverit in exercitio actuum bonorum, et cum hoc semper fit continue, sic perfecte restituitur in contrarium habitum, nisi forte tempore sive suspensus, sive decurtatus sit: quia non in æquali tempore omnes æqualiter proficiunt, eo quod unus minus habilis est quam alter, quia naturalia moralibus multum cooperantur. Sic se habet in contrariis.

Sed in privatione et habitu hoc quod dictum est, nullo modo convenit : impossibile est enim in privatione et habitu indifferenter mutationem ex alterutro in alterum fieri : ab habitu enim mutatio fit in privationem, a privatione vero in habitum mutationem fieri est impossibile. Cæcus enim qui factus est nunquam rursus videbit, nec cum quis calvus factus est, unquam rursus efficitur in capite comatus, nec edentulus sine dentibus quis factus, rursus dentes ei orti sunt ut fieret dentatus.

### CAPUT VIII.

*De dubitabilibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt.*

Quamvis per ea quæ dicta sunt, nihil intendamus probare nisi quod privative opposita nec sunt opposita ut relativa, nec ut contraria, tamen propter doctrinæ facilitatem bene se habet dubia quæ sunt circa ea quæ dicta sunt determinare. Quæ autem causa sit quod quædam contrariorum sunt mediata et quædam immediata, jam in ante habitis determinatum est.

Quod autem alterum contrariorum inest alicui per naturam, hæc causa est, quia inest ut potentia naturalis ; et hoc

Causa quæ  
aliquid con-  
trarium in-  
est a natura.

accipitur ex probatione quam fecit Aristoteles in fine tertii *Meteororum*. In substantialibus enim ignis ex hoc quod elementum est motu distensum ut usque ad ultimum rarefactum, radicatur calidum in summo, nec separabile est ab ipso, manente substantia, qua ignis est ignis: quia manente substantia formalis manet illud quod ut naturalis potentia in substantia radicatum est.

**Objectio.** Et si quis objiciat quod calor, quia est accidens in uno, in nullo potest esse substantia, et sic non est substantia in igne, sed accidens: et sic calor est in igne non sicut quædam pars, et ideo videtur quod ignis possit esse ignis et non calidus, quia accidens est, ut dicit Porphyrius, quod adest et abest præter subjecti corruptiōnem. Dicendum est quod est accidens naturale et proprietas essentialis ignis consequens et non derelinquens. Quod autem non sit in eo sicut quædam pars, concedendum est, quia non potest esse pars id quod est totum esse perfectum consequens. Quod autem dicit Porphyrius, dicit de accidente communi, quod non est proprium, videlicet naturale: et ideo ut accidens non habet inseparabilitatem, sed inseparabilitatem habet ab eo quod est naturale.

Patet autem ex hoc, quod falsa est opinio eorum qui dicunt primas qualitates esse formas substantiales elementorum: formæ enim substantiales corporum nullum habent contrarium: hæc autem ad invicem sibi contraria sunt<sup>1</sup>.

Sciendum etiam ea inesse per naturam non ejus quod inest, sed per naturam subjecti cui inest, sicut diximus: et sic insunt omnibus omnes potentiae naturales.

**Objectio.** Si quis autem dicat quod sicut ignis per naturam inest calidum, ita aquæ per naturam inest frigidum: sicut ergo aqua frigida per naturam potest calefieri ut sit actu calida sine substantiæ corruptione,

ita ignis deberet posse actu infrigidari per naturam ut esset actu frigidus præter substantiæ corruptionem. Ad hoc autem dicendum quod inter elementa, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, solus ignis est formalis et alia contraria sunt materia, et ideo quod radicatur in ipso, profundius radicatur quam in aliis: et ideo ab aliis manentibus in substantia separantur suæ qualitates secundum actum, et remanent secundum radices in potentia redeunte ad actum, quando alterans cessat ab alteratione. Et ideo aqua calefacta, cessante calefaciente, per seipsam rursus efficitur frigida. Ignis autem quia rarissimus est, et quia alterationem infrigidantis recipiens in profundum sui, propter hoc quod valde formalis est, statim infrigidatus inspissatur et corrumperit ab ignis substantia et forma: quod post ignem facit aer secundum modum proportionalem. Aqua autem et terra, quia spissa sunt, non ita in profundum sui suscipiunt alterationes eorum quibus mutantur: et ideo actu efficiuntur in forma alterante, et cum hoc diu actu tenent qualitates et potentias naturales proprias.

Quod autem diximus ex pravo fieri studiosum si a principio propter exercitationes in bonis actibus incrementum incipiatur, propter Socratem et Platonem dictum est, qui dixerunt virtutem secundum quam homo studiosus est, nec discibile, nec assuescibile bonum esse, sed virtutem esse donum deorum immortalium: assuetudine autem et doctrina hominem parari ad virtutem, eo quod dii non juvant inertes et pigros, sed seipso extendentes et parantes ad virtutem.

Adhuc autem quod dictum est, à privatione in habitum regressum non posse fieri, intelligendum hoc quod est dictum de privatione quæ privat et habitum et subjecti ad habitum aptitudinem, sive quæ privat principia per quæ subjectum habitudinem habet ad habitus susceptio-

Solutio.

Nota opiniōnēm Socratis et Platonis dicentiū virtutēm esse donum Dei.

<sup>1</sup> Et hoc corollarium est contra Alexandrum, de quo vide 5 Physic. com. 10.

<sup>2</sup> ARISTOTELIS, In lib. Metereorum, tex. com. 5.

nem, sicut cæcitas ad visum se habet : et talis privatio sequitur habitum tempore et natura : hæc enim privatio non relinquit subjectum sine habilitate ad habitum. Est autem alia privatio quæ non privat habitum, sed essentiam secundum esse actu habitum : et hæc est in qua est inchoatio habitus secundum potentiam, et ex qua educitur habitus, et ab hac in omni motu et mutatione fit processus in habitum secundum actum per modum quo movetur subjectum susceptibile actus de potentia ad actum : et hæc privatio semper præcedit habitum tempore et motu, et etiam natura materiæ et potentiaæ : et de hac privatione nos hic non loquimur, quia in toto non privat habitum. Nec etiam inter talem privationem et suum habitum est plena oppositio privative oppositorum. Nos autem hic loquimur de differentia modorum oppositionis, et ideo non loquimur de privatione et habitu, nisi secundum quod plenam habent ad invicem hujusmodi oppositionem. Alia verò quæ dicta sunt, per se sunt manifesta.

Quod autem de nive dictum est, quod per naturam inest ei candidam esse : hoc namque est, quia nix materialiter generatur de perspicuo indurato et concusso per minima : perspicuum autem concussum et induratum per indurationem efficitur ubique in superficie clara luminis receptivum : et hæc est natura et naturalis causa albedinis : per hanc ergo naturam inest nivi candidam esse.

#### CAPUT IX.

*De differentia contradictionis ad alias oppositiones, et utrum veritas sit ab æterno.*

His habitis, ostendenda est differentia contradictionis ad omnes alias oppositiones. Dicamus ergo quod in affirmatione et negatione semper, sive sit subjectum de quo sit affirmatio et negatio, sive non sit, una quidem pars contradictionis est

vera et altera falsa : de quolibet enim sive existente sive non existente dicitur affirmatio vel negatio vera : et de nullo simul ambo vera vel falsa sunt contradictoria, ut in quarto *primæ philosophiæ* probatum est<sup>1</sup> : sive enim sit Socrates sive non sit, de Socrate unum contradictiorum est verum, aliud autem falsum : palam enim est cum dicitur Socratem (dum ipse est Socrates) languere et Socratem non languere, quod alterum istorum falsum est et alterum verum. Similiter si Socrates ponitur non esse, et dicatur quod Socrates languet vel non languet, alterum est verum, et alterum est falsum, languere enim Socratem quando non est Socrates, falsum est, et non languere Socratem verum est. Proprius contradictorum.

Sunt tamen quidam contra hoc fortiter objicientes, et sunt non antiqui sed moderni. Augustinus enim<sup>2</sup> per hoc ipsum quod hic dicitur, probat immortalem esse veritatem dicens, quod aut veritas semper erat aut non semper erat. Si semper erat, habetur propositum quod veritas immortalis fuit ab aeterno. Si autem hæc est falsa, veritas semper erat, ejus contradictoria est vera, hæc scilicet, veritas non semper erat. Et si hæc est vera, aliquid erat verum ; verum autem non est nisi in veritate : ergo veritas erat quando non erat veritas, quod falsum est. Inconveniens etiam est idem, ex quo sequitur id quod scilicet non semper erat veritas : veritas igitur semper erat. Eodem modo probatur quod veritas semper erit : aut enim semper erit veritas, aut non semper erit. Si semper erit, habetur propositum. Si autem non semper erit, tunc hæc est falsa, veritas semper erit : ergo ejus contradictoria est vera, hæc scilicet, veritas non semper erit. Et si hæc est vera, aliquid est verum : non autem verum nisi veritate : ergo veritas est quæ non

<sup>1</sup> Tex. com. 9.

<sup>2</sup> S. AUGUSTINUS, Lib. 2 Soliloq. cap. 2.

erit veritas, quod est impossibile. Falsum ergo fuit quod prius dictum est, hoc scilicet quod non semper erit veritas : veritas ergo est æterna et immortalis est. Et hoc sequitur de veritate propositionis et de veritate enuntiabilis, quae veritates non sunt veritas increata.

**Objectiones in oppositum factum a modernis.** Si autem hoc concedatur, tunc objiciunt moderni probantes, quod plura quam unum erunt ab æterno sic. Simus enim ante mundum : tunc si hæc est vera mundum futurum esse, vel hæc propositionis mundus erit, et si est vera, sequitur quod ante mundum fuit aliquid verum. Si autem non est vera : tunc sequitur quod ejus contradictoria est vera, et sic iterum sequitur quod aliquid est verum, et quod veritas illius fuit ante mundum, aut non fuit nisi æternum, et æternitas ab æterno : ergo aliquid fuit verum cuius veritas fuit : sed tam enuntiabile quam propositionis sunt creata et creatæ veritatis. Ergo aliquid creatum, fuit ab æterno.

Si autem hæc quidem concedatur, statim sequitur inconveniens quod dicit Plato, quod est creatum, est factum : omne autem factum incepit : ergo creatum incepit : quod autem incepit, non est æternum : ergo creatum non est æternum : enuntiabile sive propositionis creatum, ergo non est æternum : et si propositionis et enuntiabile non est æternum, tunc veritas sua non fuit ab æterno : et sic videtur sequi, quod veritas propositionis sit ab æterno, et non sit ab æterno.

**Solutio quorundam.** Ad hoc autem quidam alii dixerunt<sup>1</sup> quod veritas enuntiabilis et propositionis non erat ab æterno : et causam assignant dicentes quod veritas enuntiabilis et propositionis esse non potest nisi existente enuntiabili et propositione. Ante mundum autem ab æterno non fuit enuntiabile, nec propositionis, et ideo quando dicit, si hæc non est vera, veritas erit, contradictoria erit vera. Dicunt quod hoc non sequitur : quia contradictoria est propositionis vel

enuntiabile : ante mundum autem nec fuit vera hæc neque alia, quia propositio nulla fuit. Similiter dicunt de futuro, quod veritas non erit quando non erit mundus si ponatur totus mundus ad nihilum redigi.

Et si verum est quod dicunt isti, tunc ista doctrina de contradictoriis non est generaliter vera, et sequitur quod oppositionis contradictionis est medium in quo nec unum, nec alterum contradictiorum est verum vel falsum : et multa sequuntur inconvenientia contra hoc principium, quod de quolibet affirmatio vel negatio vera, et de nullo simul : et si hoc principium non est firmæ veritatis, nihil est certæ veritatis in demonstrationibus : quia, ut dicit Aristoteles, huic principio sicut primo innititur omnis demonstratio.

Ideo non dicimus quod doctrina quæ hic traditur, certissimæ est veritatis, et quod argumentationes Augustini procedunt et sunt necessarie. Sed dicendum quod res de quibus affirmatio et negatio dicuntur, sunt in esse et in ipsa rerum ordinabilitate. Et hoc manifestum est per Avicennam et Algazelem et Alfarabium dicentes (sicut est verum) quod quando prædicatum concipitur in ratione subjecti, talis propositionis vera est sive re existente sive non existente : sive enim homo sit et animal, sive non sit homo et animal, hæc semper vera est, homo est animal, et animal est animatum, sensibile et vivum et substantia : et ideo sequitur, homo est animal, et animal vivum, et vivum substantia. Sed si ulterius inferatur, et substantia est ens : ergo homo est ens. Dicunt quod non sequitur : quia ens vel entia esse accedit homini et animali, et non per se clauditur in intellectu eorum. Cum vero dicitur, homo est animal, sufficit ad veritatem propositionis substantialis ordinatio prædicati ad subjectum. Cum autem additur, animal est ens, et ens non est de ratione animalis vel hominis, non

**Improbatio solutionis.**

**Opinio D. Alberti et confirmationis rationum Augustini.**

<sup>1</sup> Hos autem hic non sequitur D. Albertus, licet 8 Physic. cap. 1, eamdem dare solutionem

videatur.

est enim ibi ordo substantialis unius ad alterum: et ideo si animal est ens, vel homo est ens, oportet quod sit ens actu: et hoc est contra hypothesis, posuimus enim quod non sit homo vel animal.

*Solutio ad  
objectiones  
moderno-  
rum.*

Hanc igitur doctrinam sequentes dicimus quod ordinabilitas rerum in prædicatum et subjectum, æqualiter est cum rebus existentibus et rebus non existentibus, dum non sint impossibile ad essendum: et ideo ante mundum hæc propositione, mundus erit, fuit in ipsa rerum ordinabilitate. Et si quæratur, in quo erat illa rerum ordinabilitas quando non erant res? Dicendum quod fuit in ipsis rerum rationibus. Si autem de illis rationibus ulterius quæritur, Dicendum quod fuerunt in sapientia creantis et ordinantis. Si autem ulterius infertur, quod in sapientia primi intellectus fuerunt ut unum, et non ut ordinatum unum ad alterum, Dicendum quod res in sapientia intellectus primæ causæ duplice considerantur, scilicet ut res consideratae in producendo, vel ut intellectus quo intelliguntur. Et primo quidem modo possibiles ad pluralitatem et ordinem non quidem in actu ordinantis, sed qui est in ordinabilibus: et hoc modo possibile est veritatis esse de ipsis, et enuntiabiles sunt ad veritatem, quamvis nunquam fuit enuntiatio, et sic enuntiabile ad rem reductum, et similiter propositio possunt esse ab æternio: et tamen unum solum est actu ab æterno. Et quod quæritur, utrum tale sit creatum, vel non? Dicendum quod creabile, et non creatum secundum rerum ordines: et hoc quamvis sit in creatore, tamen ratione differt a creatore, quia creator non creabilis est, nec creatus. Si autem hæc quæ sunt in intellectu creantis accipiantur ut intellectus, cum creator non intelligat nisi seipsum, tunc verum est quod res in creatore sunt per modum creatoris, et non sunt unum nec multa, nec ordinata nec inordinata, sed sunt idem quod ipse.

Et hæc est Avicennæ doctrina, quæ concordat cum Porphyrio, qui dicit quod nulla specie existente animal potest

intelligi substantia animata sensibilis. Et constat quod non loquitur de intellectu intelligentis, quia sic nihil diceret: quia si nulla species est animalis, nihil est intelligentis. Sed loquitur de intellectu intelligibilis: quia secundum naturæ ordinem nulla specie existente, adhuc quantum est in se, intellectualiter manet substantia animata sensibilis.

## CAPUT X.

*De contrariis propter bonum et malum,  
quæ speciale modum habent contra-  
rietatis.*

In moribus autem contrarium est quidem bono malum, ut accipiatur bonum in habitu virtutis et actu, et malum in habitu et actu vitii oppositi ad virtutem. Hoc autem palam est, quod scilicet bono malum contrarium est per inductionem singulorum: in corpore enim quamvis non sunt virtutes et vitia, tamen sunt ea quæ virtutibus et vitiis proportionantur, ut sensibilitati sensuum prudentia, robori corporis fortitudo, rectitudini corporis et membrorum ordinationi justitia, sanitati temperantia, eo quod sanitas consistit in temperantia complexionis: et sic sanitati ut bono opponitur languor ut malum, et in anima justitiae ut bono opponitur iniquitas ut malum, et fortitudini in utroque, corpore scilicet et anima, ut bono opponitur debilitas ut malum, debilitas enim cordis timor est vel timiditas. Similiter autem invenitur in omnibus aliis: semper enim opponitur bono malum.

Nequaquam autem bono opponitur bonum: cuius causa est, quia bonum est, ut dicit Aristoteles secundo *Ethicorum*, ex una sola et tota causa, ex causa actus et actu, et circumstantiis agentis et actus in fine congregata: et hoc est in omnibus quorum est aliqua virtus in actu, sive sint corporalia, sive animantia, hoc est, ad animam pertinentia, sive etiam sint intellectualia sive divina, ut dicit Dionysius: et ideo bonum est uniforme: uniforme

autem uniformi non opponitur nec opponi potest, quia uniforme uniformi convenit et non potest esse oppositum: et ideo dicit Aristoteles quod omnia consonantia vera et bona sunt. Falsum autem statim dissonat vero, et malum statim dissonat bono. Intelliguntur autem hæc omnia de bono et malo dictis simpliciter, et non de bono et malo dictis pers accidens ut hic et nunc: quia sic nihil prohibet esse idem malum et bonum, sicut secari et uri quæ mala sunt, sunt tamen bona et nunc et hic. De talibus autem disputari habet in ethicis: sed hoc sufficit scire tantum, quia malum bono opponitur, bono autem bonum nunquam opponitur.

Malo autem aliquando opponitur bonum, et aliquando malum est contrario oppositum malo: egestas enim cum sit malum in civibus, quia impedit civiles actus, superabundantiae quæ impedit actus felicitatis contemplativæ, et ideo etiam est malum, est contrarie opposita. Sed in paucis hoc tale est, quibus adver tens de facili inspicere potest. In pluribus vero semper bonum malo contrarium est. Non enim invenitur nisi in ~~bono non in~~ ~~malorum~~ ~~in~~ ~~civilibus~~ ~~et~~ ~~œconomicis~~ malum malo contrarium, et in illis quæ ad cœlia, vel ethica habent analogiam sive proportionem: in aliis autem omnibus malum bono est contrarium. Nunquam autem invenitur bono bonum contrarium, sed concors est: in eo enim quod bonum est uno modo et ex tota et sola causa, bonum est indivisible et æqualitati proportionale: æquali autem non opponitur æquale sed inæquale. Præpter quod in stichia bonorum Pythagoras posuit æquale, inæquale autem posuit in stichia malorum<sup>1</sup>.

Amplius autem in contrariis considerando non est necessarium, quod si alterum contrariorum sit, quod reliquum sit ex necessitate. Si enim ponamus omnia animalia esse sana, tunc per talem hypothesim sanitas est, sed languor non est. Similiter si ponamus omne corpus

terminatum esse album, tunc albedo quidem est, nigredo autem non est: quia si esset, oporteret quod esset in aliquo corpore terminato: et talia posuimus omnia esse alba. Hæc autem in complexis videre possumus. Si enim Socratem esse sanum contrarium est ad id quod est Socratem languere, eo quod idem modus oppositionis in contrariis incomplexis, et in contrariis complexis quando prædicantur de eodem: tunc sicut per complexionem dicimus Socratem sanum esse et Socratem languere, cum non sit possibile quod hæc simul insint eidem in eodem tempore, non est possibile quod cum alterum sit, quod simul cum hoc sit et reliquum. Cum enim sit et verum sit sanum esse Socratem, tunc pro eodem tempore est impossibile languere Socratem, aliter enim simul secundum actum inessent contraria.

Quamvis autem simul non insunt secundum actum, palam est autem, quod omnia contraria habent fieri circa idem aut specie, aut genere: circa enim idem numero nata sunt fieri contraria, ut circa subjectum: sed circa idem specie habent fieri contraria quædam sicut circa id quod est essentialiter constituens formas contrarias, sicut albedo et nigredo circa lucem, et sicut acutum et grave in sonis circa absonum quod est in utrisque, et sicut amarum et dulce circa humidum digestum quod est in saporibus et sic in multis aliis. Habent etiam fieri circa idem genere, quia contraria sunt in eodem genere proximo vel remoto: languor namque et sanitas circa corpus animalis natura habent fieri, et sic sunt circa idem genere, scilicet animalis. Albedo autem et nigredo habent fieri in corpore terminato quod non est idem specie, sed remoto genere: non enim omnia terminata corpora sunt eadem specie propinqua. Justitia vero et injustitia habent fieri in anima, quæ est eadem specie specialissima: quia non fiunt nisi circa hominis animam, quæ eadem est specie specialis-

<sup>1</sup> Vide 3 Physic. de hoc in com. 13.

sima. Et sic contraria fiunt circa idem numero, et circa idem specie, et circa idem genere.

Adhuc autem consideratio in his quæ propria sunt contrariis, necessarium est omnia contraria in proximo esse, vel in contrariis generibus proximis: vel oportet quod ipsa contraria secundum se sint contraria genera. Album enim et nigrum in eodem sunt genere proximo, color enim est genus horum contrariorum. Justitia autem et injustitia quæ sunt contraria, sunt in contrariis generibus proximis, quia justitia est in genere virtutis, injustitia autem in genere vitii: virtus autem et vitium sunt contraria genera, justitiae enim genus est virtus, injustitiae autem genus est nequitia sive vitium. Bonum vero et malum simpliciter et secundum se accepta sive universaliter non sunt in aliquo sicut in genere, sed ipsa secundum seipsa sunt contraria genera, et sic sunt genera aliorum existentia, ad quæ alia multa vel omnia sicut ad genera reducuntur.

#### CAPUT XI.

##### *De dubitabilibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt de bono et malo.*

Quod malum opponatur bono quæstio, quo genere oppositionis opprivative auctoritas. Est autem apud multos antiquissima nuntur bonum et malum. Et si considerentur verba Aristotelis in decimo tertio *primæ philosophiæ*, et verba Dionysii Areopagitæ in libro de *Divinis nominibus*, cap. 4, et verba Augustini in secundo libro de *Libero arbitrio*, et verba Petri Apostoli in capitulo de elementis contra Simonem magum, similiter autem verba Pythagoræ in stichia bonorum et malorum, planum est, quod omnes hi concorditer dicunt, ad quod etiam Aristoteles Socratem et Platонem inducit, quod malum privative et non contrarie opponitur bono, et quod malum est nihil secundum

se, nec accidens, nec substantia, sed privatio. Privatio autem secundum se nihil est penitus. Cum enim sit in aliquo non Ad idem al qualis ratio est in eo sicut ens accidens, vel ens substantia, sed est in eo sicut habitus privatio: et hoc est idem sicut formitas et deformitas inesse dicitur in eo qui mutilatus sive denasatus est, quia Græce muti, Latine sonat nasus: constat autem quod denasatio non dicit inesse ens ut accidens, nec est ens ut substantia, quæ est forma vel materia vel compositum, sed solum ex defectu habitus debiti relinquit deformitatem et turpitudinem.

Omnes autem supra memorati auctores deducunt hanc quæstionem ad hoc, quod in nullo nihil est malum, et non est aliquid ens magis in eo cuius est privatio, quam in eo cuius non est privatio, sicut cæcitas non est magis aliquid ens in oculo quam in lapide: quamvis in oculo relinquat turpitudinem sive deformitatem, in lapide autem non relinquat turpitudinem aliquam.

Dionysius<sup>1</sup> igitur præ cæteris subtilius de malo agens, ostendit hoc in natura corporis et in natura Angeli, quam quidam vocant intelligentiam, quamvis Angelus secundum quod lex Moysi et Christi de Angelis loquitur, non sunt intelligentiæ<sup>2</sup>, secundum quod Philosophi locuti sunt de intelligentiis. Hæc autem in libro *Casarum* habent determinari. Est autem via disputationis Dionysii in hoc quod sumamus bonum naturæ in corpore, et bonum animæ, et bonum Angeli, et videbimus quod malum non dicit vel ponit aliquam formam vel aliquod ens, quod sit substantia vel accidens contrarium bono, sive illi formæ quam dicit bonum, sed in omnibus malum nihil ponit penitus nisi boni ademptionem, sive corruptionem, et detractionem sive diminutionem, sive aliquo quocumque modo potest nominari privatio.

Ut hæc perfectius intelligantur, dica-

Rationes Dionysii Areopagite quod malum nihil sit,

<sup>1</sup> DIONYSIUS AREOPAGITA, cap. 4 de divinis nominibus.

<sup>2</sup> Vide in 2, d. 3, a. 3.

mus quod entium quædam sunt essentiæ sive existentiæ, et quædam sunt entia quæ in illis essentiis existunt. Essentiæ quidem sunt formæ simplices, ut genera, et species, et differentiæ intelligentiæ, et anima, et hujusmodi, quibus secundum se non accidit corruptio, sed si corrum-puntur, tunc corrumpuntur per accidens secundum quod sunt in esse eorum quæ sunt per harmoniam et compositionem cum his in quibus sunt, quibus datur esse secundum hoc quod sunt. His autem quæ sunt composita in quibus essentiæ sunt, accidit corruptio per dissolutionem harmoniæ et compositionis, quæ sunt in his quæ sunt. Et ideo dicit Dionysius ubi de malo loquitur, quod non corrumpitur quid existentium, sed corruptio est ablacio vel dissolutio modi et harmoniæ quæ sunt circa ea quæ ab essentiis esse non habent.

Id bonum  
porta se-  
cundum  
omnium,  
quid ma-  
lum. Est ergo bonum formale corporis quo corpus dicitur bonum, habitudo perfecta ad esse et ad opus corporis modis et harmoniis quæ sunt ad hoc quod corpus perfectum sit in esse et ad corpus. Corruptio autem istius non est nisi harmoniæ et commensurationis disjunctio vel corruptio: et hoc non dicit nisi privationem et corruptionem puram, et non essentiam aliquam ad quam fiat harmonia alicujus, sicut ad essentiam dantem esse alicui. Malum igitur corporis non est essentia aliqua, sed corruptio modi, et commensurationis, et harmoniæ.

Id bonum  
meo, at  
malum. Similiter est in anima bonum, et perfectum animæ est per essentiam, quæ est ratio, vel rationalitas, et competentius dicitur ratio. Bonum igitur animæ in animam in omnibus viribus suis secundum esse et agere commensuratum esse rationi ut ordinantis omnia ratione. Malum igitur animæ non est nisi istius modi, et commensurationis, et harmoniæ corruptio, et non contraria aliqua forma ad quam anima commensurata et proportionata mala sit et faciat malum. Malum igitur animæ sicut corporis non est nisi

privatio, et non est aliquid quod sit substantia vel accidens.

Eodem modo accipitur bonum Angeli. Quid bonum  
angeli, et  
quid malum. Bonum Angeli est commensuratum esse sub essentia quæ est intellectus agens purus et mundus: et bonum Angeli est, quod sit in esse et viribus et actu et opere commensurationes habens ad tales intelligentiam vel intellectum. Malum autem Angeli non est aliqua forma illi commensurationi contraria, ad quam et sub qua constituatur Angelus malus, ut malus sit in esse et opere, sed malum Angeli est violatio hujusmodi commensurationis et harmoniæ, quod non est nisi corruptio et privatio.

Malum igitur in omnibus opponitur bono sicut privatio, et non sicut contrarium. Et in hoc omnes Auctores condemnant Manichæum, qui dixit essentiam esse mali sicut essentia est boni, et dixit mala per naturam quamdam essentiale esse mala, ad quam naturam et formam harmoniantur et constituantur ut non possint esse non mala. Hic igitur est error, et veritas est quod malum in omnibus non est nisi privatio modi et commensurationis ad bonum. Idecirco autem quia corruptis modis et harmoniis et commensurationibus in his quæ sunt ad aliquid commensurata et harmoniata, adhuc remanent ipsa quæ mensurata erant possibilia ad commensurationem: et hoc est quoddam ad bonum ordinatum. Ad bonum autem esse ordinabile secundum naturam est, quod bonum (sicut Aristoteles dicit) est quod est ad bonum.

Ideo dixit Dionysius quod malum est bonum diminutum et declinatum et particulatum et imperfectum. Aristoteles dicit Pythagoram inducens, quod bonum est locus mali, et malum locus boni, sicut oculus est locus cæcitatis et visus. Et sicut dicit Dionysius, hoc modo malum corporis est contra naturam esse. Malum autem animæ est contra rationem esse, et malum Angeli est contra intellectum esse, sicut malum claudæ tibiæ contra gressum et esse tibiæ esse. Similiter au-

Condemna-  
tio Mani-  
chæi.

tem est in feribus et aliis malis corporis quæ secundum quod mala sunt, nihil sunt nisi corruptio commensurationis complexionis in humoribus, vel compositionis in partibus et membris. Febris enim ex hoc quod est secundum naturam putridus humor vaporans per corpus, non est malum corporis, quia in bono et sano accidit humor quod vaporaliter per corpus diffundatur: sed ex hoc quod vaporatio corrumpit et impedit modos et harmoniam et commensurationem veræ secundum naturam sanitatis corporis, ex hoc habet mali rationem.

Patet igitur quod verum est quod dicit Dionysius, quod malum nunquam est et quod non habet causam formalem vel efficientem, sed incausale, et præter intentionem, et præter voluntatem, et infecundum, et pigrum, et quod non est nisi privatio incidens ex defectu boni. Hæc igitur dicta de malo extracta sunt a nobis ex verbis Antiquorum. Et patet quod innegabiliter verum est quod dicunt. Qualiter autem bonum convertatur cum ente, hic non potest determinari secundum hujus scientiæ principia, nec nos hic loquimur de tali bono, sed potius de bono quod est uniuscujusque rei bonum serviens ad harmoniam commensurationis, quam habet secundum propriam essentiam perficientem ipsum in esse et actu qui est secundum essentiæ suæ rationem.

Quod etiam quidam dicunt quod bonitas dicat formam additam super id quod est, et ideo ista sit vera prædicatio, bonitas est bona, falsum est, et non intelligitur quod dicunt. Bonum enim super ens sive id quod est, non addit nisi relationem ad finem et perfectum ad actum, sicut dictum est: sed hoc in libro de *Causis* habet determinari.

Qualiter vero in hac doctrina prædicatorum bonum et malum dicantur esse contraria, non autem opposita secundum privationem et habitum, nunc dicendum est. Præmittendum est autem quod ma-

lum ut malum ad aliquid est: malum enim ut malum, sicut dictum est, non est nisi privatio, sicut probatum est per Auctores. Id autem quod est malum, estactus corruptus circa modos et harmonias et commensurationes ad formam boni: et in illo in quo est actus, relinquit consimiles habitus, et illi sunt mali habitus: et hoc modo est contrarietas inter bonum et malum, sicut inter contraria, non quod contrarius actus et habitus habeant aliquam formam ex qua mali sunt, sed quia in quantum actus vel habitus sunt, relinquent aliquid ejus in corpore vel in anima, hoc est, qualitatem aliquam quæ quia boni forma privata est, et cum qualitas sit, dicitur esse contraria: sicut claudicatio gressus est contrarius incessui recto, quia gressus est quod est ens actu et caret perfectione rectitudinis quod est privatio. Sic autem omnia contraria reduci habent ad privationem et habitum, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>: quia albedo habitus est et forma est cum diffusione lucis in superficie, nigredo autem privatio est, quia est privatio diffusionis lucis in superficie umbrosa. Hoc ergo modo dictum est, quod album et nigrum sunt contraria, et similiter bonum et malum in actibus et habitibus. Et hoc modo doctrina de malo hic posita intelligitur.

Quod autem dictum est, quod bonum et malum sunt genera contraria, constat quod non intelligitur de generalissimis, quia sic essent plura genera quam decem: sed intelligitur, quod sunt genera aliorum quæ sunt bona et in moribus, eo quod omnia quæ sunt in moribus, ad hæc tanquam ad genera reducuntur.

Et quod bonum in moribus contrarium est duobus malis, non est ex hoc quod medium est, sed est ex hoc quod extreum est in ratione boni perfecti, ut dicit Aristoteles, sic utriusque opponitur extremitati ut extreum et maxime distans ab utraque. Hoc autem quantum spectat ad istam intentionem interponendum erat

Bonum  
malum s  
genera c  
traria  
moribu

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 4 Metaphysicæ, tex. com. 4.

de bono et malo : reliqua enim in *prima philosophia* sunt determinanda.

## CAPUT XII.

*De multiplicitate ejus quod est prius.*

**Necessitas  
hujus capi-  
tuli de prio-  
ri.** Postquam determinatum est de oppositis quæ sunt diversorum generum, dicendum de multiplicitate ejus quod est prius. Quia penes ejus rationem fit ordo eorum quæ sunt in uno genere secundum coordinationem prædicabilium secundum quod species est sub genere et individuum sub specie. Ex hoc enim priori et posteriori proprium accipiunt modum prædicandi, qui maxime in hoc libro est attendendus. Determinatis modis prioris sunt per oppositum etiam modi posterioris determinati : quia non dicitur prius nisi respectu sui posterioris.

Dicimus igitur quod prius dicitur unum altero quadrupliciter : et in hoc quod dicitur quadrupliciter, non divisionem intelligimus in species, sed est divisio multipliciter dicta : et prius tempore magis habet de ratione prioris, et secundo et tertio et quarto habent plus secundum ordinem quo enumerabitur a nobis. Prius enim de modis prioris non dicitur æqualiter secundum unam rationem, sicut innuit Aristoteles in quinto *primæ philosophiæ*<sup>1</sup>, ubi distinguit prius inter multipliciter dicta.

Primus autem modus qui et principális et primus est, qui secundum tempus, secundum quem prius alterum altero dicitur quod est antiquius et senius eo secundum tempus. In ordine enim partium temporis prius est præteritum quod ad præsens continuatur, futuro quod adhuc expectatur ut fiat : et ideo secundum ordinem temporis prius est quod in præterito longius distat a nunc, sicut dicit Aristoteles, quod bella Mediæ fuerunt ante bella Troiæ, et bella Troiæ fuerunt ante bella Romana et priora eis : et quia hic prius est sumptum secundum rationem

numerantis quod extrinsecus adjacet ut mensurans, et quidquid prius est secundum numerum mensurantis est simpliciter prius, ideo iste modus est principalis, ad cuius comparationem et proportionem sive analogiam omnes alii modi priores dicuntur. Hoc ergo modo prius dicitur, cuius tempus est in præteritum. Amplius et prius quod est senius, et hoc modo æternitas est ante tempus duratione, et ea quæ sunt æterna, sunt ante temporalia. Sunt autem secundum sui naturam æternæ rerum essentiae, ut genera quæ sunt prima rerum principia : istis enim non potest assignari tempus ut numerus mensurans : quia in tempore esse, ut dicit Philosophus in quarto *Physicorum*<sup>2</sup>, est esse in quadam parte temporis mensrandi. Sic igitur antiquiora sunt genera omnibus.

Secundo autem dicitur prius quod non convertitur secundum subsistendi consequentiam . Subsistendi autem consequentiam dico, ut si unum ponatur actu subsistere secundum esse, quod alterum propter hoc necesse sit ponere subsistere secundum esse, sicut dicimus quod unum est prius duobus : duobus enim existentiis mox unum consequens est esse et subsistere : uno vero existente non est necessarium duo esse vel subsistere. Et hic modus est inter inferius et superius in coordinatione prædicabilium : quia inferius est, sicut duo, quorum alterum est id quod directe est super ipsum, et alterum differentia constitutiva: unde posito inferiori in esse ponitur suum superius : sed non convertitur, quod posito superiori in esse ponatur inferiori esse necessario : quia superiorius concipitur in inferiori, sicut unum in duobus : sed inferioris non concipitur in superiori nisi ut potentia, sicut duo in uno sunt potentia, et ideo non convertitur consequentia ab uno existente, ut necessario propter hoc sit reliquum : et inter illa prius esse videtur non id a quo convertitur consequentia, et

<sup>1</sup> Tex. com. 16.

<sup>2</sup> Tex. com. 114.

hoc est unum : ab illo enim ad duo consequentia non convertitur.

Tertio autem modo dicitur prius secundum quemdam ordinem . Dico autem quemdam ordinem : quia in omni priori est ordo, et ideo ordo simpliciter non facit specialem modum prioris, sed ordo quidam, non in quantum est ordo, sed in quantum est quidam ordo. Sic ergo tertio modo dicitur prius quod est quoad nos prius, ut in disciplinis demonstrantibus et orationibus rhetoricae : in demonstrantibus enim disciplinis est prius et posteriorius per quemdam doctrinæ ordinem : elementa enim in geometria priora sunt his quæ per ordinem describuntur : elementa enim sunt ut punctum, linea, circulus, angulus, et hujusmodi, quæ præcedunt ordine elementali descriptiones et compositiones figurarum angularium , figuræ enim per ordinem describuntur, secundum quod ex una probatur altera, sicut triangulus, aut quadratum, vel quadrangulum, vel quadratum, aut circulus ; quia centrum dicti circuli per triangulum invenitur. Sic igitur in grammatica elementa litterarum priora sunt syllabis, et syllabæ dictionibus, et dictiones orationibus : et in oratione rhetorica hoc modo procœdium prius est narratione, et narratio prior est partitione. Hic autem modus prioritatis est inter principia generum, et ipsa rerum genera quæ ex illis principiis constituuntur. Principia autem sunt potentia et actus : ens enim est quodlibet genus potentiae, et efficitur actu illud per actum rem generis illius complementem et constituentem.

Amplius supra ea quæ dicta sunt in quibus dicitur prius secundum ipsam naturam rei, et esse videtur prius et dici secundum aliquid additum sibi quod est ad bene esse, sic quod honorabilius et melius naturaliter secundum illam additionem ad esse naturam prius esse videtur : consueverunt enim plurimi, quorum iudicium non potest esse in toto falsum, et ideo pro auctoritate sumendum, consueverunt, inquam, nobiliores et ex se ma-

gis ex causa dilectos priores dicere et vocare. Et attende si non ex causa diliguntur plus, non propter hoc dicerentur priores : et ideo causa facit priores et non dilectio, quia dilectio secundum se non discernit inter priores et posteriores.

Utrum autem duo æqualiter diligiri possunt aut non, fatuum est querere : quia ubi dilectio una et una ratio diligendi et æqualis sit in duobus, pro certo æqualiter diliguntur. Si autem dilectio est simpliciter, non discernunt unum a pluribus, nec plura ab uno. Hic autem modus est in prædicamentis secundum ordinem substantiarum ante aliqua, quia honorabilior et melior est omnibus. Isti ergo sunt quatuor modi prioris, qui ab Antiquis dicti sunt, et sunt magis famosi et vulgati.

Utrum duo possunt æqualiter diligiri.  
Dicit autem Boetius, quod his modis quintum addidit Aristoteles qui ante tempus suum non fuit. Dicit igitur Aristoteles quod videtur præter eos quatuor modos prioris qui dicti sunt alter quintus esse modus prioris : inter illa enim quæ convertuntur secundum essentiaæ consequentiam id quod alteri causa est quodlibet secundum quocumque genus causæ, idem digne prius dicitur illo. Causa enim actu causans et effectus convertuntur secundum essentiaæ consequentiam : et in talibus posita causa ponitur effectus, vel posito effectu ponitur causa. In talibus igitur dignum est ut causa natura sive naturali ordine prior sit quam effectus. Quod autem quædam hujusmodi sint, palam est : hominem namque esse convertitur secundum essentiaæ consequentiam, ad hoc quod est veram orationem esse de hoc quod est hominem esse : nam si homo est secundum rem, vera est oratio qua dicitur, quod homo est. Oratio autem nequaquam est causa ut homo sit secundum rem, sed potius res sic se habens causa est ut oratio sit : dum enim res est aut non est, vera vel falsa dicitur oratio quæ rem significat, sicut in ante habitis dictum est, et sic prius dicitur causa prius. Necesse est igitur ut nisi secundum quinque modos spe-

ciales prius alterum altero dicatur. Hic autem modus prioris est inter substantiam et accidens : quia accidens est a substantia causatum.

Sunt autem et alii modi priorum sicut prius in motu, prius in spatio, vel prius in loco, et in prima philosophia distinguitur unumquodque quoties dicitur, et non hic habent determinari, quia ad prædicamentorum genera non referuntur.

*Sufficientia  
modorum  
prioris.*

Hi autem omnes referuntur, sicut dictum est : essentiæ enim entium quæ constituunt genera, referuntur ad prædicamenta : et sic aut referuntur ad suas essentias, aut ad ea quæ sunt inter genera ad invicem unum genus ad alterum. Et primo quidem est modus primus. Secundo autem modo secundus est modus. Et tertius, quia ad intrinseca potest referri genus duplex, scilicet ad intrinseca secundum esse, et sic modus tertius, vel ad intrinseca secundum ambitum continentiae, et sic secundus est etiam ante tertium : qui in coordinatione prædicabilium est magis intentus. Secundum ordinem autem substantiae ad alia genera duplex est ordo, scilicet secundum quod substantia comparatur aliis secundum dignitatem quam habet ad alia, et sic est quartus modus. Et secundum quod est causa aliorum, et sic est quintus modus. Nec sunt plures modi, quia non possunt esse plures modi comparationis generum secundum quod genera sunt principia prima, sub quibus fiunt prædicabilium coordinationes. Alii autem aliter dicunt, sed non est curandum.

### CAPUT XIII.

*De modis ejus quod dicitur simul secundum quod spectat ad doctrinam prædicamentorum.*

Eodem autem modo determinandum est de hoc quod aliqua dicantur simul secundum quod pertinent ad doctrinam prædicamentorum. Dicamus igitur, quod simul esse non est oppositum ad prius,

*Prius et si-  
mul sunt  
disparata.*

sed disparatum est ad ipsum : prius enim opponitur ad id quod est posterius, et e converso. Et neutrum illorum est simul in prædicabilium coordinatione, aut non est simul secundum locum, nec simul secundum sensuum voluntatem, nec secundum dignitatem, ideo de talibus prætereundum est : sed est simul secundum coævitatem, et non secundum naturam, et ideo hæc duo sola tractanda sunt.

Dicimus igitur quod simul dicuntur simpliciter et proprie, quæ sunt coæva, sive quorum generatio sive generatum esse est in eodem tempore in quo simul sint genita et manentia, sicut dicimus coæquæva eodem tempore vel periodo mensurata esse simul. Si enim uno tempore generata essent, et statim alterum periret, non dicerentur simul esse tempore, quia generatio est ad esse perfectum ordinata. Nec dicuntur illorum generationes simul, quorum esse perfectum non simul durat in tempore. Hac igitur coæquævitate simul sunt omnia quæ ab uno communi exeunt per unam et essentiæ divisionem, sunt inter se coæquæva ; sicut species specialissimæ inter se sunt coæquævæ, neûtrum enim nec prius nec posterius est altero : quæ etiam ætatica vocantur ab antiquis, quasi unius ætatis. Hæc igitur dicuntur simul secundum tempus. Naturaliter autem sunt simul dupliciter : sunt enim simul quæcumque secundum id quod sunt, ad consequentiam dicuntur sive convertentiam, et secundum hunc modum alterum non est causa alterius, sed se invicem ponunt, et se invicem perimunt. Si enim in hac consequentia alterum esset causa alterius, utrumque esset causa alterius : et tamen in esse substantiali alterum potest esse causa alterius. Taliter autem simul sunt duplum et dimidium et alia relativa quæ secundum naturam relationis posita se ponunt, et perempta se perimunt : duplum enim convertitur ad dimidium, et e converso : nam cum est duplum sic est dimidium, et e converso cum est dimidium, est duplum, et secundum hanc re

lationis consequentiam neutrum est alterius causa ut sic : sed natura relationis simul facit esse utrumque, et hæc simul sunt secundum quamdam naturam quæ fundatur super substantiam utriusque relativorum ad invicem.

Dicuntur autem alio modo simul natura simpliciter secundum id quod substantialiter natura ipsorum est, illa quæ in una et eadem divisione ex eodem genere ex diverso sive ex opposito dividuntur ad se invicem, et illa sunt quæ immediata divisione idem genus dividunt : ex diverso enim sive ex opposito dicuntur dividi, quæcumque sunt sumpta secundum eamdem divisionem ex uno genere, sicut sub animali tanquam genere secundum unam divisionem gressibile, volatile, aquatile sive natatile : horum nullum ad alterum erit per alterum, sed animal participatur immediate, et sunt coæquæva in illo : et ideo ex diverso dividuntur, quia sunt ex eodem genere æqua immediate : animal enim æqualiter dividitur in gressibile, et volatile, et aquatile sive natatile : et nihil horum prius et posterius est altero in animali, sed simul per naturam animalitatis hæc esse videntur.

Singulum autem istorum rursus ulteriori divisione dividitur in species, gressibile simul et volatile et aquatile sic : gressibile in hominem et equum, volatile in aquilam et vespertilionem, quorum unum est habens alas membranales, alterum autem pennatas : aquatile autem in pisces natantes pennis, et in ea quæ natant motu pedum sicut ranæ. Erunt ergo et illa dividentia simul naturaliter in illo quod dividunt. Simul ergo natura sunt, quæcumque sub genere vel specie secundum eamdem divisionem sumpta sunt. Genera vero divisa semper priora sunt dividentibus ipsa : non enim convertuntur secundum quod est esse consequentiam ipsorum quæ simul sunt natura. Quod manifestum est inductione et exemplo : cum enim sit aquatile, sequitur quod sit animal : cum autem sit animal,

non necesse est esse aquatile, quia non convertitur affirmatio a superiori ad inferiori.

Generaliter ergo concludendo simul secundum naturam dicuntur quæcumque convertuntur ad invicem secundum quod est esse consequentiam relationis, sed nequaquam causa est alterum alteri ut sit, sed relatio est causa utriusque. Et secundo dicuntur simul natura, quia eodem genere ex diverso dividuntur ab invicem. Et simpliciter simul sunt, quorum generatio in eodem est tempore. Patet autem cuilibet qualiter prædicamenta convenient : simul enim tempore est individuis simul, quam etiam ad invicem relatis in quolibet genere. Simul autem natura divisio generis in speciebus coæquævis, nec in coordinatione prædicabilium potest esse simul pluribus modis.

#### CAPUT XIV.

##### *De post-prædicamento quod est motus.*

Postquam jam tractatum est de illis consequentibus prædicamenta quæ accidunt sive convenient omnibus prædicamentis per id quod comparantur ad invicem genera vel ea quæ in generibus sunt, nunc determinandum est de eo quod est consequens prædicamenta per esse quod prædicatur in illis, ex quo prædicamenta sunt principia omnium eorum quorum sunt principia, sequitur quod omne esse rerum prædicetur in illis, et significatur nominibus prædicamentorum. Est autem duplex, scilicet esse fluens, et esse simpliciter et stans : et prædicamentum quidem genere, specie et individuo prædicat esse stans : et hoc sufficienter in prædicamentis determinatum est. Est autem, ut dicit Avicenna, esse fluens quod non est simpliciter actus, sed permixtus potentiae : qui modus significandi esse et prædicandi ordinatione generum et specierum et individuum determinari non potuit, eo quod omnia illa significant et prædicant quod si

Quare motus non potuit esse unum prædicamentum.

militer suo modo actu est : propter quod oportuit ut hoc esse sit designatum et prædicatum in aliquo post prædicamenta consequente consignificaretur : et hoc est in tot prædicamentis, quot sunt quæ possunt habere res suas, et esse quod prædicitur permixtum potentia.

De hoc ergo tractantes tractabimus de motu quantum pertinet ad præsentem speculationem : subtiliter enim de motu ad Physicum tractare pertinet : cum enim in quolibet sit ut potentia primo distans ab actu, nec devenire possit potentia ad actum nisi per motum, oportet ponere quod motus sit. Adhuc autem omne passivum, actum agentis aut nullo modo recipit, aut it per motum ad actum agentis. Constat autem quod passivum suscepit actum agentis, ergo suscipit per motum : ergo oportet ponere quod sit motus. Adhuc tempus esse ponitur : tempus autem non est continuum nisi per motum : quare oportet ponere quod motus sit. Si autem est motus, et in prædicamentis determinandum de omni voce quæ esse prædicat rei alicujus, oportet in prædicamentis determinare de modis motus, et cuiusmodi esse prædicitur in modis illis, et ad quæ prædicamenta reducatur.

*Quare non diffinivit motum.* Dicentes autem de motu secundum hunc modum non oportet nos diffinire motum, quia una et eadem ratione de sex modis motuum sive speciebus non prædicatur : motum enim hic extenso nomine sumimus pro omni eo quod dicit quodcumque esse fluens de potentia ad actum, sive id esse sit substantiale, sive accidentale : tale enim esse in quantum est fluens, in communi unum modum habet quo significetur, et quo per nomen significans ipsum secundum quod fluens est prædicetur, et hoc modo in hac scientia habet determinari. Dicamus ergo sic multiplicatatem motus determinantes, quod motus extenso nomine motus sunt sex species, scilicet generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, secundum locum mutatio. Generatio quidem

*Species motus quod.*

et corruptio in substantia sunt et uno modo sunt, et dicuntur mutationes non motus. Alio autem modo motus extenso nomine motus possunt appellari. Si enim sunt in substantia solum, tunc non possunt esse nisi aut de non substantia ad substantiam secundum esse substantiae, vel e converso de substantia ad non substantiam : et quia hi termini dicuntur opponi secundum affirmationem et negationem, inter quas nullum medium est, haec mutatio non habet medium, sed est de termino a quo ad terminum ad quem sine medio. Adhuc autem sequitur quod non sit in tempore, sed in nunc, quia omne tempus habet medium : et velox in tempore dividit tempus et motum : nunc autem est finis temporis ad quem continuatur tempus : sequitur ergo quod talis mutatio sit finis motus : sicut enim nunc se habet ad tempus, ita mutatio se habet ad motum, et haec est probatio Averrois super physicam in commento. Si autem generatio accipiatur ut immixta alterationi qua alteratur materia ejus quod generatur per qualitates generantibus, tunc motus dici potest, et sic hic nos loquimur de generatione, quia sicut esse fluens.

Juxta hunc modum plane intelligitur qualiter corruptio sit mutatio et non motus, et qualiter possit dici motus, et qualiter dicit esse substantiale fluens secundum quod dicit Aristoteles, quod in tali fluxu non est vivum et animal simul in motu, et non est animal et homo simul in motu generationis. Et opposito modo est in corruptione : quia corruptio in uno modo est mutatio de substantia ad non substantiam, et sic est finis motus. Et alio modo est immixta motui alterationis corruptientis id quod est secundum qualitates suas alterantes in virtute corruptientis : et sic est alteratio paulatim abjiciens a substantia, et in fine quando est substantia in abjectum esse, tunc facta est corruptio secundum substantiam. Sic igitur patet qualiter generatio et corruptio sunt motus et qualiter mutationes.

Alii autem omnes motus sunt salvato subjecto in esse substantiali subjecto ad aliquod esse secundum quantitatis perfectionem, aut secundum qualitates, aut secundum ubi. Et illi sunt proprie motus : quia mobile secundum quod mobile est ens perfectum in esse substantiali, et potentia existens in esse quanti vel qualis vel ubi : et motus est actus ejus secundum quod hujusmodi : et ideo in quantitate secundum rationem perfecti et imperfecti est augmentum et diminutio : et augmentum est motus naturalis, diminutio autem a perfecto est esse motus innaturalis.

Alteratio autem non nominatur nominibus oppositis, sed uno nomine communni, quod est secundum qualitatem cuius terminus secundum naturam vel ultra quem non debet esse, est calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum, et sic de aliis qualitatibus quae causantur ab istis : tamen non est ratione determinata. Quia tamen tempore complexionatum variatur et simpliciter in simplicibus, et ideo dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quod non est eadem sanitas in mane et vespere : quia sanitas est habitus fundatus super calidi et frigidi, humidi et siccii complexione : et ideo in genere determinatur et non in specie, et dicitur alteratio : qualitas enim in genere non habet contrarium, sed in specie<sup>2</sup>. Et quamvis quantitas non habeat contrarium, nec in genere, nec in specie, tamen in ratione termini naturalis et defectus ab isto suscipitur circa quantitatem qualitatis contrarietas. Ideo ergo in communi dicitur alteratio.

Et haec quidem mutatione sunt secundum ea quae insunt substantiae aut substantialiter, aut accidentaliter; et si accidentaliter aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem : relatio enim non praedicat aliquid quod absolute insit secundum quod est, sed ipsum esse ad ali-

quid, et patet quod ad ea quae insunt substantiae pluribus modis non potest esse motus. Si autem est secundum ea quae extrinsecus adjacent substantiae, tunc non potest esse secundum quando : quia quando causatur a tempore, et tempus est mensura motus, et non potest esse secundum quando, nisi esset secundum motum, et sic motus esset ad motum, et hoc procederet in infinitum, quod esse non potest. Nec potest esse secundum actionem : quia actio est operatio agentis et moventis, et motus non est in agente sicut in subjecto. Non potest esse secundum passionem : quia passio est causa motus. Nec potest secundum positionem : quia positio partium in toto et in loco non mutatur nisi per generationem et corruptionem, ut patet. Nec secundum habitum : quia habitus mutatur ad subjectum et non mutat ipsum. Relinquitur ergo, quod sit secundum ubi in quo totum mobile salvatum transfertur de loco ad locum : et ideo per se non possunt esse nisi sex species vel modi motus, secundum quod motus dicit esse vel ubi etiam fluens.

Palam autem est, quod motus alii et alii sunt diversi ab invicem, et unus non incidit in alterius intentionem : non enim potest esse quod generatio sit corruptio, quia generatio est via in esse, et corruptio est via ab esse in non esse. Nec augmentum potest esse diminutio : quia augmentum est via ad debitam secundum naturam quantitatem, diminutio autem est ab illa. Nec alteratio est secundum locum mutatio : quia alteratum manens in loco eodem in passionibus motum vel mutatum est, in loci autem mutatione totum secundum se translatum est ad alium locum. Quamvis autem dicatur quod tot sunt species motus quot sunt species entis<sup>3</sup>, eo quod in quolibet praedicamento est devenire de potentia ad actum, tamen illi sunt motus per accidens et non per se, et sunt infiniti : et ideo per artem

genere superiori, quod est falsum : et de hoc vide D. Albertum, 5 Physic. trac. 1, cap. 11.

<sup>1</sup> Cf. 3 Physic. tex. com. 5.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 5 Physic. tex. com. 37.

<sup>2</sup> Hujus ratio potest esse, quia si qualitas in genere haberet, contrarium, tunc ipsa esset in

fieri non possunt, sed aliis motibus sunt adjuncti.


In alteratione vero habet quamdam secundum quosdam quæstionem. Dubitant enim quidam, ne forte necessarium sit id quod alteratur per aliquam reliquarum mutationum alterari, et non secundum ipsam alterationem. Hoc autem quamvis dicant quidam, tamen non est verum, et hoc experiri possumus in nobis ipsis: accidit enim nobis pene secundum qualitates omnes passionum animæ et corporis alterari absque eo quod aliqua aliarum mutationum mutemur: non enim augeri necessarium est quod secundum passiones qualitatum movetur: nec necessarium est minui secundum id quod moveatur secundum passibiles qualitates. Similiter autem est et in aliis motibus, quia non est necesse alteratum secundum locum moveri, vel generari, vel corrumpi. Propter quod patet quod alteratio alia est mutatio quæ est præter omnes alias motus et separata ab omnibus aliis. Nam si alteratio esset eadem cum aliqua aliarum mutationum, oporteret id quod alteratur, augeri vel minui: vel oporteret quod cum alteratur, fieret quædam aliarum consequentium ad alterationem mutationum. Sed hoc non est necessarium, quia potest alterari nulla aliarum mutationum facta in ipso.

Similiter autem sciendum, quod id quod augetur, non aliqua aliarum mutationum movetur, sicut quod minuitur, vel generatur, vel corrumpitur, vel quod moveatur secundum locum physice secundum quod motus secundum locum est a generante, procul dubio prius oportet alterari in omnibus physicis: quia non fit generatio, vel corruptio, vel augmentum, vel diminutio, vel loci mutatio quæ est a natura, nisi alteratione præcedente quæ disponit generabile vel corruptibile vel augens et auctum et diminuens et diminutum et secundum locum motum ad hoc quod mutetur.

Et quamvis sit hoc necessarium in physicis, tamen in mathematicis sunt quæ-

dam crescentia in plus et additamentum suæ quantitatis, quæ non alterantur de qualitate in qualitatem aliam, sicut patet in secundo Euclidis, quod quadrangulum circumposito gnomone crevit quidem, sed in nullo est factum alteratum: quia de figura in figuram non est mutatum. Est enim *gnomon* secundum Euclidem supplementum quadranguli quod est altera parte longius ad inveniendum quantitatem quadranguli: et si hoc circumponitur quidem ad quadrangulum, est quidem quadrangulum majus factum, sed tamen a figura sua secundum speciem quadranguli non est mutatum: et ideo non est alteratum, quia secundum aliam speciem qualitatis alterari non posset nisi secundum figuram.

*Gnomon  
quid secun-  
dum Eucli-  
dem.*



Boetius tamen dicit, quod gnomon est tres partes quadrati, sicut si quadratum mediis lineis ad media latera quadrati terminatis in quatuor quadrata dividetur, tria quadrata illorum quatuor dicit esse gnomonis figuram, cui si quartum quadratum addatur, gnomon quidem crevit, sed nulla alteratio scientiae est secundum figuræ sive quadrati in aliam figuram mutationem. Similiter autem est in aliis hujusmodi mutationibus: et patet quod omnes istæ mutationes sunt aliæ, et diversæ ab invicem, nec sunt aliæ per se mutationes, nisi istæ sex quæ dictæ sunt.

*Gnomon  
quid secun-  
dum Boe-  
tium.*

## CAPUT XV.

*De his quæ motibus opposita sunt.*

Motus autem consideratio duplex est : consideratur simpliciter sive universaliter prout abstrahit ab hoc motu et illo. Consideratur etiam secundum speciem prout est hic vel ille motus. Dicamus igitur quod motui simpliciter considerato contrarium est quies. Dico autem contrarium large sumendo prout privatio dicitur in physicis contrarium : quod enim est quies, est privatio motus : ideo quia movens ad formam contraria quiete eniente quam inducere intendit, cessat a movendo : et sic cessat et privatur motus in eo quod motus est : et quia status est in forma vel in loco ad quem fit motus, sicut in contrario ei cuius motus incipit, ideo contrarium dicitur esse quies ad motum : cum tamen quies secundum se non sit contrarium, sed potius est privatio motus<sup>1</sup>.

**Objectio.** Contra quod tamen quidam objiciunt dicentes quod cessatio motus est negatio motus ab eo quod possibile est moveri, et non movetur et terminat motum ad nunc in quo est in motum esse, sed in eo quod movetur eadem aptitudo est, quia etiam illud aptum est moveri : idem ergo est subjectum in eo quod possibile est moveri et in eo quod movetur, utrumque enim est aptum natum moveri, et quies non est nisi negatio motus ab utroque : quies ergo videtur contradictorie opponi motui, et non privative vel contrarie. Hæc autem eadem argumentatio fieri potest in omnibus privative oppositis. Sed ad hoc dicendum quod quies vel privative vel contrarie opponitur motui, sicut dictum est. Et cum dicitur quod eadem aptitudo vel potentia ad motum est in eo quod aptum natum est moveri et non movetur, et in eo quod actu movetur, dicendum quod hoc falsum est : non enim eadem potentia est ante actum et cum actu exi-

stens : et sic affirmatio et negatio non sunt omnino de eodem : et sic non potest esse contradicatio. Opponitur igitur quies motui privative vel contrarie prout simpliciter consideratur.

Ex quo manifestum est quod generatio et corruptio motus non sunt sed fines motuum, quia non opponitur generationi quies, sed corruptio. Motibus autem (si per singulas species motus considerantur) opponitur non quies, sed in contrarium motus, ut generationi opponitur corruptio, quia generatio est via in substantiam, corruptio autem est motus in contrarium, a substantia scilicet in non substantiam : et similiter opponitur augmentatio diminutioni, quia augmentum est existentis magnitudinis additamentum: diminutio autem est in contrarium, scilicet ab existente secundum naturam magnitudine decrementum.

Mutationi autem quæ est per locum, maxime videtur quies esse opposita. Et hæc causa est : quia hic est simplex motus vel mutatio, in quo totum mobile secundum substantiam et quantitatem et qualitatem (quæ in ipso) transfertur : et ideo etiam quies illi simpliciter opponitur : quia sicut talis motus simpliciter est motus et causa motuum aliorum, ita talis quies simpliciter est quies. Motus autem alii sunt motus quidam et in quodam, et quietes sunt quietes in quodam.

Quamvis autem loci mutationi simpliciter quies est opposita, tamen cuidam loci mutationi quæ recta est, sicut sursum vel deorsum, fortassis etiam opponitur in contrarium secundum locum mutatio, ut loci mutatio quæ est inferius, opponitur loci mutationi quæ est superius, et quæ est superius, opponitur ei quæ est inferius. Hoc autem certum non est utrum sit propter contrarietatem loci ut locus, vel propter contrarias qualitates loco accidentes, sicut superius in tractatu de *Quantitate* dictum est. Vel forte ideo dubium est : quia con-

<sup>1</sup> Vide etiam D. Albertum, *Physic.* trac. 1,

traria apta sunt fieri circa idem numero : motus autem localis est a generante, et non reiteratur idem numero quod naturaliter ascendit sursum, et quod naturaliter descendit deorsum : quia id quod sic moveretur secundum illos motus, habet substantiam corruptibilem.

Reliquo vero prius assignatorum motuum, hoc est, alterationi non est facile assignare contrarium, quod scilicet motui secundum se sit contrarium. Qualitati enim secundum quod est in genere, non est contrarium. Alteratio autem secundum se est motus in qualitate secundum quod est qualitas, cui quies non est contrarium : quia fit motus aliquis secundum aliquam qualitatem, tam in simplicibus agentibus in se invicem, quam in compositis in quibus continua est alteratio propter componentium continuam actionem et passionem. Si autem habet contrarium, hoc est, secundum quod hic est motus, ut motus dealbationis contrariatur motui denigrationis. Videtur ergo, quod nihil sit contrarium tali motui nisi quis opponi dicat quietem in hac qualitate motui ad eamdem : sed ista non est quies simpliciter, ut dictum est : aut sic dicat aliquis, quod motui ad qualitatem hanc vel illam opponitur motus qui est in contrarium qualitatis hujus vel illius : et propter hoc dicit quod mutatio secundum qualitatem, et quies secundum qualitatem sunt opposita : aut quod oppositi sint motus qui sunt in contrarium qualitatis illius ad quam fuit motus ; sicut album fieri contrarium est ad id quod est nigrum fieri secundum alterationem, idcirco quod in contrarium qualitatis mutatio facta est.

Hæc autem cum studio in quinto<sup>1</sup> *Physic.* habent determinari. Ad propositam intentionem, ut sciatur de esse fluente qualiter prædicetur, satis dictum est : esse enim fluens non habet aliud genus entis quam esse stans, quamvis habeat alium modum.

Et ideo motus non est per se prædica-

mentum, sed in genere illo in quo esse suum determinatur : et quia hæc non ad unum, sed ad plura reducuntur, ideo de motu in tractatu de *post-prædicamentis* fuit determinandum.

## CAPUT XVI.

### *De habere et de modis ejus,*

Quamvis habitus sit prædicamentum speciale prædicans quod causatur ex habitudine circumdantis extrinsecus, quod circumdans habet figuram et modum circumdati, tamen habere multis modis dicitur etiam secundum res aliorum prædicamentorum : ideo in *post-prædicamentorum* tractatu oportet tractare de habere.

Dicamus ergo quod habere multis modis dicitur. Aut enim dicitur eum habere habitum, et dicimur nos habere secundum primam qualitatis speciem : et sic dicitur, quod est in facultate habentis ad actum : dicit enim Averroes<sup>2</sup>, quod habitus est quo quis aliquid agit quando voluerit. Et Victorinus actorem dicit quem habitus facilem facit ad agendum. Aut dicitur secundum affectum in tertia specie qualitatis : quia nos dicimur habere id quod nos afficit, sicut dicimur nos habere calorem, vel frigus. Aut secundum aliam aliquam speciem qualitatis, qualitatem enim inhærentem habenti dicitur habere id cui inhæret qualitas : dicuntur enim scientes disciplinam scientiæ habere, et studiosi dicuntur habere virtutem, sicut diximus, quando in facultate eorum est agere secundum disciplinam et secundum virtutem. Aut secundo modo dicitur habere secundum quantitatem quæ inest ut mensura, sicut dicitur habere qui habet magnitudinem : dicitur enim talis habere bicubitalem quantitatem, aut tricubitalem. Aut dicitur habere secundum ea quæ circa corpus sunt ut mutata secundum figuram corporis, ut habetur vestimentum

<sup>1</sup> A tex. com. 53.

<sup>2</sup> AVERROES, Super 3 de Anima, com. 18.

vel tunica : quæ omnia mutantur ad habentem, et non mutant eum, ut dicit Augustinus, et juxta hunc modum est id quod habetur in decorum, ut quod circumdat membrum, sicut habetur annulus in digito. Adhuc autem alio modo dicitur sicut totum habet partes præcipue organicas quæ sunt ad actum, ut manum, aut pedem, quando habentur ad usum manus et pedes. Dicitur etiam habere secundum quod in vase mensurante quantitatem et continentem, sicut dicitur quis habere granum tritici in modio, aut sicut vinum dicitur quis habere in lagena : vinum enim in lagena habere dicimur, et in modio grana tritici, quia lagena continet et mensurat vinum, et modius triticum. Hæc igitur omnia diversimode habere dicuntur diversi, et diversis secundum omnia. Hic est unus modus prædicandi. Dicitur etiam alio modo habere per modum quo habetur possessio, sicut domum et agrum habere dicimur : et hic est specialis modus habendi et valde proprius. Adhuc autem dicitur habere sicut vir uxorem dicitur habere, aut uxor virum, mutuo contractu inter virum et uxorem. Sed modus iste qui dictus est, videtur alienissimus inter omnes modos habendi qui dicti sunt : nihil enim aliud dicimus virum habere uxorem, nisi quia cohabitant simul ad civiles et œconomicos actus : et hoc modo, habens habetur eodem modo quo habet : et per eumdem contractum qui habet efficitur habitus, et hoc non est in aliquo aliorum modorum. Forte tamen adhuc apparebunt et alii modi ejus quod est habere : sed qui magis consueverunt dici et usitati sunt apud sapientes sunt isti, qui pene omnes enumerati sunt : et si qui alii sunt, reducuntur ad istos.

Modi autem habendi qui dicti sunt, sic accipiuntur. In omnibus enim habens aliquo modo est principium habitu, et habitum est ad naturam habentis, quando proprie habetur : aut igitur secundum naturam est principium, aut secundum voluntatem, aut simul secundum naturam et voluntatem. Si enim principium est secundum naturam, aut est secundum qualitatem cujus natura est principium, et sic est modus primus, aut secundum quantitatem, et sic est modus secundus. Nec plures sunt secundum naturam : quia cum habens differat ab habito, oportet quod substantia sit habens et qualitas vel quantitas sint habita. Alia vero prædicamenta non prædicant aliquid absolutum. Si autem natura cum voluntate est principium, tunc est modus quintus, in quo membrum habetur a natura : visus autem refertur ad voluntatem. Si autem sola voluntas est principium, tunc est respectu principii extrinseci quod extrinsecus se habet ad habentem : aut igitur habitum habens est ex ipso quod habet, aut non : si sic, est tunc modus octavus : si non, et est de extrinsecis : aut ergo habitum mutatur ad formam habentis, aut non. Si sic : aut est ad necessitatem, aut decorum. Si est ad necessitatem : tunc est tertius modus. Si est ad decorum : tunc est modus quartus. Si vero mutatur habitum ad habentem : aut habitum habetur per modum contenti, sicut in vase mensurante : aut per modum habitus tantum. Si per modum contenti : tunc est modus nonus. Si secundo modo : tunc est modus septimus. Multis autem aliis modis potest accipi numerus modorum habendi : sed quia parva vis est in talibus, ideo illa sufficient.

# LIBER

## DE SEX PRINCIPIIS.

### TRACTATUS I

#### DE FORMA.

##### CAPUT I.

*Quare hic liber dicatur liber sex principiorum.*

Quamvis de ordine prædicabilium jam in prædicamentis sufficienter quantum est de intentione logici determinatum sit, tamen ad faciliorem doctrinam, ut de singulis cognoscatur quæ prædicantur, et qualiter singulum prædicabilem in genere et specie et individuo ad unum commune (quod principium illorum est) ordinatur, iterum determinabimus in speciali de sex, de quibus in *Prædicamentorum* libro non nisi breviter et per modum exemplarem tactum est. Sicut autem in *Prædicamentorum* libro secuti et prosecuti sumus scientiam Aristotelis, sic in hoc libro sequimur Gilbertum Porretanum, qui ea (quæ de sex principiis dicuntur) invenit et composuit ad faciliorem intellectum eorum quæ in libro *Prædicamentorum* succincte dicta esse videbantur, quæ quamvis omissa esse potuissent, tamen propter utilitatem studentium hunc laborem assumpsimus. Ideo hæc etiam ad informationem studentium cum aliis explanamus.

Intentio Autoris.

Quam Autorem sequuntur in hoc libro.

Quæritur autem quare hæc sex principia dicuntur, cum alia quatuor de quibus dictum est in libro *Prædicamentorum* prædicamenta sint vocata. Multi quidem multas assignaverunt rationes: secundum enim Porretani doctrinam decem prima genera sunt decem rerum principia, in quibus stat omnis resolutio, et quæ sunt primæ essentiæ sua essentialitate constituentes, et quæ suæ communis ambi- tu omnia continent quæ ordinabilia sunt ad prædicti et subjecti determinationem: de quorum coordinatione, ut diximus, in prima parte logicæ est tractandum: eo quod ratio non colligit nisi quæ anteposuit, nec componit nisi quæ ante ordinavit secundum comparabilem rationem. Propter quod ratio qua sit ordinatio pri- mum in Phorphyrio tradita est. Ordinatio autem prout est in ordinatis, traditur in scientia libri *Prædicamentorum*, et in scientia sex principiorum, et in scientia divisionum. Cum autem omnis ordinatio subjectorum et suppositorum sit ad unum et stet in uno, id in quo stat ordinatio in summo est primum et principium omnium aliorum. Sed dicitur genus in quantum est primum formabile subjectum ad omnium contentorum determinationem in forma speciei et individui. Dicitur au- tem principium in quantum est primum

Dubitatio.

Solutio.

constituens et essentians omnia quæ sunt suæ coordinationis, in quibus ipsum secundum actum et intellectum (ut principians essentias eorum) continetur.

Cum autem omnia generalissima hoc modo dicantur, tamen quædam plus et magis proprie dicuntur genera, et quædam magis principia. Substantia enim, qualitas, et quantitas dicuntur magis genera, eo quod absolute sunt in his contentis suis actu et intellectu contenta : quod proprium generis est secundum quod genus est cui species supponitur. Principia vero dicuntur ex consequenti : quia non principiant simpliciter et quoad esse, sed potius e converso quoad esse a suis inferioribus sunt principiata. Relatio autem genus est hoc modo quo alia, et non adeo proprie ut alia potest esse vel dici principium : quia secundum esse semper fundatur in alio quodam, et ut frequenter fundatur in generibus aliis et rebus generum aliorum.

Residua vero sex non proprie dicuntur genera, quia non dicuntur simpliciter contenta in aliis secundum actum et intellectum sicut id quod est de ratione eorum, sicut patet singulorum inductione. Actio enim non dicit quid contentum in substantia aliorum, nec passio, nec ubi, nec quando, nec situs, nec habitus : sed dicuntur aliquo modo se habere per modum principii ejus cujus sunt. Actio enim cum sit in actu, dicit principium a quo agens efficit id quod agit. Similiter passio cum sit in paciente, dicit id quo patiens movetur ad formam agentis, et non dicit quid existens de ratione substantiæ alicujus : et ideo passio suo nomine non genus dicit, sed principium. Similiter est de ubi, quia procedit a loco, nec locus est principium nisi ejus quod est in loco, locatum autem comparatur ad locum cum est in ubi : et ideo ubi cum sit de extrinsecis, genus autem de intrinsecis substantiæ, plus nominatur principium quam genus. Eodem modo est de quando quod procedit a tempore. Tempus autem est numerus motus ; motus autem est actus ejus

quod movetur, deducens ipsum ad formam moventis. Et ideo quando quod est in eo quod est in tempore, per comparationem ad tempus etiam non nominat aliquid de substantia quod sit ut genus, sed nominat principium per motum cuius ipsum est mensura. Positio vero dicit partium ordinationem in loco et in toto, et dicit principium plus quam genus : quia motus et actio et passio transmutantia ea in quæ operantur, sunt causa ordinis partium ad formam totius ; et ideo positio non dicit quid positi, sed secundum nomen suum quod est positio, dicit principium essentiæ totius quod principiatur a partium positione in toto et in loco. Habitus autem ad id cuius est habitus nihil dicit quod sit quid habentis secundum quod genus est quid ejus cuius est genus, sed dicit principium conservationis habentis. Et propter hoc cum alia dicant principia ad eorum esse quorum sunt, hoc ultimum dicit principium conservationis. Ideo potius dicuntur principia quam genera. Propter quod etiam potius formæ sunt, hoc est, foris manentes, quam sint essentiæ.

Hæc autem sic accipi possunt . Aut enim sunt principia ad esse, aut ad bene esse. Si ad esse : aut ex parte agentis, et sic erit actio : aut ex parte ejus quod agitur : et hoc dupliciter, scilicet secundum quod est suscipiens actum agentis, aut secundum effectum qui actum agentis consequitur. Si primo modo : aut secundum ipsam actionem quam suscipit patiens, et sic est passio : aut secundum mensuram extrinsecus adjacentem, aut secundum effectum quem facit actio in substantia et partibus patientis. Si secundum mensuram adjacentem : aut est secundum mensuram actionis vel passionis secundum quod hujus, et sic est quando : aut secundum mensuram passi sive ejus quod patitur, et sic est ubi. Si autem est secundum effectum quem facit agens in ipso paciente : tunc est positio, quia ex actione agentis et passione patientis situantur partes in passo ad susceptionem

*Sufficientia  
sex princi-  
piorum.*

formæ quam imprimit agens et efficitur una supra, et altera infra, et una dextra, et altera sinistra, secundum quod operatur in eo virtus agentis. Si autem dicit principium non ad esse, sed ad bene esse, sic est habitus. Quamvis autem sic nominibus suis dicant principia, tamen suæ coordinationis (in quantum nominibus suis significatur esse) prædicant principia, et contenta actu et intellectu in eo de quo prædicantur, dicuntur genera: et ideo nominibus suis dicuntur principia, et res quas signant, sunt genera.

**Dubitatio.** Si autem quis querat, qualiter hæc scientia est una quæ est de sex principiis?

**Solutio.** Dicendum quod ista sex uniuntur in intentione principii, et sic nihil prohibet de sex unam esse scientiam.

Sicut autem et in aliis, sic et in his modis philosophiae tenendus est. Philosophi enim est (ut dicit Aristoteles) non accipere nisi sermonem demonstrativum, ut scilicet de subjecto et de partibus subjecti passiones et differentiæ demonstrentur ad habendam notitiam perfectam de his quæ traduntur: et ideo etiam singularum diffinitiones ponendæ sunt, ex quibus sicut ex mediis probetur omne quod docendum est. Hoc enim modo perficitur anima secundum partem contemplativam, quæ est ultimum felicitatis ipsius, ut docet Aristoteles<sup>1</sup>.

Quod autem quidam dicunt de arte, utrum scilicet per modum artis procedat philosophia, stultum est: quia ars non est nisi in factis supra materiam exteriores, cum dicat Aristoteles<sup>2</sup> quod ars est cum ratione factivum principium, et hoc modo facere non est agere.

## CAPUT II.

### *De forma quid sit, et qualiter hic agitur de ipsa.*

Volentes igitur de sex principiis determinare quæ omnia formæ sunt et quasi extrinseca his quorum sunt, eo quod non

sunt de esse et substantia eorum quorum sunt, et forma dicitur (ut Plato dicit) quasi foris manens, oportet nos inchoare a formæ determinatione ut sciatur a quo sicut a primo genere accipiunt originem. Dicit enim Boetius in principio de *Trinitate*, quod proprie non dicuntur formæ nisi quæ sunt separatæ: illæ autem quæ in materia sunt, proprie dicuntur images, eo quod ad illas sunt per assimilationem et imitationem productæ. Hæc autem quæ principia vocamus, omnia sunt extra substantiam agentis, et passio nihil est de substantia patientis: et de quando, et ubi similiter est, quorum neutrum est aliquid de natura eorum quæ ubi sunt et quando. Situs autem propter hoc extrinsecum est, quia dicit ordinem partium in loco, et hoc est extra substantiam partium et totius. De habitu autem nullum est dubium, quin sit de extrinsecis. Cum igitur omnia ista foris maneant, omnia hæc secundum nomen formæ prædicationem formæ participant, et sicut dicuntur principia, sic etiam formæ dicuntur.

Non potest autem dicta forma hoc modo determinari, nisi generaliter forma diffiniatur et per diffinitionem deveniatur ad intentionem formæ de qua est intention. Generaliter igitur de forma loquentes dicimus, secundum quod logicus loqui debet de forma, quod forma est compositioni contingens, simplici et invariabili essentia consistens: formam enim logica diffinimus diffinitione: logice enim loquendo forma est intentio quæ dat esse formale totius, et ipsa notio totius, ut dictum est in scientia de *Universalibus*. Dico autem, quod dicit esse totius sive hoc esse sit substantiale, sive accidentale, sive sit esse potentiale, sive actuale, sicut animal dicit esse totius potentiale, et rationale dicit esse totius hominis actuale. Homo autem dicit totum compositum ex utroque: album autem dicit esse totius accidentale: et risibile dicit esse totius accidentale naturæ et speciei.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 10 Ethic. cap. 10.

<sup>2</sup> Id. 6 Ethic. cap. 5.

Hoc autem tale esse non est nisi compositioni contingens, hoc est, compositive ex compositione : quia si parti compositionis sive compositi contingenteret, non esset prædicabile de toto, nec totius esse posset dici notio. Et dico contingens, non quod semper forma hæc contingat, sive per accidens composito adveniat secundum id quod est forma : quia sic est species, vel accidens, vel proprium, vel differentia, vel genus, et ideo non semper contingit, sed aliquando est substantia. Sed ideo contingit, quia modus accipendi eam ut est totius notio, semper est accidens et semper contingens. Est enim universale quod est ante rem, et hoc est causa rei per se vel per accidens. Et est universale quod est in re, et hoc est substantia rei vel accidentis inclinatum ad substantiam. Et est universale quod est post rem, et hoc est universale a re ipsa per intellectum separatum, et hoc contingit rei et est accidentale rei : hoc enim nihil aliud est nisi acceptio universalis formæ sine hic sine nunc : quæ acceptio rei simplex et separata a particulari et particularibus : et hoc modo forma est dicta universale quod intellectus ordinat in genere et specie, et cuius coordinationem reducit ad prædicamentum vel ad principium : et hoc modo forma est formale esse totius acceptum per intellectum, quod non contingit accipere in ratione formæ quæ est forma partis : quia hæc forma est materiæ in particulari, et non de toto prædicabilis. Sic ergo forma in communi ad esse substantiale vel accidentale totius accepta, prædicabilis de toto et non de parte, est forma quæ est compositioni contingens.

Quod autem additur, quod sit simplici essentia consistens, ideo est quia tale esse quamvis totius sit compositi, tamen ex parte formæ acceptum est, et non ex parte materiæ. Non autem accipitur ex parte formæ prout pars est compositi, sed accipitur a forma prout est causa totius esse, totum ambiens et terminans ad esse : et quia forma illa nihil est nisi for-

ma quamvis sit totius, ideo nullum habet principium compositionis in se, sed est essentia simplex, quamvis non sit essentia simplicis, sed compositi : hoc enim modo materia non est essentia simplex, quia materia ad minus potentia habet partem et partem, forma autem nec potentia nec actu partem et partem habet : et ideo huic formæ convenit, et non materiae.

Si autem objicitur, quod species est formæ, et tamen partem habet, quia genus et differentiam : Dicimus quod istæ partes non sunt divisæ in specie, quia idem quod est in genere, est ut confusum et indeterminatum, et in specie specificatum et determinatum. Sed genus dicit ut confusum, et differentia ut determinans, et species ut determinatum : et hæc in esse formalis non differunt, quamvis differentium sint, sicut differt natura determinabilis a natura determinantis et a natura determinati. Differentia est determinans et non determinat, nisi per formale quod est actu, et determinat formale quod est potentia. Et species determinata non dicit nisi formale sic determinatum. Et si aliquid aliud diceret, non prædicaretur genus de specie, nec differentia de specie prædicaretur : et ideo constat quod idem formale dicunt hæc tria. Et quia differentia est in genere potestate : et potestate esse in alio secundum potestatem causæ formalis, est in ipso esse secundum inchoationem, et inchoatio formæ et perfectio sunt idem in substantia formæ, diversa in esse : ideo unum et idem est in potentia et actu. Et ideo diffinitio illa est unum et multa : et quoad hoc secundum substantiam simplex est essentia, quamvis sint in ea illa quæ differunt natura secundum ea. Et ideo dicitur quod forma est simplici essentia consistens.

Est autem invariabilis, quia nihil variaatur secundum mutationem, nisi materia vel subjectum ex materia et forma compositum : forma autem (prout universale forma est) neutrum horum est, et ideo per se immutabilis est essentia. Variatur

Objectio

Solutio

tamen per accidens, dum aliquando secundum esse quod est in hoc vel in illo, generatur vel corruptitur. Sed de variatione quæ est secundum accidens nos hic non loquimur. Aliter autem probatur, quod forma quæ est universale sive sit accidentale sive substantiale, est contingens composito et non est compositum. Talis enim forma compositio sive compositum non est, quia unumquodque compositum adveniens alteri composito majus aliquid facit aut secundum essentiam, aut secundum quantitatem: forma autem adveniens compositioni minime facit majus aliquid: ergo forma non est compositum, sed contingens sive compositioni, sive composito<sup>1</sup>. Quod autem forma adveniens composito non faciat majus aliquid, probatur tam in forma accidentalí quam in forma substantiali. In accidentalí quidem, quia in eo quod album est non dicitur majus vel minus factum, quam si non esset album, sed dicitur esse alteratum solum. In substantialibus autem, quia in hoc quod corpus et anima conjuncta sit homo, non dicitur majus vel minus factum, sed perfectum in forma speciei.

**Objectio.** Hoc tamen habet dubitationem: quia forma universalis adveniens est essentia quædam, et ideo illud cui advenit, esse auctum videtur secundum essentiam. Di-

**Solutio.** cendum ad hoc quod universale est posterius eo cuius est universale, quamvis ipsa natura universalis sit prius eo de quo prædicatur, et in quantum universale non habet esse nisi intentionale, sive, ut dicit Boetius, notionale hoc non est esse secundum naturam, et ideo nullum essentiale addit secundum quod est notio ei quod est secundum naturam. Hoc autem est planum intelligere ex his quæ saepius in scientia *Universalium* dicta sunt.

Quia vero de quibusdam aliis quæ sunt formæ universales contingit idem proferre, quod scilicet in hoc sunt simplices

essentiæ, quod non sunt compositæ ex materia et forma, sicut in anima hominis quæ hoc modo composita non est: ideo in diffinitione dictum est, invariabili essentia consistens: in anima enim hominis secundum partem sensibilem quæ est in ea, alteratio contrarietas secundum motum passionum invenitur, ut tristitiae et gaudii: quamvis enim motus passionum gaudii et tristitiae sint conjuncti et non animæ, ut subjecti, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>; tamen, ut dicit Averroes, in his compatitur anima corpori, et sic aliquo modo variatur, et ideo non est forma prout hic de forma loquimur.

Adhuc autem quoniam, sicut dicunt quidam, aliquid est quod est subjectum simplici, et nulli est subjectum variationi, sicut dicunt in ea quæ est mundi anima, quam et simplicem et invariabilem esse dicunt: ideo ut hanc de qua hic loquimur formam, ab omnibus aliis dissociarem et dividerem, addidi compositioni contingens. De mundi enim anima quid Quid sit anima mundi. sit et qualiter, longum et difficile est determinare, et pertinet ad primum Philosophum secundum eam partem in qua de causis primariis et universalibus determinatur. Breviter tamen dicimus, quod non causa prima est, nec est aliqua intelligentia, sed motor mobilis primi quod est sibi principium vitæ et motus in omnibus, sicut dicitur in libro de *Causis*, et hæc anima non contingens est compositioni sive composito, sed est forma unius quod est primum cœlum: propter quod forma quæ est universale esse non potest: quia universale est forma contingens composito, et non est forma partis, ut saepius dictum est. Præinducta igitur de forma data diffinitio erit terminus: dicitur enim terminus illa diffinitio quæ includit terminos esse illius diffiniti. Hæc enim diffinitio neque superfluum nec minus aliquid quam ad esse formæ declarandum sufficit, videbitur conti-

<sup>1</sup> Solet objici de aqua addita cineri vel farinæ. Vide D. Albertum, *Physic. tract. de vacuo*, cap. 1.

<sup>2</sup> ARISTOTELES, In primo de Anima, tex. com. 12.

nere si quis subtiliter et non superstitione voluerit investigare.

Notandum tamen hoc, quod ea quæ dicta sunt, non sunt vera de forma substantiali, nec accidentalē: sed vera sunt de forma quæ est universale, sive sit substantia, sive accidentis, prout ipsum est prædicabile ut genus, vel differentia, vel proprium, vel accidentis in quocumque genere vel principio prædicabilium.

### CAPUT III.

#### *De dubitatione utrum forma sit variabilis.*

Dubitatio  
textus.

Habet autem dubitationem ex prædicatis occasionatam: loquentes enim de forma secundum quod ad accidentalem et substantialem communis est, et secundum quod est universale prædicabile sive in quid, sive in quale, eo quod ipsa significatur ut notio totius esse rei secundum quod et oratio forma est, et albedo de illa albedine prædicata, et secundum quod ratio formalis et opinio forma animæ est, de hac vel de illa ratione vel opinione prædicata. Dicendo igitur de tali forma quod invariabilis sit, videtur esse instantia in pluribus. Videtur enim, quod plures formæ variabiles sint sive mutabiles in contraria. Nam eadem oratio veri et falsi susceptiva est, me sedere omnino vera est dum sedeo, et eadem falsa dum non sedeo. Similiter autem et eadem albedo claritatis et obscuritatis susceptiva est. Et ratio formalis sive opinio una susceptiva ejus veri videtur quod est in re, et falsi quod non est in re: cum tamen hæc omnia formæ sint totius esse notiones et de toto prædicabiles: et sic sunt compositioni contingentes.

Solutio tex-  
tus.

Sed ad hoc dicitur, ut dictum est, quod forma est invariabili essentia consistens. Et quod dicitur de albedine, non est ut dicitur. Non enim eadem albedo secundum id quod est forma, claritatis et obscuritatis susceptiva est: sed duæ albedi-

nes sunt in subjecto, quarum una clarior est, et altera obscurior ex opacitate et claritate subjecti: nam nihil differt albedinem claram dicere, et subjectum sive suscipiens clarum dicere, cum albedo secundum esse albedinis unum et idem eodem modo se habeat: obscuratur enim et clarificatur ex subjecti obscuritate vel claritate: et illa quæ est ea obscurior, non eadem numero albedo illi quæ est clarior. Et simile huic est quod dicitur in quinto *Physic.*<sup>1</sup>, quod non eadem sanitas est in mane et in vespere, eo quod in humoribus animalis non manet eadem æqualitas, quamvis susceptivum sanitatis sit idem in mane et in vespere, non tamen sub eadem forma sanitatis.

Similiter autem eodem modo ratio si-  
ve opinio et una numero oratio secun-  
dum mutationem sui non susceptiva veri  
et falsi quod in re est vel non est, sed potius,  
sicut dicit Philosophus<sup>2</sup>, oratio  
quæ est in voce, est nota et signum passionum  
quæ sunt in anima, quæ passiones illatæ sunt in animam ex formis re-  
rum conceptis. Et ideo veritas in ratione  
vel in mente vel opinione est adæquatio  
rerum vel opinionum vel conceptorum.  
Et falsitas in mente vel opinione est inæ-  
qualitas mentis et rerum. Et similiter ve-  
ritas in oratione est adæquatio signi rem  
in voce significantis et rei significatæ. Et  
ideo de vero in falsum mutatur non se-  
cundum sui mutationem, sed sicut mutantur  
signa per mutationem eorum ad  
quæ referuntur. In eo ergo quod res  
significata est vel non est, in hoc mens  
sive opinio et oratio vera vel falsa sunt  
absque omni variatione opinionis vel ora-  
tionis. Et hujus exemplum dat Boëtius,  
sicut uno aliquo immobili existente et al-  
tero transeunte ad oppositum latus, effi-  
citur dexter qui prius erat sinister, abs-  
que omni sua variatione, ex sola alterius  
mutatione quæ refertur ad ipsum, ut  
dexter vel sinister secundum situm. De  
his autem in aliis a nobis dictum est.

<sup>1</sup> Tex. com. 37.

<sup>2</sup> In cap. primo Perihermenias.

**Duplex est veritas.** Est tamen hic intelligendum, quod duplex veritas est in oratione: est enim veritas signi prout signum est simpliciter ad actum signi relatum, et non ad hoc vel ad illud significandum, sicut dicitur verum signum quod non fallit in actu significandi. Et hanc veritatem, ut probat Anselmus, oratio non amittit propter rei significatae mutationem: haec enim oratio me sedere, verum signum est ejus quod ego sedeam, sive sedeam sive non sedeam: semper enim significat quod sedeam, et in hoc non fallit, quia hoc significat recte et vere: quia hoc in quantum signum accepit significare: signum enim verum est quod recte significat id quod habet significare, et in hoc non fallit. Est autem alia veritas in signo relato ad hoc significandum et adaequata illi, sicut haec oratio, ego sedeo, adaequata est rei dum sedeo: et hoc mutatur ipsius rei mutatione, et de hac loquimur hic, et non de prima; prima enim immobilis manet manente signo: propter quod etiam primam quidam putabant esse veritatem et unam et eamdem in omnibus veris signis, quamvis hoc dubium sit, cum signum sit rectum et verum quando significat id quod in prima veritate omnia instituente et ordinante accepit signare, et sic signum fit rectitudo signi ad relata ad primam sui causam exemplarem, tamen relatio potest numerari incipiendo a prima veritate, et sic est una: potest etiam numerari ex parte signorum relatorum, et sic cadit in multitudinem et sic numeratur simpliciter, et ideo simpliciter est multæ, et secundum aliquid est una.

## CAPUT IV.

*Quid sit substantiale, et per consequens quid accidentale.*

Quia vero omnis forma quæ est totum et notio totius et quæ prædicatur de aliquo, aut est substantialis, aut accidentalis, oportet hic loqui de substantiali quid sit, et per consequens etiam deter-

minare quid sit accidentale. Dicimus ergo quod substantiale secundum suum nomen est id quod habet modum substantiae in eo cui est substantiale, et hoc aliquando est substantia, et aliquando non substantia secundum materiam, habet tamen modum substantiae. Substantia quidem est quando est in genere substantiae, ut animal et substantia est et substantiale homini, et homo et substantia est et substantiale Socrati. Et similiter rationale est substantiale homini et Socrati.

**Primus modus.** Est autem aliquando non substantia habens modum substantiae, sicut color se habet ad albedinem, et sicut qualitas se habet ad colorem, vel disaggregativum visus se habet ad albedinem, et sicut extremitatem perspicui esse se habet ad albedinem, et sicut extremitatem perspicui esse se habet ad colorem. Est enim genus substantiale ut materia, et differentia est substantiale ut forma. Dicitur tamen substantiale aliter, scilicet quod sicut in causa per se est in aliquo, sicut risibile substantiale dicitur homini quod in natura hominis est sicut per se causa: et id nec substantia est, nec modum habet substantiae in construendo substantiam, sed in quantum ad inesse inseparabiliter habet modum substantiae. Adhuc autem

**Secundus.** quartu[m] modo dicitur substantiale, quod inest in ratione diffinitiva loco differentiae, quamvis nihil sit de essentia et esse ipsius, sicut nasus substantiale est simo, et oculus lusco, et tibia claudio, et dorsum gibbo, et generaliter substantia proprio accidenti.

**Tertius.** Et quia sic dicitur substantiale aliquando quod non est substantia, habens tamen aliquem substantiae modum, ideo dicit Boëtius quod substantiale medium est inter substantiam et accidens, sed non est medium per abnegationem utriusque extremitum dictum secundum propriam ipsius naturam et entitatem: quia tale medium esse non potest, eo quod omne quod est, est substantia, vel accidens secundum naturam suæ entitatis: sed est medium per hoc quod aliquid utriusque

**Quartus.** substantiale ut materia, et differentia est substantiale ut forma. Dicitur tamen substantiale aliter, scilicet quod sicut in causa per se est in aliquo, sicut risibile substantiale dicitur homini quod in natura hominis est sicut per se causa: et id nec substantia est, nec modum habet substantiae in construendo substantiam, sed in quantum ad inesse inseparabiliter habet modum substantiae. Adhuc autem quartu[m] modo dicitur substantiale, quod inest in ratione diffinitiva loco differentiae, quamvis nihil sit de essentia et esse ipsius, sicut nasus substantiale est simo, et oculus lusco, et tibia claudio, et dorsum gibbo, et generaliter substantia proprio accidenti.

**Tertius.** Et quia sic dicitur substantiale aliquando quod non est substantia, habens tamen aliquem substantiae modum, ideo dicit Boëtius quod substantiale medium est inter substantiam et accidens, sed non est medium per abnegationem utriusque extremitum dictum secundum propriam ipsius naturam et entitatem: quia tale medium esse non potest, eo quod omne quod est, est substantia, vel accidens secundum naturam suæ entitatis: sed est medium per hoc quod aliquid utriusque

**Quartus.** substantiale ut materia, et differentia est substantiale ut forma. Dicitur tamen substantiale aliter, scilicet quod sicut in causa per se est in aliquo, sicut risibile substantiale dicitur homini quod in natura hominis est sicut per se causa: et id nec substantia est, nec modum habet substantiae in construendo substantiam, sed in quantum ad inesse inseparabiliter habet modum substantiae. Adhuc autem quartu[m] modo dicitur substantiale, quod inest in ratione diffinitiva loco differentiae, quamvis nihil sit de essentia et esse ipsius, sicut nasus substantiale est simo, et oculus lusco, et tibia claudio, et dorsum gibbo, et generaliter substantia proprio accidenti.

**Tertius.** Et quia sic dicitur substantiale aliquando quod non est substantia, habens tamen aliquem substantiae modum, ideo dicit Boëtius quod substantiale medium est inter substantiam et accidens, sed non est medium per abnegationem utriusque extremitum dictum secundum propriam ipsius naturam et entitatem: quia tale medium esse non potest, eo quod omne quod est, est substantia, vel accidens secundum naturam suæ entitatis: sed est medium per hoc quod aliquid utriusque

**Quartus.** substantiale ut materia, et differentia est substantiale ut forma. Dicitur tamen substantiale aliter, scilicet quod sicut in causa per se est in aliquo, sicut risibile substantiale dicitur homini quod in natura hominis est sicut per se causa: et id nec substantia est, nec modum habet substantiae in construendo substantiam, sed in quantum ad inesse inseparabiliter habet modum substantiae. Adhuc autem quartu[m] modo dicitur substantiale, quod inest in ratione diffinitiva loco differentiae, quamvis nihil sit de essentia et esse ipsius, sicut nasus substantiale est simo, et oculus lusco, et tibia claudio, et dorsum gibbo, et generaliter substantia proprio accidenti.

**Tertius.** Et quia sic dicitur substantiale aliquando quod non est substantia, habens tamen aliquem substantiae modum, ideo dicit Boëtius quod substantiale medium est inter substantiam et accidens, sed non est medium per abnegationem utriusque extremitum dictum secundum propriam ipsius naturam et entitatem: quia tale medium esse non potest, eo quod omne quod est, est substantia, vel accidens secundum naturam suæ entitatis: sed est medium per hoc quod aliquid utriusque

**Quartus.** substantiale ut materia, et differentia est substantiale ut forma. Dicitur tamen substantiale aliter, scilicet quod sicut in causa per se est in aliquo, sicut risibile substantiale dicitur homini quod in natura hominis est sicut per se causa: et id nec substantia est, nec modum habet substantiae in construendo substantiam, sed in quantum ad inesse inseparabiliter habet modum substantiae. Adhuc autem quartu[m] modo dicitur substantiale, quod inest in ratione diffinitiva loco differentiae, quamvis nihil sit de essentia et esse ipsius, sicut nasus substantiale est simo, et oculus lusco, et tibia claudio, et dorsum gibbo, et generaliter substantia proprio accidenti.

**Tertius.** Et quia sic dicitur substantiale aliquando quod non est substantia, habens tamen aliquem substantiae modum, ideo dicit Boëtius quod substantiale medium est inter substantiam et accidens, sed non est medium per abnegationem utriusque extremitum dictum secundum propriam ipsius naturam et entitatem: quia tale medium esse non potest, eo quod omne quod est, est substantia, vel accidens secundum naturam suæ entitatis: sed est medium per hoc quod aliquid utriusque

**Quartus.** substantiale ut materia, et differentia est substantiale ut forma. Dicitur tamen substantiale aliter, scilicet quod sicut in causa per se est in aliquo, sicut risibile substantiale dicitur homini quod in natura hominis est sicut per se causa: et id nec substantia est, nec modum habet substantiae in construendo substantiam, sed in quantum ad inesse inseparabiliter habet modum substantiae. Adhuc autem quartu[m] modo dicitur substantiale, quod inest in ratione diffinitiva loco differentiae, quamvis nihil sit de essentia et esse ipsius, sicut nasus substantiale est simo, et oculus lusco, et tibia claudio, et dorsum gibbo, et generaliter substantia proprio accidenti.

**Tertius.** Et quia sic dicitur substantiale aliquando quod non est substantia, habens tamen aliquem substantiae modum, ideo dicit Boëtius quod substantiale medium est inter substantiam et accidens, sed non est medium per abnegationem utriusque extremitum dictum secundum propriam ipsius naturam et entitatem: quia tale medium esse non potest, eo quod omne quod est, est substantia, vel accidens secundum naturam suæ entitatis: sed est medium per hoc quod aliquid utriusque

participat, sicut diximus, habet enim natu-  
ram accidentis et modum substantiae.

Oppositis autem modis dicitur acciden-  
tiale, scilicet quod natura est aliquando  
substantia et habet modum accidentis, si-  
cut extraneum quod gratia alterius inest  
vel convenit, sicut digitus sextus, qui  
quamvis sit substantia, tamen quia per  
formationem manus non fit, sed per  
abundantiam materiae, ideo accidentale  
est. Est etiam accidentale quod naturam  
et modum habet accidentis, sicut albedo  
Socratis : vel quod inest et non per cau-  
sam per se et propriam.

His igitur modis cum dicatur substancialis  
et accidentale, dicimus quod substancialis  
est quod confert esse compositioni,  
hoc est, composito ex quadam compo-  
sitione. Dico autem quod confert esse,  
sicut genus vel materia, et sicut differen-  
tia sive forma composito, quod ex gene-  
re et differentia, vel ex materia et forma  
componitur. Et dico ex quadam compo-  
sitione, quia vera quidem compositio est  
ex materia et forma, quae inter se divisae  
sunt natura, et neutrum est principium  
alterius. Quædam autem compositio et  
non simpliciter compositio ex genere est  
et differentia : quia differentia sicut in  
inchoatione est in genere essentialiter, et  
genus est principium ipsius ex quo per  
intellectum agentem educitur, et propter  
hoc non absolutam facit compositionem :  
et ideo diffinitum ex genere et differentia  
est unum et non multa : idem enim est  
in potentia et in actu, nec alia essentia  
est differentia nisi quæ in generis forma-  
lis potestate continetur. Hoc ergo substancialis  
ut in pluribus est, et hoc impossibile  
est deesse rei illi cui est substancialis.  
Hoc autem patet in formalibus, sicut  
ratio inest homini et sensus animali, sive  
horum similia in aliis. Et in accidenti-  
bus quidem exemplum est ut continuum  
in continuis est linea superficie et cor-  
pore: et discretum in discretis oratione  
et numero. Si autem hoc quod dictum  
est, substancialis est, quod confert esse  
rei et quod non potest abesse rei, tunc

substancialium quoddam est sicut mate-  
ria, et quoddam sicut forma, sicut cor-  
pus quidem substancialis est homini sicut  
materia, anima est substancialis homini  
sicut forma, et sicut est corpus homini  
substancialis, et anima similiter. Et quia  
naturali compositioni respondet composi-  
tio logica sive rationalis, et ideo ratio  
sive rationale esset substancialis homini,  
et animal genus similiter. Hæc autem in  
aliis expedita sunt in scientia libri qui de  
*Categoris* inscriptus est. Sed hic aliquid  
de his dicere oportuit, quia per ista acci-  
pimus, principia qualiter quædam in sex  
principiis habent ordinari, et quædam  
excludi a talium coordinatione : quæcum-  
que enim ab aliquo principio sic pendent,  
quod principium illis confert esse, et  
quod esse eorum non potest esse sine illo  
principio, procul dubio hæc sunt de ta-  
lium principiorum coordinatione. Quæ  
vero non respiciunt ipsa nisi forte per ac-  
cidens, ad aliud sicut ad genus et princi-  
pium ordinantur, vel forte secundum  
aliud sunt in uno, et secundum aliud sunt  
in alio : nihil enim prohibet unum et  
idem esse in diversis prædicamentis se-  
cundum diversa quæ sunt in ipso : quo-  
rum unum forte est substancialis, reli-  
quum autem accidentale, sicut corpus al-  
bum bicubitum, quod in eo quod corpus  
est, in substantia est, in eo vero quod al-  
bum est, et quale et qualitas est, et in eo  
quod bicubitum, est in prædicamento  
quantitatis. Et hoc jam sæpius in aliis  
tam isagogis quam in categoriis determi-  
natum est. Hac igitur de causa a nobis  
hic de substanciali et accidentalii introduc-  
tum est.

## CAPUT V.

*De origine formarum, utrum sint a na-  
tura vel ab operatione artis.*

Videtur autem quædam forma sive sit  
substancialis, sive sit accidentalis (quæ ut  
universale accepta est, et sicut est idem  
toti de quo prædicatur) a natura esse pro-

ducta : quædam autem ab actu sive artis operatione. Ratio enim sive rationale forma est a natura in ipso rationali producta. Similiter etiam quæ in accidentium formis. Color enim forma est naturalis a natura producta. Et similiter passio alia in genere qualitatis, sicut color, odor, et sapor, et hujusmodi, et sanitas, et ægritudo : in omnibus enim talibus patet quod hæ formæ tam substantiales quam accidentales a natura sunt. Aliæ autem formæ ab actu sive ab operatione nostra sunt, sicut domus, et scyphus, lectulus, et hujusmodi.

**Dubitatio.** In quibusdam dubitatio est utrum a natura an ab actu sive opere artis incipient, sicut in figura incisionis, sicut quando sculptus est lapis vel Hector. In talibus enim ratio dubitationis est, quia quod a natura tales figuræ sint, videtur ex hoc quod ars in talibus nihil apponit ad materiam, et ideo quod per naturam infuit, manet : quia quod ars in talibus facit, totum consistit in auferendo et separando partes quasdam a subjecto. Et quia nihil de opere artis apponit, non videtur esse de opere artis in figurato. Et ideo tales figuræ videntur esse a natura, et non ab arte.

**Solutio.** Ad hoc autem dicendum est, quod in talibus figuræ hoc est subjectum, et materia figurarum non est ab actu sive ab opere artis. Sentiri autem figuræ et apparere, est ab actu sive artis operatione : id enim quod in materia est, totum a natura est, cui nil ab arte additum est. Sed additur separatum ab ipso. Et si ab his quæ in toto naturalia sunt, aliqua separantur et nihil addatur eisdem, ea quæ relinquuntur naturalia et a natura sunt. Figura ergo talis secundum omnia quæ in ipsa sunt, videtur esse a natura. Quod autem visu sentiatur sic vel sic lineis terminata, non potest esse nisi ab actu et artis operatione, quia natura non fecit talam linearum terminationem. Hoc autem quod dicitur, valet idem ac si dicatur quod materia figuræ a natura est, et ipsa

figura prout figura terminatio est quanti, est ab actu sive artis operatione. Et hæc est veritas : quia quamvis ars nihil addat materiale, tamen separando confert ad esse figuræ, ad cujus esse formale magis confert partium separatio quam appositiō alicujus materiæ : quia figuram non dicimus esse tale quid quod habeat materiam ex qua sit, sed in qua sit tantum. Ad esse autem formale figuræ magis confert ablatio sive separatio partium materialium, quam collatio partium materialium aliquarum.

Sed quamvis sic dicamus de figura incisionis quæ in separatione partium subjecti consistit, tamen constat quod quæcumque talium figurarum conjunctionis est et non separationis tantum, sicut dicimus domus figuram, lectuli vel tripodis et hujusmodi, quia in illis aliiquid ars per appositionis modum operatur, istæ ab actu et operatione sunt artis et non naturæ. Sic ergo dicendum est de figura incisionis, quæ sola partium incisione producitur ad actum. Sic ergo quæ sunt sicut figura incisionis, manifestum est. Et ideo dixit Empedocles in omnibus quæ formam ab arte sumunt, naturam esse materiam, formam vero accidens<sup>1</sup>. Si plantetur lignum lectuli, non pullulabit lectulus, sed lignum. Cum igitur natura sit ex qua pullulat pullulans, erit natura lignum, et non forma artis quæ est in lectulo.

Talis autem determinatio non valet in communibus sive in universalibus, quæ sunt in pluribus, et sunt de pluribus, quæ prædicantur de illis : essentia enim communis sive universalis eorum quæ in pluribus sunt, prædicata de illis, non potest esse ab artis operatione, quia talem essentiam impossibile est esse ab artis operatione, eo quod omnis forma artis est accidens : talis autem forma substantialis est, et per se inest illis quorum est forma. Adhuc autem talis forma communis a natura non videtur fieri : idcirco quod ea quæ a naturæ potentia producuntur, ab

Utrum univer-  
salia  
sint a na-  
tura, vel ab  
arte.

<sup>1</sup> Dictum Empedoclis et etiam Averrois, 2 de Anima, com. 8. Cf. adhuc 2 Physic. tex. et

actu creantis et generantis videntur fieri, et principium sumunt a creante vel generante. Creantis autem et generantis tunc semper est particulare et non universale. Non igitur ab opere naturæ sunt, ut videmus. Si autem dicatur, quod creaturæ sunt hujusmodi formæ universales et communes, palam statim potest esse cuilibet, quod hoc non est verum : quia cum terminus creationis sive generationis non sit universale, sed particulare, nihil potest assignari rationis, nihil exempli qualiter commune sit creatum vel generatum. Oportet igitur dicere quod naturales et a natura hujusmodi formæ sunt perfectæ, et non ab artis operatione vel a proposito.

**Solutio textus.** Sed dicendum videtur quod natura in talibus occulte operatur, et hæc est natura particularis : in agente quidem et paciente intendit hunc et producit : universalis autem quæ hunc ordinat ad esse divinum, intendit simplex et universale. Et quia natura universalis operatur in particulari, ideo quoniam natura particularis producit hunc, et quia hic est homo, natura universalis producit hunc in homine, et sic de aliis. Et hoc modo per consequens producitur id quod est universale, quamvis non sit universale secundum quod est in isto, sicut in scientia de *Universalibus* dictum est. Est autem universale aptitudine existendi in multis sive pluribus. Cum autem actu per generationem dividatur materia, efficitur in pluribus actu et hoc facit natura occulte.

Duabus autem de causis natura in his occulte dicitur operari : quarum una est, quod actus semper particularium sunt. Et ideo natura particularis operans est manifesta. Sed cum particularis operatur natura, non operatur nisi virtute naturæ universalis quæ est in ea occulta, et non nisi per intellectum considerata, et sic natura universalis est operans occulte. Secunda autem causa est, quod operatur a natura est particulare sensibus manifestum : id autem quo est illud habens formam speciei et naturæ, est occultum et

per consequens generatum, et ideo hic generat hunc, et hoc est manifestum. Sed quia hic generans est homo, ideo hic genitus est homo, quia aliter generatio non esset univoca : et hoc est occultum quoad nos, solo intellectu acceptum : et ideo dicimus naturam occulte in talibus operari. Sicut enim ex conjunctione plurium unam rationem unitatis habentium (sicut plures equi aut plures homines) efficitur quædam discretionis constitutio, quæ priorum (ex quibus illa fit conjunctio) conficitur, quæ uniuscujusque illorum excedit quantitatem discretam, ita quod omnia simul sunt majoris quantitatis quam singulum illorum : sic ex discretione singularium quæ unum sunt in specie vel genere (quando comparantur ad invicem in forma in qua essentialiter similia sunt) unum commune omnibus intelligitur : quod tamen in singulis est totum, quod singularium priorum excedit prædicationem in hoc quod quodlibet singularium de uno solo, illud vero (quod similitudo eorum est) de multis prædicatur. Propter quod omnis communitas talis naturalis est, quia ex singularitate, hoc est, ex singularium essentiali similitudine procedit. Et sic singularitas in uno, similis causa est communis. Natura autem est causa talis singularis. Et ideo natura causa est communis, quia quidquid est causa causæ, est causa causati a causa illa per aliquem modum. Singularitas autem creationi sive generationi coæquatur, quia terminus generationis et creationis est singularis.

Subtiliter autem speculantes sicut naturam in operationibus vel in actionibus artis operari invenimus, eo quod in animalibus rationis expertibus invenimus naturam operam artis attingentem, sicut in casulis apum et nidis hirundinum : et hoc habet natura in quantum est opus et instrumentum intelligentiæ. Sic etiam invenimus creaturarum omnium creatorem primum operantem in creatura. Et hoc deprehendimus ex ipso actu creatoris. Videlicet enim quod numero quodam et

proportione totam stabilivit naturam, quæ proportio non nisi sapientiæ est creatoris. Quod enim intelligentia operatur ad hanc hujus vel illius naturæ proportionem, non habet intelligentia in quantum intelligentia est, sed habet in quantum est divina: hæc enim sapientia illius est qui cuncta proportionibus propriis disponit et producit et ordinat. Sed hæc hactenus a nobis ad explanationem dictorum dicta sufficiant. Alterius enim hæc et altioris sunt inquisitionis: pertinent enim et hæc ad hanc partem *primæ philosophiæ* quæ est de causis universibus et primis.

## CAPUT VI.

*De formarum prædicabilium divisione,  
de quibus hic intenditur.*

His autem sic determinatis de prædicabilibus formis, accipienda est formarum divisio, ut sciatur de quibus formis intenditur in libro isto. Dicamus ergo quod forma quæ est universale sive substantiale sive accidentale, alia quidem est in subjecto ut accidens, et dicitur de alio ut de subjecto, quod est pars subjectiva ipsius, et dicitur sive prædicatur in quid, ut scientia quidem in subjecto est in anima hoc modo quo accidens est in subjecto, et de subjecto dicitur, ut de grammatica quæ est scientiæ species et pars subjectiva. Et talis forma est accidens universale subjecto in quo est in quale, et speciei quæ sibi subest in quid comparatum. Quædam vero forma in subjecto est ut accidens, et de subjecto sive de parte subjectiva nulla dicitur sive prædicatur, ut albedo Socratis. Et similiter his quæcumque formarum sunt sicut individua: hæc enim comparantur quidem ad subjectum in quo sunt, et de illo prædicantur in quale: sed non ad id quod substet eis possunt comparari, quia individuo nihil substet, eo quod ipsum est ultimum substans. Quædam vero talium formarum de subjecto quidem dicuntur, in subjecto vero nullo

sunt, sicut formæ substantiales quæ non sunt in subjecto ut accidentes: quia conferunt ad esse, et ejus quod est esse rei pars sunt. Dicuntur autem de subjecto, quia prædicantur in quale substantiale, ut differentia: vel in quid, sicut genus. Et hujus formæ exemplum est sicut rationale et mortale, et aliæ differentiæ substantiales.

Earum vero formarum quæ quidem in subjecto sunt ut accidentia, et de subjecto indicibilia sunt, eo quod nihil substantiale subjectum sibi continent, ut accidentales formæ individuae: alia quidem sensibilia sunt, hoc est, sensu proprio vel communi perceptibilia, alia insensibilia quæ nullo sensu proprio vel communi sunt perceptibilia. Sensibile enim est, quod sensu aliquo comprehenditur, ut albedo Socratis, vel sapor hujus, vel calor, vel etiam percussio. Hæc sunt secundum sensum tactus percepta, vel percussio quæ est sonus hic vel ille, vel dulcedo, vel odor, vel quæcumque talium, quod proprio vel communi sensu percipitur, ut magnitudo, vel figura, motus, vel quies, numerus, vel aliquid talium. Insensibilia vero sunt quæ non sensu, sed ratione simplici vel intellectu comprehenduntur, ut doctrina et disciplina, quæ secundum intellectum sunt in anima. Et similiter etiam virtus sive intellectualis, sive moralis, sive etiam oeconomica. Nulla enim talium sensu perceptibilis est. Simpliciter autem sive universaliter nihil quod est de numero eorum quæ de subjecto dicuntur sive universale ut universale est, sensibile est. Universale enim secundum quod abstrahit ab hoc et ab illo, non nisi in intellectu est. Et ideo dicit Boetius quod particulare est dum sentitur, universale dum intelligitur. Hæc autem omnia in his quæ sunt de anima, habent determinari et declarari.

Ex his autem quæ jam hic per divisionem posita sunt, manifestum est quod quædam quæ sunt de numero formarum particularium, sita sunt alicubi secundum partem determinatam in subjecto in quo

sunt, sicut nigredo in pupilla oculi. Quædam vero talium particularium formarum tales sunt, quod difficile est assignare secundum quam partem subjecti sitæ sunt, ut scientia, paternitas, et similia, ut filiatio. Nisi forte dicatur quod sitæ sunt in generantium et componentium complexione. Paternitas enim pro certo est forma relationis quæ secundum totum inest, et non secundum partem. Cujus causa est, quia ab actu generationis activæ innascitur generanti. Actus autem totius est et non partis. Similiter autem filiatio id est secundum totum ei qui nascitur propter generationem passivam quæ totius est. Sunt tamen secundum causam et non secundum subjectum hæc sita in complexione generantis, quæ complexio est causa complexionis seminis: et secundum causam sunt sitæ in compositione generantium, quæ compositio attenditur in situ et ordine membrorum in quibus semen manifestatur ad generationem, sicut sunt membra quæ dicuntur vasa seminaria. Scientia autem secundum actum quidem accepta situm non habet, sed accepta secundum habilitatem, sita est in complexione scientis, quia subtilium humorum et spirituum magis sunt habiles ad sciendum: propter quod etiam Alexander dixit intellectum potentiale, præparationem quamdam esse in corpore<sup>1</sup>. Dicunt tamen aliqui scientiam sitam esse in toto et non in parte, quia in ea est intellectus accipiens ut lumen intelligentiae et phantasma a quo accipit: et sic esse dicitur in toto quod pertinet ad intelligentem, quia nec sine anima est, nec sine corpore, nec sine intelligentia. De his autem hic non multum curandum est, quia non sunt ad propositum.

Hoc autem advertendum est: quia singula eorum quæ dicta sunt, notatio quædam sive notamen vel nomen est incomplexionis quæ est in voce. Singulum enim eorum nota est incomplexæ vocis, et non significatur oratione complexa. Hoc au-

tem sic incomplexa voce notatum, aut erit subsistens, hoc est, substantia, aut alteri contingens, hoc est, accidentis. Eorum vero quæ contingunt, hoc est, subiecto accidentum, singulum aut extrinsecus, hoc est, per extrinsecam causam advenit substantiæ: aut simpliciter secundum esse et causam intra substantiam consideratur, sicut intra substantiam cui inest secundum esse et causam consideratur linea, superficies, et corpus quod est in trina dimensione: causatur enim quantitas a materia, et est de mensurantibus intrinsecus. Similiter etiam de qualitatibus est, quæ causantur a forma et disponunt substantiam intrinsecus. Eorum vero quæ secundum substantiam extrinsecus contingunt sive adveniunt substantiæ, illa sunt aut actus qui est agere, aut pati sive passio, aut dispositio sive situs, aut esse alicubi sive ubi, aut in mora sive quando, ut olim, heri, hodie: quia, sicut dicit Priscianus, tempus est mensura mutabilium rerum, et sicut quando causatur a tempore, vel sumitur secundum habere. Non enim plura sunt de extrinsecis accidentibus substantiæ, et ideo non sunt nisi sex principia. Hoc autem jam in ante habitis istius libri probatum est. De his autem prædicabilibus quæ subsistunt, ut est substantia, et ea quæ in genere substantiæ continentur. Similiter autem et de his quæ non extrinsecus adveniunt, sed solum sunt secundum causam et esse in his in quibus sunt per existentiam, in eo libro qui de *Categoris* dicitur sive inscribitur, sufficienter est disputatum et determinatum. Et similiter de aliiquid, quod ut frequenter per intrinseca innascitur. De reliquis vero quæ per extrinseca substantiæ frequentius adveniunt (quæ etiam ideo prædicabilium nomen non habent, sed principiorum, eo quod non prædicant aliiquid simpliciter inhærens, sed quod aliqualiter se habet ad aliud) continue in sequentibus erit dicendum.

<sup>1</sup> De hac opinione Alexandri vide 3 de Ani-

ma, com. 5.

## CAPUT VII.

*De inventione formæ ad intellectum ditorum.*

Ad intellectum autem omnium quæ dicta sunt, sciendum est quod formæ nomen et rationem primi invenerunt Stoici, et ante eos qui Philosophi fuerunt Epicurei, omnem causam ad materiam retulerunt. Videntes enim quod nihil est in materia per quod id quod formabile formatur, et quod materia formabilis formatis se formæ causa esse non potest, dixerunt formas a materia esse separatas: eo quod quæcumque sunt in materia formæ, in materiam inductæ sunt, et ideo non possunt esse causæ formationis materiæ. Id enim quod per se et substantia-liter et secundum seipsum causa est formationis, non est formatum, sed formans secundum seipsum: et ideo tales formas indifferenter formantes extra materiam esse posuerunt, et separatas in lumine primorum agentium intellectum existentes: ex quibus sicut ex quodam sigillo omnium formæ quæ formantur, produci habent.

Has autem formas sic foris manentes et omnia formantes, cum ipsq lumine agentium intellectum expandi dixerunt super formanda: et ideo tales formas dixerunt esse principia formalia incorruptibilia, per quæ vera habetur scientia et notitia rerum, sicut lumine solis color expanditur vel effunditur super colorata visibilia, secundum eos qui dicunt (sicut et verum est) quod colores non sunt in tenebris, sed in adventu luminis expanduntur super corpora terminata: propter quod etiam Pythagorici colorem epiphanium, hoc est, supereminente nominaverunt<sup>3</sup>. Hoc igitur modo dixerunt a separatis formis per intelligentiæ agentis lumen formas effundi materiales, et ideo materiales formas non vere dici formas, sed verarum

formarum imagines: sed tam separatas, quam imagines earum de rebus prædicatori: separatas quidem, eo quod in materia lumine intelligentiæ, quod penetrativum est rerum, infunduntur omnibus, et faciunt esse, et sunt principia cognitionis ipsorum: imagines autem ideo quod sunt similitudines illarum, et sunt in materia secundum esse, et mutabiles secundum mutationem materiæ. Sed quod imagines sunt principia cognoscendi ea quorum formæ sunt, hoc habent a formis separatis, quæ stabiles et certæ sunt causæ rerum.

Talem igitur formam dicunt aliqui esse formam, quæ compositioni contingit, eo quod super compositum lumine intelligentiæ diffunditur: et quod hæc sit quæ simplici et invariabili esse consistit, quia simplex est quod in lumine intelligentiæ est: et invariabile est, quod variatione materiæ non variatur, quia quamvis materia varietur sub ista forma, tamen ipsa non inititur nisi lumine intelligentiæ, et non variatur, sicut videmus in arte a coloratis variatis non variari colores, eo quod soli inituntur lumine, quod est in perspicuo non in quantum est elementum, vel elementatum, vel corpus mutabile secundum formam, sed secundum quod perspicuum communicat cum perpetuo superius corpore. Hæc autem istorum expositio non facit ad propositum, quia talis forma non est divisibilis in substantiale et accidentale, nec universale et particulare.

Ideo alii dicunt, quod forma quæ est compositioni contingens, est forma accidentalis. Accidens enim est quod est in aliquo quod perfectum est secundum esse, ut dicit Avicenna. Et ideo etiam accidens est, quia totum esse et perfectum consequitur. Et quia id quod perfecte est, compositum est, ideo dicunt quod hæc forma non contingit nisi secundum substantiam compositioni, ut scilicet compositio secundum accidens semper sibi præsuppon-

*Expositio  
quorum-dam*

*Improbatio  
expositio-nis.*

*Expositio  
aliorum.*

<sup>3</sup> Hujus contrarium videtur Auctor dicere de Anima, super tex. com. 67. Solve per

dicta ejus ibi, per quæ concordat Avicennæ et Alexandro.

nat compositionem secundum substantiam. Qualiter autem hæc forma simplici et invariabili essentia consistat, non est facile probare: cum accidens, ut probat Aristot. in undecimo *primæ philosophiæ*, non sit essentia, sed esse: nec omnino est simplex essentia, in cuius ratione semper est subjectum: nec invariabile omnino esse possit, quod secundum esse semper innititur ei quod continue variatur. Ideo enim dicit Aristoteles<sup>1</sup> quod non est eadem sanitas in mane et in vespere, quia sanitas complexioni animalis innititur, quod continue variatur propter agentium et patientium continuam actionem et passionem. Adhuc autem hæc forma accidentalis non recipit divisiones formæ generaliter, quæ inductæ sunt.

Oportet igitur dici quod forma de qua locuti sumus, sit forma quæ est universale. Hæc forma totius forma est, et non partis, et compositio ipsa in composito materialis est ad illam, sicut compositum ex anima rationali et corpore materiali est ad hominem: aliter enim prædicabile non esset, nisi esset intentio non partis

sed totius: et hæc est forma rationis et logica. Forma vero quæ in physicis principium est, forma partis est et non totius. Et quia hæc forma est totius, ideo diffinitio quæ talis formæ est, dicit quidditatem et continet in se tam potentialia quam actualia, et tam materialia relata ad formam quam formalia relata ad materiam, sicut animal rationale et mortale, animal enim potentiale et materiale est, alia autem sunt actualia sive formalia. Hoc est igitur compositioni contingere hoc modo quo dictum est ad minus compositioni ejus quod est et quo est, de quibus in libro de *Causis* habet plene determinari. Et hæc forma consistit et est essentia lumine intelligentiæ nitens, et consistens invariabilis per se vel per proprium esse suum, variata per accidens secundum esse quod habet in hoc vel in illo. Hæc etiam forma divisibilis est omni formæ divisione quæ determinata est. Et hæc forma est, ratione cuius omne quod ordinatur in genere vel specie, rationem recipit suæ coordinationis. De hac igitur intelligendum est omne quod de forma hic dictum est.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 5 Physic. tex. com. 37.



## TRACTATUS II

## DE ACTIONE.

## CAPUT I.

*An actio sit prædicamentum vel principium.*

His igitur quæ de forma dicuntur sic præmissis, jam de singulis quæ in categoriis dicta non sunt restat dicendum. Et primum de actione quæ inter alia videtur cum his quæ extrinsecus substantiæ accidunt convenire. Causatur enim a naturali potentia rei: naturalis autem potentia radicatur in ipsa rei substantia. Et attende quod quidam dicunt actionem non esse principium, eo quod principium nihil ponit ante se causans præcedens ipsum. Actio autem et agens et potentiam naturalem agentis ante se ponit per intellectum.

**Secunda.** Dicunt etiam, quod Aristoteles dicere videtur<sup>1</sup>, quod actio et passio idem sunt numero, sicut via quæ est a Thebis ad Athenas eadem numero est ea quæ est ab Athenis ad Thebas. Sic cum actio sit comparatio agentis ad patiens, et passio sit contra comparatio patientis ad agens, videtur actio idem numero esse passioni. Et sic ista duo principia non sunt dicenda duo, sed unum et idem numero: diversa tamen per terminos.

**Tertia.** Adhuc quia motus est actus agentis quo movetur patiens, et est actus patientis quo movetur ab agente, videtur quod motus sit una natura actionis et passionis: et quorum una est natura, illa sunt unum, videtur ex hoc, quod actio et passio sint principium et prædicamentum

unum, et quod hoc prædicamentum sit motus.

Adhuc etiam congruentius videtur esse, quod motus sit prædicamentum quam actio: quia motus sic est actus movementis secundum quem mota substantia agit, et sic videtur motus esse causa actionis in id quod subjicitur, quia si non moveret, non ageret in ipsum. Est ergo motus causa actionis, et sic principium respectu actionis. Congruentius ergo videtur dici, quod motus sit prædicamentum, quam actio vel passio.

Ad hæc autem et similia dicendum est, <sup>Quare actio fuit primum inter principia.</sup> quod actio est principium et primum inter principia, sicut dictum est, eo quod ab intrinseco formalis causatur: passio autem causatur ab intrinseco materiali, et ideo posteriori modo se habet ad substantiam: et quia substantia composita ex formalis et materiali consistit, et in omni natura, ut dicit Aristoteles<sup>2</sup>, est aliquid quo est agere, et aliquid quo est pati et fieri, ideo substantiæ proprium est agere et pati. Et quod dicit, quod actio ante se aliquid ponit, scilicet naturalem potentiam, Dicendum quod verum est, <sup>Ad primam obiectiō-nem.</sup> quod præponit sibi naturalem potentiam secundum efficientem causam, sed non præponit sibi eam ut formale suæ communis principium. Efficiens autem causa, quia nihil sui ponit in effectu, nec est causa unitatis rei nec diversitatis in effectu, ideo non propter hoc impeditur quin actio possit esse principium, et sit principium formale totius illius coordinatae.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, 3 Physic. tex. com. 11.

<sup>2</sup> Id. 3 de Anima, tex. com. 17.

tionis, quæ rem suam dicunt ut facere vel agere: hæc enim non in prædicamento qualitatis, sed in genere actionis coordinantur: hoc enim modo decem genera dicuntur prima rerum principia, quia sunt primæ formæ, ad quarum modum prædicationis omnia sibi similia reduci habent, ut in illam communem formam coordinabilia.

*Ad secundam.*

Quod autem objicitur, quod eadem sit actio et passio, Dicendum quod non sunt eadem nisi in materia quæ est quidem in qua est actio sicut in subjecto ad quod dirigitur et ad quod terminatur actio agentis, et ipsa eadem materia quæ subiectum est passionis. Propter talem autem materiæ identitatem, non oportet quod idem formale principium sit actionis et passionis, in quantum unum est actio, et alterum est passio. Hoc enim impossibile est. Oppositi enim modi formales sunt actionis et passionis. Quia modus et forma actionis est sicut imprimentis et influentis: modus autem passionis est sicut impressi vel influxi: propter quod etiam voces hæc significantes, diversa sunt prædicamenta vel principia<sup>1</sup>.

*Ad tertiam  
et quartam.*

Et quod objicitur de motu, Dicendum quod motus non sicut una natura et una forma est moventis et moti, nec agentis et patientis. Est enim actus perfectus prout est actus moventis et agentis: etiam est actus imperfectus prout est actus mobilis et patientis: et quia non est utriusque ut una natura, ideo non potest esse causa, quod unum sit principium vel prædicamentum actio in agente, et passio in paciente. Motus etiam in se non est unius formæ et naturæ: quia non est aliquujus speciei entis perfectæ, sed fluxus de natura in naturam, et de forma in formam, et de potentia in actum. Et ideo per unitatem naturæ motus nihil probari potest de unitate vel diversitate principiorum vel prædicamentorum.

Et quod objicitur per similitudinem

<sup>1</sup> Actio et passio sunt idem in materia, licet formaliter distinguantur.

viæ duorum terminorum, quod eadem numero sit actio et passio; Dicendum quod non est simile, quia in via substantia materiæ et substantia formæ manet eadem, nihil habens diversum nisi terminos: motus autem secundum formam non manet idem. Unde secundum alias formas mutatur id quod denigratur et id quod dealbatur. Et similiter est quod secundum aliam formam est passum comparatum ad agens, et agens comparatum ad patiens: propter quod diversa sunt prædicamenta. Actio enim semper est perfecti, secundum quod est in agente sicut in causa et subjecto. Passio autem semper est imperfecti, secundum quod est in paciente sicut in subjecto et mobili. Ex his omnibus igitur quæ dicta sunt, relinquitur quod actio sit speciale prædicamentum.

Differt autem agere ab actione in hoc, quod actio dicit actionem ut conceptam: agere autem actionem dicit ut exercitam. Et hoc modo secundo est prædicamentum<sup>2</sup>. Quia sic speciale modum dicit prædicationis, qui ad alium aliquem de decem modis prædicandi reduci non potest: qui modus ut voce designatur, dat vocem primam quæ est una decem vocum unius primorum generum significativa. Actio autem ut conceptus designativa, non dicit illum modum prædicationis, et ideo nomine actionis principium illud non proprie designatur, sed agere nominatur verbaliter significando, quia non designat actionem ut exercitam.

Attendendum etiam, quod quamvis agere secundum Aristotelem in sexto *Ethic.* differat a facere: agere enim fit actione pertinente ad voluntatem vel electionem, facere autem est operari super alienam vel extrinsecam materiam: tamen prout hic sumitur agere et facere, pro codem accipiuntur. Unum enim modum in communi habent prædicationis, ad quem ordinantur omnia prædicabilia ipsorum secundum genus et species. Om-

*Actio est  
perfecti,  
passio au-  
tem imper-  
fecti.*

*Differentia  
inter agere  
et facere.*

<sup>2</sup> Confer quæ dixit supra D. Albertus, in Prædicamentis, tract. 6. cap. 4.

ne enim illud quod procedit continue ab agente vel operante in patiens, vocatur hic actio vel agere. Et hoc est quod dicit Averroes, quod actio est effectiva comparatio agentis ad patiens. Sic enim actio est fluens operatio ab agente in patiens: et ideo quia est agentis forma fluens in patiens, ideo movetur patiens: sicut moveat generans per se vel per accidens id in quo inducit formam suam: et hoc movens est agens, et motus moventis est actio ejus. Et similiter intelligens est agens, et intelligere actio est: et faciens est agens, et facere est actio ejus. Et in hoc ambitu communitatis dicit agere vel facere genus generalissimum principium quoddam: et vox ipsa significat unam primarum rerum quae communitate sua multa, ut genera, et species, et individua complectitur una coordinatione sub primo communi contenta. Cujus subalterna genera sunt agere, quando proprie accipitur quod actio est operatio electionis. Et alterum genus est facere secundum quod facere est in extrinseca materia per artem operari. Species autem sunt sicut secare ligna vel corpora, et sicut urere, et hujusmodi. Individua vero sunt sicut sectio facta a Socrate haec vel illa, et alia hujusmodi. Hoc igitur accidens prædicamentum ad nullum aliud genus est reducibile, et secundum hunc modum actio est in agente, sicut in causa, non quidem ut stans et quiescens in ipsa, sicut quantitas vel qualitas vel relatio, sed est in agente, ut procedens et fluens ab ipso continue in patiens.

Adhuc autem attendendum est, quod uniuscujusque perfecti secundum formam forma dicitur actus et ab actu nomen verbale formatur actio: et ideo actio est secundum formam agentis operatio procedens ab agente in patiens. Et ideo forma semper est principium actionis. Sic igitur accipiendum est actionis prædicamentum sive principium.

<sup>1</sup> Hic colligitur quod actio sit in agente ut in subjecto, ut in fine cap. præcedentis videtur

## CAPUT II.

*Quid sit actio secundum diffinitionem.*

Actio autem in tali communitate generalissima accepta a Gilberto Porretano sic diffinitur: Actio est secundum quam in id quod subjicitur agere dicimur. Est autem qualiscumque haec descriptio assignatio majoris declarationis quam nomen. Et cum dicitur, *secundum quam*, importatur modus causæ formalis. Agens enim informatur actione cum actio nil sit nisi effectus processus potentiae agentis secundum formam quæ est principium actionis et passionis: eo quod omnis actio ut actio transit in patiens, et omne activum hoc modo est transitivum. Quia autem in patiens transit, ideo additur, *in id quod subjicitur*. Subjicitur enim agenti patiens quod suam recipit actionem. Et agentis virtus prævalet super ipsum et imprimet ei per actionem formam. Et quia virtus agentis penetrat in patiens et transmutat ipsum, ideo dicitur, *in patiens*, et non *ad patiens*, vel *supra patiens*. Dicitur autem, *agere dicimur*, ut denotetur quod agens hoc modo denominatur ab actione sicut substantia denominata recipit accidentis prædicationem: et sic agens ab actione denominative dicitur et prædicatur, et est prædicatio accidentis de subjecto in quo est<sup>1</sup>: hoc enim subjectum est causa actionis: hoc enim modo subjectum cadit in diffinitionem accidentis, ut docet Aristoteles in septimo *primæ philosophiæ*.<sup>2</sup> Sic dicitur secans in id quod secatur: et sic dicitur urens in id quod urit, quia ustio procedit ab ipso in id quod uritur: et sic est in aliis.

Sunt tamen quidam sophistæ objicien- Prima obje-  
ctio. tes contra inductam assignationem, dicentes quod qualitas quæ est naturalis potentia, est secundum quam in id quod subjicitur agere dicimur: et sic videtur naturalis potentia actio esse.

allegare.

<sup>2</sup> Tex. com. 17.

**Secunda.** Adhuc, Forma est secundum quam in id quod subjicitur agere dicimur; et sic forma videtur esse actio, quod est falsum.

**Tertia.** Adhuc, Ars est secundum quam in id quod subjicitur agere dicimur: et ita ars actio videtur esse.

**Quarta.** Adhuc Instrumentum, ut gladius vel fossorium, est secundum quod in id quod subjicitur agere dicimur: instrumentum ergo actio videtur esse.

**Quinta.** Adhuc, Manus vel pes est secundum quem in id quod subjicitur agere dicimur: ergo tale membrum actio esse videtur.

**Solutio pri-  
mæ.** Ad omnia autem hæc et his similia solvitur per inductam istius assignationis explanationem, quod scilicet cum dicitur, actio est *secundum quam* in id quod subjicitur agere dicimur, hoc quod dico *secundum quam* notat agentis formalem denominationem, ut a secundo dicitur se-cans, et ab urendo dicitur urens, et sic de aliis. Et in actionibus animæ a docendo dicitur docens, et ab intelligendo intelligens, et sic de aliis. Hoc enim quamvis sine passione non sit, quia recipere pati est: tamen prout intelligere est proces-sus actualis intellectus in intellectum, ista dicuntur actiones a quibus agens deno-minatur. Hæc igitur est solutio ad præ-dicta: quia secundum naturalem poten-tiam non dicimur agere secundum ac-tum. Sed nota quod naturalis potentia potentiale principium est actionis.

**Ad secun-dam.** Similiter etiam solvitur id quod de forma objicitur, quod cum dicitur quod forma est secundum quam agere dicimur, hoc quod dico *secundum quam*, non notat id quod formaliter denominat id quod est agens secundum actum, sed notat tunc id quod perfectum est ut agere pos-sit: et ideo forma quæ est principium actionis, non denominatur agens ut est agens in effectu.

**Ad tertiam.** Hoc etiam modo solvitur id quod de arte objicitur: quia ars non dicit nisi fa-cultatem ad actionem, et non dicit id quod est actu agens.

**Ad quartam  
et quintam.** Similiter solvitur id quod objicitur de instrumento. Instrumentum enim non

facit agere agentem, nec denominat ip-sum, sed dicit causam medium coadjuvan-tem in actione. Et ideo hoc quod dico *secundum quam*, non univoce sumitur in diffinitione et objectis contra diffinitionem.

Si autem aliquis objiciat dicens quod hoc dico, *secundum quam*, infinitum est, et ideo non est causa notitiæ sed potius ignorantiae: diffinitiones autem causa in-notescendi fiunt: et sic hoc quod dico *secundum quam* non potest esse actionis diffinitivum, Dicendum igitur quod quia actio est unum de primis principiis, ideo non potest habere diffinitum et certum aliquid per quod diffiniatur; sed infinitum potest habere, quod tamen finite de-terminetur ab eis quæ in oratione eadem posita sunt. Et hoc modo determinatum et diffinitum potest esse innotescendi prin-cipium.

Et si objicitur quod idem ponitur in diffinitione sui ipsius cum dicitur, actio est *secundum quam* agere dicimur: agere et actio in re non differunt, quamvis dif-ferant in modo significandi, Dicendum est ad hoc quod agere per modum signifi-candi dicit actionem ut exercitam, et hoc modo notior est nobis quam sit quando significatur ut conceptus quidam; et sic diversificatum ponitur agere in diffinitione actionis.

Si autem adhuc quis objiciat dicens quod hæc diffinitio non valet, cum non data sit per genus et differentiam: diffi-nitiones enim per genus et differentiam debent dari: attendat qui sic objicit, quod diximus istam diffinitionem non esse dif-finitionem proprie, sed diximus esse qua-lecumque assignationem, quæ majoris declarationis est quam nomen. Tales au-tem assignationes non dantur per genus et differentiam, sed per alia, sicut acci-dentia, vel causam, vel effectum, vel si-gnum. Et generaliter per omnia illa qui-bus aliquo modo innotescere potest assi-gnatum melius et expressius, quam inno-tescat per nomen. Sic igitur actio est *se-cundum quam* in id quod subjicitur agere dicimur.

**Objectio.**

**Solutio.**

**Objectio.**

**Solutio.**

**Objectio.**

**Solutio.**

## CAPUT III.

*De divisione actionis in actionem corporis et in actionem animæ.*

Actio autem sic in genere accepta, dividitur in actionem animæ et in actionem corporis, sive in actionem animalem et actionem corporalem: hæc enim sunt primæ et formales differentiæ actionis. Et hoc modo actio animæ dicitur omnis actio non corporalis, sive sit intellectus, sive sit animæ, ut vivificare, movere prout anima movet motu processivo, vel vegetando, vel sensificando, hoc enim vivificare est: et talis actio est non corporalis, quia non est secundum aliquam formam corporis, et quando nominat agentem, non denominat aliqua forma corporali, sed forma vitæ alicujus, ut vivens, vel dirigens, vel augens, vel aliquid tale. Actio autem corporis denominatur a corporali forma, sicut dicitur calefaciens, vel dealbens, vel aliquid tale. Istæ igitur primæ sunt differentiæ et species actionum, omnem actionem sub se continentes. Omnis enim actio hoc modo aut est animalis, aut corporalis. Et hæc sunt subalterna genera, et subalternæ species hujus prædicamenti.

Differt autem actio corporis ab actione animæ in hoc quod actio corporis necessario est movens ipsum in quo est sicut in causa et subjecto: et illud non est agens nisi motu suo agat: et immobile existens nihil agit, quia, sicut dicit Aristoteles<sup>1</sup>: si non tangit, non agit; et sic non sequitur alteratio. Et quia corpus non agit nisi motu suo, oportet quod in actione corporis ipsum agens mobile sit, et ut moveatur id corpus in quo sicut in agente denominato ab ipsa actione est ipsa actio: sicut secans non secat nisi moveatur, et urens moveatur ipsa ustione activa: oportet enim quod accedat ad id quod uritur, et accedere est moveri. Ali-

quo igitur modo moveri invenitur, quod corporali agit actione. Anima autem talia incorporalia dum agit, immobilis est et non moveatur: movet tamen corpus vivificando, et movendo secundum locum in motu processivo et aliis vitæ motibus est ipsa immobilis. Cujus causa est, quia essentialis sibi est omnis actio vitæ, et anima per substantiam suam et secundum seipsam movet motu vitæ, et non indiget ut ad aliquid moveatur quo accipiat formam vel locum secundum quem fiat motus principium: propter quod agit propria animæ actione sine motu quo moveatur. Sic autem actio non est in corpore, quia corpus per seipsum non est agens principium: et ideo indiget motu quo moveatur ad formam qua fiat agens principium, et sic indiget instrumento quod ab eo qui utitur ipso, formam motus accipiat. Et ideo manus mota prius ad formam motoris moveatur ut motu corporis inducat formam primi motoris in patiens. Animales autem actiones simplices sunt, quibus anima per seipsam est causa: et ideo tales actiones agens non oportet moveri animam. Hæc igitur differentia est inter animæ et corporis actiones.

Quod autem anima immobilis sit motu corporis, probatur inducendo. Anima enim dum agit, non movet id in quo est actio, sicut animam, sed conjunctum. Ipsa vero anima dum agit, immobilis est: et quamvis sit immobilis, tamen movet corpus motu vitæ et motu secundum locum si sit perfecta anima. Anima vero in seipsa permanet immutabilis, et non moveatur motu quo movet. Et ideo in suo ordine probatur esse movens principium. Non enim moveatur anima secundum locum, nec secundum aliorum motuum quemquam, incrementum suscipiendo vel diminutionem, cum non sit quanta. Nec moveatur recto motu de loco uno ad oppositum locum transeundo: locus enim locans corpus est, cuius superficies locans

*Quid actio  
animæ.*

*Actio cor-  
poris que-  
rit.*

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 16 Animalium.

locus est, et in se non locat nisi cui principium et medium et finis assignatur secundum partes loci circumscriptientes. Anima autem est non corpus, nec habens principium, medium, et finem secundum loci terminos. Non ergo potest secundum locum moveri. Et propter hoc nullam loci mutationem potest suscipere anima: non enim movetur aliquid secundum locum hoc modo nisi corpus, et movetur secundum locum in eo quod transit de loco ad locum. Non ergo aliquo modo movetur anima, nisi forte motu alterationis, qui tamen motus, ut in ante habitis diximus, non est animæ, sed conjuncti, in quo tamen aliquo modo communicat anima, sicut in præhabitibus determinatum est.

**Objec.** Objiciunt tamen quidam contra prædicta: quia superiora corpora movent inferiora, et tamen motu illo non moventur. Si autem superiora corpora movent, constat quod est motus corporis, et non

**Solutio.** movent motu corporeo. Sed ad hoc dicendum est, quod corpora superiora movent motu virtutis suorum motorum, et sic agunt mota et acta motu et actione motoris sui. Vel dicatur, quod talis motus

**Aliter.** est virtutis quæ est a specie: et sic quamvis sit corporis, tamen non est qualitatis corporalis sed virtutis incorporeæ. Et ideo in ipso non est necesse corpus moveri, quia non est corporalis actio, sed incorporea.

**Dubium.** Adhuc autem dubium videtur, quod videre, audire, et sapere, et imaginari, sunt animæ actiones: et tamen in his omnibus movetur id in quo est actio, et non

**Solutio.** est immobile. Sed hoc leve est solvere: hujusmodi enim actiones omnes vere et secundum materiam sunt passiones: quia omnes in corpore consistunt potius quam in actione. Et cum in talibus est id quod movetur, non movetur motu physico, sed potius motu intentionis qui est motus secundum rationem.

**Dubium.** Si quis autem quærat, qualis sit ista divisio actionis in actionem animæ et actionem corporis? Dicendum est quod si

corpus non dicat nisi agens, et anima similiter, tunc divisio accidentis est in subjecta. Si autem dicat anima agens, et corpus agens formam actionis, ita quod actio animæ sit actio secundum rationem animalis, corporis autem actio sit actio corporalis: tunc divisio potest esse generis in species: et sic sumitur hic. Et ideo diximus quod ista divisio dat prima subalterna genera in hoc generalissimo quod est actio. Hæc est igitur divisio actionis, ita quod actio animæ est agentis immobilis. Actio autem corporis est agentis moti, eo quod corpus non agit nisi motum.

Objiciunt autem quidam contra ea quæ dicta sunt, dicentes quod substantia in eo quod substantia, nec est activa, nec est passiva: eo quod actio et passio sunt contrariorum, substantia autem non habet contrarium. Videtur igitur quod actio nec sit animæ, nec corporis secundum quod hujusmodi. Ad hoc autem est dicendum quod (sicut ante dictum est) actio hic large sumitur, secundum quod etiam movere est agere. Actio animæ idem est quod movere: et sic competit animæ agere. Si autem actio sumatur stricte pro actione physica: tunc verum est quod actio est contrariorum et inter contraria. Actione ergo large accepta substantia agit: quia, sicut dicit Damascenus, nulla substantia est quæ propria destituatur operatione. Et ideo probat Aristoteles quod unumquodque habet actum et actionem propriam ad quam est virtus ipsius.

**Objectio.**

**Solutio.**

#### CAPUT IV.

*De imagine in speculo ubi videtur esse instantia contra prædicta.*

Contra ea vero quæ dicta sunt, quod scilicet non potest non corpus corpore moveri, videtur esse instantia. Habet enim dubitationem in quibusdam, utrum generaliter verum sit non corpus corpore moveri non posse: eo quod speculo (quod

**Objectio**  
**textus.**

est corpus) immobile permanente, videtur in speculo fieri motus imaginis, quæ est non corpus, ad mutationes oppositas secundum locum : videtur enim moveri a dextro in sinistrum ad motum inspectoris speculi, et a profundo ad superficiem si inspector speculi accedat et recedat a speculo. Movetur igitur non corpus motu corporis secundum locum, ita quod principium, medium, et finis assignantur ei secundum locum. Et siquidem concedatur in speculo esse imaginem sicut in recipiente et sicut in loco : tunc vel impossibile, vel valde difficile erit solvere dubitationem : quia tunc sequitur, quod motu speculi imago moveatur : quia sicut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, moventibus nobis moventur ea quæ in nobis sunt, et vase moto necesse est moveri quod est in vase. Si autem in speculo dicatur esse imago, erit speculum locus imaginis sicut vas. Est enim locus ut locus, et est locus ut vas, sicut probatum est in quarto *Physic.*<sup>2</sup>. Si autem dicatur in speculo non esse imago, quamvis hoc aliquo modo verum sit, tamen apud imperitum vulgus, quod judicium sensus sequitur potius quam rationem, erit hic error intolerabilis, quia visus nuntiat imaginem esse in speculo.

*Solutio ob-  
jectionis.* Ad hanc autem dubitationem solvendam oportet uti his quæ in libro de *sensu et sensato* subtilius declarata sunt. Lumen enim per hoc quod est forma cœlestis (cujus esse spirituale est) habet virtutem conferendi esse spiritualiter perspicuo ei quod materialiter est in corpore materiali terminato. Transparens autem terminatum politum et corrasum lumen sibi incidens reflectere habet ad purum angulum. Hic ergo contingit, quod lux vel lumen imaginem abstrahit ab esse materiali, et in perspicuo dat ei esse spirituale, et hoc est esse lucis vel luminis. Incidens ergo in speculo terminato cum traducere imaginem per speculum non possit, a superficie solita speculi reflectitur : et sic appa-

ret imago sub duobus sitibus : uno quidem luminis incidentis ab inspectore in speculum, altero vero situ luminis reflexi a speculo ad inspectorem. Et ideo imago illa est in corpore quidem inspectoris materialiter. In lumine autem perspicui quod est medium inter inspectorem et speculum, est sicut in deferente et secundum esse spirituale quod habet in lumine perspicui. In speculo autem est sicut in terminante radium incidentem, et reflectente radium reflexum ad inspectorem.

Propter quod motu speculi non movetur quia non est in ipso sicut in subjecto, sed tantum sicut in reflectente : et ideo est in ipso secundum punctum in quo fit reflexio. Et quantitas imaginis quæ apparet, quantitas est intentionalis et non quantitas distensa per mensuram. Quantitatis autem intentio est indivisibilis et inest secundum indivisibile : propter quod totum hemisphærium apparet in parvo speculo et in pupilla oculi muris, quod esse non posset si imago distensam et materialem haberet quantitatem. Cum enim in angulo radii incidentis in superficie speculi et radii reflexi a speculo non sit nisi punctum, constat quod in puncto videtur imago in speculo, cum tamen quantitas imaginis tota videatur. Et hoc esse non potest, nisi ideo quia imago quæ apparet, intentio est imaginis et non imago, sicut dictum est. Et quia ad quolibet punctum speculi talis fit reflexio, ideo imago tota videtur in qualibet speculi parte et quolibet punto.

Causa igitur imaginis est dicenda quod est contra speculum : et illo moto imago videtur moveri. Reflexio autem fit a speculi superficie in qua non est imago, sicut in subjecto, sed sicut in puncto a quo fit reflexio. Et ideo cum movetur speculum, non movetur imago, sed in eodem situ successive puncta objiciuntur a quibus ejusdem imaginis continue fit reflexio.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 2 Topic.

<sup>2</sup> Com. 23.

Et ideo imago speculi stare videtur immobilis.

Quod autem dicitur quod incredibilis error fiat in vulgo si imago in speculo esse non dicatur, Dici potest quod hoc verum est si nullo modo in speculo esse dicere tur. Nos autem dicimus quod est in speculo per aliquem modum, scilicet sicut in repræsentante per reflexionem. Patet ergo qualiter adhuc stat in veritate inducta propositio, scilicet quod impossibile est non corpus corpore moveri. Sic ergo patet, quod alia est actio animæ et alia corporis.

#### CAPUT V.

*De proprio actionis, quod est actionem in motu esse et motum in actione, et qualiter motus sit quale et qualitas.*

Scire autem oportet, quod ex quo motus est perfectus actus moventis, et actio est effectus processus agentis in patiens, quo movens imprimit motum in id quod movetur et actionem in id quod patitur: et sic movendo agit, et agendo movet: et sic omne quod est in motu, in actione est. In motu est secundum quod motus est actus moventis: et actio quidem a movente procedens in id quod patitur: et sic moveri a movente est actio impressa ab agente. Si quid igitur hoc modo movetur, agit necessario: quia virtute formæ moventis seipsum agit ad formam agentis primi, sicut semen virtute generantis agit se ad formam primi generantis. Sic ergo generando omnis actio quamdiu est in fieri ab agente est in motu, qui est actus moventis in id quod movetur: et omnis motus qui est actus perfectus moventis, firmatur et stabilitur in actione quæ est in fieri, et est id quod procedit ab agente in patiens.

Propter quod proprium actionis secundum quod est in fieri, est esse in motu, secundum quod motus continuus est processus formæ moventis in id quod move-

tur: sicut etiam e converso proprium est motus secundum quod est actus moventis, in actione esse secundum quod actio processus est formæ agentis in patiens. Sic enim separari non possunt physicus motus et actio: nec motus generaliter sumptus ab actione generaliter sumpta: quia hoc modo movere est agere, et e converso. Hoc autem palam est in omnibus actionibus his in quibus aliquid agitur sive generatur ad formam agentis: quia in omnibus his continuus processus virtutis activæ et motivæ in patiens et motum est actio, et motus est forma inducta post formam, ut dicit Averroes. Et sic est actio post actionem.

Sed in his quæ corrumpuntur, in quibus continua est abjectio substantiæ forte aliquis objicit, quod ibi non sit actio, quamvis sit motus: quia in talibus nil agitur, ut videtur, sed potius deagitur, vel corrumpitur id quod actum fuerat. Et ideo qui destruit, in motu quidem continue est, et movet id quod destruit, sed nil agere videtur: nil enim in talibus efficit, sed potius id quod factum est destruit. Solutio autem hujus est, quod actio secundum quod est actus agentis, non exigit quid agat ad formam agentis, sed potius exigit in quid agat, hoc est, in quid imprimat suam actionem: et illam sic impressam patienti aliquando destruit, sicut quando contrarium invenit ipsum patiens ad formam agentis: et aliquando construit, sicut quando aptat patiens ad formam suscipiendam agentis: et sic destruere est et agere: et sic relinquuntur verum esse quod dictum est, quod omnis actio in motu, et omnis motus in actione fundatur. Est autem hic considerandum, quod hoc quod dictum est, non est verum secundum quod motus est actus mobilis imperfectus; quia sic moveri non est agere, sed pati: et si hoc modo actus in motu esset, cum motus hoc modo sit in paciente, sequitur quod actio esset in paciente<sup>1</sup>. Et quia id agit cui inest actio,

Objectio.

Solutio.

<sup>1</sup> Sed contra, istud consequens non videtur inconveniens, imo necessarium, ut dixit ipse

supra in hoc tract. cap. i. Considera in hoc, et solve ex dictis supra. JAMMY.

sequeretur quod patiens esset agens, et actio esset passio: quæ omnia inconvenientia sunt: et ideo inconveniens est primum, ex quo sequuntur omnia hæc, scilicet quod actio sit in motu secundum quod motus est actus mobilis.

Quamvis autem actio sit in motu quodammodo, et motus in actione, tamen actio non est motus, sed quale. Hoc autem probatur ex hoc, quod quiescere est quale: propter quod etiam motus simpliciter acceptus quale quoddam est: quod patet per hoc principium, quod quæcumque contrariorum suscipiunt oppositionem, illa ejusdem generis suscipiunt prædicationem, quia contraria sunt in eodem genere. Et ideo cum quiescere sit quale in qualitate, etiam erit moveri quale in qualitate. Actio autem non est quale vel qualitas. Actio igitur non est motus.

Est autem hic attendendum, quod motus secundum quod est actus imperfecti, in omnibus est generibus: eo quod in omnibus est potentia et actus, et potentia exiens in actum movetur, et motus est actus ejus. Et cum potentia et actus sint ejusdem generis, sicut imperfectum et perfectum ejusdem naturæ sunt, oportet quod motus hoc modo sumptus sit in omnibus generibus. Motus autem secundum speciem naturæ quæ movetur, vel ad quam est motus, consideratus est in quatuor generibus, scilicet substantia, quantitate, qualitate, et ubi. Sed motus secundum quod est forma moventis a movente procedens in id quod movetur, est qualitas secundum quam quale dicitur movens: et hoc modo dicitur hic, quod motus est qualitas: et hic est motus logice sumptus. Sic enim quies est status in forma moventis, quod est quale esse secundum motum et moventis formam.

**Dubitatio.** Sed tunc quæreret fortasse aliquis, secundum quam speciem qualitatis motus sit qualitas? Non enim potest esse forma vel circa aliquid constans figura. Nec po-

test esse passio vel passibilis qualitas inferens vel illata, sicut cuilibet patet. Nec potest esse naturalis potentia vel impotentia, quia hæc in substantialibus est radicata. Relinquitur igitur quod sit habitus vel dispositio. Et hoc quidem est verum, maxime secundum quod motus est actus perfecti, et perfectus est habitus: secundum autem quod est actus imperfecti et imperfectus, dispositio disponens et promovens ad habitum qūi est actus perfectus.

Solutio.

## CAPUT VI.

*De proprio actionis, quod omnis actio efficit passionem et qualiter generatur.*

Naturalis autem proprietas actionis quæ in ipsa natura actionis fundata est, et quæ omni convenit et soli et semper, est id quod actionis est passionem ex se in id quod subjicitur sibi ut patiens inferre. Dicitur autem ex se, quia secundum quod est forma agentis secundum quod agens est. Et ideo hic secundum substantiam actionis hoc convenit ei. Omnis enim actio passionis est alicujus effectiva: quia aliter non tenderet in patiens ab agente, nisi susciperetur ad transmutationem in paciente: et tale suscipere pati est, et susceptio est passio. Efficit ergo actio passionem, et omne quod per se et secundum suam substantiam passionem infert, est actio. Quamvis enim gladius et ignis passionem inferant, non tamen sunt passiones vel actiones: quia non faciunt hoc secundum substantiam suam, sed ut instrumenta, sicut in præhabitibus dictum est.

Sed contingit aliquando actionem efficaci et causari ab actione sicut calefacere ignis causa est quod lapis ignitus calefaciat: sicut etiam patet in his quæ per se moventur ut animalia quæ principium sui motus habent in seipsis, et ideo per se moventur, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>. Sæpe

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 8 Physic., tex. com. 27 et

enim actio animalis quod per se moveatur fit effectrix ejus actionis quæ est actio per aliud. Verbi gratia actio illata ab animali aliquo, sicut impulsus, vel morsus, vel alicujus impetus, causatur ab actione ipsius animalis, sicut a cursu, vel ambulatione, vel pedis percussione, vel etiam dentium compressione, vel aliquo hujusmodi: et sic actio efficit actionem. Sumit enim principium actio alteri illata, ab ea actione quam agit animal in seipso.

Et si forte aliquis diceret quod animal non agit in seipso, sed potius patitur: nil interest quantum ad propositam intentionem. Si enim dicatur pati, sequitur quod hæc passio est illatio actionis. Et quod est causa causæ, est causa causati, unde si passio est causa exterioris actionis, erit actio quæ illius passionis effectrix est, effectiva illius exterioris actionis. Et sic habetur quod actio aliquando efficit actionem, dummodo primus animalis actus vel prima actio principium sit passionis quæ exterioris actionis est effectiva. Quamvis autem actus (qui est actio pura agentis) sit primordiale principium. Pati autem (quod causatur ab actione) principium permixtum, quia et factum est et facit: factum quidem ab actione prima, faciens autem actionem exteriorem, propter quod relinquitur quod actus (qui est actio prima) et passionis et actionis est generativus. Et hujus est exemplum sicut ambulat animal, et ambulando colliditur, et collisum cornu vel pede ferit. Sic igitur contingit per accidens actionem esse factivam actionis: per se autem passionis est generativa et factiva: et ideo per hoc diffinitur quod ei per se convenit, et non diffinitur per hoc quod convenit ei per accidens. Per se autem id quod quale est et qualitas gignit et causat ex se facere, sicut patet: quia calor quale quoddam et qualitas est: et illa qualitas ex se gignit calefacere, quod est facere et agere. Propter quod nihil est activum propriæ nisi qualitas, ut dicit Aristoteles: et in genere qualitatis activæ qualitates sunt

passiones vel passibiles qualitates, si actio proprie sumatur. Sed hoc tantum hic dicere sufficit, quod qualitas causa per se est actionis, et causatur ab ipsa, sicut dictum est.

Nec tamen sequitur quod actio sit in prædicamento qualitatis: quia quod est causa efficiens alicujus, est extra ipsum, et ideo per ipsum non ponitur in genere. Sed si esset formale principium id ipsum, tunc per ipsum posset poni in genere vel in specie. Hoc ergo modo facere vel agere gignitur a qualitate: et hoc modo non est inconveniens rem unius prædicamenti a re alterius prædicamenti generari: cum tamen non propter hoc sit in eodem genere a quo causatur.

Removet dubium.

Sic enim qualitatum quarumdam particularium est effectrix positio, et etiam aliquarum quantitatum. Qualitates enim in specie consideratae, sicut asperitas, vel lene, sive lenitas, et hujusmodi, qualia sunt a qualitate dicta. Et hæc causantur a positione, ex eo scilicet quod partes in superficie secundum æque vel non secundum æque positæ sunt.

Similiter etiam a positione efficiuntur quantitates in particulari consideratae, sicut linea, superficies, et corpus: partibus enim æque in longitudinis specie positis causatur linea. Si autem ponantur ad duos diametros longitudinis et latitudinis, fit superficies. Si autem in tres, fit corpus. Quamvis ergo non generaliter qualitas et quantitas causentur a positione, tamen particulariter quædam qualitates et quædam quantitates causantur a positione. Nec tamen propter hoc sunt in genere positionis, sicut in ante habitis dictum est. Universa enim hæc quæ dicta sunt, a situ sive positione substantiam et generationem habent.

Similiter autem quantitas est effectrix aliquando quantitatis, sicut linea corporis facit latitudinem, et trina dimensio corporis facit in corpore quod est substantia, longitudinem, latitudinem, et profunditatem. Similiter autem qualitas aliquan-

do facit qualitatem, et calor ignis facit calorem in aqua.

Situs autem sive positio aliquando facit pati et agere. Cujus exemplum est, quod in dispositione componibilium in corporibus quæ ex contrariis primis qualitatibus mixta sunt, sit ipsorum simplicium (quæ mixta sunt) continua quædam generatio uno alterum transmutante : quam generationem sive transmutationem necessarium est consistere in motiva actione, ita quod continue unum moveat alterum, et moveatur ab illo, et continue unum agat in aliud et patiatur.

Eius autem quod est ubi, locus causa est : cum tamen locus sit quantitas, et ubi sit aliud genus prædicamenti. Eius autem quod est quando, causa est tempus : et hæc sunt genera diversa. Similiter autem eius quod est habere, ut induitum esse vel calceatum esse, causa est aliquo modo corpus : quia habitus mutatur a corporis figura, et quæritur propter corpus. Et sic multipliciter res unius prædicamenti, causa est rei alterius prædicamenti. Nec tamen propter hoc effetus cum causa est in eodem genere.

Eorum vero individuorum substantiae quæ non sunt in subjecto (eo quod non sunt accidentia) causa quidem quare prima sunt, est corruptio sine generatione, quia prima creata sunt : quam creationem non præcessit generatio, sed secuta est corruptio. Corruptio autem causa est talium : quia si in esse individui subsistere possent, non essent generabilia, sed in esse individui manere non possunt, ideo generabilia facta sunt. Unde generatio non fuit quidem in primis creatis, sed generatio fuit et est in his quæ mox subsistunt post primorum constitutionem. Statim enim in illis fuit generationis propagatio.

Communium autem universalium quæ de primis substantiis prædicantur quæ sunt secundæ substantiæ, causa sunt ipsæ primæ substantiæ secundum esse, a quibus nulla ex his est prædicatio : sicut omnes particulares homines sunt generatio-

illius hominis, qui est omnibus communis et ad omnes universalis : quamvis enim secundum actum sit in quolibet, tamen secundum quod actu communis est et actu prædicatur de multis vel de omnibus, tunc oportet quod singulis conveniat : et sic communitas a singularitate procedit, et generatur sive ex ipsa efficitur.

In omnibus autem his considerandum est, quod est aliquando generatio univoca, sicut calor generat calorem. Ali quando autem æquivoca, sicut positio generat qualitatem, et e converso. Ali quando autem generatio naturalis, sicut cum linea generat superficiem. Ali quando est generatio rationis et naturæ alicujus, sicut cum commune generatur à singulare multitudine.

Omnia autem hæc inducta sunt ad hoc quod sciatur non esse hoc de coordinatione principiorum vel prædicamentorum, quod attendatur ratio ordinis secundum causam efficientem, sed potius secundum hoc quod inferius claudit in se superius actu et intellectu. Talis enim ordo necessario stat in uno summo quod est coordinatorum primum principium, et stat in quibusdam ultimis, quæ non sunt de intellectu alicujus.

## CAPUT VII.

*De propriis communibus actionis et passionis.*

Consequenter his quæ dicta sunt, determinanda est actio per propria, quæ quidem omni convenient, sed nec soli convenient actioni: hæ enim passiones quæ propria sunt vere propter hoc hic postponuntur, quia vere sunt propria principia, per quæ illa quæ causa sunt, probari habent de actione. Determinantes autem de his dicimus, quod facere et pati recipiunt contrarietatem, et recipiunt magis et minus, sive intentionem et remissionem. Contrarietatem quidem recipiunt tam in effectu actionum, quam in sub-

stantia et forma : in effectu enim secare sive urere seu etiam eradicare, contrarium est ad plantare, et sic actio actioni contraria est in effectu : et similiter planteri et secari sunt passiones contrariae in effectu. In substantia autem actionis et forma calefacere contrarium est ad frigescere, et exsiccare ad humida facere : et in passionibus calefieri contrarium est ad frigesceri, et exsiccari ad humida fieri. Sic etiam urere contrarium est ad humidum facere.

Similiter autem actio et passio recipiunt magis et minus : calefacere enim magis et minus dicitur. Et est calefactio intensior et remissior. Similiter autem est in passione : quia calefieri et infrigidari est

magis et minus intensior et remissior calefactione vel infringidatione : et sic est in siccari et humidum fieri. Et similiter in passionibus illatis, sicut in tristari et gaudere dicitur magis et minus.

Si quis autem dicat tristitiam et gaudium non esse passiones quae sunt in prædicamento passionis, sed 'potius in qualitate, et ideo non deberent hic induci, Dicemus ad illum quod tristitia et gaudium non sunt sine motu et actione cordis et passione. Cor enim in his agit et patitur secundum motus, qui dicuntur diastoles et systoles : et secundum haec reducuntur ad genera actionis est passionis. Hæc igitur de prædicamento actionis dicta sufficient.

Objectio.

Solutio.

**TRACTATUS III**

## DE PASSIONE.

## CAPUT I.

*Quid sit passio secundum quod est prædicamentum.*

*Ratio ordinis.*

Post principium quod est actio ponitur principium quod est passio sicut effectus post causam. Dicamus ergo quod passio quæ est prædicamentum, est effectus illatioque actionis. Duo enim sunt in passione, scilicet forma agentis a patiente suscepta, et quoad hoc est passio effectus actionis. Est etiam motus secundum quod est actus imperfecti et imperfectus in patiente; et hic motus continue fluit a movente in patiens quod movetur: et quoad hoc est passio continua illatio actionis. Et hæc ambo simul faciunt, quia assignatio passionis est effectus illatioque actionis. Et sicut diximus in ante habitis, hæc non est vera passionis diffinitio, quia generalissima veram diffinitionem habere non possunt: sed est qualiscumque assignatio quæ majoris est declarationis quam nomen. Sicut autem in præhabitis declaratum est, quod cum dicitur, actio est secundum quam in id quod subjicitur agere dicimus: ita dicimus hic quod passio est id quod infertur ab agente secundum quod est agens: et hæc est forma agentis ut agens est: et hæc variatur secundum formam agentis: et alia erit in agente per se, et alia passio in agente per accidens, et alia secundum agens univocum, et alia secundum agens æquivocum, et alia secundum actionem animæ, et alia secundum actionem corporis.

Sed hoc generaliter verum est, quod passio est secundum formam agentis ut agens est. Et ideo agens et patiens in forma communicant, et forma quæ est actus agentis, est passio patientis secundum quod ab agente est recepta: sed in agente est ut perfecta, in patiente est ut via ad perfectionem. Et hoc generaliter verum est, ita quod etiam verberans inferat ictum formæ imaginatæ ab ipso quando dedit ictum. Et ideo dicit Aristoteles quod in talibus est plaga ex plaga, et vulnus ex vulnere, et sic de aliis. Hæc est causa quod quidem dixerunt idem esse actionem et passionem, terminis tantum differentes. Sed de hoc in priori tractatu de *Actione* satis dictum est.

Est ergo passio effectus illatioque actionis, secundum quam illationem actionis quædam quidem patiuntur quæ susceptiva sive susceptibilia sunt formæ agentis et actionis ad sui transmutationem: quædam autem minime, hoc est, non susceptibilia, quæ scilicet formæ agentis et actionis ad sui mutationem non sunt susceptibilia, sicut ea quorum non est materia una, ut dicit Aristoteles: hæc enim nec agunt, nec patiuntur ad invicem. Sed ea quorum est materia una communis, agunt et patiuntur ab invicem. Et ideo in illis quædam sunt plus susceptibilia ab agentibus: quædam autem minus secundum quod differentes mixtiones et complexiones ad animæ actiones in diversis secundum commixtionum et complexionum differentias. Sicut enim dicit Plato, secundum merita materiæ dantur et formæ. Et ideo bruta meliores et magis

æquales accipientia complexiones ex primarum qualitatum actionibus et passionibus, sunt animantiora, hoc est, in viribus animæ et actibus potentius operantia, quam arbores minus passam ad æquallitatem habentes complexionem. Et homines eo quod optime passi sunt ad æquallitatem tactus, ita quod medium complexionis hominis et æqualitati cœli proportionatus est : adhuc est animantior bruto in virtutibus animæ nobilioribus, et nobilius operans quam bruta. Et sicut semper melius ad æqualitatem passa per actionem et passionem primorum complexionantium, sic expeditiora sunt in operationibus animæ. Non enim dicuntur animantiora, ita quod anima quæ est substantialis forma insit secundum magis et minus, æqualiter enim asinus participat animam et homo : sed ideo dicuntur quædam animantiora quibusdam, quæ expeditius et nobilius agunt secundum animæ potentiam.

Omnia autem quæ in præcedenti tractatu de *Actione* sive generatione dicta sunt, eadem dici possunt de passione, quæ est ab illa actione cuius illa passio est effectus et illatio, scilicet quod in motu firmatur, sed aliter quam actio. Actio enim firmatur in motu qui est actus mobilis et actus imperfecti : id enim quod movetur, patitur et fit vel simpliciter vel secundum aliquid, sicut id quod movetur in loco secundum quod patitur, scilicet de potentia in actum exeundo, maxime secundum quod motus localis est a generante. In aliis autem motibus patitur simpliciter et secundum subjectum. Similiter illud quod dictum est, quod est actio animæ, et actio corporis, similiter est passio animæ, et passio corporis : passio quidem animæ est quæ ab anima incipit, ut cor in motu, quoniam movet secundum systolem. Similiter est in tristitia, et gaudio, et spe : in omnibus enim his anima concipiens bonum vel malum etiam patitur in his. Passio autem corporis est sicut uri, et infrigidari, et percuti, et hujusmodi. Et ideo dicta de actione dicuntur

de passione, non quidem recta appellatione, sed transmutata : ut quod vocabat activam potentiam, hoc vocet passivam : sicut mutatur appellatio quando dicitur calefacere, et quando dicitur calefieri, et urere et uri, et sic de aliis. Sic etiam est id quod dictum est, quod sicut naturalis proprietas est actionis ex se passionem inferre, ita naturalis proprietas est passionis inferri ab actione. Et sic est in omnibus aliis. Et hoc modo quæcumque dicta sunt de actione sive de generatione, omnia de passione dici possunt. Dico autem actionem generationem quamdam esse : quia in omni actione generatio est formæ agentis in eo quod patitur si agit univoce. Si autem agit æquivoce, tunc est actio per accidens, et non secundum intentionem agentis : et de hoc non est curandum, quia est infinitum : nisi forte æquivocum ad univocum reducatur : et tunc eadem sunt re. Et tunc verum erit generaliter, quod agens ut agens est, formam suam imprimit in paciente.

## CAPUT II.

### *De multiplicitate ejus quod dicitur passio.*

Est autem passio de numero eorum quæ multipliciter dicuntur. Animæ enim actionum unaquæque passio dicitur : quas tamen secundum intentionem prædicamentum actionis sub actione locamus, sicut est amor, et odium, et tristari, et gaude-re, quæ omnia passibiles actiones animæ vocamus : hæc enim omnia passiones sunt secundum quod a conceptis sunt illatæ. Concepta enim vel concepta sunt ut bona, vel concepta sunt ut mala. Si ut bona sunt concepta, aut concepta sunt ut præsentia ad usum vel fructum, aut ut absentia. Si sunt concepta ut præsentia ad usum vel fructum, dilatatur ad illa cor et diffunditur spiritus, et effunditur cor per diastolem super illa : et sic est gaudium. Si autem concipitur ut non præsens : tunc ad ipsum dirigitur cor, et erigitur spiri-

tus, et fit passio quæ spes vocatur. Si vero concipitur ut malum, ut contrarium : tunc iterum aut concipitur ut præsens et nocumentum inferens, aut ut futurum et expectatum. Si primo modo, tunc elicit passionem doloris vel tristitia. Si autem concipitur ut futurum, tunc elicit passionem timoris. In omnibus his tamen agit anima fugiendo, vel se contrahendo, vel aperiendo, vel dilatando se ad usum vel expectationem.

Et ideo hæ sunt animæ passibiles actiones : et ideo sunt passibiles, quia motibus vel actionibus conceptorum innascuntur. Actiones autem sunt, quia in his agit anima in corpus et movet corpus secundum systolem et diastolem, sicut diximus. Sic igitur dicitur animæ actio receptio boni vel mali inducens fugam vel apprehensionem boni vel mali concepti. Sic enim amare agere quoddam est passione amati inductum, et odire agere est passione tristabilis præsentis inductum. Et hoc modo tristari passibilis actio est, et gaudere hoc modo actio inducta est conceptu convenientis. Et hoc modo delectari est actio animæ ex conjunctione convenientis cum conveniente inducta : propter quod Aristoteles in septimo *Ethicor*,<sup>1</sup> dicit delectationem esse in genere operationis. Dicit enim quod delectatio est operatio propria et connaturalis habitus non impedita. Et hoc modo dicitur passio a Græco πάθεια, quod Latine sonat recipere, et est passio omne quod animæ infertur ex receptis sensibilius vel aliter apprehensionis ad apprehensionem vel fugam moventibus. Et sic motarum virium animæ motus vel fuga quibus sic movent corpora, dicuntur passibiles actiones : et sic passio large dicitur.

Proprie autem dicitur passio quod in naturam sive contra naturam agit ut contrarium et nocivum naturæ, sicut id quod punit : pena enim non dicitur mala, nisi quia contraria est bono naturæ et

admit illud et diminuit, sive sit natura conjuncti, sive sit natura animæ, sive sit natura corporis<sup>2</sup>. Et sic passio est dissolvens conjunctum, vel animæ naturæ contrarium vel distemperantiam vel divisionem continuitatis corporis inducens : si- cut passio dicitur morbus, febris et ægritudo contraria complexioni, vel contraria compositioni corporis. Et hoc modo passio non dicitur a receptione simpliciter, sed dicitur a receptione contrarii et no- centis agentis ad corruptionem naturæ vel esse secundum quod Boetius diffinit esse dicens : Esse est quod ordinem retinet servatque naturam.

Hanc tamen distinctionem passionis ante diffinitionem passionis non posui- mus : quia secundum utrumque modum passionis convenit diffinitio, secundum quod passio est effectus illatioque actionis : passio enim, ut dictum est, prima est generatio, hoc est, primum quod ingeneratur patienti ex actione directa ad ipsum ex agente. Et quamvis forma quæ ingeneratur patienti, primo sit in agente, non tamen propter hoc passio est in agente : quia secundum quod est in agente agens est, et actio est processus ejus in patiens. Sed secundum quod re- cepta est in paciente per actionem agentis, sic est passio et dispositio patientis. Est ergo hæc forma passio in eo in quod agi- tur, hoc est, in eo quod suscepit actum sive actionem operantis sive agentis ut impressam sibi ab agente : percutiens enim dans ictum pati non dicitur, sed potius id quod est ut materia sive agenti subjectum quod ut patiens suscepit ictum percutientis. Et hæc quæ dicta sunt de passione, sufficient. Ea enim quæ relin- quuntur, tractantur et tractata sunt in præcedenti tractatu qui est de *Generatione* vel *Actione* : ibi enim dictum est qualiter suscepit contrarium, et qualiter suscepit magis et minus.

Removet  
dubium.

<sup>1</sup> Cap. 14.

<sup>2</sup> Passio proprie quid, et de hoc significato

# TRACTATUS IV

## DE QUANDO.

### CAPUT I.

*Quid sit quando secundum quod est principium vel prædicamentum.*

Quando vero secundum quod est principium vel prædicamentum est id quod in eo quod tempore vel alia duratione mensuratur, ex mensurante duratione relinquitur in eo quod sic mensuratur: non enim relinquitur ex adjacentia temporis tantum, sed etiam ex adjacentia æternitatis et æviternitatis, ut patebit inferius: dicimus enim, Deus fuit, Deus est, Deus erit. Et in omnibus his significamus in præterito Deum fuisse et in futuro et in præsenti quando. Quidquid igitur est, quod prædicatur in re temporali vel æterna vel æviterna ex duratione causatum in ipsa, vocatur quando generalissimum, sub cuius ambitu communitatibus continentur et genera et species ipsius et individua, sicut genera sunt fuisse, esse, et fore. Species autem tunc fuisse, vel nunc esse, vel tunc fore. Individua autem hunc fuisse, vel hunc esse, vel hunc fore. Et ad hunc ambitum prædicationis multa reducuntur, quæ nullius alterius generis per se prædicationem suscipiunt, sicut olim fuisse, dudum, jam, et futurum longinquum vel propinquum. Quia igitur hoc genus rerum sic prima voce significatum, ad nullum aliorum generum reduci potest, relinquitur quod ipsum sit per se prædicamentum et suorum coordinatum prædicabilium primum principium. Hoc igitur quando ex adjacentia temporis,

vel alterius durationis esse mensurantis relinquitur.

Locus est (ut in libro de *intelligibili-* Locus quid. *bus* dicitur) mensura entis quod non est distensum secundum durationem intelligentiae, sed totum simul in loco comprehensum accipitur per intellectum. Tempus autem est mensura entis secundum esse quod accipitur ut protensum duratione, eo quod esse est actus entis. Potentia autem essendi in omnibus protensa intelligitur ad mensuram durationis vel per se vel per aliud. Per se quidem in his in quibus esse non totum simul est, sed fit continue. Ad aliud autem in quibus esse totum simul est, quod distingui non potest nisi ad inferiora, quorum esse excedit secundum indeficientiam, sicut cum dicitur Deum fuisse qui non defuit, et Deum fore qui non deerit. Ea autem quorum totum esse simul est, quædam sunt, quorum esse et posse et actus totum est unum simul, et horum mensura est æternitas. Quædam autem quorum esse quidem simul est et posse quod habent ad esse, sed agere non est simul, sicut quidam dicunt intelligentiae: sed verum exemplum et philosophicum est de corpore cœlesti. Et hæc dicuntur a Philosophis æviterna, et ipsorum mensura est ævum: et ab his in his quibus istæ mensuræ extrinsecus adjacent, relinquitur quoddam quod comparationem talis durationis dicit ab ipsa, et illorum comparationem ad durationem: et hoc vocatur quando. Quia solum tempus inter hæc tria substantialiter dividitur, et differentias accipit, penes quas ipsum quando

Tempus  
quid.

Quæ sint  
æviterna.

distinguitur in species. Propter quod non per æternitatem aut æviternitatem, sed per tempus quando diffinitur: quia etiam æternitas et æviternitas non distinguuntur per formales differentias nisi ad temporis distinctionem.

Quod autem dicitur, quod ex adjacentia temporis relinquitur, non est idem quod ex tempore adjacenti: quia ex illo modo loquendi modus infectivus temporis non determinatur: quando autem est temporis infectio quam facit in temporali, secundum quod dicimus unum fuisse et alterum esse, et unum dicimus senem et alterum juvenem, non quod senex vel juvenis quando dicant, sed ex tempore per quando, diu vel non diu fuisse causatur senectus et juventus. Dicitur autem adjacens, eo quod non est tempus aliquod intrinsecarum qualitatum, sed potius extrinsecus adjacens quæ est in periodo secundum quod est mensura esse ejus quod est: et ideo dicitur adjacere et non dicitur inesse. Adjacere autem dicitur, quia undique jacet ut mensura totum esse mensurans, ita quod nulla pars esse sit cui non adjaceat, et in toto esse suam relinquit infectionem secundum substantiam alicujus quando a tempore præsentis, præterito, vel futuro causatam. Sic ergo dicitur quando secundum quod prædicamentum est, et prædicat rem illam quam relinquit in subjecto, secundum quod ipsi subjecto adjacet mensura durationis. Et hoc est quod dicitur, quod quando est id quod ex adjacentia temporis relinquitur: ita quod tempus pro omni mensura quæ adjacet extrinsecus secundum quod id quod est mensura ipsius, erit esse et non entis: esse enim est ut actus entis et non ut ens: sicut enim diximus, esse est actus entis quod est: et ideo ut est actus, refertur ad durationem, ens autem est durans et habens esse.

*Tempus non  
est quando.* Et quia causa non est effectus, et quando est quod ex adjacentia temporis relinquitur, sequitur quod quando non est

tempus, secundum quod tempus et quando conjunctas habent rationes diffinitivas sicut effectus et causa: sicut patet quod tempus quidem præteritum quando non est, effectus autem præteriti et infectio quam relinquit in eo quod est præteritum, est quando, sicut heri fuisti, vel pridie, vel ante annum, vel olim, vel nuper, vel aliquid hujusmodi. Similiter instans quod cumque vel nunc quando non est, sed secundum actum ejus vel actus, æquale vel inæquale est, sicut dicitur tempus esse vel fuisse vel fore, et non quando: quia sic est tempus ut numerus ejus quod est in tempore: sed effectus illius temporis æqualis vel inæqualis est quando. In tempore enim esse, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quadam parte temporis mensurari: et sic tempus inæquale si excellit, est mensuratio, et secundum quod sic adjacet mensurato, sic relinquit infectionem in re temporali per motum cuius est tempus numerus. Et hæc infectio secundum comparationem ad differentiam temporis ex qua relinquitur quando absolute quidem in subjecto consideratum, vocatur ætas.

*Instans non  
est quando.*

*Quid sit  
esse in tem-  
pore.*

Et idem instans non est tempus, sed in instanti esse relinquit quando præsentis, ut nunc esse: quamvis nunc non sit tempus vel aliqua pars ipsius, tamen quia nunc adjacet ei quod movetur, vel quod est, cuius actus esse est cui adjacet tempus: et ideo quoad adjacentiam extrinsecus non est differentia temporis. Et ideo instans quando relinquit sicut et præteritum. Similiter et futurum tempus quando non est, sed potius id quod ut temporale futurum est: quoniam continere necessitate motus et numeri motus necessarium est quantum est de temporis successione, secundum quod dicitur aliquid futurum esse. Sic igitur quando est quod ex adjacentia temporis relinquitur ex futuro, sicut cito, vel diu post præsens esse. Patet igitur ex his quæ dicta sunt, quid sit quando secundum quod est principium vel prædicamentum.

*Ætas quid.*

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 4 Physic. tex. com. 415.

## CAPUT II.

*De speciebus ac differentiis ejus quod est quando.*

Divisio autem ejus quod est quando multiplex est. Prima est divisio quæ accipitur secundum adjacentias eorum ex quibus causatur, sicut cum dicitur quod aliud est quando æternitatis, et aliud quando temporis. Quando quod est æternitatis, sicut cum dicitur Deum ab æterno fuisse, et Deum semper fore, et Deum nunc esse. *Æternitas* enim quanquam sit indivisibilis et simplex et inextensa, eo quod nihil sui habet extra præsens nunc instans, et sese non movens, neque per influxum se in aliquid extendens continuum quod sit in fieri sicut motus: tamen in sui simplicitate stando non deficit, nec deest alicui præsenti, nec defuit alicui præterito, nec deerit alicui futuro. *Æternitas* tamen est mensura existentium temporalium et æviternorum non per extensionem, sed per indeficientiam. Et ideo cujus tempus est mensura adæquata, ejus mensura est æternitas non adæquata, sed excellens secundum principium, medium, et finem. Et hoc est in substantia omnium stantium et necessariorum secundum illum modum quo necessaria sunt. Et quia sic est mensura temporalium, ut diximus, propter hoc quando æternitatis distinguitur per accidens in differentias temporis, et dicitur id quod est æternum fuisse, et esse, et fore.

Sed hic attendendum est quod quando dicitur quod est Deus, vel prima causa quæ necessario est cælum, et generatum illud est, hoc quod dico quando, significat quando æternitatis: quia hoc est in mensura et æviterni et temporalis, ut dictum est, et non potest significare quando temporis: quia tempus nulla potest esse mensura necessarii sive æterni. Similiter quando dicimus, quando cælum est generatum, hoc ipsum quod dico quando significat quando æviternitatis, non temporis: quia æviternum mensura est temporalium excellens,

ideo referri potest ad temporalia. Tempus autem non est mensura æviternorum, et ideo quando temporis in æviternis nihil significat: et sic distinguitur ad differentias temporis per indeficientiam sicut mensura superior excellens indivisa in se, distinguitur ad divisiones mensuræ inferioris quæ secundum se per proprium est divisibilis. Hæc est ergo prima distinctio ejus quod est quando. Sicut enim æternitas se habet ad æternum quod omnibus modis indivisible est et necessarium, sic se habet æviternitas ad æviternum: quod quidem quodammodo non est simul, quia quamvis substantia sit in nunc æternitatis, tamen actus ejus essentialis qui est motus, est in tempore, et potentia ad motum relata est ad nunc temporis quod continue fluit. Sic igitur per illud distinguitur quando æternitatis et quando æviternitatis. Et attendendum quod sicut æternitas ad tempus se habet, et nunc æternitatis ad nunc temporis, ita se habet quando æternitatis ad quando temporis.

Sed notandum est quod esse rerum et eorum quæ generantur et corrumptuntur, duplice considerari potest. Si enim consideretur secundum quod est simplex actus essentiæ simplicis, tunc procul dubio indivisible est et totum simul: et ideo est in nunc æternitatis vel æviternitatis, et sic non amittit aliquid in præteritum, nec exspectat aliquid in futurum, sed simul est totum nil sui extendens extra ipsum. Si autem consideratur prout in hujusmodi est materia permixta contrariis, sic est esse fluidum, quod non est simpliciter, sed aliquid habuit in præterito quod non habet, et aliquid habebit in futuro quod nondum habuit in præterito vel præsenti, et sic recipit differentias temporis, et dicitur fuit, est, vel erit.

Ex his ita traditis, accedamus ad certificationem divisionis ejus quod est quando temporis. Hoc autem sic dividitur, quod est quando aliud ex eo quod abiit, hoc est, ex præterito: aliud autem quando est ex eo quod nunc instat et quod præsens est: aliud autem ex eo quod contin-

*Divisio  
quando tem-  
poris.*

gere necesse est pro temporis successione, et est quando de futuro, et est quando relictum ex differentiis temporum. Ipsae autem temporum differentiae non habent quando. Dictum est etiam in *categoris*, quod praeteritum et futurum quantitates sunt in genere quantitatis ut species contentae. Et dictum est ibidem, quod sunt continuae quantitates. Continuatur enim praeteritum ad præsens : et videtur innuere, quod praeteritum sit permanentiam habens : manet enim quod est continuum existenti. Sed intelligendum quod non est dictum de praeterito quod continuum est existenti, ideo quod maneat vel quod in partibus habeat aliquam permanentiam : sed ideo dictum est continuum esse ad præsens, quia in excessu suo, hoc est, in ultimo suo in quo continuum est præsenti, non praeterit : in illo enim continuatur præsenti nunc. Similiter est de futuro quod in principio sui continuatur ad præsens nunc.

Hoc autem signum est, quod omnia quando praeterita copulantur præsenti vel per se, vel per aliud : praeteritum etiam est quod præsenti continuum est et continuatur ad præsens. Praeteritum autem imperfectum quod secundum finem non extenditur in præsens, et ad præsens non terminatur. Praeteritum antem plus quam perfectum illud quod in praeterito ad præsens terminatum est, et per praeteritum refertur ad præsens. De futuro autem dicimus relinquendo secundum infectionem ex tempore relictam, quamvis enim futurum nondum sit, tamen ex successione quam habet ad præsens, necesse est contingere, quod quantum ad substantiam ipsius quando accipiendam tantumdem valet ac si instaret. Nulla enim quantum ad quando accipienda differentia est in eo quod manet instans, in eo quod futurum est, et in eo quod abiit in praeterito : unum enim nunc est tota substantia temporis : esse autem temporis causatur a fluxu nunc, et ideo quamlibet partem ipsius relinquit quando in eo quod

est in tempore : propter quod de futuris agitur et determinatur, cum tamen futurum nondum sit, et secundum futurum aliquid dicitur, et ipsa futura sortiuntur nuncupationem et nomen existentium. Et ideo quando accipitur a futuro sicut a præsenti : quia ex ipso fluxu temporis erit certificatum futurum tempus. Sicut dicimus, cras erit navale bellum, heri obiit Socrates : haec enim quando significant. Sic ergo aliquid dicitur quando secundum id quod futurum est : ideo, sicut dicimus, futurum necessario secundum successionem nascitur de eo quod est jam præsens. Hoc etiam fluit in futurum continuo fluxu et necessario, et per necessitatem motus primi. Unde dicimus, Callias disputabit cras, vel Callias non disputabit cras, actiones nostras ad futurum tempus referentes sicut ad præsens . eo quod certi sumus de successione futuri : *disputabit* enim futuram significat actionem cuius actionis adhuc nihil est in substantialibus actionibus illius.

Sic ergo patet quod ex omni differentia temporis quando relinquitur : unde est in eo quod est in tempore, sicut in mensura et numero. Sic enim cum tempus sit causa corruptionis per motum qui distare facit a principio, tempus infectionem talis distantiae relinquit in re temporali. Haec igitur infectio duobus modis potest considerari. Uno quidem modo absolute secundum quod est infectio ut forma existens in subjecto existens in re temporali : et sic est ætas. Alio modo prout ipsum in quo est, comparatur per illud ad tempus vel differentiam temporis ex quo relinquitur : et sic est quando et aliquando, quæ importantur, cum dicitur olim fuisse, vel ante hoc fuisse vel esse, vel postea fore. Et hoc modo quando est prædicamentum, ut in ante habitis dictum est, et secundum hoc sua communitate ambit quando ex æternitate, et quando ex æviteritate, et quando ex parte, et unam rem generalium prædicat, quæ cum aliis dividunt generalissima in decem genera prima. Quamvis enim æternitas sit in æterno sicut differens per sub-

stantiam ab ipso, et non secundum rationem nominis, dicit durationem extrinsecam adjacentem: et ipsum esse indeficiens omnibus mensurari potest. Sic relinquitur ex eo modo ejus quod est quando, sicut dicimus id quod est omnibus modis, necesse est esse semper fuisse secundum esse præteritum, et semper esse secundum esse præsens, et semper secundum esse futurum. De tempore autem in quarto *Physicorum* disputatum est: de æternitate autem in libro de *Causis* dictum est.

### CAPUT III.

*De differentia inter ubi, et quando, et qualiter unum quando differt ab alio.*

Differt autem quando ab eo quod est ubi in hoc quod in quocumque tempus est relinquens suam infectionem, sicut in quocumque est, fuit vel fuisse vel fore vel in præsenti esse, eo quod illa quando in eodem sicut in subjecto quod denominat est quando, et in eodem fuit vel erit vel esse vel fuisse vel fore, eo quod illa quando secundum tempora illa vel tempus dicuntur. Quando enim ex instanti præsenti nunc est semper cum ipso præsenti nunc. Unde cum dicimus, quando es? respondetur, nunc sum. Quando autem quæ relinquuntur ex eo quod abiit et quod futurum expectatur, nunquam sunt cum temporibus ex quibus relinquuntur, sicut patet inquirentibus a nobis et dicentibus, quando legisti, quando fuisti? notamus quando quod est cum præsenti nunc: et respondetur tempus præteritum dicendo, tunc fui, olim fui, vel jam fui. Similiter quærentibus nobis, et dicentibus, quando leges, vel quando eris? quando est cum præsenti nunc, et respondetur tempus futurum, sicut post annum, vel diem, vel mensem. Unde hæc duo quando nunquam in simul erunt cum temporibus ex quibus relinquuntur.

Hoc tamen generale est, quod quando et tempus secundum quod est numerus,

sunt in eodem sicut in subjecto. Ubi vero et locus a quo sicut a causa fit ipsum ubi, nunquam sunt in eodem sicut in subjecto. Ubi enim sicut in subjecto est in circumscripto et locato corpore. Locus autem, qui est ultima superficies continentis, non est in locato extenso sicut in subjecto, sed est in complectente et continente, cuius ultimum est superficies locans.

Hic est tamen attendendum quod tempus ut continuum, et ut forma extra mensurans, est in subjecto in primo motu et mobili: ut mensurans autem et numerans essentialiter in temporalibus, sicut numerus materialis, tam decem oves quam decem canes, quamvis formalis numerus et forma numeri et species sit una, sicut unum tempus est ovium temporalium, ut unum numerans vel mensurans, quamvis mensurante modo tot sunt temporalia quot quando. Et hoc modo dicitur temporale (secundum quod constat sub tempore sicut sub numero) habere quando: et quando hoc modo est in ipso sicut in subjecto: et tempus hoc modo sumptum in temporali semper est in eodem in quo est quando. Ubi autem nunquam est in eodem in quo est locus. Sed, ut dicit Anselmus, nunc æternitatis se habet ad nunc temporis et ad totum tempus, sicut se habet nunc temporis et ad omnem locum et ad omnia quæ in loco sunt. Nunc enim temporis ut indivisible continet locum et locata omnia quæ valde divisibilia sunt: eo quod per unum quod est in omnibus mensura est eorum, et hoc est esse, cuius propria mensura est tempus, vel æternum, vel æviternum. Similiter nunc æternitatis quod indivisible est, per indeficientiam comprehendit nunc tempus, et totum præsens per hoc quod duratio fluens sicut a causa et exclusio fluet a duratione stante vel indivisibili. Et hoc est quod dicit Boetius in *Consolatione philosophiae*: Qui tempus ab ævo ire jubes.

Est etiam adhuc considerandum quod illud quando quod relinquitur ex eo quod est præteritum, differt ab eo quod relin-

quitur ex futuro, in hoc, quia quando quod ex futuro est, præterito est semper prius : quando autem quod est ex præterito, est posterius quam futurum. Si autem unum et idem quando secundum substantiam temporis accipiatur, hoc est, in nunc quod est substantia : tunc quando unum et idem : primum quidem ex futuro, secundum vero ex præsenti, posterius vero ex præterito secundum periodi circulationem, in quo futurum est, aut præsens, aut præteritum : quemadmodum et tempus primum quod est futurum, postea præsens quando futurum advenit, deinde præteritum cum præsens abiit. Et sicut in tempore sic est indeficientia æternitatis quando ad temporis differentias recipit distinctionem, sive enim divisibilis secundum se mensura est, sive indivisibilis, nihil differt : quia non ex hoc relinquit quando quod est simplex vel compositum, sed ex hoc quod ut extrinsecus adjacens est esse mensura in eo quod est : sic enim suæ indeficientiæ relinquit impressionem in eo quod est, per quam id quod habet esse, mensuræ extrinsecus adjacenti sic vel sic comparatur : et hoc est quando secundum quod est prædicamentum.

puncto quo-  
rumdam  
tales. Sunt tamen qui dicunt quod unum et idem est quando æternitatis et temporis differentia per accidens, hoc scilicet quod in æternitate ut stans, in tempore autem ut fluens continue. Sed hanc positionem opinamur esse falsam, nisi dicant nunc æternitatis exemplariter et causaliter esse in nunc temporis. Sed tunc ex hoc non sequetur, quod sit idem nunc secundum substantiam, sed secundum formam tantum, hoc modo quo exemplum et exemplatum in forma non secundum genus vel speciem, sed secundum proportionem similia esse possunt.

## CAPUT IV.

*De divisione ipsius quando comparata ad tempus a quo causatur.*

Sicut autem tempus est aliud compositum, aliud vero simplex : et compositum quidem est, quod est in composita actione, hoc est, quod compositæ actionis est mensura : simplex vero tempus est quod procedit cum actione simplici, cuius ipsum est mensura : ita et quando quod ex adjacentia temporis relinquitur, aliud est simplex, et aliud est compositum. Simplex quidem quod in momento esse et in nunc esse dicitur. Compositum autem quod ex composito tempore relinquitur, ut in hora esse, vel in die, vel hebdomada, vel mense, vel anno, et similibus.

Hæc autem quæ dicta sunt, sophisti-  
Prima obje-  
ctio. cam habent calumniam. Si enim objicitur, actio est in motu, et omnis motus in actione firmatur, ut in tractatu de *Actione* dictum est : nullus autem motus simplex est : videbitur quod actio nulla simplex esse possit, sed omnis actio composita.

Adhuc, cum omne tempus sit continuum, et quælibet pars continui sit continua et composita, videtur quod nullum sit simplex tempus.

Adhuc autem dicitur quod simplex tempus sit sicut in momento et in nunc esse : est autem momentum indivisible tempus : et sic momentum nec est tempus, nec pars temporis, et sic nec erit tempus : et sequitur ulterius, quod quando non sit simplex.

Adhuc de *nunc* dicit Aristoteles<sup>1</sup> quod non est tempus, nec pars temporis, sed temporis substantia : et sic videtur habere calumniam quod hic dicitur.

Ad hæc et similia dicendum est, quod Ad primam. est actio simplex, et actio composita. Actio enim generantis prout generatio est finis motus, et non motus, est vere actio quæ est generatio, et simplex est omnino

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 4 Physic. tex. com. 110 et

et impartibilis, et est de non esse in esse simplex et non composita mutatio. Et simpliciter est actio creantis secundum quod est creans. Et similiter dicit Averroes de illuminatione ad hunc vel ad illum locum prout est finis motus localis quo movetur illuminans, quod est actio simplex, non habens aliquam divisionem, sicut omnis continui finis simplex est, et cum quodlibet illorum vere actio sit. Quod autem inducit quod omnis actio in motu, et omnis motus in actione firmatur. Ibidem in tractatu de *Actione* patet solutio: hoc enim intelligas de motu secundum quod motus est actus perfecti et perfectus: hoc autem est secundum quod est actus moventis, et non ejus quod movetur. Motus autem secundum hunc modum est actus simplex, et non continuus, vel compositus: sed secundum quod est actus imperfectus, sic est continuus et compositus.

Ad secundam et alias. Ad hoc autem quod objicitur de tempore, dicendum quod tempus dupliciter accipitur, secundum esse scilicet, et secundum substantiam. Secundum esse quidem acceptum, verum est quod nullum est tempus simplex, sed omne tempus compositum: secundum substantiam autem est aliquod tempus simplex, nunc scilicet et momentum, quod (sicut jam ante diximus) a tempore non differt in hoc quod ex ipso quando relinquitur sicut ex tempore: et sic intelligitur cum dicitur, tempus est simplex, et quando simplex.

Quidam autem aliter dixerunt, quod actio simplex, scilicet ad nos, et non simplex quoad nos, quæ repente fit, hoc est, in tempore cuius distinctio est imperceptibilis. Et similiter dicunt de tempore simplici. Et hæc fuga est, et non verum quod dicunt est. Sunt enim multæ actiones simplices, sicut patet per ea quæ inducta sunt: et simpliciter cum verbo substantivo dicitur, *sum, es, est*: tamen totum suum condeclineum dicit substantiam ut actum et actionem: quæ actio si accipiatur ut essentiæ actio vel actus, non

potest intelligi nisi simplex actio: et cum hoc actio temporalis vel simplex tempus, quod adjacentia est mensura ejus, relinquit quando. Sicut enim tempus adjacet mobili, sic ei quod movetur secundum quod unum est in toto motu, adjacet mensurans nunc: et ideo quando relinquit nunc sicut tempus: et quoad hoc quod est substantia temporis quando ex se relinquens, hoc tempus esse dicitur. Sic ergo intelligendum est quod hic dictum est.

Amplius autem adhuc et in hoc conveniunt tempus et quando, quod quemadmodum temporis partes sibi invicem sine mora, sive continue succedunt: similiter sibi ipsa quando, quæ ex temporibus relinquuntur: quando enim quod est in præterito, et quando quod est in futuro, copulative reducuntur sive copulantur ad præsens nunc, sicut partes continui copulantur ad punctum: non autem sic copularentur nisi talis esset successio ex præterito in præsens, et ex præsenti in futurum, vel e converso futuri in præsens, et præsentis in præteritum. Variabilis enim est successio secundum periodum: secundum actiones autem quæ tempore mensurantur, est ex præterito in præsens, et ex præsenti in futurum.

Quamvis tempus et quando in his quæ dicta sunt convenient, tamen tempus differt ab eo quod est quando: quia quod in tempore est, in eo est sicut in numero numerante: et quia numerus est mensura numerati, ideo secundum tempus aliquid est mensurabile, sicut dicimus, quod aliquis est annuus ex tempore sive mensura temporis, et aliquis diurnus, et aliquis est hebdomadalis mensurati: et aliquando sine distinctione numeri dicimus, quod motus est multus, eo quod motus ille multo tempore permaneat sive duret. Secundum quando autem nihil mensuratur, sed simpliciter quando vel aliquando esse vel fuisse vel fore dicitur: et hoc secundum idem secundum quod temporale vel variabile variatur temporale: et secundum idem etiam quando variatur: et sic

aliud est ex præterito, aliud ex præsenti, aliud ex futuro.

## CAPUT V.

*De propriis quando quæ sunt non suscipere magis vel minus, et non habere contrarium.*

Proprium autem quod convenit omni et non soli ejus quod est quando, est quod inest ei quod est quando non suscipere magis et minus, sicut nec temporis convenit magis et minus suscipere. Non enim dies una magis vel minus dicitur dies quam alia, nec una hora magis vel minus tempus quam alia, et sic de aliis. Et similiter est in quando: non enim quando præteriti dicitur magis vel minus quando, quam præsentis vel futuri: nec tempus mensuratum dicitur secundum magis et minus sicut diurnum, quam alterum: nec unum dicitur diurnius altero. Et similiter autem est de omnibus aliis. Concluditur ergo generaliter, quod omni quando inest non suscipere magis et minus. Et quia non suscipere magis et minus causatur ab eo quod est non habere contrarium, ideo etiam quando nihil habet contrarium. Et hoc est etiam proprium quando quod convenit omni et non soli.

Hoc autem sic probatur: quia unum et idem quando quantum ad substantiam nunc (ex quo relinquitur quando) est ex præsenti, et futuro, et ex præterito: quia idem quod futurum est, efficitur præsens et præteritum. Et hoc est propter id quod est substantia temporis, quod idem est toto tempore. De eodem autem indivisiibili secundum substantiam est impossibile prædicari duas contrarietas: et cum ipsum prædicetur de se, impossibile quod habeat contrarium quod prædicetur de eodem. Amplius autem contraria in eodem nunquam in simul erunt: unum enim natum est expellere alterum de eodem susceptibili. Quando autem quod est secundum præsens, et quod est secundum

præteritum, et quod est secundum futurum, in eodem in simul erunt: quia, sicut dictum est, quando est non in tempore, sed in re temporali. Et ideo in una et eadem re est quando secundum futurum, et quando secundum præsens, et quando secundum præteritum: et simul et semel dicitur, quod fuit futurum, et est præsens, et transit in præteritum. Hoc autem esse non posset si esset unum quando contrarium alteri quando secundum formam et speciem. Idem enim quod est hoc fuisse, verum est quod est permansurum. Contrariorum autem ratio est nunquam in eodem simul existere, neque dici de eodem secundum idem et in eodem tempore: propter quod generaliter concluditur quod contrarietas in hoc genere quod est quando non enuntiabitur.

Sunt tamen sophistæ contra hæc quæ dicta sunt disputantes, dicentes tempus esse causam corruptionis in omnibus in quibus est. Ubi cumque est causa corruptionis (secundum quod corruptio motus est vel mutatio) est magis et minus et contrarium. Videtur ergo quod tempori conveniat magis et minus suscipere et contrarium.

Adhuc ad hoc inducunt quod tempus Secunda. facit distare a principio: distare autem secundum magis et minus: tempus igitur suscipere videtur magis et minus, et per consequens quando videtur magis et minus suscipere.

Ad hæc dicendum, quod valde sophistica sunt quæ inducuntur: sicut enim probatum est, ita quando nec magis nec minus suscipit nec contrarium habet. Et quando dicitur quod tempus est causa corruptionis, hoc non est verum, nec Aristoteles hoc dicit simpliciter, sed quod est magis causa corruptionis quam generationis: et hoc non per se, sed per motum cuius est mensura.

Et similiter etiam per motum est causa distantiae a principio constituentis: et ideo non sequitur quod tempus secundum seipsum suscipiat magis et minus,

vel contrarium. Est autem notandum, quod quamvis quando non habeat contrarium, nec suscipiat magis et minus, tamen idem quod est quando, modos suscipit : qui sunt modi quidem contrarii, sicut punctum indivisible, et idem habet modum inchoantis et modum finientis sive terminantis : præterito enim et præsentialitas et futuritio sunt modi oppositi : sed in talibus non sunt formæ et species contrariae : nec potest esse in talibus magis et ejus quod est quando : nec hic oportet determinare, quia est manifestum ex præinductis.

Et hoc est quod proprium est ejus quod est quando, relinquì ex adjacentia temporis, et non esse in tempore, sed in re temporali secundum comparationem quam habet ad tempus vel ad temporis differentias. Et tale proprium est etiam quando succedere ad quando, sicut succedit tempus ad tempus, et alia similia his : quæ omnia facile est determinare ex prædictis : quando enim, sicut dictum est, non est tempus, sed infectio quædam vel impressio reicta in eo quod temporale est, secundum quam ad tempus vel ad differentias temporis habet referri. Et ideo conjunctas habent rationes tempus et quando.

## CAPUT VI.

### *De subjecto ejus quod est quando.*

Si autem quæritur, in quo est ut in proprio subjecto ? Dicamus quod quando quod ex tempore relinquitur, proprie est in omni eo quod incipit esse. Dico autem incipere esse per naturam sicut incipiunt esse quæ generantur vel fiunt per artem vel electionem sive voluntatem ; universalia enim suæ habent principia inceptionis, sicut privationem et materiam. Quæcumque autem incipiunt quidem, et talia suæ inceptionis non habent princi-

pia, non oportet quod insit eis quando quod est ex parte : quamvis conveniat eis quando æternitatis et æviternitatis per distinctionem accidentalem qua distinguitur ad temporis differentias, sicut in ante habitis dictum est. Talia autem sunt intelligentiæ et substantiæ corporum cœlestium.

Alia vero generabilia et corruptibilia secundum suas substancialias et secundum suas actiones et opera quando temporis suscipiunt, eo quod tempore variantur. Cum autem dicit Damascenus quod omne creabile variabile est, et hoc idem dicit Plato, et dicit Boetius quod omne quod est citra primum, est mutabile, non intelligitur de mutualitate temporis vel quando, sed potius naturæ quæ causata est, quæ ex se non habet unde sit, vel unde stare possit. Sic ergo omne quod incipit, habens suæ inceptionis principia, materiam et privationem, recipit in se quando quod relinquitur ex tempore. Tale autem est omne sive universum corpus quod incipit modo prædicto : aliter enim incipiens esse, non habet principia suæ inceptionis intra se : et ideo de illis non habet loqui Philosophus : quia Philosophus non determinat aliquid nisi id quod suæ determinationis principia habet intra se ipsum. Sic igitur universum corpus quod sic recipit, aliquando est, et est in tempore : quod probatur ex hoc, quod temporum suscipit variationem periodi cœlestis : hoc enim corpus variatur in æstu æstatis ad calorem, ariditatem, et caliditatem, in vere ad calidum et humidum, et in autumno ad frigidum et siccum : propter quod tunc plantæ folio defluunt, et destruuntur in hyeme ad frigidum et humidum<sup>1</sup>. Talia enim per generationem incipientia sic secundum tempora alterationes suscipiunt : et ideo de ipsis quando denominative prædicatur.

Similiter autem est etiam in anima ad si est, ut patet 1 Physic. com. ultim. JAMMY.

<sup>1</sup> Hoc totum intellige quantum ad *quid* est, non autem quantum ad *si* est : nam substantiæ abstractæ considerantur a naturali quantum

secundum quod ipsa attingit ad corpus sic incipiens : anima enim, ut dicitur in libro de *Causis*, est in horizonte æternitatis et temporis : et ideo in actionibus et passionibus suis attingit tempus, et sic etiam convenit ei quando. Hoc autem patet in animæ parte speculativa, quæ tamen magis separata videtur esse a corpore, quam pars motiva quæ corpore utitur in motu. Secundum enim partem speculativam videmus quod quidam acutius speculantur in vere, sicut melancholici : eo quod tunc spiritus qui deferrunt formas speculationis, subtiliantur et mobiles fiunt ex calido, et humectantur ex humido, ut facilius formas recipiant. Econtra quidam in hyeme acutius speculantur, et illi sunt cholericæ, quibus calor cheræ quando commultiplicatur, commiscet operationes, et siccitas formarum impedit bonam receptionem. Sed in hyeme vincente frigore temperatur calor operationes commiscens, ita ut non commisceat, sed bene moveat. Et humore hyemis inducente phlegma, temperatur siccitas ad bonam susceptionem et bonam retentionem ex naturali siccitate cheræ. Quidam autem in æstate acutius contemplantur, sicut phlegmatici, quorum frigus calido seu calore excellente temperatur ut bene moveat spiritus, et humor multus temperatur sicco ut et bene recipiat ex naturali humido et bene retineat ex temporali sicco. Quidam autem in autumno acutius speculantur, ut sanguinei, quibus calorem sanguinis temperat moderata autumni frigiditas. Humorem autem sanguinis exuberantem ad temperantiam restringit

moderata autumni succitas. Hæ autem varietates sunt secundum varietatem instrumenti, hoc est, corporis quo pro instrumento in operationibus suis utitur anima conjuncta corpori. Sequitur enim anima conjuncta corpori, corporis complexiones.

Et ideo qui aridæ, sive siccæ, sive gelidæ, sive frigidæ sunt complexionis sive compaginis in corpore, sæpe fiunt dementiores seipsis in autumno, ita quod minus valent in operationibus mentis : eo quod tempus autumni multiplicat melancholiæ quæ spiritus habet obscuros et tacitos, et frigore augetur frigus, ita quod sistit motum spirituum : et siccitas tunc auget siccitatem complexionis ut non sit bonæ receptionis. Quibus vero sanguis principatur, in vere sunt seipsis dementiores : quia tunc calor temporis auget calorem complexionis ut minut moveat, et ideo operationes permixtas faciat : et humor temporis auget humos rem complexionis ut quidem bene recipiat, sed non bene teneat. Similiter esde aliis : quia phlegmatici in hyeme fiunt dementiores propter duplex frigus temporis et complexionis, quod sistit motum spiritus et inspissat eumdem : et propter duplex humidum quod facit non bene retinere formas. Similiter autem in aliis, dummodo attendatur similitudo complexionis animalium et temporum. Erit ergo in tempore quidquid temporum suscipiens variationes, alteratur secundum temporis aut temporum qualitatem, sive illud sit in corporis complexione vel natura, sive etiam sit in operationibus vel passionibus animæ.



## TRACTATUS V

## DE UBI.

## CAPUT I.

*Qualiter ubi sit prædicamentum, et quid sit ubi.*

Ubi vero quod causatur ab extrinsecus adjacente, quod adjacet ei, quod non adjacet sine duratione rei, est circumscriptio corporis a loci circumscriptione procedens. Dico autem circumscriptionem corporis esse corporis quidem talem convenientiam secundum quod assignantur contento principium et medium secundum ultimum corporis continentis, ut si-  
cut totum est in toto, ita primum sit in primo, et medium in medio, et extremum in extremo, et indivisibile in indivisibili, et compositum in composito.

Ad hoc autem intelligendum, qualiter sit et qualiter esse dicat id quod est ubi secundum quod est ubi, intelligendum est quod circumscribi est figurari, quod ex toto continetur ad figuram continentis, et e converso. Et ideo est triplex circumscriptio. Est enim circumscriptio corporis continentis, et hæc est actio quædam. Et est circumscriptio circumscripti, et est quædam passio. Et est circumscriptio procedens et causata ab utraque istarum, et est commensuratio locati ad locum, secundum quam loco in se et in communi vel huic particulari loco comparatur. Et hæc circumscriptio est ubi secundum quod est speciale prædicamentum, quia hæc est una specierum entis quæ est prædicamentum quando sub voce designatur: hoc enim modo omne quod est alicubi, ubi dicitur esse: et hoc esse

comparatum sic ad locum in nullo aliorum prædicamentorum ponitur. Sic ergo verum est quod dicitur, quod ubi secundum quod est prædicamentum circumscriptio est a loci circumscriptione et non immediate a loco procedens. Cum igitur de tribus fiat mentio, de loco scilicet, et locato, et de loci circumscriptione, locus quidem secundum subjectum et secundum substantiam est in corpore quod caput, hoc est, quod continet et locat. Est enim ultimum corporis continentis et ambientis in quo capit id quod continet, hoc est, locatum et circumscrifit: et ex hoc sequitur, quod in loco est quidquid a loco circumscrifit, ut dictum est. Sicut autem in ante habito tractatu dictum est, non in eodem secundum substantiam et subjectum est locus et ubi: locus enim est in eo quod capit et continet et circumscrifit. Ubi vero est in eo quod capitur et continetur et circumscrifit, et ab alio exteriori complectitur.

Locus autem non videtur adesse vel non convenire animæ, vel alicui rei in corporeæ. Anima enim et aliæ substantiæ incorporeæ nusquam est sicut in loco. Propterea quod nullum locum occupat circumscriptive, ita quod medium ejus sit in medio, et totum in toto. Omne enim quod sic occupando totum in loco toto est, locum sic occupat et implet, quod ipse locus (si est illius rei proprius locus) aliud cum illa re quidem quæ eodem modo in eodem loco sit, continere non potest: et sic anima nullum locum occupat, nec implet locum aliquem. Animatum autem plenum anima prout anima est vitæ et motus principium localiter potest

capere, ut cibum, et potum, et aerem ad spirandum. Anima igitur in ipso corpore non est sicut locatum in loco, sed ipsa anima est in corpore sicut vitæ et motus principium : nullo enim modo contingere posset, quod locus impletus aliquo implete ipsum aliud cum illo locatum corpus capere possit et complecti sive continere, nisi id quod prius occupaverat et implebat, prius cedat et aliud locum ejus subintret. Hoc autem patet per exemplum : granum enim modio adveniens ut vasi et loco, nullo modo recipitur in modio sicut in vase et loco, aere qui prius vas implebat in vase quiescente : et sic est de vino, et aqua, et cado, et oleo, et de omnibus aliis hujusmodi similibus : aere enim primo excusso granum et aliud in vase continentum recipitur utique, quia duo corpora in eodem loco esse non possunt. Quia sicut probavimus determinative in quarto *Physic.*<sup>1</sup>, si duo corpora essent in eodem loco, sequitur de necessitate quod duo corpora essent unum et idem corpus numero. Sed hoc hic supponatur : hoc enim probare est scientiæ naturalis.

Sicut autem duo corpora non possunt simul esse in eodem loco, ita quidem nec idem corpus potest esse in locis diversis simul actu. Cujus probatio est, quia si est in uno loco ab alio separato, tunc termini illius corporis sunt in loco illo contenti, et nihil de illo est extra ipsum. Si autem hoc esset in loco alio, existent termini ejus intra locum illum et extra illum : quod est intra unum totum et secundum se intra unum et non intra illud consistere simul et semel, quod est affirmationem et negationem de eodem simul veram esse, quod est impossibile. Ergo et hoc est impossibile, quod idem corpus in diversis locis simul possit existere.

Ex hoc autem sequitur quod anima nullatenus erit localis cum nullum locum occupet et impleat sicut locatum implet

et occupat locum. Similiter omnia ea quæ a corporis ratione secundum quantitatatem (dicendo quod corpus est mensuratum dimensione trina) dissentient sive recedunt, sed sicut simplicia et indivisibilia secundum quantitatatem diffiniuntur, in nullo sunt sicut in loco : carent enim omnia talia loci circumscriptione : quia non possunt assignari principium et medium et ultimum in loco. Hoc est igitur ubi secundum quod est prædicamentum vel principium.

## CAPUT II.

*De dubitationibus circa inducta, scilicet quod idem corpus simul possit esse in diversis locis.*

Potest autem aliquis movere dubitacionem de his quæ dicta sunt, quod non potest idem corpus in diversis locis esse simul et semel. Vox enim in auribus diversorum est simul et semel. Vox autem cum sit aer ictus, ut dicit Priscianus, sine aere nunquam et nusquam esse poterit. Ergo nec in auribus est sine aere. Ergo et aer ictus est in auribus diversorum. Cum igitur una vox formetur in aere uno et eodem modo, videbitur unus et idem aer numero esse in auribus diversorum. Aer autem corpus. Idem ergo et unum numero corpus simul et semel videtur esse in locis multis et diversis.

Ad hæc autem solventes dicimus, quod vox omnino una et eadem simul et semel in diversis aeris partibus nec formari, nec esse possit. Si ergo concedamus unam et eamdem vocem numero simul et semel sentiri in auribus diversorum, obligati etiam erimus concedere unam et eamdem particulam aeris in qua vox illa formatur, ad aures diversorum et in locis diversis simul et semel pervenire, et in auribus diversorum esse. Sed hoc est impossibile, quia impossibile est id quod est simpliciter unum et idem corpus nu-

Dubitatio  
textus.

Solutio tex-  
tus.

<sup>1</sup> Super. tex. com. 76.

**Ratio quæ  
movere D.  
Albertum.**

mero, posse esse simul et totum in pluribus locis : quia impossibile est ipsum esse alicubi quam ubi est. Ad hoc deducti sumus, quod de duobus alterum necesse concedere est, scilicet aut quod diversa sunt quæ vocante uno aliquo in auribus diversorum sentiuntur, aut quod unum et idem corpus numero in pluribus locis et diversis simul et semel inveniatur. Eligitur autem inter hæc duo a quolibet recte philosophante, quod diversa sunt quæ sentiuntur a diversis, et sunt diversa numero, non figura vocis et specie, nec diversa accentu sicut acumine vocis vel grossitie, sed sunt diversa numero ad unam figuram vocis quæ primi vocantis vox figurata formata et uno acumine et grossitie generata, et hoc imaginabiliter et similiter unam vocem ab illa generari ad primæ vocis imaginem et similitudinem : et sic diversa sunt quæ sentiuntur, quorum tamen quodlibet sentitur imagine et similitudine vocis quæ primi vocantis est : propter quod idem in auribus non sentitur.

**Objectio  
textus.**

**Solutio tex-  
tus.**

Ex hoc autem sequitur, quod secunda et tertia, et sic deinceps vox in aere imaginatur, et similiter formata a voce primi vocantis non est immediate vox animalis ab ipso vocante animali formata : eo quod ab animali immediate non profertur : et sic sequitur, quod aliqua vox sit quæ non sit animalis vox : quod est contrarium his quæ in libro de *Anima*<sup>1</sup> tractantur, ubi dicitur, quod vox est sonus ab ore animalis prolatus, etc. Ad hoc autem dicimus quod omnis vox est animalis vocantis : nec aliquis ab initio audivit unquam vocem cum omnia silentio : propter quod et animalis esse dicitur omnis vox, eo quod omnis vox generatur proferente et vocante aliquo animali. Originaliter autem et causaliter omnis vox quæ auditur a pluribus, est animalis, et una similitudine et figura et accentu. Substantialiter autem per substantiam materiæ in

qua formatur, plures sunt voces formatæ in omni circumcisso aere. Et sic uniuscujusque animalis vox ad aures diversorum dirigitur, quæ originaliter unius est, sed non contingens, sed est potius impossibile, quod una numero vox sit simul in auribus diversorum : et hæc est solutio dubitationis.

Est tamen hic attendendum quod quædam sunt in loco per se, et quædam per aliud vel per accidens. Per se enim sunt in loco ea quæ a loco in principium, medium, et ultimum, secundum loci particulas describuntur. Et hæc sunt corpora in exterioribus suis continentे indigentia secundum naturam, quorum motus est ad locum sicut ad generans et salvans. Per accidens autem et per aliud sunt in loco quæcumque non sunt ita circumscripribilia, vel sunt in his, vel sunt eorum quæ sic circumscribuntur per locum a circumferentibus, sicut anima et accidentia corporis. Anima enim non est in corpore sicut in loco, sed sicut principium vitæ et motus. Et ideo corpus non determinatur ei sicut locus : et ideo neque est in eo sicut ubique in ipso, nec sicut ipso alicubi existens, sed est in ipso sicut in eo quo operatur operatione essentiali operatio-nes principii vitæ et motus, et secundum hoc est in toto tota. Est autem vivere multiplex, scilicet vegetari, loco moveri, sentire, et intelligere : qui sunt actus spiritualis vitæ, qui fiunt spiritualibus potentiis et organis : et secundum hoc non est in toto tota, sed in uno est membro quoad unum, et in altero quoad alterum. Sic ergo anima non est in loco nisi per accidens et per aliud : quia scilicet corpus est in loco in quo ipsa est non sicut in loco, sed sicut in eo quod vivificat et movet.

Accidentia enim corporis per accidens sunt in loco et in loco per accidens secundum magis et minus : per accidens enim sicut quædam accidentia situalia, ut linea, superficies, et generaliter quanti-

<sup>1</sup> In 2, tex. com. 87.

tas, et qualitas situialis, ut albedo, sapor, et odor, et hujusmodi quæ in magno sunt majora, et in parvo minora, et hæc minus per accidens sunt in loco quam ea quæ situalia non sunt, ut scientia, virtus, et hujusmodi.

Eorum autem quæ sunt per accidens in loco, sicut species visibilium quæ sunt in aere, non sicut in loco, sed potius sunt in ipso sicut medio deferente. Et quia aer deferens est in loco, ideo etiam ista per accidens dicuntur esse in loco. Et quia aer deferens simul videtur esse in oculis multorum loco distantium, ideo eadem quæstio est de visis in diversis locis et in diversis oculis, quæ est de auditis in auri bus diversorum. Et quamvis visibile sit in aere perspicuo secundum esse spirituale, sonus autem secundum esse plus materiale, tamen secundum esse spirituale non potest unum et idem terminatum simul esse in diversis locis, nisi illud sit in diversis locis, in quo est sive secundum esse materiale sive secundum spirituale. Sensibile enim non est substantia ut per se existere possit: sed semper oportet quod sit in aliquo sicut in subjecto. Et ideo oportet illud dubitabile solvere sicut prius, quod unum scilicet generatur ab alio ad imaginem et similitudinem ipsius: et sic originaliter est unum, materialiter autem multa, quod est in sensibus diversorum. Talia autem sunt in loco per accidens, et ideo diversificantur per materiam quando sunt in locis diversis.

*Solutio quæstionis de visibili.*

Joannes autem Damascenus dicit quædam esse in loco diffinitive: et hæc quidem essentialiter non sunt in loco, sed quantum est de se sunt ubique et semper: quia nullum locum neque aliquam differentiam temporis in suo esse determinant, sicut intelligentiae, et substantiae quæ dicuntur Angeli, quæ quamvis ex se sibi locum non determinent, tamen per materiam circa quam operantur, ad locum referuntur. Sunt enim essentialiter ibi ubi operantur, sive sensibiliter, sive intellectualiter, sive spiritualiter operen-

tur. Et quia hæc in loco sunt gratia alterius, ideo per aliud referuntur ad locum: per aliud autem referri vocat Aristoteles per accidens. Sunt etiam in loco quæ nullo istorum modorum sunt in loco, sed sunt in aliquo eorum ad quæ referuntur loci principia, sicut punctum, et superficies, et linea sunt in loco. Sunt enim principia copulationis dimensionum loci ad dimensiones locati: eo quod dictum est in prædicamentis, quod particulæ loci copulantur ad eundem communem terminum ad quem et particulæ locati copulantur, eo quod una numero est distantia loci et locati. His itaque modis aliquid dicitur esse in loco. Non autem hic distinguimus omnes modos quibus aliquid dicitur esse in aliquo: quia hoc magis pertinet ad quartum *Physicorum*, et non ad logicum.

Sed ex dictis patet, quod aliquid per se <sup>Quid sit per se in loco.</sup> et proprie dicitur esse in loco, quod sic refertur ad locum, quod indivisible quo copulatur locus, sicut punctum, refertur ad indivisible quo copulatur locatum, et longitudo loci ad longitudinem locati, et latitudo loci ad latitudinem locati, et profundum unius ad profundum alterius. Et hæc circumscriptio active in loco est, vel sicut in forma: potest autem sumi sicut in formato in locato: et sic secundum eundem comparabile est locatum ad locum. Et hanc comparisonem dicit ubi secundum quod est prædicamentum.

Et sic potest quilibet advertere qualiter particulæ essentiales corporis quanti locati copulantur particulis loci: puncta enim locati aptantur punctis loci, et linea lineis, et superficies superficiebus, et profunda profundis, et ut breviter dicitur, dimensiones dimensionibus, et diametri diametris. Et ex hoc patet quod duo corpora simul in eodem loco esse non possunt: quia sequitur, quod puncta et dimensiones duorum corporum efficerentur essentialiter eadem, et sic duo corpora essent essentialiter unum corpus, quod est impossibile. Hoc autem

demonstrari habet in quarto *Phys*<sup>1</sup>. Eorum etiam quæ sunt in loco per se multi sunt modi, ut in sufficientia dicit Avicenna, de quibus nos in sequentibus faciemus mentionem quantum ad præsentem spectat intentionem: eo quod eorum subtilis tractatus pertinet ad scientiam physicorum.

### CAPUT III.

#### *De divisione ejus quod est ubi, in ubi simplex et compositum.*

Dividitur autem sic ubi, quod aliquod est ubi simplex, et aliud compositum. Simplex ubi est quod a simplici loco procedit, sicut est punctum simplex, linea autem et superficies quo simplicia et quo composita, trina autem dimensio simpliciter composita est. Compositum autem ubi est quod procedit a loco composito: ex quo enim ubi est circumscriptio procedens a loci circumscriptione, consequens est quod a simplici loco procedat simplex ubi, et a composito loco procedat ubi compositum. Quia vero jam in *Prædicamentis* ostensum est quod locus est quantitas, et nulla quantitas ita simplex est, quod non habeat quantitativas partes, ideo oportet nos determinare quid locum simplicem appellamus.

*Malus intellectus quorundam.* Non enim hic est male intelligendum, sicut quidam male dicunt, quod locus simplex dicitur non simplex, sed quoad nos qui secundum sensum est indivisibilis a nobis. Hoc nihil est dictum in logicis nisi secundum intellectum simpliciter accedere<sup>2</sup>. Sed dicitur quod locus simplex est origo et constitutio ejus quod est de numero continuorum. Constat autem ex his quæ de quantitate in *Prædicamentis* dicta sunt, quod origo omnium continuorum est indivisible simplex. Locus ergo indivisibilis simplex est indivisible simplex, quod est origo et constitutio continuatis loci secundum quod est quantitas.

<sup>1</sup> Super tex. com. 76.

<sup>2</sup> Id est, ponere illam expositionem est ince-

Hoc autem indivisible dicitur locus indivisibilis: quia satis diximus quando locatum egreditur a loco ad locum, non refertur ad locum nisi quia particulæ ejus ad loci terminum copulantur: et secundum hoc indivisible locati refertur ad loci indivisible, et divisible locati ad loci divisibile. Locus enim compositus et totus, ut dictum est in *Prædicamentis*, habet particulæ ad eumdem terminum copulatas, ad quem et particulæ corporis locati conjunguntur sive copulantur. Et hujus causa est, quia una numero est distantia loci et locati. Hic autem terminus copulationis est punctum. Loci igitur partes copulatæ juxta punctum vel in puncto necesse est fieri vel copulari. Erit itaque locus simplex, in quo punctum adjacens puncto locati adjacere constabit.

Si autem aliquis objiciat quod Aristoteles non dicit punctum esse in loco: et si in loco esse diceretur, non differret locus puncti ab ipso puncto. Dicitur quod non dicitur punctum esse in loco per se ut contentum: sed est in loco ut ad quem ut ad loci punctum contenti in loco referratur, et quoad hoc dicitur locus, ut patet ex ante habitis, et quia ad aliud non possunt loci particulæ et locati copulari nisi ad punctum loci. Ad dictum etiam Aristotelis dicendum quod punctum non est in loco per se: et si per se esset in loco, tunc sequeretur quod idem esset punctum et locus puncti. Nos autem dicimus quod non est in loco nisi secundum quod refertur ad copulationem particularum loci et locati: et sic dicitur locus simplex, et non quod locus simplex per se sit, locus enim simplex non est, sed est oppositio in adjecto et privat rationem loci. Et ideo locus simplex est locus secundum aliquid, quia scilicet ad loci et locati refertur copulationem.

Manifestum autem est ex inductis, quod loci particulæ non tantum quantitativæ, sed etiam essentiales prout est quantitas, ut punctum, et linea, et superdere leviter secundum intellectum.

Objectio.

Solutio.

ficies, claudunt, et continent, et terminant. Et sic loca simplicia punctualia vel linealia vel superficialia, sunt occupativa et contentiva et terminativa ejus quod est minimum et simplex corporis contenti et locati. Sic enim punctum ad punctum, et linea ad lineam, et superficies refertur ad superficiem, et profundum ad profundum, et diameter ad diametrum, et sic de aliis. Et hæc quidem secundum distantiam loci et locati eadem sunt substantialiter, relata autem ad continens et contentum differentiam habent loci et locati. Ex his autem omnibus concluditur, quod locus non potest esse sine corpore : oportet enim quod superficies alicujus corporis ultimum sit. Et quia non potest esse vacuum, oportet quod alicujus sit sicut contenti in ipso sicut in loco. Et similiter soliditas corporrea videtur non posse esse sine loco, hoc est, quin sit in aliquo sicut in loco.

**Objectio sophistica.** Et hoc sophistice quidam improbare videntur, dicentes quod omne terminatum in figura et quantitate est terminatum ad aliquid in quo finis est suæ terminationis : in nullo autem quod in mundo est, finis potest esse suæ terminationis : quia si intra est, essentiale est, et in ipso est esse suum : finis autem sive terminus est in quo nihil est de esse vel natura rei : oportet igitur quod terminet ad aliquid extra, et illud iterum ad aliud, et sic in infinitum, et sic infinitos mundos dixerunt extra cœlum esse. Hoc autem non concordat dictis Peripateticorum. Et ideo dicendum quod non omne terminatum terminatur ad extra, sed ultimum non habet terminum nisi superficiem quæ est terminus intra. Et quod ante dicitur, quod terminus intra est in quo non deficit esse terminati, Dicendum quod non oportet quod in ipso esse deficiat, sed quod deficiat ad ipsum, ita quod ultra ipsum nihil sit de esse, et ideo in ultima superficie est terminus et esse et loci.

**Solutio.** Hæc autem omnia probantur primo de *Cœlo et Mundo*, et requiruntur : quia ad scientiam istam non requiritur nisi scire

quod ita sit : ex naturalibus autem pendet probatio illorum. Nos autem propter facilem doctrinam istorum adhuc dicemus de istis quæ multipliciter sunt in loco, et quæ per se et naturaliter sunt in loco, sicut diximus. Adhuc etiam quodammodo datur locus: et per omnia ista adhuc de loco quædam sunt inquirenda dubitabilia ex quibus faciliter intelliguntur quæ dicta sunt.

#### CAPUT IV.

*Utrum primum cœlum sit in loco et qualiter diversimode sit in loco.*

Cum autem dictum sit quod locus et ubi semper sunt in diversis, locus enim semper est in locante corpore, ubi autem in locato, oritur hic contentio de ultima in ascendendo sphæra, quæ eadem prima est in descendendo, utrum ipsa in locante sit aliquo, vel non ? Locus enim semper est in locantis corpore. Si enim non est in loco, tunc non est etiam in ubi : et si non est in ubi, tunc videtur sequi quod non moveatur in ubi et secundum locum, et hoc est contra omnes Philosophos. Si autem in loco esse dicatur ut ubi, sic videtur esse falsum : quia locus est superficies exterioris corporis quæ est extra locatum : sed nihil videtur esse extra superficiem ultimæ sphæræ, cum ipsa ultimus sit terminus omnium. Si dicatur quod ipsa superficies locati locus sit, hoc stare non poterit : quia jam determinatur quod locus et locatum semper diversa sunt et diversorum, et ideo superficies locati, cum ipsius locati sit, non potest esse locus, sed quoddam locati vel locatum. Confitentibus igitur aliquibus sphæræ ultimam localem esse, procul dubio confitendum est et confiteri oportet, quod ultimam sphæræ sit aliud corpus circumdans, quod ultra sphæræ locum contineat. Sed constat, quod ultra ultimam sphæræ nihil aliud est nisi præter ipsam sphæræ et diversum ab ipsa. Oportet ergo dicere, quod ultima sphæra in alio

Quæstio.

sicut in loco non est. Extremitas ergo ultimæ sphæræ non est in loco neque localis.

Et dicunt quidam extremam superficiem et locum corporis cœlestis superficiem esse, et ipsam in loco non esse, quod est contra omnia quæ dicta sunt : quia tunc locus est aliquid locati, cum locatum moveatur ad locum, commovebitur ad aliquid quod intra se habet, quod est impossibile et contra naturam<sup>1</sup>. Et ideo dicunt quidam, quod hujusmodi insolitum est, et occultum est nuntiare aliquid certum de istis, cum ista propter elongationem nobis sint insensibilia.

Sciendum autem de istis, quod ea quæ sunt in loco, multipliciter sunt in loco. Quædam enim sunt in loco sicut in generante et salvante : et quia a generante et salvante motus est localis, ideo talia moventur ad locum, et sic in loco sunt mobilia motu recto, quæ indigent continentis exteriori ut salventur, et sic elementa et elementata mobilia motu recto sunt in loco. Alio modo sunt in loco quæcumque sunt ut locus et vas continens et salvans quæ sunt contenta ab ipso per virtutem salvantis primi, et sic sunt in loco quæcumque salvant, ut incorruptibilia existentia et in se omnia alia continentia, et sic est in loco totum corpus cœleste, quod in se salvativum est omnium aliorum, et ideo movetur circa locum. In his autem quæ primo modo sunt in loco, duo sunt motus. Unus quidem ad substantiam salvantis, qui est motus a medio. Alius autem ad virtutem salvantis, qui est motus ad medium : virtus enim sphæræ cœlestis non congregatur nisi in medio quod est centrum sphæræ cœlestis. His itaque duobus modis sunt in loco, quæcumque moventur ad locum vel in loco. Eorum autem quæ sunt in loco sicut salvantia et circumstantia, quædam sunt sicut salvans per se, sicut prima sive ultima sphæra : quædam autem sunt locus ut vas salvans

et non per se sed per aliud, sicut sphæræ inferiores, quæ habent alias extrinsecus circumstantes.

Secundum hoc ergo dicendum, quod prima sphæra est in loco ut primus locus et vas, et hoc est in loco, quia refertur ad locum, hoc est, ad loci distantiam sicut primum salvativum et omnium generativum secundum formam, et non sic referatur ad locum sicut habens extrinsecus circumdans, virtute cujus sit salvativum et generativum. Et hæc est vera solutio hujus quæstionis.

Ad hoc autem quod objicitur, quod locus et ubi sunt in alio et in alio, Dicendum quod hoc intelligendum est de his quæ sunt in loco sicut salvante et continente : in his enim salvans et continens non possunt esse idem cum salvato et contento. In his autem quæ sunt in loco, hoc est, referuntur ad locum sicut salvantia et continentia, non est generaliter verum, sed est verum in his quæ salvant et continent non per seipsa : in his autem quæ per seipsa ita non est verum, sed etiam sunt locus plus quam locatum, et ut locus quidem ad rationem loci referuntur.

Ad hoc autem quod objicitur ita moveri in loco vel secundum locum, Dicendum quod verum est, sed aliud est moveri in loco, vel secundum locum, aliud est moveri ad locum. Hæc enim vel ideo moventur, quia moventur in loci distantia undique æqualiter circa medium : vel moventur secundum locum, quia moventur secundum loci differentias et situs, quæ sunt ante et retro secundum situm polorum, et a dextro et sinistro secundum distantiam Orientis et Occidentis, et hujusmodi. Non autem moventur sic in loco, quod ad locum aliquem moveantur. His itaque modis sunt in loco, quæcumque per se in loco esse dicuntur. Nec oportet quod prima sphæra quæ per se habet loci rationem et non locati, habeat extra se

Objectio.  
Solutio.

Objectio.  
Solutio.

<sup>1</sup> Hanc opinionem attribuit D. Albertus (4 Physic. super tex. com. 43) ipsi Gilberto

Porretano, et in hac ipsum redarguit.

continens in quo sit sicut in loco continentis : nec propter hoc ibitur in infinitum, quia statur in prima sphæra quæ per se continet et salvat.

## CAPUT V.

*De proprietatibus ubi, quæ sunt non suscipere magis et minus et non habere contrarium.*

Caret autem ubi intensione et remissione, ita quod non dicitur secundum magis et minus. Et hoc probatur ex hoc quod non dicimus inter ea quæ in loco sunt, alterum altero magis esse in loco : non enim magis est in loco quod est sursum, quam quod deorsum : nec magis est in loco quod movetur circulariter, quam id quod movetur motu recto. Sed aliter et aliter dicitur esse in loco non secundum magis et minus. Quamvis ergo unum secundum quantitatem majorem locum possideat quam reliquum, non tamen magis est in loco unum quam alterum : quanto enim aliquid magis fuerit formale quam alterum, ut superiora quam inferiora, tanto possidet majorem locum, sicut aqua excedit quam terra, et aer quam aqua, et ignis quam aer, et cœlum maximum obtinet locum : magis enim et minus secundum intensionem et remissionem dictum, non dicitur secundum ubi vel secundum aliquam quantitatem, sed dicitur secundum qualitatem quæ potest intendi ex propriis secundum sui subjecti causas, vel remitti. Hoc igitur modo ubi proprium est (quod convenit omni sed non soli) magis et minus non suscipere.

Similiter autem proprium erit ubi non habere contrarium. Hoc proprium convenit omni et semper, sed non soli. In loco autem esse (quod est causa ejus quod est ubi) contrarietas non est. Quod autem nulli alii sit contrarium, per se manifestum est, quia contraria sunt in eodem genere. Alia autem a loco non sunt in eodem genere cum loco. Probatur autem etiam hoc, quia si habet contrarium, hoc

erit secundum quod Antiquis visum est, quod sursum ad deorsum sit contrarium propter hoc quod multum distare videtur id quod est sursum esse ab eo quod est deorsum, quemadmodum maxime distare videntur sursum et deorsum. Propter hoc contrarietas quæ est in ubi, maxime videtur pluribus circa sursum esse et circa deorsum. Sursum enim esse ubi est, et deorsum esse similiter etiam ubi est. In his ergo maxime videtur contrarietas in ubi : et quantitatis contrarietas maxime videtur esse circa locum.

Si autem sursum et deorsum concedant esse contraria, sequitur inconveniens, quod scilicet in eodem numero simul contingit esse duo contraria : sursum enim et deorsum diversis respectibus sunt in eodem loco vel ubi. Idem enim locus numero est sursum et deorsum ad diversa sumptus vel comparatus, sicut patet in exemplo : quia turris altitudo sursum est ad nos comparata aspicientibus ab imo in sublime : comparata autem ad sphæræ celestis altitudinem est inferius et deorsum. Amplius ex hoc sequitur, quod idem sibimet ipsi erit contrarium. Si enim sursum et deorsum contraria sunt, cum idem numero locus sursum et deorsum sit, colligitur per syllogismum idem sibimet esse contrarium. Nulla igitur contrarietas est in ubi. De his autem omnibus patet (quæ dicta sunt) quod contraria sunt secundum formas suas absolutas contraria, et hoc non variatur in ipsis per respectum ad hoc vel ad aliud. Et ideo si sursum et deorsum contraria essent, essent in eis formæ contrariæ, quæ in eodem esse non possunt, sive comparentur ad diversa, sive non comparentur. De his tamen omnibus quantum ad logici spectat intentionem, in libro *Prædicamentorum* in tract. de *Quantitate*, satis determinatum est. Et his igitur patet de omnibus propriis ejus quod est ubi. Si autem querat aliquis quare hic non designatur proprio proprium ejus quod est ubi, et similiter in quando, cum proprium commune cognoscatur ex eo quod est vere proprium,

objectio.

Solutio. et sic ponendum esset verius proprium quam commune, Dici potest, sicut dictum est in tractatu de *Quando*, quod scilicet proprie proprium ubi intelligitur satis ex prædictis, quod scilicet convenit ei æquale esse ad id in quo est, hoc est, ad corpus, quod est causa ubi per circumscriptiōnem, quod ubi est circumscriptum, et convenit ei æquale esse ad id ex quo sicut ex causa procedit, et alia hujusmodi quæ facile est assignare. Posset tamen dici in ambobus his principiis, quando scilicet et ubi, quod substantia eorum in comparatione est considerata: et non

Alliter.

multum substantiæ habet in ratione, et minus habet in esse naturali: et ideo in substantia istorum non multa radicantur proprie propria sicut in illis quæ habent absolutas essentias: et ideo maxime substantia habet talia propria, et quantitas post substantiam, et post quantitatem qualitas, et ad aliquid habet ea secundum dici. Alia autem non habent de propriis hujusmodi, et ideo non ponuntur. Et ideo puto quod hæc ratio vera est, quia hic proprie propria non ponuntur. Et hæc de *Ubi* dicta sufficient.

---

**T R A C T A T U S   V I**

## DE POSITIONE.

## CAPUT I.

*Quid sit positio secundum quod est prædicamentum.*

Positio secundum quod est principium vel prædicamentum, est quidam situs partium et generationis ordinatio. Situs enim communior est quam positio sit: quia situs dicit ordinationem partium quantitatis, et in mathematicis magis refertur ad locum quam ad partes superficie inter se vel in loco comparatas. Sic autem mathematica situm habent. Et quia magis dicit ordinationem in loco, propter hoc differentiæ loci dicuntur etiam differentiæ situs, sicut sursum et deorsum, et dextrorum et sinistrorum, et ante et retro. Cum autem sic communiter dicatur situs magis quam positio, non tamen ad positionem generis habet communitatem, quia tunc positio non esset genus primum: sed habet analogiæ communitatem: propter quod prius dicitur de naturalibus, et posterius de mathematicis. Adhuc cum situs per prius dicat ordinationem partium in loco, et per posterius dicat ordinationem in toto. Positio autem e converso per prius dicit ordinationem partium in toto et per posterius dicit ordinationem in loco. Propter hoc ut determinetur situs, in assignatione positionis dicitur, quod positio est situs partium quidam. Non omnis situs est proprie et principaliter dicta positio, sed est *quidam*, ut dictum est.

Si autem objicitur quod secundum hoc nomen ambiguum ponitur in diffinitione, quod est situs, Dicendum quod (sicut sæpe Dictum est) assignationes generalissimorum non sunt diffinitiones proprie acceptæ, sed sunt assignationes qualescumque declarationis majoris quam nomen. Et in talibus assignationibus talia ambigua determinata sic a parte suæ ambiguitatis poni consueverunt. Et ideo dicit, quod est situs. Nec situs est idem quod positio: quia sic assignatio esset nugatoria: sed vocamus quod positio ex sui communitate, quæ tamen non generis est, ut dictum est.

Objectio.

Solutio.

Quod autem dicitur *partium situs*, ideo est quod positio plus dicit ordinacionem partium in toto quam in loco, et determinatur ad hoc situs et restringitur cum dicitur quidam situs.

Quod autem dicitur *et generationis ordinatio*, ideo dicit quod generatio ejus quod habet partes et integrales et quantitatem, et ex partium ordinata compositione, nec generari potest nisi per hanc. Et ideo generatio ipsa per formativam virtutem (quæ in generatione operatur ad formam generati) operatur talium partium ordinationem. Et ideo generatio hic ponitur ut talis ordinationis propria causa. Et ideo male dicunt qui exponunt generationem pro generante. In aliis autem quibus non est generatio, et tamen est partium ordinatio, similis causa est: forma enim totum terminans, *causa* est ordinationis partium ad hunc vel illum situm, cum omne quod habet partes, ex partibus componatur suis, sive sit gene-

rabile, sive sit ingenerabile. Tunc distinguendum est, quod quoddam compositum habet sua componentia actu intra se, non ante se nisi per naturam et intellectum : et hoc modo est generatum. Et quoddam est quod sua componentia habet actu ante et extra se, et hoc est generabile. Et propter hoc quando partes convenient ad compositionem, tunc generatur ex ipsis. Sic ergo intelligendum est cum dicitur, et quædam generationis in partibus scilicet generantibus ordinatio.

Quod autem copulatio *et* in medio ponitur, et per hoc id quod dicitur in assignatione, non videtur esse unum, sed congregatum ex pluribus non essentialiter unum constituentibus, Dicendum quod copulatio quæ in medio ponitur, notat expositionem, et non diversorum copulationem. Hoc enim quod est positionem quemdam situm esse, id est, et non omnem situm esse positionem. Posset esse dubium quis et qualis situs esset ; et ideo additur, *et*, hoc est, id est generationis ordinatio, quæ partes ad invicem ordinat et ad totum ut sub forma totius formæ debito modo terminatae ad totum constituendum. Dico autem partium ad invicem, quia oportet partem duplēm habere ordinationem, unam scilicet ad comparere cum qua secum convenienter constituit totum in quantitate et figura. Alium autem habet ordinem ad formam totius omnes partes terminantem ad esse totius et omnes partes continentem. Nomen enim quod talis ordinationis formam dicit, secundum quam partes ad invicem et ad totum referuntur primo et ad locum quem habent in loco totius, illud idem nomen recte prædicat positionem, sicut supra vel infra in toto poni, vel æque, vel non æque sive intra extrema poni sive extra extrema, vel hujusmodi. Hoc igitur est genus positionis.

Hujus autem subalterna sunt vel æque vel non æque poni, vel flexe vel recte poni, sicut stante, vel sedente. Specialissima autem sunt, ut sessio, vel statio.

Individua vero, ut statio Socratis, sessio Platonis, et hujusmodi.

## CAPUT II.

*De his quæ sunt positiones veræ, et de his quæ videntur et non sunt.*

Positio igitur est secundum quam alia dicuntur sedentia et stantia et adjacentia quæ vere dicuntur positiones. Quia sedens est, cuius spondyli recte renibus porríguntur, sed crura non porríguntur ad inferiora ad sustentationem. Jacens autem, cuius dextrum vel sinistrum reliquo incumbit lateri. Stans autem, cuius superiora recte cruribus incumbunt. Accumbens autem, positio est composita ex adjacere et sedere, sicut reclinatio a dorso facta, cum tamen adhuc inferioribus superiora insidunt.

Secundum etiam positionem dicuntur lenia vel aspera, vel quomodolibet aliter secundum situm disposita, hoc est, secundum ordinem partium posita : quamvis lenitas et asperitas multipliciter possint considerari, sicut dictum est in *Prædicamentis*. Possunt enim considerari secundum ordinationem quam facit generatio totius ex partibus, et pro certo positiones sunt. Possunt etiam considerari secundum hoc quod in sensu agunt per acutum, vel hebes, vel non angulos, et sic procul dubio sunt passibiles qualitates. Possunt etiam considerari per modum quo componunt totius figuram et claudunt in angulo terminationem, et sic pro certo sunt qualitates quæ sunt formæ vel circa aliquid constantes figuræ.

Attendendum est quod sedere et jacere et alia quæ a positione denominative dicuntur positiones non sunt, sed a positionibus denominative dicta et de substantia posita prædicata.

Ex his autem quæ dicta sunt solet induci quæstio de curvo et recto, aspero et leni, quadrangulo et triangulo, bicubito et tricubito, et magno et parvo, et brevi et longo, utrum ista dicant differentias po-

sitionum vel non : omnia enim hæc quamdam partium positionem sive dispositionem significare videntur, et ita videntur differentias positionis prædicare. Curvum enim, ut dicit Plato, est cujus medium exit ab extremis, et sic partium medium dicit ordinem ad extremas. Rectum autem est, ut idem dicit Plato, cujus extrema medium tegunt ne videri possit cum extremo : et hoc iterum dicit ordinem mediorum ad extrema. Asperum vero, cujus partes non in una jacent superficie plana, sed extra superficiem porrigitur ; quod iterum partis expressæ et partis eminentis ad superficiem dicit ordinationem. Lene autem est, cujus partes æque jacent in planitie. Quadrangulum autem et triangulum et poliangulum considerari possunt tripliciter. Si considerantur secundum latera recte ad angulos terminata, positionem partium videntur dicere. Si autem consideretur clausionis linearum modus, tunc dicunt figuram et qualitatem. Si autem ad actum referuntur prout agunt in sensum, tunc videntur hæc dicere passibiles qualitates. Bicubitum autem et tricubitum et sic deinceps dupliciter considerantur, scilicet prout dicunt species quantitatis quæ substantiæ mensura est, vel prout sunt termini invicem membrorum totum constituentium, sicut junctura manus ad brachium, et brachii ad juncturam : sic enim ordinem dicunt quantorum ad tales modum quantitatis totum constituentium, et sic videntur dicere positiones. Eodem modo considerantur magnum vel parvum vel simpliciter secundum quantitatem, et sic non sunt positiones. Considerantur etiam secundum proportiones ad partes et ad totum secundum quod magnum cum toto vel parvum constituit, et sic videntur dicere positiones. Idem enim per omnia de brevi et longo. Si enim considerantur simpliciter, dicunt quantitates : si autem secundum proportionem, ut auris brevis rotundo capiti,

et oblongo capiti auris longa, sic aliquo modo differentiae videntur dicere positionem. Sic ergo asperum dicitur, cujus partes supereminent sibi invicem. Lene autem dicitur, cujus particulæ æqualiter porrectæ sunt. Et eodem modo est de omnibus his quæ partium in toto et in loco totius dicunt quamdam ordinationem.

Solutio tex-tus.

Attendendum ad quæstionis inductæ solutionem, quod non omnia quæ dicta sunt, dicunt positiones vel positionis differentias, sed sunt qualia atque etiam qualitates circa situm existentes. Ex eo enim quod partes sic vel sic in toto vel in loco totius dispositæ sunt, ex eodem tales vel tales sensibus inferunt passiones, pungendo, vel non pungendo : et ex eodem quod sic sensibus passiones inferunt, talia sive qualia esse a sensibus judicantur. Et ideo in talibus positio partium est causa talis vel talis sensus, et non e converso, eo quod tales sensibus inferunt passiones et sunt talia secundum sensum, efficitur quod sunt aspera vel lenia, vel bicubita vel tricubita. Unde positio causa est sensibilitatis, et non e converso. Similiter autem est in aliis hujusmodi, quæ partium habent dispositionem in toto et in loco totius. Erit ergo unumquodque prædictorum non positio principaliter, sed erit dicens quale quoddam circa positionem vel situm<sup>1</sup>. Hoc autem ideo quia nomen magis est impositum effectui quam causæ, eo quod sensui effectus magis notus est, quam causa. Unde cum situs causa sit sensibilitatis in tactu, quod scilicet sic vel sic secundum tactum id quod positum est, sentiatur, erunt ista nomina qualitatum ex situ et circa situm causatarum et dictarum.

### CAPUT III.

*De proprio communi positionis quod est non suscipere contrarietatem.*

Videtur autem positio sive situs contradictis hic. JAMMY.

<sup>1</sup> Hujus oppositum videtur dicere D. Albertus in tract. de *Qualitate*, cap. 8. Solutio patet ex

Dubitatio  
textus.

trarietatem habere secundum apparentiam : sedere enim ad id quod est stare, videtur esse contrarium secundum quamdam contrariorum rationem. Contraria enim sunt, quæ in uno et eodem individuo et in eodem tempore impossibile est reperire, sed vicissim eidem possunt inesse. Sedens autem postquam surrexit, stare poterit, et stans sedere postquam steterit : sed aliquo sedente impossibile est aliquem eumdem stare dum sedet : et sic cum sessio et statio vicissim eidem inesse possint et nulli simul, videntur esse contraria sessio et statio : et videtur habere positio contrarium, quia una species positionis alteri esse videtur contraria.

Solutio tex-  
tus.

Si autem propter hanc rationem hujusmodi quæ dicta sunt ponamus esse contraria, cogemur recipere inconvenientia hæc quæ dicentur. Primum quidem, quod idem secundum idem pluribus sit contrarium. Quamvis enim Aristoteles<sup>1</sup> dicat, quod unum potest esse pluribus contrarium, sicut involuntarium per ignorantiam, et involuntarium per violentiam opponuntur ambo involuntaria voluntario, non intendit Aristoteles quod secundum idem duo opponantur uni : quia hoc est impossibile. Hoc autem in his quæ dicta sunt si conceduntur esse contraria, sequitur quod secundum unum et idem duo opponantur uni contrarie. Si enim confirmamus contraria secundum regulas contrariorum, invenimus quod id quod est stare, non magis est sedere contrarium quam accumbere. Sicut autem sedere et stare nunquam sunt in eodem simul, ita neque stare et accumbere vel sedere : et secundum hujusmodi disputationem nulla inherit situi sive positioni contrarietas : quia hoc procul dubio verum est, quod tantum unum uni secundum idem opponitur et eodem oppositionis genere.

Objectio  
textus.

Adhuc autem fortasse dicet aliquis quod non inconveniens est nec insolitum unum esse pluribus contrarium : palli-

dum enim ad album et nigrum videtur esse contrarium per hanc regulam contrariorum et rationem, quod sint in eodem genere proximo quod est color, et nunquam simul secundum idem inveniuntur in eodem, sed mutuo se expellunt ab eodem susceptibili et vicissim possunt uni et eidem inesse quod secundum ea transmutatur. Ex hoc forte videtur, quod unum pluribus possit esse contrarium secundum idem.

Quod tamen non est verum : quia Solutio tex-  
tus. pallidum ad nigrum et album non est contrarium secundum quod contraria sunt quæ maxime distant sub eodem genere. Horum enim unum nihil participat de reliquo, sicut album et nigrum, calidum et frigidum, et dulce et amarum, et alia his similia. Pallidum enim et alii medi colores ex albo et nigro conficiuntur et commiscentur : propter quod necessarium est in quocumque pallidum est, in eodem esse aliquo modo album et nigrum. Similiter autem est de cæteris coloribus mediis. Non ergo videtur esse contrarium albo et nigro. Et veritas hujus est, quia Aristoteles<sup>2</sup> dicit quod medium comparatum extremo est extremum : quia comparatur extremo propter oppositionem alterius extremi, quod est in ipso essentialiter constituens ipsum. Et sic pallidum comparatur nigro per album quod est in ipso, et opponitur ei contrarietatis modo aliquo : et comparatur albo per nigrum quod est in ipso, et opponitur ei contrarietatis modo quod secundum non plenam oppositionem, sicut habent simplicia extrema quæ maxime distant eorum quæ sunt sub eodem genere. Patet autem ex hoc, quod pallidum non opponitur pluribus secundum idem, sed secundum plura quæ sunt in ipso : et hoc non est inconveniens.

Amplius autem et ad ea quæ inducta sunt dici potest, scilicet quod contrariorum ratio et regula est, quod circa idem nata sunt existere quod est susceptibile Alia soli  
textus  
primam  
jectionem.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 3 Ethic. cap. 4.

<sup>2</sup> Id. In 5 Physic. tex. com. 52.

utriusque, nisi alterum insit per naturam, ut in *Prædicamentis*<sup>1</sup> dictum est. Sedere autem et jacere si concedantur esse opposita ex alia ratione, tamen ex hoc patet quod non sunt contraria: quia non semper circa idem specie et numero nata sunt fieri, sed sejuncta sunt susceptibilia eorum. In quibusdam enim sedere rationalibus convenit proprio: jacere autem et accumbere etiam convenit irrationalibus quæ rationalibus sunt adversa. Hujus autem signum, quod equus et homo in hoc similia sunt, quod sine dubio probata ratione convenit utrisque et jacere et accumbere. Sedere autem non proprio convenit nisi homini soli. Aliquid igitur jacet et accumbit cui sedere non convenit, sicut equus. Sedere igitur et stare et accumbere non semper nata sunt fieri circa idem. Sequitur ergo quod hæc non vere sunt contraria, quamvis modum aliquem habeant contrariorum. Sic ergo situi vel positioni convenit non habere contrarium: et in argomento primo quo stare et sedere probari videntur esse contraria, paralogismus est constans ex eo quod non sufficienter enumerantur ea quæ exiguntur ad hoc quod aliqua vere sint contraria. Et hoc est proprium commune quod convenit omni semper, sed non convenit soli, sed pluribus etiam aliis prædicamentis.

## CAPUT IV.

*De proprio positionis, quod est non suscipere majus et minus.*

Adhuc autem communiter proprium positionis est, neque cum magis, neque cum minus dici per comparationem intentionis et remissionis. Sedere namque cum sit positio quædam, non magis et minus est positio, quam accumbere, vel stare, quæ etiam sunt positiones. Similiter autem in eadem specie positionis sedens vel stans, non dicitur minus altero magis sedens vel stans. Et universaliter loquendo

secundum nullam positionem dicitur aliquid secundum magis vel minus altero<sup>2</sup>. Sicut ergo ab inductione concluditur, quod positioni proprium est non suscipere magis et minus: habere enim contrarium causa est ejus quod est magis et minus secundum quod minus est magis habere de contrario, ut dicit Aristoteles.

## CAPUT V.

*De proprio proprio positionis, quod est substantiæ proxime assistere.*

Magis autem et convertibile proprium quod convenit omni soli et semper, videtur proprium esse positionis substantiæ proxime assistere inter ea quæ assistunt substantiæ. Quædam enim accidentia dicuntur esse quæ simpliciter insunt: quædam autem assistunt plus quam insunt, quæ non simpliciter sunt, nec causantur ab extrinsecis subjecti, sed causata ab intrinseco secundum ea subjecta comparentur ad alia, sicut et relatio, et quando, et ubi, et positio, et habitus. Et est hæc distinctio quam primus invenit Auctor libri *Sex principiorum* Gilbertus Portolanus.

Proprium igitur positionis est, quod inter assistantia proxime substantiæ assistat, ac proximiū assistat substantiæ omnibus aliis formis quæ assistere substantiæ suppositæ sunt. Hoc autem syllogismo probatur per diffinitionem positionis: substantiæ enim positio nihil aliud est quam naturalis substantiæ secundum hanc vel illam positionem ordo. Naturalis enim ordo secundum sessionem est sessio, et naturalis ordo secundum stationem est statio, et sic de aliis positionibus. Hæc autem naturalis ordinatio vel a principio quidem compositionis substantiæ innata est ipsi substantiæ: aut innata est ipsi substantiæ consueto motu naturæ. A principio quidem compositionis, sicut

<sup>1</sup> In tract. de *Qualitate*, cap. 41.

<sup>2</sup> Juxta illud 4 Topic., albius est illud quod

nigro est impermixtius.

in leni, et aspero, vel æqualibus secundum superficiem, vel inæqualibus secundum eamdem, sicut sunt plana et hispida : naturæ autem motu flexura membrorum, sicut est sessio, et statio, et alia hujusmodi.

Et quia proprie proprium convertibile est, ideo sequitur quod quidquid proxime substantiæ inter assistentia assistens est, id secundum veritatem positio est, quæ hujus rationis propriam suscipit prædicationem : inter assistentia enim proximum substantiæ dicitur positio, et non inter inhærentia ; non enim habent positionem nisi pro quantitate distensa : et sic patet quod quantitatem sibi ut substantiæ proximiorem supponit positio. Adhuc cum quantitas causetur a forma in composito, positio autem sit ordinatio compositorum, quorum activa est causa, quantitas non proximior est substantiæ quam positio, præcipue cum non tantum dicat ordinationem partium in toto, sed etiam ordinationem partium in loco : quem locum habent partes in loco totius.

Assistere autem dixit Gilbertus has formas quæ rationem non trahunt ab hoc quod insunt substantiæ, sed ab eo quod per ipsas substantia ad aliquid extra se ens comparatur, sicut relatio, et quando, et ubi, et positio, et habitus, quorum nullum nomine suo dicit quod insit, sed nomine sui generis tantum vel substantiæ vel accidentis, sed nomine proprio dicit substantiæ comparationem exterius ad aliquid, sicut relatio, et quando, et ubi, et hujusmodi. Relatio enim ut relatio et non ut accidens substantiæ dicit comparationem secundum id quod

est. Et similiter est de aliis, quamvis non relationis dicant compositionem, sed loci, vel temporis, vel ordinis, vel alicujus hujusmodi. Et quia hæ formæ assi-stunt potius quam insunt, ideo dixit idem Gilbertus quod secundum tales mutationes formarum non proprie mutatur substantia, sed talibus formis mutatis substantia manet immutabilis, sicut pater est vivente filio, et non pater filio mortuo sine mutatione sui. Sic etiam dixit de aliis, ut quando, et ubi, quibus nihil mutatur eorum quæ in substantia sunt quando mutatio fit secundum quando vel ubi : nec est in substantia vel accidente (quod sit in his) fieri mutationem necesse : quod esse non posset si simpliciter istæ aut aliæ formæ inessent. Dixit ergo Gilbertus quod non insunt proprie sed assistunt quasi extrinsecus, et ideo mutationes secundum ipsas possibile est fieri, nulla mutatione facta in substantia vel in aliquo accidente ipsius.

Inter assistentia autem positio, ut dictum est, proximus assistit, et inter omnia relatio proximus assistit : quia sola ista secundum id quod est non est nisi alterius. Quando autem et ubi me-dio modo assistunt : quia in his in subjecto fit aliqua mutatio. Aliquid enim in præterito abjicitur, et aliquid acquiritur in futuro. Et similiter ubi totum mutatur de loco ad locum. Sed habitus plus as-sistit quam relatio, quia habitus mutatur ad formam habentis. Actio autem et pas-sio cum sint a principiis interioribus, non numerantur inter accidentia vicissim, sed inter ea quea insunt simpliciter absolute. Hæc igitur de positione dicta sunt.

**TRACTATUS VII**

## DE HABITU.

## CAPUT I.

*Quid sit habitus secundum quod est prædicamentum.*

Habitus autem est corporum et eorum quæ circa corpus sunt adjacentia, secundum quam hæc habere, illa vero haberi dicuntur : habitus enim est habentis, et in habente est habitus, et de illo prædicatur per denominationem. Unde secundum quod est accidentis, sic est in habente ut accidens in subjecto. Cum autem dicitur, quod habitus est *corporum*, hoc ipsum quod dico corporum, est in habitudine causæ finalis : quia propter corpus quæritur habitus. Cum autem dicitur, et *eorum quæ circa corpus sunt*, tangitur causa materialis, scilicet ex qua sumitur habitus. Et cum dicitur *adjacentia*, tangitur modus accidentis illius quod est habitus. Adjacentia enim habitus ad corpus dicit naturam illius accidentis : hoc enim adjacens est ut camisia, et ab hac dicitur camisiatus : et aliquid adjacet ut tunica, et ab hoc dicitur tunicatus, et similiter armatus, calceatus, et alia hujusmodi. Habitus igitur secundum quod est prædicamentum, est habitudo corporis ad circumstans, quod figuram corporis tam vel talem accipit : quia ab hac vel ab ista figura dicitur capatus, vel tunicatus, vel calceatus, vel aliter secundum habitum vestitus. Forma igitur quæ est in corpore vestito, secundum quam ad circumstans extra comparatur et denominatur, est res hujus prædicamenti, et nomen significans illud hujus prædicamenti

nomen existit. Hoc igitur prædicamenti nomen est significatum : et patet quod talis forma in nullo aliorum importatur prædicamentorum : et propter hoc specialiter exigit prædicamentum, quod est unum de generalissimis, cuius subalterna sunt vestitum esse, et armatum esse. Specialissima sunt autem esse tunicatum, capatum, loricatum. Individua autem loricatum esse Socratem, vel Platonem esse tunicatum, et hujusmodi. Quod autem additur, *secundum quam hæc dicuntur habere*, hoc autem haberi, specificatio est habitudinis inter habens et habitum : in hoc enim quod est figuram dans et ut causa finalis dicitur habens : hoc autem quod figuram est accipiens alterius propter alterum assumptum, dicitur habitum.

Hoc autem speciale est in hoc prædicamento sive principio, quia hoc simpliciter inesse dicitur, sive sit secundum totum, sive sit secundum particularem divisionem : in aliis autem quod secundum totum inest, simpliciter dicitur inesse : quod autem secundum partem inest, non simpliciter, sed secundum quid dicitur inesse, ut Æthiops albus est secundum quid et non simpliciter albus : hic autem quod secundum partem inest, simpliciter dicitur inesse, ut calceatus secundum pedem, simpliciter dicitur calceatus, et annulatus secundum digitum, simpliciter annulatus dicitur esse. Est igitur habitus simpliciter, sive sit secundum totum, si ve sit secundum partem dictum, ut annulatum quidem esse secundum digitum, et calceatum esse quod inest secundum partem, cum tamen utrumque dicatur simpliciter.

His autem neque rebus quæ habitus sunt et formis quæ habitum prædicant, simplicia quidem nomina imposita sunt, quibus ea quæ habitus vere sunt appellantur. Simplicia autem dico nomina, quæ vere primitiva sunt, et unum tantum significantia absolute, non in comparatione ad alia. Talia enim nomina non habent genera et species habitus, sed dicuntur habitus nomina, ut armatio, et calceatio, quorum primum ab armis derivatur, et habitudinem significat : quia corpus armis proportionatur et comparatur. Secundum autem derivatur a calceo et habitudinem notat, qua pars corporis calceo comparatur. Secundum autem derivatur a calceo et habitudinem notat, qua pars corporis calceo comparatur et proportionatur. Et similiter autem est in reliquis omnibus, quæ generum vel specierum habitus nomina esse dicuntur, ut vestitio, capatio, tunicatio, et hujusmodi. Propter hoc enim quod ex duobus causatur, et uni debetur ut habenti, reliquo autem ut habito, ideo ab uno simplici nomen imponi non potuit, sed oportuit quod ab aliis derivaretur. Quia vero habentis est habitus et non habiti, ideo oportuit quod denominative nominaretur ut capatus, calceatus, et hujusmodi.

Quia vero in exterioribus est habitus, non interioribus, ideo id quod est secundum partem in quibusdam refertur ad totum : quia qui secundum pedem calceatus est, simpliciter dicitur calceatus esse: et galeatus simpliciter dicitur, qui secundum caput galeatus est. Hoc autem est in his in quibus habitus partis est pro toto. Calceatus enim secundum pedes, pro toto est ealceatus, quia pedes totum protegunt, et annulatus secundum digitum, simpliciter est annulatus, quia annulus digiti est ornamentum totius. In quibus autem id quod est partis, ad totum referri non potest, non ita : protectus enim secundum lumbos, non simpliciter est protectus, ut velum capitis habens, est simpliciter velatus : et similiter est in aliis.

In naturalibus autem quamvis intrinseca et extrinseca circumdantur, tamen est habitus secundum modum, et non secundum veritatem, ut carnatus, et incarnatus, et inossatus, et medullatus : hæc enim non vere sunt habitus, sed partes corporis secundum substantiam constitutam, quamvis ad modum habitus sint dicta ista. Et ideo ista non dicuntur habitus, sed partes substantiæ dicuntur ad modum habitus, ut dictum est.

## CAPUT II.

*De propriis communibus habitus, quæ sunt suscipere magis et minus, et non habere contrarium.*

Suscipit autem habitus magis et minus secundum aliquem modum, sed est proprium quod non convenit soli, nec semper : dicitur enim eques pedite armator, eo quod magis paratus est ad defendendum et ad impugnandum : quia instrumento bellico quod est equus paratus est, et equo utitur ut habitu armorum magis quam utatur eo ut vehiculo : et hoc modo equus ut instrumentum bellicum est in genere habitus, sicut et gladius cum dicitur aliquis gladiatus, vel lanceatus, vel aliquo alio instrumento bellico denominatus : et hoc modo secundum aliam speciem habitus calceatior est, qui caligis et calceamentis utitur, quam qui solis utitur caligis. Hoc autem convenit habitui secundum alias species ipsius : in quibusdam enim habitibus non est verum : quia cum magis et minus prædicentur, sicut vestitum esse, vel tunicatum esse, et similia. Unus enim alio vestitior non est qui pluribus utitur vestibus, quam qui paucioribus ; vel qui melioribus, quam qui pauperioribus utitur indumentis. In habitu enim quædam in specie comparantur secundum magis et minus : vestitum enim esse genus est ad tunicatum, et togatum, et pelliceatum : sicut armatum genus est ad loricatum, vel gladiatum, et lanceatum, vel in equestri bello esse, ut

ita dicam, dexternatum vel equitatum. Sed in genere armorum recipit magis et minus secundum genus et speciem. Sed in genere vestimenti in neutro suscepit magis et minus. In genere autem calceamentorum suscepit magis et minus.

**Prima obiectio.**

Videtur tamen etiam quod in genere vestimentorum suscepit magis et minus : dicitur enim unum magis vestitum esse quam aliud, et alterum minus vestitum, sicut dicimus unum magis calceatum quam aliud. Adhuc autem queratur causa, cum unus sit armatior quam aliis, et unus calceatior quam aliis, quare unus vestitior quam aliis non est ?

**Ad primam et secundam.**

Ad hoc autem dicendum quod vestimentum refertur in uno usu tantum, qui est calorem fovendo tegere : tegitur autem corpus simpliciter et totum uno quocumque vestimento, et non tegitur plus pluribus quam uno : et ideo quoad hunc actum habitus cum magis et minus non praedicatur. In calceis autem et armis non sic est. Arma enim non ad unum sunt belli actum, sed quædam sunt impugnationis, quædam defensionis, quadam talis vel talis invasionis. Et haec commnia respiciunt bellum et belli proprios actus in defensione et in impugnatione : et ideo armatior est, qui ad plura (que belli sunt) paratior est. Similiter est de calceamentis quæ non queruntur ad tegimen pedis tantum, sed etiam ad viæ expeditionem, ut pes melius et a nocentis defendatur et facilius moveatur et in præsenti motu minus arceatur : et hoc modo calceatior est, qui ad plura talia ex calceis et caligis paratior est. Similiter etiam in ornatu, quod ornatior est, qui ad plures decores ornatior et paratior. Sed in vestitu ut vestitus est, non est nisi usus unus qui est tegenda conservare; et ita corpus tegitur uno sicut pluribus, et ita uno sicut multis : nec minus tectus est qui uno regit, dummodo uno totus et per totum tegatur, quam qui multis tegitur : et vestitum esse non est cum magis et minus. Hoc igitur proprium est quod

nec convenit omni, nec soli, nec semper.

Habitui autem nihil est contrarium : et hoc est proprium quod convenit omni et semper, sed non soli. Hoc autem probatur inducendo et exemplorum positione. Armatio enim non est contraria vestitioni vel calceationi : quia si esset contraria, non posset simul esse in eodem. Idem autem simul et semel est armatus, calceatus, et vestitus. Quod autem aliis nihil est contrarium habitibus, palam est. Simile est in aliis sicut in istis, sicut facile est videre inducenti species et genera habitus. Et quia non suscepit contrarium, ideo etiam non simpliciter suscepit magis et minus. Magis enim et minus sunt secundum unam et eamdem formam separatam a contrario magis et minus. Quando autem dicimus aliquem esse magis armatum, vel calceatum, vel ornatum, non dicimus secundum unam aliquam eamdem formam, quæ insit habenti habitum : sed hoc referendo ad actum quæ proficit armatio vel calceatio vel ornatio : et hoc non est intensio vel remissio proprie : quamvis enim præparatio sit una ad actum hunc vel illum, cum præparantia non sint unum nisi in quantum sunt armantia vel calceantia vel ornantia, tamen quia haec non armant vel calceant vel ornant secundum unam et eamdem potentiam præliandi vel eundi vel ornandi, ideo non relinquunt formam unam nisi in comparatione ad actum unum communem, ut diximus. Et ideo etiam non proprie habitus suscepit magis et minus, sed per comparationem ad actus perfectionem, ut dictum est.

Hoc autem ex hoc plane videri potest, quia non habet simpliciter contrarium, nisi genus quod est qualitas : ideo etiam nihil simpliciter suscepit magis et minus nisi qualitas : habitus ergo non suscepit magis et minus, nisi in comparatione ad actum alicujus in comparatione ad quem habitus est perfectior. Quod etiam actio et passio suscipiunt magis et minus, ideo

oportet quia actio et passio causantur ab activis et passivis qualitatibus<sup>1</sup>.

### CAPUT III.

*De proprio proprio habitus quod est semper in pluribus esse.*

Proprium autem habitus est quod convenit omni soli et semper, quod in pluribus sit quod non in uno, scilicet in corpore sicut habente, et in his quæ circa corpus sunt habita, sicut in vestitu, et armis, et ornatu: nec unquam potest esse in uno nisi cum alio: habitus enim est forma quæ non inest habenti, nisi sit cum eo quod actu habetur ut circumdans corpus: et hoc non est in aliquo coordinationis prædicamento, sicut facile patet in omnibus, ut in ubi et quando. Sed in *ubi* quidem, *ubi* est in eo quod est in loco<sup>2</sup>, et nullo modo est in loco: cuius ratio, quia locus non est ubi vel alicubi, quia aliter iretur in infinitum. Similiter *quando* est in tempore sicut in causa, sed tamen non necessario est cum tempore: quando enim ex præterito non necesse est esse cum præterito, quia id præteriit. Sed in habitu nunquam vere inest habitus habenti, nisi quando habitus circumdat habentem.

Soli igitur habitui convenit hoc non in uno, sed in pluribus semper existere: habitus enim est adjacentia corporis, et est eorum quæ sunt circa corpus. Adjacet autem corpus habitui ut causans figuram totius vel figuram membra quod induitur vel armatur vel ornatur: habitus autem adjacet corpori ut circumdans ipsum, et sic utrumque diverso modo adjacet alteri. Et hæc adjacentia duplex causa est adjacentiæ quæ est habitus: unde corpus adjacet habitui, et habitus corpori. Et hæc duæ adjacentiæ causant adjacentiam, quæ importatur per nomina specierum et generum habitus, ut loricatus, annulatus, tunicatus, et generali-

ter armatus, vestitus, vel ornatus. Quod autem habitus in pluribus semper sit secundum eamdem divisionem quæ est in partibus, non quidem in partibus habentibus positionem, ut quidam male dicunt: sed ideo sit quia divisio est in his partibus in quibus ut partitis et divisis est habitus: et hæc sunt habens quidem in parte una, et habitus in parte alia, quæ substantialiter divisa sunt et nullo modo unita. Quod autem genus vel principium sic sit in pluribus, in paucis invenies. Non enim invenies rem alicujus principii vel prædicamenti sic esse in pluribus, nisi in quadam quantitate, et in quibusdam quæ sunt ad aliquid. In ad aliquid quidem ut figuraliter dicatur secundum quod appetat in primo aspectu, ut similitudo, et dissimilitudo, æqualitas, inæqualitas, differentia, convenientia: hæc omnia in pluribus sunt similibus et dissimilibus, æqualibus et inæqualibus, vel aliter ad invicem se habentibus: quæ tamen omnia uniuntur in uno quod est qualitas eadem vel diversa quæ est causa omnium illorum. Quantitas autem quæ in pluribus actu est, ut numerus qui est in numeralibus, ut in his quæ in actu plura sunt et numerantur, quæ quidem in pluralitate aguntur secundum discretionem unitatum earumdum multifariam secundum assumptionem. Discretio enim unitatis facit numerum.

Et taliter non est in habitu. Ibi enim actu plura sunt, quæ non multiplicantur secundum unam unitatis assumptionem. Unde quamvis simpliciter nihil invenias quod tot distribui possit partibus ut numerum, eo quod in infinitum excrescit unitatum appositione. Et quamvis etiam concederemus quod quantitas quædam et relatio in pluribus consistit, non tamen omnis quantitas et relatio talis est, quod semper sit in pluribus. Continua enim quantitas non est in pluribus, nec omnis relatio. Idem enim refertur ad id quod est idem, et pater ad filium, et non in

<sup>1</sup> De hoc vide supra in tract. de *Qualitate*, cap. 11

<sup>2</sup> Scilicet in locato.

pluribus consistit simul in actu ex se invicem existentibus. Habitus autem talis est omnis quod semper consistit in pluribus se invicem complectentibus. Consistit enim in corpore et his quae circa corpus sunt, quae nec idem supponunt ex quo causantur ut ea quae sunt ad aliquid. Nec etiam multiplicantur ex unius et ejusdem materiali unitate. Hoc autem manifestum est ex eo, quod omnis habitus consistens est in corpore habente et his quae circa corpora sunt. Et hoc quia sit in pluribus nullam unitatem habentibus, nec super unam fundatur, habitus nomen sortitur, et nulli alii praedicamento sic convenit esse in pluribus. Omnis enim adjacentia mutua corporis et eorum quae circa corpus sunt, habitus nomen sortitur; propter quod proprium est habitus et vere proprium adjacentia corporis et eorum quae circa corpus existunt secundum eam quae partium est divisionem. Verum quod circa corpus existit, multas habet divisiones non tantum materiales, sed etiam formales, ut secundum armationem, vestitionem, bellationem, ornationem, et ludum qui habitu proferuntur. In omnibus enim his proprium est habitus in pluribus existere quae ad unitatem nullam possunt reduci: et hoc non convenit alicui alii praedicamento: nomen enim ipsum habitus a pluribus trahit rationem, ab habente scilicet, et ab eo quod habetur.

Itemovet dubium. Et licet habens non multiplicetur secundum subjectum, tamen secundum formas et officia multiplicatur, ut aliud habet textor, et aliud habet coriarius, et aliud pistor, et aliud habet civis, et aliud coeconomicus, et aliud politicus qui gubernat civitates, et sic de aliis. Propter quod hoc praedicamentum semper in pluribus, quae in actu simul sunt consistit, et illud vere proprium est quod nulli convenit aliorum, ita quod scilicet secundum plures potentias consideratur habens, et secundum has pluribus indiget, et plura

habet ad potentiarum illarum exigentiam secundum diversitatem potentiarum ipsius habitus, secundum quod se habet amictu, vel armatione, vel ornatu: nemo enim amicit simplici uno, nec armatur uno simplici, nec ornatur uno simplici ornamento: sed semper habens vult consistere in pluribus potentiis, et habitus in pluralitate instrumentorum.

## CAPUT IV.

*De modis quibus dicitur habere.*

Habere autem non est habitus praedicamentum, quamvis habitus habetur: et hic omnino distinguendi sunt modi habendi. Dicitur autem habere multis modis: sicut aliquis dicitur habere alteratio- Primus modus habendi. nem et affectionem ex alteratione relietam, ut albedinem, vel nigredinem<sup>1</sup>. Quia autem similis est modus habendi quantitatem per modum ad subjectum sicut et qualitatem, propter hoc ad eundem modum reducitur habere qualitatem et magnitudinem et longitudinem, quod scilicet quantitas sit mensura qualitatis, cum nihil aliud sit albedinem habere vel longitudinem vel latitudinem, quam album esse vel longum vel latum: quia cum albedo sit forma corporalis, per accidens distenditur cum quantitate subjecti: et sic duo modi in praedicamentis determinati habere, hic reducuntur ad unum.

Secundo etiam modo dicitur habere sicut vas dicitur habere aliquid: et quamvis hoc multipliciter sit in liquidis et aridis et in aliis hujusmodi, tamen in communi una tantum est habitudo habentis ad habitum, sicut modius dicitur habere granum, vel lagena vinum: in hujusmodi enim nihil aliud est habere quam continere, et nihil aliud haberi quam contineri.

Habere tertio modo dicitur secundum Tertius modus. partem et non secundum totum, quamvis habitus ad totius decorem referatur, si- pite ultimo.

<sup>1</sup> Hic conjungit in unum duos modos habendi, quos sejunxerat in *Post praedicamentis*, ca-

cut in membro. Verbi gratia in digito annulum habere dicimur, vel in fronte vel in pede ornatum vel in aure: hæc enim omnia reducuntur ad unum communem modum. Cum enim dicimur in digito habere annulum, tantumdem valet ac si digitus in annulo sit et habeatur: et quia etiam membrum organicum ad usum totius habetur, ad eundem modum reducitur habere membrum.

*Quartus  
modus.*

Dicitur autem habere quarto modo ut uxorem: hic tamen insolitus est habendi modus, ut in *Prædicamentis* dictum est, ut quod habetur habens est, et habere dicitur: et hoc quidem habere nihil aliud est quam cohabitare.

*Quot sint  
modi ipsius  
habere.*

Si ergo primus modus in duos dividatur, ut in *Prædicamentis* dictum est, tunc modi habere qui magis et communiter dici consueverunt, quinario numero terminantur. Si autem pro uno modo ponantur duo qui prædicti sunt: tunc subintelligitur modus qui omnibus manifestus est, sicut habere possessionem: et iterum sunt quinque: vel ex prioribus relinquitur modus qui est habitus prout est prædicamentum, ut modi habendi quinario terminentur. Et fortasse erunt apparentes alii modi habendi præter hos qui dicti sunt numerati: et hos inveniendos relinquimus diligentiae legentis. In

*Prædicamentis*  
*Removet  
dubium.*

septem positi sunt, hic autem quinque qui magis competunt sex principiis quæ sunt determinata. Principia enim actus sunt et operationem habent ad substantiam: et de hoc congruit modo primo. Principium enim fluidum ens et dispersum est, et de assistentibus plus quam inhærentibus, et ad hoc facit modus tertius. Principium enim plus etiam assistit quam insit, et sic quodammodo cohabitent: et ad hoc facit modus quartus. Conjectus autem modus secundum veram intentionem est, qui est circumdans extrinsecus: et ad hoc facit mo-

dus quintus. Alii autem modi qui sunt ut totum habet partem vel hujusmodi non hic ponuntur: quia hoc modo non est accidens in subjecto, sicut quedam pars, et ideo ad principiorum habitum iste modus nullam habet positionem.

Quæ autem notanda sunt ad materiam quæ de habere in *Prædicamentis* dicta sunt, quod scilicet habens in omni genere habendi est principium ejus quod habetur: hoc autem non nisi accidentis extrinsecus assistentis est quod habetur. Et hoc potest considerari secundum se, vel secundum essentiam, vel secundum modum assistendi substantiæ. Si primo cum esse ejusdem sit inesse: sic accipitur modus primus. Si autem in essentia consistere cum essentia fluida et dispersa: et quoad hoc sumitur modus scilicet qui continetur in subjecto, ut non fluat et dispergatur. Si autem modus inhærendi consideretur: tunc duplicitè consideratur, scilicet quantum ad causam, et ad quantum ad effectum: et tunc his duobus modis consideratur, scilicet secundum id quod est: et sic est modus proprius qui ex habitis relinquitur. Si autem consideretur secundum modum qui inest: tunc est similis modus insolitus, qui non est nisi quodammodo coabitare, sicut uxori viro.

Hæc igitur de sex principiis quæ in *Prædicamentorum* scientia dimissa sunt, dicta sufficient: si qua enim alia sunt et aliqua principia sunt scientiarum et demonstrationum, in eo libro qui de *Analyticis posterioribus* est, determinari habent et ibi requirantur. Si qua autem alia omissa sunt, vel in libro *Prædicamentorum* dicta sunt, vel magis propria sunt primo philosopho, et in quinto *primæ philosophiæ* libro habent determinari, ubi distinguitur quoties dicitur unumquodque quod est pars vel species entis.

## TRACTATUS VIII

## DE MAGIS ET MINUS.

## CAPUT I.

*De opinionibus Antiquorum de eo quod est magis et minus.*

Quia vero in hac scientia et de formis accidentalibus in genere, et de principiis quæ in pluribus formæ sunt assistentes, quæ secundum singula secuti sumus: formis autem accidentalibus quibusdam convenit magis et minus suscipere: ideo bene se habet de magis et minus determinare, ut eorum quæ dicta sunt in *Prædicamentis* et hic, facilior sit doctrina. De contrarietate et oppositione quæ causa est ejus quod est magis et minus suscipere, in *Prædicamentis* satis determinatum est. Sicut autem dicit Boetius ab Alexandro affirmans, tres apud Antiquos de magis et minus susceptæ sunt opinio-  
Prima opinio.nes. Eorum quidem una qui dicebant quod in omni in quo invenitur magis et minus, invenitur aliquo modo materia cuius quantitas, ut dicunt, ex indivisibili- bus consistit, ubi plura similia in uno conveniunt, id dicunt intendi, et ubi pauciora sunt, illud dicunt remitti, et ideo albissima sunt in quibus plura indivisi- bilia concurrunt albedinis: remitti autem ubi conveniunt pauciora. Et hæc quidem opinio, ut dicit Boetius, fuit Platonis. Videtur autem ab antiquo Anaxagora de- rivata, qui dixit simile simili generari, et omnia esse in omnibus, sed latere: et ideo etiam intendi et remitti, quodcumque secundum quod plus et minus appetet de ipso simili.

Secundi dixerunt quod formæ neque crescent, neque decrescent, nec inten- duntur, neque remittuntur, sed potius su- munt subjectorum crementa vel decre- menta: quod enim est in partibus bene digestis puris et luminosis crescit, et quod tales ad augmentum recipit, hoc intenditur ad albedinem, et quod tales partes ad augmentum sui non recipit, hoc remittitur.

Secunda opinio.

Tertii vero dicebant non omnibus for-  
Tertia opinio.mis fieri intensiones et remissiones, sed in his quæ mediæ sunt: et ideo dicunt certissimas scientiarum vel artium et virtutum non intendi nec remitti, sicut est grammatica perfecta vel justitia: sed me- dio modo non perfecte habitas intendi, sicut de dispositione fit habitus medius.

Istæ ergo fuerunt opiniones de magis et minus Antiquorum, et ad harum imitationem opinionum dixerunt etiam Poste- riores, quod de magis et minus suscipere tripliciter aiunt: quidam quod ea quæ magis et minus suscipiunt secundum eo- rum subjectorum augmentum (quæ sub- stantiæ dicuntur) magis et minus susci- piunt: et hoc est juxta modum secundum qui dictus est in opinionibus Antiquorum, et hoc est intelligendum sicut ante est expositum.

Aliter autem et alii dicunt ipsas formas quæ in subjecto suscipiuntur, in ipso qui- dem suscipiente subjecto secundum seip- sis minui et crescere, non crescente vel diminuente subjecto: et hæc opinio sumpta est juxta primam Platonis et Ana- xagoræ opinionem: et hoc maxime dice- bant in qualitatibus incorporeis, ut scien-

tia, et virtute, quæ dona deorum esse dicebant : et in his primo data per secundo addita auget, et hanc esse intensionem et remissionem.

Alii autem videntes intendi multas qualitates ex causis mutantibus subjectum, dicebant intensionem et remissionem, et magis et minus fieri secundum utrumque istorum, ut quidam asserunt secundum subjecti incrementum et decrementum : et illam superius inductam opinionem conantur imitari, quia motus aliquis et subjecti est et formæ quæ in subjecto : subjecti quidem ut ejus quod movetur, formæ autem ut ejus quod accipitur in motu.

Inchoantes a primis debemus igitur manifestare quæ istarum sententiarum ratio sit in veritate, et firma argumentationis confirmatione : sic enim melius sci-mus quod verum sit de ipsis. Hoc tamen præsciendum, quod si quis primam et secundam dextruxerit opinionem, tunc etiam destructa est tertia opinio quæ etiam nihil est nisi duarum, primæ scilicet et secundæ conjunctio vel compositione.

Improbatio primæ opinionis. Dico ergo quod non dicuntur formæ vel cum magis et minus dici sine intensione et remissione : quod est valde inconveniens : quia substantia nec recipit nec magis nec minus, ut in *Prædicamentis* dictum est : hæ enim frequenter in partibus substantiæ incrementum et diminutionem recipiunt. Amplius autem equus et alia animalia et augmenti et diminutionis motus frequenter sustinent : et lapidis quidem non suscipit augmentum vel decrementum, nisi numeri : et tunc dicitur equus major vel minor lapide, qui nunquam accipit augmentum : et hoc non fieret si secundum hoc fieret intensio, quæ secundum corporum duorum ad invicem non est in eo nisi quod non est in ambobus. Et ideo si intensive dicetur equus major lapide, oporteret quod utrumque secundum eamdem rationem acciperet magnitudinem, quod falsum est : hoc igitur falsum est, quod per subjecti incrementum aliquid recipiat inten-

sionem et remissionem vel magis et minus. Adhuc autem mons unus alio monte major et minor dicitur, cum neuter per augmentum vel decrementum crescat vel decrescat. Amplius quidem margarita albior equo dicitur, qui tamen pedem album habet, qui est major quam margarita : hoc autem non ideo dicitur, quod in quantitate essentiæ vel in subjecto equus a margarita superetur, cum etiam pes major est quam tota margarita, sed quia margaritæ albedo plus candet quam albedo equi vel pedis equi. Ex his autem oportet colligi per rationem, quod vel pronuntietur quod margarita equo albior sit in eo quod vincat equum in magnitudine subjecti, quod falsum est, cum e converso equus quantitate subjecti vincat margaritam : vel dicatur quod non est verum, quod margarita sit albior equo, quod est contra sensum : vel dicatur quod nihil omnino dicitur magis et minus, sive secundum intensionem et remissionem secundum magnitudinem subjectorum vel parvitatem, neque secundum incrementum vel decrementum. Et hoc est verum : palam enim quod secundum magnitudinem subjecti margarita non dicitur albior quam equus : et tamen non est falsum, quod margarita sit albior equo. Relinquit igitur, quod nihil dicitur secundum magis et minus secundum subjecti magnitudinem vel parvitatem, et constat primam opinionem falsam, et non veram causam ejus quod est magis et minus assignasse.

Amplius autem nec secunda opinio vera est : non enim magis potest dici et minus secundum quantitatem qualitatum quæ inficiunt subjectum vel afficiunt. Si enim secundum magnitudinem albedinis vel alicujus accidentis exterioris (quæ formæ sunt corporales et in minori maiores et minori minores) aliquis diceretur albior alio, vel propter parvitatem albedinis diceretur minus album alterum altero, vel quomodolibet aliter diceretur secundum comparationem formæ, sic procul dubio diceretur

Improbatio secundæ opinionis.

homo vel equus vel aliquid aliud album magnum magis album vel albius quam margarita : accidit enim major quantitas albedinis equo quam margarite . Amplius magis et minus dicitur alterum altero non secundum subjecti vel secundum accidentis decrementum, vel quod majus et parvius dicitur in formis secundum intensionem et remissionem. Quia enim non secundum subjecti crementum vel decrementum vel magnitudinem vel parvitatem aliquid magis vel minus dicatur, manifestum est in his quae dicta sunt. Potest etiam patere ex dictis, quod unum non magis et minus dicitur ad aliud propter ampliorem accidentis quantitatem quam forma corporalis habet in subjecto : quantitas enim formae corporalis ultra subjectum protendi non potest : quia tunc accidens non esset in subjecto, quod est impossibile: quod patet in quantitate, quae tamen videtur esse per se magis quam aliquid aliorum accidentium : et illa non potest : ergo nulla alia forma accidentalis . Quod autem quantitas sine subjecto non sit, hoc patet ex hoc, quia terminus quantitatis est corpus cui inest quantitas, ita quod de quantitate nihil invenitur extra corpus quantum : quod patet ex hoc quod omne quantum magnum vel parvum est : parvitas autem quantitatis tota supponitur in parvo corpore, et ultra subjectum parvum nihil dictae parvitatis porrigitur : quanto igitur subjectum quod est substantia quanta, parvius efficitur, tanto etiam parvitas quantitatis (quae in subjecto est) minoratur. Patet itaque quod nihil cum magis et minus praedicatur, neque secundum subjecti vel accidentis solum augmentum vel diminutionem.

*Improbatio  
rebus opti-  
monis.* Propter quod concluditur, quod neque minus fit secundum utrumque istorum modorum simul, sicut tertia dixit opinio.

## CAPUT II.

*De causa intensionis et remissionis.*

Reprobatis igitur opinionibus et refutatis tanquam non veris, alia invenire oportet de his quae cum magis et minus dicuntur secundum intensionem et remissionem. Hujusmodi vero sunt ea quae sunt in voce, sive nomine imposito illi formae, quae dicitur cum magis et minus. Formae enim quae adveniunt substantiae et accidentales sunt, nominibus propriis designantur, tunc magis et minus non contingit illis formis secundum augmentum subjecti mobilis vel diminutionem, sed potius secundum impositionem non minum illorum quae in voce sunt illarum formarum significativa. Omnis enim impositio nominis est a forma : et ideo nomen significat positivam formam, ut album primum significat albedine coloratum : unde quaecumque priori et principali nominis impositioni significatione propinquiora sunt, magis simplicitatem et veritatem illius attingunt, et illa cum magis dicuntur et minus : cum minus autem forma illa praedicatur de his quae a primaria nominis impositione remotiora sunt, ut album quodcumque magis est quod nomine significante quod album est similitudine propinquius est : minus autem quod talis naturae dissimilius est : album autem simpliciter dicitur in quo est pura albedo : quanto igitur ad vocis primam et nominis impositionem aliquod accidens puriori albedine inficitur vel afficitur, tanto etiam candidius et albius esse pronuntiatur et judicatur vel assignabitur : et hoc quidem est in omnibus formis advenientibus substantiae quae cum magis et minus dicuntur. Quantitas autem quae cum magis et minus non dicitur, excipitur ab hac, quia parvius secundum quantitatem esse dicitur id quod aliis secundum quantitatem staturae comparatum, ipsis in quantitate deficere dicitur : quidquid igitur est quod

quantitatis mensura superatur, id continuo parvius pronuntiatur secundum quantitatis in corpore et quantitate decrementum. Et similiter est in aliis secundum quantitatem comparatis sive secundum longitudinem, sive secundum latitudinem, sive secundum profunditatem. In omnibus autem aliis quæ intensionem et remissionem habent, est intensio et remissio secundum accessum vel recessum ad veram nominis impositionem, ut paulo ante dictum est.

*Quot modis fit intensio et remissio* Sciendum autem multos esse modos intensionis et remissionis. Et ideo notandum quod quæcumque ad invicem comparantur secundum magis et minus, comparantur secundum quod sunt unum aliquo modo, aut genere, aut specie, aut analogia sive proportione: unum quidem specie, ut album quidem in quo unum albium est quam reliquum: unum autem analogia ad unum, sicut intellectuale, unum enim intellectualius est alio, sicut intelligentia per essentiam est intelligentior quam intelligentia per adepitionem intellectus: intellectualius et rationalius est id quod per essentiam est rationale, quam id quod participando dicitur rationale, ut dicit Aristoteles in tertio *Ethicorum*. Sic igitur oportet unum semper esse unitate secundum analogiam, quæ comparantur ad invicem secundum magis et minus. Sed ea quæ sunt unum genere vel specie, comparantur secundum unam formam quæ est in illis: quæ autem sunt unum secundum analogiam, non habent quidem unam formam, sed per formam dictam secundum prius et posterius comparantur secundum magis et minus ad unum actum, qui est intelligere in intellectualibus, vel ratiocinari in rationalibus. Comparatio enim fit etiam secundum duo non in genere dicta, scilicet secundum purius et minus purum: participare formam simpliciter, vel participare formam secundum comparationem ad actum. Et primo quidem modo est intensio secundum accessum ad veram nominis impositio-

nem. Et hoc idem est quod secundum recessum contrarii permixtione, sicut cum dicitur album albium. Aut fit ad actus expeditionem: et hoc modo intensio fit secundum quod subjectum magis fit dispositum ad actum, et secundum hoc solum secundum subjecti dispositionem fit intensio vel remissio.

His igitur modis cum fiat intensio (secundum omnem modum simul dicendo) fit intensio vel remissio secundum hoc quod res in qua est intensio fit vel in effectu vel in forma accedente ad veram nominis impositionem: quia impositio nominis nominat formam quæ sine impedimento expedita est ad agendum illius formæ proprium actum et effectum. Fit autem comparatio ad veram nominis impositionem duobus modis, scilicet secundum recessum quidem a contrario in his quæ non habent ad quod accendant, vel secundum accessum, vel secundum utrumque istorum simul. Secundum accessum quidem in eo quod non habet contrarium, sicut bonum melius: non enim bonum vere habet contrarium, sed privative oppositum. Si enim haberet contrarium, tunc esset illud in aliquo termino in quo esset status. Sed nihil summum est malum aut in quo sit status mali. Secundum recessum autem a contrario fit status mali, nam secundum recessum a contrario comparatur secundum magis et minus, scilicet malus, pejor, pessimus. Non enim aliquid est in mali termino ad quod ista comparentur, sed secundum recessum ab optimo talem accipiunt comparationem.

Secundum autem istorum utrumque simul est comparatio in qualitatibus accidentis, sive sint per se activæ et passivæ, sive secundum suas causas, ut calidius et frigidius, humidius et siccus, albius et nigrius, et hujusmodi in saporibus et odoribus. Haec enim omnia simul in saporibus et odoribus secundum recessum a contrario, et secundum accessum ad veram nominis impositionem tractantur. Comparatur enim in talibus

omnibus recessus a contrario secundum eumdem modum, sicut accessus ad veram nominis impositionem.

### CAPUT III.

*De causa quare quædam non comparantur secundum magis et minus.*

Dubitabit autem aliquis quamobrem quædam cum magis et minus dicuntur et comparantur, sicut quædam qualitates, et quædam alia, ut actio et passio, et quidam habitus, substantiæ vero minime: quia substantia secundum totum suum genus nec magis nec minus suscipit. Hoc autem contingit quia substantiarum nomina omnia in termino impo-nuntur, ultra quem transire impossibile est: forma enim substantiæ quæ in ipso nomine significatur, ut actus materiæ est quæ totam imperfectionem terminat materiæ: et ideo quod totam terminat, terminus est in ipsa forma, et nihil manet de materia quod interminatum sit, et ideo magis habere non potest: propterea acceptio ipsa etiam ipsius formæ in momen-to est, et magis finis motus quam mutatio est. Forma autem accidentalis substaniæ advenit jam existenti, et non terminat potentiam subjecti, ut non sit suscep-tibile magis et minus secundum quod ejus quod est magis et minus est suscep-tibilis: et ideo in forma accidentalí comparatio est semper secundum magis et minus.

Sicut autem in substantiis est, quod impositio earum in termino est : ita est de quibusdam accidentibus, quæ ideo sine magis et minus dicuntur, quia in termino est eorum impositio, ut in quarta specie qualitatis quadrangulum et triangulum, et similia : non enim dicitur unum altero magis et minus secundum hoc quod in figuræ nomine sunt, in quo est nominum impositio : convenit tamen unum esse quadrangularius altero : sed hoc non secundum quod sunt nomina figurarum, sed secundum quod denomin-

nativum et designativum est substantiarum : quia quadrangulatum corpus dicitur, et quadrangulum qualitas nuncupatur, quæ est forma, vel circa aliquid constans figura : sed cum dicitur quadrangulum est figura vel qualitas, species recipit sui generis prædicamentum. Dicitur etiam corpus quadrangulum quadrangulariter : et hoc dicitur per denominacionem et secundum subjecti dispositionem majorem vel minorem : unde quadrangula alteratio est in his accidentibus quæ non recipiunt compositionem.

Eadem ratio vetat et impedit, quæ dicta superius est : quia si impositio hujusmodi nominum in termino facta est, ultra quem transgredi non licet (quadrangulum enim et quadratum non nisi tamen positis lateribus et angulis formatur æqualibus : et hoc non est nisi uno et eodem modo, quo scilicet minus vel plus habeat) nec triangulum quadratum, nec quadrangulum esse dici potest. Et simili-  
ter est in aliis accidentibus quæ compa-  
rationem cum magis et minus habere  
non possunt : et ideo non comparantur  
cum magis et minus. Hujusmodi autem  
signum est, quod etiam in his quæ com-  
parantur, si quid comparationem notat  
in termino, excessu hujus ulterius com-  
parari non potest, sicut est videre in su-  
perlativis, albissimus et nigerrimus : et  
omnia scilicet quæ secundum superabun-  
dantium dicuntur, uni soli convenient,  
et sine magis et minus dicuntur. Imposi-  
tio enim superlativorum cum sit in  
termino, ultra quem terminum (quia indis-  
ibilis est) porrigi ulterius in aliquod  
secundum id in quo est comparatio par-  
ticipans, impossibile est : falso enim et  
non impossibili posito nullum sequitur  
impossibile. Unde si possibile esset istud  
quod est in termino porrigi ulterius in  
aliquid ejusdem naturæ secundum magis,  
quod ex hoc sequeretur esset fal-  
sum et non impossibile. Est autem ter-  
minus omnis indisibilis. Sic ergo id  
quod est in termino, ulterius porrigitur  
ut divisibile. Sed per indisibile nihil

additur et nihil intenditur secundum magis et minus : quia si omnia puncta componantur, nullam magnitudinem faciunt : eo quod punctum puncto compositum, nihil auget : et punctum a punto demptum, nihil diminuit. Et similiter cum terminus alicujus ulterius dicitur porrigi, nil auget de forma vel minuit : quia terminus est indivisibilis, cui nec addi, nec diminui potest. Et hæc igitur causa est intensionis et remissionis.

## CAPUT IV.

*De distinctione generationis ab alteratione per quam intensio et remissio fit.*

Ad sciendum autem quod magis et minus non est ejus quod in ipso est termino, oportet scire distinctionem generationis ab altera generatione, quæ causa est ejus quod est cum magis et minus. Dicimus igitur quod est generatio simpliciter in substantia, et etiam corruptio simpliciter. Sed generatio simpliciter non fit congregazione atomorum simpliciter indivisibilium, ex quibus fiant accidentia quæ magis et minus suscipiant : nec etiam corruptio in talibus fit segregatione atomorum, ex quibus causatur remissio intensorum, sicut dicebant Democritus et Leucippus, qui formas accidentales secundum substantiam intendi et remitti dicebant, et generari et corrumpi congregazione et segregatione atomorum : et sic dicebant intendi cum procedit ad esse, remitti autem quando recedit ab esse formæ. Et hoc dicebant atomorum congregazione et segregatione, quamvis non sic fiat intensio et remissio, nec etiam generatio et corruptio<sup>1</sup>.

Sed potius generatio est et corruptio, quando totum compositum ex materia et forma transmutatur in totum, sicut est videre in aere specificato, hoc est, per

formam quæ est species determinata<sup>2</sup>. Quando igitur totum compositum transmutatur in aliud compositum, sicut aer secundum speciem et materiam in aquam, tunc est generatio simpliciter. Quamvis enim materia secundum quod est materia vel substantia quædam, non immutetur, ut dicit Aristotetes<sup>3</sup>, tamen secundum quod ipsa stans modo sub hac forma mutatur, quia efficitur sub alia : et sic forma corrupti mutatur, dum abjicitur : materia autem ejusdem corrupti mutatur, dum transit ad aliam formam : et sic totum mutatur. In subjecto enim quod, ut dicit Avicenna, est ens in se completum, et secundum esse substantiae factum, sunt duo, quorum unum est forma quæ est species secundum rationem, hoc est, secundum quam accipitur esse in se completum, et secundum esse substantiale perfectum, hoc est, secundum quam accipitur diffinitio. Aliud autem est ens secundum subjecti naturam. Subjectum est enim quod substat, sed quod subsistendi naturam non habet nisi ab eo quod primum subsistit, et hæc est materia. Quando igitur in his duobus substantiis modo predicto est transmutatio, tunc fit generatio et corruptio secundum veritatem et simpliciter.

Tamen simplex generatio dicitur duabus modis. Uno quidem modo secundum quod simpliciter opponitur ad secundum quid : et sic simpliciter generatio dicitur substantiae, et secundum quid generatio dicitur secundum accidens. Aut alio modo dicitur simplex generatio simplicis generatio, non quidem simpliciter simplicis, quia hoc immobile est, sed simplicis secundum quod spirituale respectu incorporati dicitur simplex, sicut ignis primo et aer secundo simpliciter dicuntur respectu aquæ et terræ. Et hoc modo dicitur simplex vel simpliciter generatio hujus generati, ut ignis, hoc est, quod est

*Generatio  
simplex du-  
pliciter.*

<sup>1</sup> Super hanc opinionem Democriti et Leucippi de intensione et remissione, vide etiam librum de Generatione, in 1, tex. com. 5, 6 et 7.

<sup>2</sup> I de Generatione, tex. com. 23.

<sup>3</sup> ARISTOTELES, In fine primi Physicorum, tex. com. 28.

ignis, magis est spirituale aliquid et species et simplex, quam terra<sup>1</sup>. Et hoc modo generatio simplex opponitur materiali et compositæ. His ergo modis generatio dicitur simplex. Secundum autem quod generatio simplex opponitur generationi secundum quid, sic est generatio, sicut dicimus quando de musico per musicæ oblivionem fit immusicum, quod musicum corruptum est; est hoc modo immusicus est generatus salvato subjecto uno et eodem in utroque: hoc enim secundum subjectum manet idem. Siquidem igitur in his musica et oppositum ejus immusica (inter quæ est motus) non esset passio et qualitas secundum seipsam, sed essent formæ substantiales, procul dubio in his esset generatio simplex et substantialis, in aliis autem corruptio esset: generatio enim quando ex immusico fieret musicus, corruptio autem quando ex musico fit immusicus. Ideo autem quia hoc non est, sed musica est quædam omnis passio sive qualitas accidentalis, ideo hominis musici generatio est generatio et non simplex, et corruptio ad immusicum est corruptio quædam et non simplex. Nunc enim quia hominis manentis in subjecto uno et eodem musica est passio et immusica similiter, ideo tales motus alterationis et non generationis sunt. Hoc autem ex hoc probatur, quod hyle maxime est subjectum generationis et corruptionis susceptibile, sed subjectum alterationis non est hyle, sed potius substantia individua composita ex materia et forma sive hyle et specie. Et quia subjecta sunt diversa, ideo etiam mutationes genere diversæ sunt. Et propter hoc discens musicam vel aliam scientiam, non dicitur generari simpliciter, sed secundum quid generari dicitur: disciplinabiliter enim generatur, et non simpliciter.

Hæc autem quæ de speciebus nominum dici videbantur ad intentionem logicam facientia, satis determinata sunt

in *Prædicamentis*: dictum est enim quod quædam significant hoc aliquid et substantiam, quædam autem significant quale in genere qualitatis. Quæcumque igitur non substantiam, sed accidentia significant, non dicuntur in suis mutationibus simpliciter generari vel corrumpi secundum illa, sed secundum quid, ut dictum est: et in his potest esse magis et minus secundum aliqua accidentium genera, cum in his accidentibus in quibus non generatio sed alteratio est, aliquid est quod inest secundum naturam, sicut igni inest secundum naturam sursum moveri, et sicut calidum inest igni. Et in his talibus mutatio qualitatis inducit substantiæ mutationem, et ideo in illis mutatio facit generationem quæ simpliciter est generatio: sed hæc generatio alterationi est immixta et complementum illius generationis est finis alterationis. In omnibus autem aliis generationibus non est generatio nisi secundum quid.

## CAPUT V.

*De causa quæ movit Auctorem hujus libri, et de formis assistentibus ac de inhærentibus.*

Ad omnium autem eorum quæ dicta sunt intelligentiam, sciendum quod Gilbertus Porretanus propter hoc compilavit scientiam *Sex principiorum*: quia vidit quod ea quæ ad substantiam referuntur ut accidentia, duobus modis referuntur ad ipsam: quædam enim ipso nomine dicunt aliquid quod est substantiæ et non substantia, sicut qualitas quæ ipso nomine dicit substantiæ dispositiōnem, quantitas autem quæ dicit ipso nomine substantiam solam modificatam sensibus, nunquam invenitur. In multis qualitatibus disponitur cœlum, et elementa et mixta in quantitatibus debitissimis descendunt. Quædam autem alia quæ ipso nomine nihil dicunt in substantia,

<sup>1</sup> Cf. 1 de Generat. tex. com. 18, 19 et 20.

sed dicunt quod ipsa substantia aliquo modo ad aliquid se habet : et quia haec nihil nomine suo prædicant substantiæ inhærens, dicebat quod illa dicunt formas assistentes substantiæ, et quasi extrinsecus respicientes substantiam ex quodam alio ad substantiam comparato. Et ideo harum formarum mutatio nec alterationem nec generationem simpliciter inducit, sed tantum aliud modum ad aliquid se habendi. Est igitur generatio simpliciter in substantia ; in qualitate quæ contrarium habet et magis et minus suscipit, est alteratio. In aliis autem neutrum simpliciter, sed mutatio in his aliud inducit modum se habendi ad aliquid.

Quod autem has formas dicit assistere et non inesse, non intellexit quod non essent accidentia, sed quod non esset accidens secundum quod accidens est id quod simpliciter est in alio, non sicut

pars quædam : sic enim sunt accidentia quantitas et qualitas. Sed dixit accidentia esse secundum quod accidens est quocumque modo ad substantiam. Et sic relatio et alia accidentia sunt : quia non dicunt nisi ad aliquid comparationem, et non dicunt aliquid quod insit simpliciter : propter quod has formas assistentes potius quam inhærentes vocavit. Actio enim comparatio est agentis ad patiens, et passio comparatio patientis ad agens, ubi comparatio locati ac locum, et quando comparatio temporalis ad tempus vel differentiam temporis, positio autem comparatio partium ad totum et ad locum totius, habitus autem comparatio habentis ad circumdans habitum. Hoc igitur modo posuit formas assistentes. Et de his propter hoc quod aliud modum habent prædicationis, complevit scientiam *Sex principiorum*.

---

# LIBER I

## PERI HERMENIAS

### TRACTATUS I

DE HIS QUÆ PRÆMITTI DEBENT AD LIBRUM.

#### CAPUT I.

*In quo ordine est inter libros logicos.*

Sicut a principio istius scientiæ determinatum est, logicæ intentio est docere qualiter quis veniat ad notitiam ignoti per notum : quod quidem in omni philosophia intenditur, quamvis id formaliter non doceatur nisi in logica ; propter quod dicit Aristoteles quod logica modus philosophiæ est. Et quia logica est scientia per quam aliquis venit ad notitiam ignoti per notum ; ignotum autem duplex prout est in dictione, incomplexum scilicet, et complexum. Incomplexum autem sciri non potest nisi diffinitione. Et complexum sciri non potest nisi syllogismo et demonstratione. Sicut ad diffinitionem habendam necessarium fuit præmittere diffinibilium et diffinientium inventionem et acceptionem : ad quod necessarium fuit ponere ea secundum quorum rationem prædicabilia reducuntur ad ordinem, et secundo fuit necessarium ponere qualiter ipsa prædicabilia ordinata sunt, et

tertio qualiter ex divisione colligitur cuiuslibet incomplexi diffinitione. Ita in modo quo venitur in notitiam complexi, necesse est primo tractare de his quæ ut posita et præsupposita accipit syllogismus, per quem venitur in notitiam complexi ignoti : et hujusmodi sunt interpretatio et enuntiatio, et ea quæ circumstant interpretationem et enuntiationem. Interpretatio autem et enuntiatio in quantum talia sunt, non sunt syllogismo conclusa ad manifestationem ignoti : quia si hoc esset verum, sequeretur quod omnis interpretatio et omnis enuntiatio esset vel posse esse alicujus syllogismi conclusio, quod non est verum. Sed potius interpretatio dicitur oratio, quæ de re ut est in verbis loquitur ad explanationem ; propter quod componitur a præpositione *inter* et *prætor* : prætor autem est qui princeps est, et prætit præcipiendo, ut dicit Papias ; quia quæcumque oratio est quæ prætit cum modo dicendo et expoundingo de re prout est vel non est, et quod de ea tenendum est, illa interpretatio vocatur, eo quod prætor est qui ut princeps et præceptor publice et publica præcipit omnino quod præcipiendum est,

Interpreta-  
tio quid et  
unde.

hoc est, universaliter, particulariter, et secundum affirmationem et negationem.

*Differentia inter enuntiationem et interpretationem.* Propter hoc secundum aliquid differt ab enuntiatione. Interpretatio enim fit multis modis, ut dictum est. Enuntiationem autem non dicit nisi aliquid de aliquo dici vel prædicari. Et quamvis enuntiationem sit potissima interpretatio, non tamen convertitur cum interpretatione quæ dicit expositionem rei per omnem modum, sive in parte, sicut in nomine vel in verbo, sive in toto, sicut in qualitate affirmationis vel negationis: sive in quantitate, sicut inesse universaliter particulariter, sive finite, sive infinite, sive una oratione, sive non una: quorum nihil nomine suo dicit enuntiationem. Interpretatio autem secundum optimum suum posse non fit, nisi fiat omnibus modis qui dicti sunt.

*Inscriptio hujus lib. et causa ejus.* Propter quod quia interpretatio continet in se omnia quæ dicta sunt. inscribitur iste liber melius de *Interpretatione*, quam de enuntiatione. Multa enim in eo determinantur quæ non convenient enuntiationi secundum quod enuntiationem est, sicut patet ex his quæ dicta sunt. Dicitur tamen etiam de enuntiatione sicut de quo est potissime, sicut dicit Averroes, quod philosophia est de ente secundum quod est commune omni, sicut de communi subjecto ad quod reducuntur omnia quæcumque in scientia determinantur: et est de substantia, sicut de speciali subjecto, de quo potissimum intenditur in scientia illa. Multipliciter enim datur aliqui scientiæ subjectum, et non uno modo scilicet quod subjectum est de cuius partibus in scientia probantur passiones, vel quod potissimum intenditur; propter quod de omnibus aliis determinatur in scientia. Et dicitur subjectum quod dignissimum est inter ea de quibus tractat scientia, sicut metaphysica dicitur theologia, quia in dignissima sua parte tractat de divinis.

Hoc autem dicto modo interpretatio et enuntiationem differunt secundum rationem a

propositione. Propositio enim est enuntiationem stans sub forma syllogismi. Et illi multa accident quæ non accidunt interpretationi vel enuntiationi, sicut est habitudo trium terminorum qui sunt in prædicato et in subjecto, sine qua habitudine non sunt partes syllogismi: et de talibus determinatur in libro *Priorum*, ubi de forma syllogismi et de ejus potestate agitur. Interpretationi autem non convenit hoc, nec etiam enuntiationi: sed potius si interpretatio est, convenit ei interpretari affirmando et negando universaliter et particulariter, finite et infinite, et ut una est et multæ, et ut contradictoria, et contraria, et hujusmodi, sine quibus perfecta de re non fit interpretatio per sermonem. Et ideo quia hæc sunt sine syllogismi complexione et figura, in his ad syllogismum ut ad totum non debent reduci: et ideo quoad hoc non in libro *Priorum*, sed in libro proprio, qui *Perihermenias* dicitur, habent hæc ipsa tractari: tales enim passiones non accidunt ex syllogismo, sed ex hoc quod interpretatio est, et acciderent ei quamvis nunquam esset syllogismus.

Ordinatur tamen hic liber ad librum *Priorum*, sicut *Prædicamentorum* et *Principiorum* libri ad istum: quia sicut ex ordinatis prædicabilibus subjecta et prædicata accipiuntur ex quibus interpretatio, sic ex interpretationibus et enuntiationibus ordinatis fit syllogismus. Et ideo materialiter et finaliter ordinatur ad syllogismum interpretatio. Dico autem materialiter non ut materia propinqua vel necessaria (sic enim ad syllogismum se habet propositio), sed sicut materia remota potens esse sub forma syllogismi. Finaliter autem ordinatur: quia queritur propter syllogismum, in quo posita elicit ignorantiam notitiam, ut dictum est. Sumitur enim penes secundum rationis actum, qui est componere et dividere, et est intellectus compositus: quia, sicut Aristot. in tertio de *Anima*<sup>1</sup> dicit, intelligentia indivisi-

<sup>1</sup> Tex. com. 44.

lium est in quibus non est verum vel falsum est: etiam compositio quædam intelligibilium est, et in hac compositione interpretantur ea quæ sibi invicem insunt secundum rem: interpretatio enim omnis est secundum totum et partem et quantitatem et qualitatem et oppositionem et veritatis expressionem, quæ sunt assumenda ad declarationem ignoti quod est complexum.

Et quia hæc omnia ambit interpretatio et enuntiatio, ideo interpretatio commune subjectum est hujus scientiæ. Dicitur autem *Perihermenias* a Περὶ ἐρμηνείας quod est de Graeca præpositione, Περὶ, et ἐρμηνεία, interpretatio, hoc est, *de Interpretatione*: quia Græci ablativum non habent, sed genitivo utuntur pro ablativo.

Ex jam dictis quatuor quæstionum patet solutio vel quinque, scilicet de quo sit ut subjecto, et quis libri titulus, et quis finis, et quem ordinem habet in libris logicæ. Cum enim logica in tria ordinetur, scilicet in scientiam incomplexorum, quæ per diffinitionem habetur, de quibus jam dictum est: et in scientiam complexorum, quæ in duo dividitur, scilicet in scientiam interpretationis eorum per quæ devenitur in complexorum notitiam, et in scientiam syllogismi per quam quis ducitur ad complexorum cognitionem, quæ post hunc librum tradetur: constat quod ista scientia secundum locum obtinet in scientia per quam venitur per notum in cognitionem ignoritorum. Est enim de interpretatione eorum quæ in syllogismo assumuntur ad notitiam ignoritorum habendam.

Patet etiam solutio quæstionis qua quæri potest, quare non de interpretatione in eodem libro cum syllogismo determinatur? Non enim determinatur in hoc libro de interpretatione secundum quod stat sub forma syllogismi, vel secundum quod proxima illi. Sed potius

determinatur de ea secundum passiones proprias, quæ conveniunt ei non secundum quod est materia syllogismi, sed conveniunt ei secundum seipsam, scilicet ut interpretatio per eam sit rerum colligibilem in syllogismo ad eliciendum notitiam ignoti per notum. Omnis enim scientia intellectiva fit ex præexistenti cognitione.

Patet etiam solutio hujus quod quæri potest, cui partiphilosophiæ supponatur? Non enim est pars philosophiæ essentialis vel realis, sed rationalis sive sermocinalis: considerat enim ens stans sub sermone: interpretatio enim valet ad habendum cognitionem ignoti complexi per notum complexum, quod quidem notum est in sermone interpretatio. Medium ergo locum obtinet inter libros logicæ, cui accidens ministrat subjicibile et prædicabile. Et posterioribus iste liber ministrat quod in syllogismo colligitur.

Patet etiam, ut dicit Boetius, quod non bene dicit Andronicus<sup>1</sup>, qui dicit hujus libri subjectum esse orationem. Multæ enim sunt orationes et orationis partes, de quibus hic nihil intenditur vel tractatur, et quæ magis ad grammaticum ordinantur si ordinentur ad finem congrui, vel ad rhetorem si ordinentur ad finem leporis, vel ad poeticum pertinent si ordinentur ad illa quæ provocant ad abominationem vel delectationem vel ad aliquam imaginabilem utilitatem. Oratio ergo non est subjectum: multæ enim orationes non sunt interpretativæ vel enuntiativæ, ut deprecativa, optativa, conjunctiva, et infinitiva.

Quod autem de auctore quædam quærunt, supervacuum est et nunquam ab aliquo Philosopho quæsitum est nisi in scholis Pythagoræ: quia in illis scholis nihil recipiebatur nisi quod fecit Pythagoras. Ab aliis autem hoc quæsitum non

<sup>1</sup> Andronicus Rhodensis, Philosophus Peripateticus, qui Romæ, tempore Ciceronis, ann. ante J. C. 63 florebat, et Aristotelis scripta Romam e Syllæ voluntate delata, a Tyrannione grammatico Syllaque bibliothicario, recepit,

est : a quocumque enim dicta erant, recipiebantur, dummodo probatae veritatis haberent rationem. Causa enim efficiens extra rem est, et ab ea res non habet firmitatem vel infirmitatem, sed potius a ratione dictorum<sup>1</sup>. Fuit autem Aristoteles hujus scientiae primus auctor. Et ideo non verum dicit Andronicus, hunc librum aliis attribuens. Et sic patet de ordine, et cui parti philosophiae supponatur, et de auctore, et de subjecto, et de titulo.

## CAPUT II.

*De modo scientiae et fine.*

De modo etiam scientiae determinandum est. Dicendum autem quod interpretationis modo procedendum est in hoc libro. Hic enim interpretatio omnium est quæ enuntiationem circumstant, sive secundum partes, sive secundum totam enuntiationem. Est tamen in eodem modus scientiae in hoc, quod tam de enuntiatione sive interpretatione, quam etiam de partibus hic probantur passiones et proprietates, qui modus est scientiae.

**Objectio.** Quamvis quidam objiciant, quod in scientia demonstrativa non probantur passiones aliquae de subjecto secundum se, sed de partibus ejus, ut in geometria Euclidis de continua quantitate nihil probatur, sed de partibus, ut de triangulo, et circulo, et quadrato, et de proportionabili quantitate et commensurabili, et sic de aliis. Sed ad hoc dicendum est, quod in scientia demonstrativa potest fieri demonstratio de subjecto secundum se, dummodo illa scientia in se contineat principia subjecti illius. Sic autem non est in geometria: quia non considerat principia quantitatis continuæ, sed ea considerat metaphysicus, et quantitatem continuam accipit geometræ a metaphysico: ideo de partibus illius et non de ipsa

**Solutio.**

<sup>1</sup> Consuetudo quærendi de nomine auctoris emanavit a Pythagoricis, et est res superflua: quia res non habet firmitatem a causa effectiva sed a ratione: et ideo dicebat Seneca in tract.

quantitate probat passiones. Alia autem scientia quæ subjectum et principia subjecti considerat, de subjecto et de partibus potest probare passiones. Et ideo potest probare passiones de interpretatione vel enuntiatione, et de partibus ejus, quæ considerat principia interpretationis et enuntiationis.

Et si objiceret adhuc aliquis, quod pars tractanda est cum toto: totum autem enuntiationis est syllogismus, ad cujus venit compositionem: ideo cum syllogismo in libro *Priorum* debet tractari. Adhuc autem propositio necessaria quæ est materia demonstrationis, in eodem libro tractatur cum syllogismo demonstrativo: et propositio probabilis in eodem libro cum syllogismo dialectico: et sic videtur, quod enuntiatio quæ est propositio simplex, non ad hoc vel illud determinata, determinari debet cum syllogismo similiter in libro *Priorum*, et non deberet esse scientia specialis.

Sed hæc omnia de facili solvuntur per antedicta: propositio enim ut simpliciter propositio, non est interpretatio, vel enuntiatio, sed potius est propositio, quæ in habitudine terminorum se habet ad aliam quæ secum in syllogismo compars est in habitudine terminorum in syllogismi complexionem et figuram ordinabilium<sup>2</sup>: et hoc modo de propositione in libro *Priorum* determinatur: hoc autem modo non dicitur interpretatio vel enuntiatio: sed potius dicitur illud quod de re (sicut est vel non est) facit interpretationem. Et sub hoc actu ordinabilis quidem est ad syllogismum remote, sed non est sub dispositione propinqua: et ideo in quantum talis est, multa accident ei quæ non accident propositioni secundum quod est propositio. Et quoad illas passiones conveniens fuit in libro speciali de enuntiatione tractare. Sunt tamen omnes hujusmodi disputationes de circum-

*de cardinalibus virtutibus:* « Ne quis dicat, sed quid dicat intendito. »

<sup>2</sup> Hæc dicta sunt etiam in præcedenti capitulo.

Prima ob-  
jetio.

Secunda.

Solutio pri-  
mæ et se-  
cundæ.

stantiis scientiæ, et non de ipsa materia de qua tractatur. Et ideo parum faciunt ad veram scientiam de hoc quod quæritur. Nec etiam Antiqui inveniuntur de talibus inquisivisse.

**Modus  
scientiæ hu-  
jus.**

Talis autem modus scientiæ, sicut dictum est, hic observatur. Potest etiam dici, quod hic mos artis est: quia ars est circa generationes rerum per artem constitutarum: hic autem principia dantur et præcepta quibus constituitur interpretatio sive enuntiatio. Est etiam diffinitivus et exemplorum inductivus. Et inventivus quoad hoc, quod habitudinibus quibusdam docet invenire, et quæ sit interpretatio, et quæ ejus oppositiones sint, et unitas et pluralitas ipsius, et alia hujusmodi. Est etiam resolutivus: quia docet resolvere interpretationem in partes<sup>1</sup>. Et alii hujusmodi de facili multi inveniuntur: principaliter tamen modum observat doctrinæ, qui est per modum scientiæ considerantis subjectum et partes subjecti, de quibus per principia propria probat passiones. Modus etiam est, ut dicit Boëtius, qui propter brevitatem sententiarum obscurior est quibusdam aliis libris.

Notandum est quod substantialis principialis hujus scientiæ finis est constituere orationem interpretativam de re sub sermone veram interpretationem et perfectam perficiente, ut diximus. Ulterius autem habet finem: quia ordinatur ad syllogismum per quem scitur ignotum per notum in oratione interpretativa.

**Finis hujus  
libri et epi-  
logus dicto-  
rum.**

Et sic determinatum est de forma, materia, et fine, et causa efficiente, et etiam cuius philosophiæ sit pars, et quo loco ordinata, et quem actum rationis in logica perficiat, et quod debet in speciali libro tractari. Et haec sunt quæ preambula sunt ad propositum. Nos autem sicut in aliis prosequamur dicta Aristotelis et exponendo et supplendo ubi diminuta sunt et brevia, et probando uhi opportunum, et alios doctores inducendo, et ut generaliter dicatur, omnia faciendo quæ ad doc-

trinæ faciunt facilitatem et perfectionem. Et omnino sequemur Aristotelis ordinem sicut facimus in aliis. Patet autem ex dictis quid sit proprie interpretatio, et patet etiam quod enuntiatio est potissima interpretatio.

Est etiam circa modum dubium: quia Aristoteles in quibusdam libris in quibus tractat ea quæ non concernunt materiam, ponit terminos transcendentes, sicut A B C, sicut patet in libro *Priorum*. Hic autem ubi docet de interpretatione non concernente materiam determinatam, sed simpliciter, non utitur terminis transcendentibus, sed ponit terminos secundum determinatam materiam. Respondetur quod hoc est ideo quia syllogismus, ut syllogismus est, formaliter non est variabilis secundum materiam in qua est, sed est forma æqualiter respiciens omnem materiam. Et ideo termini determinatae materiæ tali formæ non competit. Sed de interpretatione hic agitur prout est vox ad significationem rei relata a qua accipit et affirmationem, et negationem, et universalitatem, et particularitatem et multitudinem: et ideo oportet quod secundum diversitatem significationis diversis terminis fiat constitutio interpretationis: ideo trascendentis termini sibi non congruunt, præcipue quia interpretatio non est perfecta, cum de re prout est non interpretatur: hoc autem transcendentibus terminis fieri non potest.

Intelligendum est quod ad hoc quod aliquis deveniat ad notitiam ignoti per notum, exiguntur tria. Primum quidem interpretatio rerum per vocem interpretativam. Secundum, copulatio eorum quæ interpretata sunt ad consequentiam unius cum altero. Tertium, probatio quod sic sit et non aliter. Et primum quidem fit in *Perihermenias*, secundum in *Prioribus*, tertium autem diversimode in *Posterioribus* et *Topicis*. Et sic scitur istius scientiæ ordo ad consequentes.

Differt autem modus significandi in venire solum in libro *Topicorum*.

**Dubitatio.**

**Solutio.**

<sup>1</sup> Ex quo patet quod non docemur resolvere solum in libro *Priorum* et *Posteriorum*, nec in-

voce in *Prædicamentis* et hic. In *Prædicamentis* enim est inchoatio significatio-nis a re, et terminatur in voce. Est enim liber *Prædicamentorum* de decem vocib-  
us prima principia significantibus, et se-  
cundum rerum proprietates non vocum.  
Hic autem in scientia de interpretatione  
(eo quod interpretatio fit per sermonem)  
est inchoatio a sermone sive voce, et  
terminatur in rem : quia aliter non esset  
interpretatio. Et propter hoc multa di-  
cuntur de interpretatione, quæ accident  
ei in quantum est in voce. Sic ergo patet  
de modo hujus scientiæ.

## CAPUT III.

*De parte proœmiali.*

Procedentes ad tractandum de inter-  
pretatione sive enuntiatione, determina-  
bimus primo de enuntiatione sive inter-  
pretatione simplici, antequam quidquam  
dicamus de interpretatione ad maximam  
contracta. Et determinabimus quæ con-  
veniunt ut partes vel ut passiones enun-  
tiationi simplici. Ad tractandum ergo de  
enuntiatione oportet primum constituere,  
quid sit nomen, et quid sit verbum, se-  
cundum acceptiōnem logicām : quia com-  
positum non cognoscitur nisi sciatur ex  
quot et qualibus est : quia principia esse  
compositi sunt componentia. Et quia sunt  
principia in esse, sunt etiam principia  
sciendi rem illam, cuius ista sunt princi-  
pia. His igitur rationibus præcognoscere  
oportet et constituere, quid nomen, et  
quid verbum. Adhuc autem quia enun-  
tiatio est, in qua enuntiatur aliquid de  
aliquo. Nomen autem est de quo enuntiatur.  
Verbum autem est quod de alio  
enuntiatur. Et sic nomen et verbum (sub  
ratione enuntiati et de quo enuntiatur)  
cadunt in diffinitione enuntiationis : prop-  
ter quod primum oportet constituere,  
quid nomen, quid verbum. Postea imme-

Quid no-  
men ?Quid ver-  
bum ?

diate, quia verbum non enuntiatur de  
nomine nisi mediante compositione cui  
accidunt affirmatio et negatio, oportet  
determinare, quid affirmatio, et quid ne-  
gatio, quæ sunt circa compositionem, et  
sunt oppositionis principia : quæ quidem  
oppositio licet sit inter affirmationem et  
negationem æqualiter, tamen oppositio  
non causatur nec completur nisi inter ne-  
gationem. Ens enim non est causa oppo-  
sitionis alicujus, sed potius non ens ad  
ens relatum : et ideo completur oppositio  
in negatione : propterea in divisione et  
proœmio isto negatio præponitur affir-  
mationi.

Quod autem quidam dicunt duplēcē  
esse causam negationis, defectum scilicet  
generalem esse, sicut antequam mundus  
esset nihil fuit de esse mundi : et defec-  
tum particularem, scilicet quod non fuit  
hoc vel illud. Et dicunt quod negatio  
quæ causatur a defectu generali, præcedit  
affirmationem, sicut mundi esse est post  
non esse mundi. Negatio autem causata a  
defectu particulari, sequitur affirmatio-  
nem quam semper sibi præponit<sup>1</sup>. Hoc  
trufa est, et nihil valet ad propositum :  
quia constat quod Peripatetici de defectu  
generalis esse nihil loquuntur, nec de ne-  
gatione ab illo defectu causata : unde hoc  
est frivolum. Sed primo modo dicendum  
quod scilicet quamvis negatio affirmatio-  
nem sequatur secundum naturam, tamen  
quia oppositio completur in negatione,  
propter hoc aliquando præponitur affir-  
mationi, præcipue ubi agitur de affirma-  
tione et negatione, prout sunt principium  
oppositionis sicut fit hic. Dico autem de  
affirmatione et negatione quæ sunt oppo-  
sita tanquam materialia ad enuntiatio-  
nem, eo quod nomen quidem est subje-  
ctum, verbum autem prædicatum. Est  
autem enuntiationis pars compositio, cui  
accidunt affirmatio et negatio, quæ quia  
partes sunt enuntiationis vel partium ac-  
cidentia sive passiones, vocamus materia-

<sup>1</sup> Quare Philosophus in hoc proœmio præponit negationem affirmacioni. Vide tamen Boe-

tium in secunda aditione, quia aliam causam assignat. JAMMY.

lia enuntiationis principia et ideo de illis præmitti oportet et constituere, et postea de formalibus consequenter tractare secundum differentiam et speciem diffinientiam (quæ est enuntiatio) et secundum genus proprium quod est oratio.

Unde cum dicimus, quod primum oportet constituere, intelligimus primum in ratione principii constituentis. Et cum dicimus « oportet », intelligimus quod hoc habet necessitatem suppositionis sive finis. Si enim debeat cognosci interpretationis, tunc oportet sic fieri: non tamen hoc est necessarium simpliciter, secundum quod necessarium est quod non potest non esse. Propter hoc autem, quod dicimus « constituere », intelligitur quod hæc constituuntur, quæ ipsa contestatione sunt hæc quæ sunt. « Nomen » autem a grammatici contestatione non sufficit ad hoc quod pars enuntiationis sit constitutiva, si significat substantiam cum qualitate, substantiam ejus cui imponi-

tur, et qualitatem a qua imponitur: et sic non facit nisi notitiam de re cuius est nomen: nec hoc modo aliquid enuntiatur de ipso. Nomen autem prout hic statuitur, statuitur secundum formam qua de ipso aliquid potest enuntiari, et ideo constitutione dialectica talem accipit formam « nomen et verbum ».

Constitutis autem his postea consequenter intendendum quid sit « affirmatio et negatio ». Hæc enim (cum qualitates sint) non primo constituunt enuntiationem, sed consequenter: quia accidunt compositioni enuntiationis. Et hujusmodi principiis sic habitis enuntiationis materialibus, circa quæ ponitur forma enuntiationis, intendendum est de formalibus principiis, quid scilicet enuntiationis secundum differentias constitutivas quæ in nomine speciei importantur, et quid oratio quæ est genus enuntiationis contrahendum per differentias ad enuntiationis constitutionem.

---

## TRACTATUS II

DE INVESTIGATIONE PRINCIPIORUM COMMUNIUM DIFFINIENTIUM  
PARTES ENUNTIATIONIS,  
ET DE NOMINE, ET VERBO, ET ORATIONE.

### CAPUT I.

*De diffinientibus principium enuntiationis.*

Quod autem aliqua vox sit significativa ad placitum quæ sine institutione nihil significat, sic probatur: quia ea quæ sunt extra animam, sunt res a natura causatae, agentes suas cognitiones in anima, per universale abstractum a singulari, vel per sensibile quod accipit sensus a quo intellectus per reflexionem ad sensum accipit universale. Sic enim res extra imprimit et agit quodammodo in animam, et infert ei passionem: eo quod anima secundum mentem et intellectum passiva et receptiva est. Et quia sic intellectus patitur et recipit a re extra, ideo dicuntur passiones formæ et intentiones rerum quæ sic fiunt in anima. Et quia voces articulatae non possunt formari nisi ab intelligente et concipiente rem et recipiente passionem secundum formam rei cognitæ, ideo voces articulatae a tali constituuntur intellectu: non constituit autem vocem articulatam nisi ad significandam speciem rei et passionem, quam a re intra se concepit.

Vox ergo quæ sic ad rem significandam imponitur, non est passionis quam ipse intellectus a re concepit. Et sic ea quæ sunt in voce, a tali intellectu ad significandum constituta, sunt notæ passionum earum quæ a rebus conceptæ sunt in anima: res autem speciem suam generat in

anima, et intellectus specie illa informatus instituit vocem: unde passio animæ species est rei, et vox significans ad institutionem intellectus sic formati dicit notam passionis quæ est in anima: et ideo ipsa vox instituta efficitur signum et similitudo rei in ore qui audit. Unde quod est nota passionis in ore dicentis, est signum et similitudo rei in ore audientis. Sic ergo voces sunt notæ earum passionum quæ sunt in anima.

Litteræ autem et figuræ sunt etiam ad placitum: et ideo figuræ tales et voces inventæ sunt, per quas ea quæ dici debent, valeant rectis syllabis pronuntiari ad vocem litteratam, quam informat vox articulata sive ad placitum significativa. Et ideo sicut vox articulata significativa est ad placitum, ita et figuræ litterarum. Sunt enim litteræ sic vel sic complexæ notæ vocum ad placitum significatarum, sive eorum quæ sunt in voce, hoc est, rerum ipsa voce significatarum, ita ut voces sint notæ passionum, ut litteræ sunt notæ vocum secundum quod stant sub forma vocis litteratae et articulatae.

Et ex hoc patet, quod quemadmodum litteræ non omnibus vel apud omnes sunt eadem, eo quod nec conceptus nec intellectus eas concipiendo apud omnes est idem, ita nulla vox litterata et articulata est omnibus eadem: sed primæ conceptiones illorum (quorum voces immediate notæ sunt) hæ apud omnes eadem sunt, sicut animæ passiones. Quia generata quæ unius formæ habent generans, eadem

sunt in forma et specie, passiones sunt similitudines rerum in anima. Res vero se habent in anima per similitudinem generantis. Cum ergo res ubique et apud omnes sunt eadem, easdem in specie generabunt passiones, et ideo conceptiones ad omnes res recte concipiendas eadem sunt in specie. Et similiter etiam res apud omnes et ubique sunt in specie, quarum passiones animae sunt notae: quia rerum sunt similitudines in animalibus a rebus generatae. Institutio autem nostra nihil variat in rebus naturae. De talibus autem qualiter a rebus rerum similitudines generantur in anima, tertio libro *de Anima*<sup>1</sup> satis dictum est, ubi determinatum est quod res non sunt in anima, sed similitudines rerum. Alterius enim negotii sunt illa, et ad physicum pertinent.

Sic ergo patet quod ea quae sunt constituenda a nobis, voces sunt, et per hoc quod illae voces sunt notae, et nulla vox est nota nisi quae significativa est, habemus quia ea quae constituenda a nobis sunt, in voce significativa sicut in genere, debent constitui.

Per hoc autem quod notae sunt passionum quae ex intentionibus rerum causantur in anima, habetur quod non primo sunt notae rerum, sed potius primo sunt notae similitudinum quae sunt in anima, et per similitudines istas ad res referuntur. Et in hoc differunt notae hic consideratae consideratione grammatici, qui considerat voces istas secundum quod sunt signa rerum immediate, et ideo dicit quod nomen significat substantiam cum qualitate. Logicus autem, quod est vox significans ad placitum.

Et per hoc patet quod logicus non presupponit ista a praecedenti scientia, grammatica scilicet, sed constituit per diffinitiones proprias constituentes ista secundum esse quo constituere possunt et componere enuntiationem. Consideratur enim vox significativa ad placitum dupliciter,

scilicet secundum institutionem et usum, et secundum causam institutionis<sup>2</sup>. Secundum institutionem quidem et usum nota est conceptus qui est in anima. Instituens autem non habet respectum in instituendo nisi ad id vel illud quod jam in anima concepit. Et utens voce in loquendo, ut dicit Plato, non utitur ea nisi ut pandat conceptum, quo nunc anima est affecta sive passa est. Causa autem institutionis, quia cum res efferre non possumus, ut nobis invicem communicemus rerum praesentatione, inventae sunt voces articulatae, quibus ipsas res sive intentiones rerum exprimamus, ut nobis invicem vocibus communicemus. Et hoc modo ultimo voces ad significata rerum referuntur. Et ideo jam ex his quae dicta sunt, habitum est quod constituenda per diffinitionem (ad enuntiationis generationem) sunt in voce tanquam in genere, et in voce significante mentis conceptum quae est passio facta in anima a rebus extra: et ideo est vox articulata significativa ad rei designationem relata. Et quia non est apud omnes eadem vox relata ad idem designandum, sed variatur, oportet quod causam suae institutionis habeat variabilem, quae est voluntas ad placitum instituentis.

Propter quod dicit Avicenna quod vox litterata sine placito instituentis nihil significat penitus: quia tamen alteri non facit signum de re, nisi sub determinata figura vocis certificativa, ideo oportet tam vocem esse litteratam, quia non nisi sub elementis litterarum habent figurae certitudinem, sine qua certitudine non potest esse rei certum signum. Et quia litterae describunt figuram vocis in prolatione, et quasi (ut ita dictam) depingunt eam, ideo sicut vox ipsa litterata, sic litterae sunt ab institutione: et ideo non sunt eadem apud omnes, sed mutantur sicut et ipsae figuratae ad litteras mutantur voces.

voces primo significant res, et etiam quod primo significant conceptus sub diversis respectibus. JAMMY.

<sup>1</sup> Tex. com. 38.

<sup>2</sup> Nota hanc distinctionem: quia per eam solvuntur multa argumenta et salvatur quod

Quamvis ergo vox sit sonus, tamen (quia sonus non est nisi fractio et ictus aeris a percutiente solido plano percussus, tympanum auris immutans) non omnis sonus est vox : quia vox est sonus ab ore animalis, cum imagine alicujus significatio[n]is prolatus. Hæc enim imago potest esse affectiva et movens ad immutationem vel fugam : et tunc vox significat passionem gaudii, vel doloris, vel tristitiae, sicut plerumque significant voces brutorum, et etiam rationalium quorumdam, ut gemitus et ea quæ importantur per interjectiones. Imaginatio potest etiam esse a re accepta in qua accipit ratio veritatem vel falsitatem, vel cuiuslibet rei verum conceptum : et hoc modo sonus cum imaginatione sermonis prolatus non est nisi hominis, etiam illa sola vox vere erit vox.

Voces ergo semper sunt significativæ : significant enim ad minus seipsas : sed illæ voces quæ (quamvis litteratae sint) non habent institutionem ad aliquid significandum, nec proferuntur cum imagine alicujus designandi per voces, non dicuntur voces significativæ, ut *bu ba blicheri* : quæ exempla consueveruntponni, quia non sunt instituta ad aliquid designandum. Significativarum autem vocum quædam designant non per institutionem, sed per naturam, ut illæ quas diximus, ut est gemitus et exclamatio in dolore vel gaudio, vel in vocibus brutorum : et illæ tamen fiunt signa suæ significatio[n]is si per institutionem accipientur, et efficiuntur significativi conceptus, ut *euge* et aliæ interjectiones quæ affectu significant, non ut affectum, sed ut conceptum affectus, voce litterata designatum. Voces autem quæ per institutionem sunt significativæ omnis diversitatis sunt significativæ. Articulata vox dicitur, quia articulatum signum rei facit. Sed ad hoc quod certum fiat signum, oportet quod litterata fiat signis elementaliter compostis ex elementis litterarum, quæ non sunt eædem apud omnes : et sic jam habemus quod constituendæ a nobis sunt signifi-

cativæ voces litteratae, quæ non sunt eædem apud omnes.

Hæc est causa, quod non oportuit dicere, quod primum oportet constituere quid dictio, vel quid terminus : sed diximus quod oportet constituere quid *nomen* et quid *verbum*. Non enim hic de omni dictione quæ pars orationis est, intendimus, sed tantum de his secundum quod de eis enuntiatur aliquid, vel ipsa de aliquo enuntiantur, sicut sunt nomen, et verbum, et horum compositio. Nec de termino intendimus : quia non resolvendo procedimus, sed potius enuntiationem generando ex suæ generationis principiis : propter quod etiam a simplicibus inchoamus.

Quamvis præmisimus quod etiam oportet constituere, quid oratio et quid enuntiatio, quæ composita sunt ; non diximus hæc præconstituenda esse, prout composita sunt, sed prout hæc sunt formalia principia ut genus et differentia eorum quæ cadunt in diffinitione enuntiationis, sive interpretationis : et hac via generationis et collectionis eorum quæ ad interpretationis diffinitionem pertinent, procedemus.

Habito ergo jam quod tales sint voces, et quod sunt voces significativæ, et quod sunt significativæ passionum primo, et per consequens sunt significativæ rerum, et quod sunt ad placitum, et non per id quod est idem apud omnes. Habito etiam quod sunt voces articulatae et litteratae, restat ulterius de illis investigare, scilicet utrum sint complexæ, vel incomplexeæ.

## CAPUT II.

*De voce incomplexa quæ nec verum nec falsum significat.*

Quia ergo voces logice loquendo significant ea quæ sunt in anima ut passiones, hoc quod contingit in anima secundum passiones, hoc idem contingit in voce passiones designante. In anima autem con-

Removet  
dubium.

tingit intellectus passionum simplicium et indivisibilium, sive (ut ita dicam) incompositorum, sicut est intellectus hominis, vel ligni, vel alterius : qui intellectus idem est quod rei per mentem intuitus in similitudine ea quae apud animam, qui intellectus est sine vero et falso : quia sicut dicit Aristoteles<sup>1</sup>, intelligentia indivisibilium et incomplexorum est, in quibus neque verum neque falsum est : et ubi verum et falsum est jam compositio quædam intelligibilium est. Et quia hoc contingit in anima quae res componit et dividit, quod aliquoties intellectus est sine vero et falso, aliquoties autem cum vero et falso, ita quod necessarium est horum alterum intellectui inesse, scilicet quando concipit hoc de hoc dici vel negari, oportet quod in voce significativa talis intellectus idem contingat, quod scilicet aliqua vox sit articulata et litterata incompleta, ut homo, et asinus : quædam autem cum vero et falso significant, ut interpretatio vel enuntiatio indicativa, ut homo currit, et homo non dormit. Non tamen omnis vox litterata et articulata complexa statim verum vel falsum significat : quia nec deprecativa, nec optativa, nec conjunctiva, nec infinitiva, cum vero vel falso significant, cum tamen sint voices complexæ: sed aliquoties vox complexa significativa ad placitum semper cum vero et falso significat, quando est indicativa, hoc de hoc enuntians, quæ de re facit interpretationem perfectam. Voces vero significativaæ ad placitum sunt nomina et verba, et consimilia sunt in hoc quod sunt notæ consimiles intellectui qui est sine compositione, sicut est homo, vel asinus, quando non additur aliquid, sed utrumque per se solum accipitur : tunc enim neutrum eorum est verum vel falsum, et hoc quando nihil est additum quod affirmetur vel negetur de his.

Hujus autem probatio est per locum a majori. Videtur enim magis, quod composita dictio aliquid cum vero et falso significet, quam simplex et incomposita :

nihil autem cum vero et falso significat composita : ergo nec simplex. Quod autem composita cum vero et falso nihil significet, probo exemplo : hircocervus enim compositum est ex hirco et cervo : et tamen cum dico hircocervus, nec verum nec falsum significat, nisi aliquid negatum addam vel affirmatum de hircocervo : ergo nec aliqua dictio incompleta aliquid cum vero et falso significabit : non enim aliquid talium significabit cum vero et falso, si non addatur incompleto aliquid esse vel non esse per compositionem vel simpliciter, vel secundum tempus.

Simpliciter autem aliquid addi dico Simpliciter  
quid?  
Prima expo-  
sitio. quod inest per seipsum et semper, ut homo est animal : haec enim enuntiatio semper est vera, sive homo sit, sive homo non sit, ut in ante habitis libris dictum est : quia prædicatum semper est in subjecto simpliciter et actu et intellectu. Secundum tempus autem additur, quod secundum tempus inest et non simpliciter, sicut cum dicitur, homo est : quia esse accedit homini secundum tempus, et non simpliciter, vel cum dicitur, homo currit. Et hic est verus hujus dicti intellectus, in quo concordant Alexander, Avicenna et Boetius. Alii tamen dicunt quod simpliciter de aliquo dicitur quod secundum tempus simplex dicitur de eo, sicut secundum præsens quod non est tempus, sed temporis continuatio. Secundum tempus dicitur de eo quod dicitur secundum præteritum vel futurum. Tertii etiam dicunt quod simpliciter dicitur de re quod dicitur sine determinatione hujus vel illius esse, ut homo est. Secundum tempus autem quod determinate accedit secundum ea quae fiunt in tempore, ut homo est hodie. Sic ergo patet, quod nominis vel verbi partes nihil extra totum significant, exemplo compositi nominis pars extra nihil significabat, et quod nullum talium significat cum vero vel falso quando per se ponitur.

De his autem multa in principio istius

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 3 de *Anima*, tex. com. 21.

Secunda.

Tertia.

nostræ logicæ dicta sunt : nihil enim dicitur significare quod de intellectu sui totius nihil significat, sicut cum dicitur dominus, neque *do* syllaba, neque *mi*, neque *nus*, aliiquid significant de intellectu totius, vel secundum partem vel secundum totum. Sic etiam cum dicitur hircocervus, nec *hircus* nec *cervus* aliquid significant de intellectu totius : *hircus* enim non significat partem quæ est *hircus*, et *cervus* aliam partem, sed utrumque per se nihil de toto significant, sed ambo conjuncta significant indivisibilem intellectum hircocervi totius.

Adhuc autem ut omnia ista facilius intelligantur, revocabundum est ad memoriam quod in scientia *Universalium* dictum est: ibi enim dictum est quod compositionis in voce causa est inhærentia, qua unum secundum rem inest alii. Et quamvis unum secundum rem inest alii sine aliqua media compositione, tamen intellectus nec sibi nec alii significare potest hoc sermone interiori apud se, nec voce exteriori apud alium, nisi ponat unum dici de alio mediante compositione, quam compositionem primo facit intellectus componens, et sicut facit eam apud se, ita designat eam per sermonem extrinsecum apud alium. Et quia hoc quod est apud intellectum sermo nuntiat per signum, ideo sermo exterior apud Græcos angelus intelligentiæ vocatur. Et quia compositio primo est in anima, ideo dicit Aristoteles<sup>1</sup> quod ubi verum et falsum est, jam compositio quædam intellectuum est. Et in sexto *philosophiæ primæ*<sup>2</sup> dicit quod verum et falsum sunt in anima: sicut enim in agente compositio est in anima: sicut in signo autem est in voce enuntiativa; sicut autem in causa est in rebus extra: quia hoc quod unum est in alio in rebus extra, hoc est causa compositionis.

Est tamen alia veritas incomplexorum, qua esse verum est rei impermixtum. Et adhuc multis modis dicitur verum, de quibus alibi dictum est, sed non sunt

præsentis intentionis. Hic enim non loquimur nisi de veritate quæ est adæquatio sermonis et intellectus: quia illa in sermone causatur a passione quæ est in anima a rebus extra, quæ sunt proprie activa in potentiam animæ, quæ acceptionis potentia est et passiva. Et ideo quod agitur in anima ab extra modo passio vocatur. Et ideo prout refertur ad rem, est similitudo: prout autem est in anima, est passio: et prout in voce causatur ab anima, vocatur nota in ore dicentis: prout procedit in aurem audientis, vocatur signum.

Dubitatio.

Solutio.

Si autem quis quærat, quare non est ita in aliis objectis aliorum sensuum sicut in auditum? Dicendum quod objecta aliorum sensuum secundum nihil cuius cauantur ab anima, sed a re extra: et nihil in ea facit anima, nisi quod recipit ea. In vocibus autem institutionem quamdam facit ipsa anima. Et nota quam facit vox, est ab anima. Non autem sic est in visu, vel olfactu, vel gustu, aut tactu. Hoc autem in voce facit anima: quia in nullo aliorum sensibilium potest habere notam omnium nisi in auditu: visible enim, nec audibile, nec gustabile, nec odorable repræsentat, nec tangibile: solum autem objectum auditus per institutionem fit omnium signum, et quodammodo omnia est: et ideo in auditu est id in quo omnes sibi suos effectus et conceptus communicant. Et hi in anima dicuntur passiones. Dicitur tamen passio duplicter, ut dicit Aspasio in libro primo *de Passionibus animæ*. Uno modo dicitur passio forma quam infert objectum potentiae passivæ, sive sit sensibilis, sive intelligibilis, sicut visible passionem infert sensui, et intelligibile passionem infert intellectui possibili. Alio modo dicitur passio motus animæ quo movetur in corpus, et motum ostendit motu spirituum et sanguinis, sicut dicitur passio iræ, passio concupiscentiæ, passio gaudii et tristitiae, misericordiæ, et timoris et aliorum hujusmodi, illo sensu quo dicimus pati

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 3 de *Anima*, tex. com. 21.

<sup>2</sup> Tex. com. 8.

quod movetur secundum cordis diastolem vel systolem : et hoc modo nos hic non loquimur de passione.

*Epilogus di-  
ectorum.*

His sic determinatis, plana sunt satis ea quæ dicta sunt. Scimus enim quod nomen et verbum præconstituenta sunt, et enuntiatio et oratio, et quod hæc in communi causa sunt in hoc genere quod est vox significativa ad placitum. Sed quædam eorum sunt vox quæ est sine vero et falso, sicut nomen et verbum : quædam autem illorum sunt vox quæ est aliquando cum vero vel falso, ut oratio, quædam autem semper sunt vel cum vero vel cum falso, ut interpretatio vel enuntiatio. Scimus enim etiam quod vox significativa logice loquendo nota est passionum animæ et signum rei, et quod illa quæ sunt in anima sunt passiones a rebus in animam actæ : sed non sunt passiones animam commoventes ad fugam vel prosecutionem alicujus. Scimus etiam qualiter veritas sit in rebus sicut in causa, qualiter in anima sicut in efficiente compositionem, et qualiter in oratione sicut in signo. Hæc autem pro parte in *Prædicamentis* dicta sunt, et in *sex Principiis*. Et ideo ista hic sufficient ad præsentem intentionem.

### CAPUT III.

*De dubitalibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt.*

*Prima objec-  
tio.*

Quamvis autem in prædictis jam dubia majora soluta sint, tamen propter doctrinæ bonitatem adhuc solvemus quædam sophisticas importunitates, quæ videntur esse contra prædicata. Objiciunt enim quidam dicentes, quod intellectus sive passiones intellectus non sunt cædem apud omnes. Accidens enim variatur secundum subjecti diversitatem : passio autem est accidentis intellectualis animæ : anima intellectualis vero non est eadem apud omnes : igitur nec passiones cædem sunt apud omnes.

Adhuc probare videntur, quod voces sunt cædem apud omnes : quia hæc vox, *homo*, a quocumque pronuntietur, semper est eadem : et similiter est de aliis vocibus pronuntiatis.

*Secunda.*

Adhuc autem instant probantes, quod res non sunt cædem apud omnes: quia climata et loca habitabilia et inhabitabilia variant species et naturas rerum apud diversos; ergo res non sunt cædem apud omnes.

*Tertia.*

Adhuc autem ex quo similitudines rerum quæ sunt passiones in anima sunt cædem apud omnes, sequitur quod scientiæ rerum erunt cædem apud omnes : igitur doctrinæ rerum erunt cædem apud omnes: quod manifeste apparet esse falsum.

*Quarta.*

Ad hæc autem et consimilia non est difficile respondere per antedicta. Et quamvis hic multa ab aliis dicta sint, nos tamen secundum propositam intentionem dicimus, quod illud manet idem apud omnes quod ex nobis, id est, ex voluntate nostra, et ex institutione nostra non accipit diversitatem. Et quia passionum in anima generatio est ad modum naturæ in hoc quod ad speciem moventis generatur in anima passio, et res similiter non a nobis est, sed a natura, ideo res et passiones manent cædem apud omnes, non cædem numero, vel proprio, vel genere, sed natura causante, vel extra vel in anima, et a voluntate hominis non diversificatae.

*Solutio ad  
tertiam.*

Et quod dicitur, quod non est una anima apud omnes, dicendum quod hoc modo loquendi falsum est. Est enim una anima apud omnes unitate naturæ producentis, sed non unitate numeri.

*Ad primam.*

Ad id autem quod objicitur de voce, quod sit eadem apud omnes, dicendum est, quod vocis est duplex consideratio. Una quidem secundum vocis substantiam secundum quod est discreta quantitas : et sic vox est una de rebus naturæ et eadem apud omnes. Alio modo consideratur vox prout institutum signum ad significandum sub certa figura et certis ele-

*Ad secun-  
dam.*

mentis, et sic est ad placitum, et non eadem apud omnes. Quamvis enim tympanum auris pulset in quantum est res naturæ et secundum quod est acuta vel gravis, quod accidit ei in quantum est res naturæ : tamen non ordinatur ad designandum animæ et intellectus passionem, nisi in quantum est figurata et certis elementis determinata, et sic significativa. Et est solius hominis sic vocare : propter quod animalium brutorum imperfecta ratione voces sunt : quia sunt inarticulatæ, et nullius ad extra designativæ, sed in vocante significant affectum. Secundum hoc ergo quod voces a nobis sunt, sic diversæ sunt secundum institutionem diversorum.

**Ad quartam.**

Ad id autem quod objicitur de scientia, quod sit eadem apud omnes, dicendum quod scientia sequitur naturas rerum de quibus est scientia, et sic non diversificatur a nostra institutione, et ideo remanet hoc modo eadem apud omnes. Sed non sequitur hoc de doctrina : quia doctrina est actus docentis, qui procedit a voluntate quæ non est eadem apud omnes : et ideo unum et idem scibile unus docet sic, et alter aliter.

**Redit ad solutionem primæ.**

Quod autem dicitur, quod unus intellectus est apud omnes vel non est, altioris est negotii quam hic possit determinari. Tamen quantum nunc sufficit, dicimus quod intellectus qui est potentia intelligibilis, non est idem apud omnes, nec intellectus speculativus qui est species in anima potest esse idem apud omnes, nisi per modum qui supra paulo ante dictus est. Sed intellectus relatus ad intelligibile, est idem apud omnes per hoc quod intelligibile est idem apud omnes.

**Aliæ obiectiones.**

**Prima.**

Quærunt autem adhuc ulterius sic circa præinducta, qualiter intellectus aliquoties dicatur sine vero et sine falso, et non sit dictum, quod res aliquoties sit sine vero vel falso?

**Secunda.**

Adhuc autem qualiter dicatur circa

compositionem et divisionem esse veritas et falsitas ? aut enim verum et falsum sunt circa compositionem et divisionem sicut circa eadem, aut sicut circa diversa. Si dicatur quod sunt sicut circa eadem, tunc affirmatio et negatio erunt eadem, quod falsum est, cum dicant Porphyrius et Boetius quod sunt oppositæ species enuntiationis. Si autem sunt sicut circa diversa, tunc videtur quod non idem negat negatio quod affirmat affirmatio : quod esse non potest, quia non opponerentur, nisi circa idem essent numero et specie.

Ad hoc autem dicendum, quod sicut **Ad primam.** se habet res ad esse, ita se habet ad veritatem, ut dicit Aristoteles<sup>1</sup>; et sicut se habet ad non esse, sic se habet ad falsitatem : et quia non simul se habet ad esse et non esse, ideo nunquam res simul est et non est, sed ad esse tantum si est, vel ad non esse tantum si non est : ideo nunquam res est sine vero vel falso : sed verum et falsum sunt in rebus sicut in causa, ut in ante habitis dictum est. Intellectus autem cum sit species specierum intelligibilium, ut manus organum organorum, operatur in intelligibilibus et sine complexione et cum complexione accipiendo eas, et ita designat in voce : et ideo intellectus et vox sine vero et falso sunt aliquoties, aliquoties autem cum vero et falso : res autem altero modo semper, scilicet cum vero vel cum falso.

Ad illud autem quod de compositione objiciunt, dicendum quod compositio et divisio sunt nomina multipliciter dicta per analogiam. Aliquando enim compositio significat actum vel compositum et unum de alio affirmative praedicatum : et hoc modo compositio est propositio vel enuntiatio affirmativa, et per oppositum divisio est propositio negativa : et hoc modo compositio et divisio sunt diversæ propositiones. Aliquando etiam compositio significat notam compositio-

**Ad secundam.**

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 2 *Metaph.*, tex. com. 4.

nis in propositione, et sic quidem substantialiter compositio est in divisione, ut probat objectio : et ideo dicit Aristoteles quod omnino est in negatione divisio. Et quamvis substantialiter est idem, tamen virtute et actu sunt opposita, propter oppositas qualitates affirmationis et negationis. Cum ergo dicitur quod verum et falsum sunt circa compositionem et divisionem, debet *circa* exponi per *in*, quae est præpositio notans continentiam : quia sunt in compositione et divisione, et non in eo quod simplex et incomplexum est. Sunt autem in eo sicut in relativo relatio est, sicut diximus in *Prædicamentis* : et ideo eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa est. Ad hoc autem intelligendum oportet scire, quod compositio non est causa veritatis in propositione vera, nec etiam divisio, sed potius adæquatio compositionis cum intellectu componente, et cum re extra, et non adæquatio est causa falsitatis. Et quia talis relatio est causa veritatis et falsitatis, et relationes sunt assistentes extrinsecus, ideo forte dicitur quod verum et falsum sunt circa compositionem et divisionem.

Sophistæ etiam dubitant de hoc quod dicitur, quod incomplexum neque verum neque falsum est : quia in verbis primæ vel secundæ personæ determinatum intelligitur suppositum, ut cum dico, *lego*, est idem quod ego *lego* : *legis*, id est, tu *legis* : *lego* igitur est incomplexum quod significat verum vel falsum. Eadem est objectio de verbis exceptæ actionis, ut *fulminat*, *tonat*, et de verbis impersonalibus, ut *legitur* : quæ omnia incomplexa sunt, et tamen habent vim perfectæ enuntiationis : et sic cum vero vel falso videntur esse quædam incomplexa.

Solutio ve-  
ra. Ad hæc autem facile est respondere, quia quamvis aliqua virtutem habeant perfectæ orationis secundum grammaticum, tamen non habent virtutem perfectæ orationis secundum dialecticum. In verbis enim primæ vel secundæ personæ certum intelligitur suppositum,

propter hoc quia per consignificatum verbi determinatur : verbum enim primæ personæ refert actum suum ad substantiam cuius est idem actus, et ideo suppositum determinatum est per verbum. Et similiter est de verbis secundæ personæ, in quibus etiam ex consignificato determinatur suppositum. Et ideo tale incomplexum jam secundum causam et virtutem complexum est. Et hoc modo verum et falsum sunt circa ea, scilicet ut sunt complexa, et non prout sunt incomplexa. Idem est de verbis exceptæ actionis, quæ non consignificato, sed ex significato verbi quod uni soli convenit, determinant sibi suppositum. In verbis etiam impersonalibus idem est. Non enim dicuntur impersonalia, quia nullius personæ sint actus : quia hoc est impossibile, cum agere et pati sint proprium substantiæ : sed dicuntur impersonale, quia certam personam non determinant, primam scilicet, vel secundam, vel tertiam, ut cum dicitur, *legitur*, sensus est, quod ab aliquo legitur : et sic iterum verbum ratione actus determinat sibi suppositum infinitum : et hoc cum verbo sufficit ad complexionem in qua est verum vel falsum : et hanc puto esse veram istius dubitationis solutionem.

Dicunt tamen quidam, quod quamvis in illis verbis perfecta sit oratio quantum ad grammaticum, non tamen est perfecta quantum ad dialecticum : quia grammaticus non intendit de perfectione orationis quoad actum, et cuius est actus, qui per verbum ex consignificato vel significato determinari potest. Dialecticus autem intendit de perfectione orationis secundum relationem ad intellectum et ad rem, secundum quem modum non est oratio perfecta nisi quæ secundum actum enuntiat aliquid de aliquo. Hæc enim proprie interpretatio vocatur, quæ de intellectu et de re interpretatur sicut est vel non est.

Solutio quo-  
rumdam.

## CAPUT IV.

*De diffinitione nominis et ejus declaracione.*

Tractando ergo de enuntiatione de qua hic intendimus, dicemus primo de principiis materialibus ipsius, quæ sunt nomen et verbum, in quibus stat et ad quæ stat resolutio enuntiationis. In *categoriosis* enim quia de vocibus agitur, ut stant sub significatione rerum, oportet quod resolutio stet ad decem quæ sunt prima rerum principia per voces significata. In *grammaticis* autem quia de omni oratione constructa ex dictionibus congrue agitur, necesse est quod resolutio stet ad octo partes orationis. In *logicis* autem in quibus sunt verum et falsum, non nisi de enuntiatione intenditur, cujus principia non sunt nisi id de quo enuntiatur, et quod de aliquo enuntiatur ut inhærens vel divisum ab ipso. Id autem de quo enuntiatur, nomen est : et quod de alio enuntiatur, verbum est : et ideo resolutio enuntiationis stat ad nomen et ad verbum. Prius autem est de quo enuntiatur, quam id quod enuntiatur de ipso : et quia subjectum est nomen sicut ens, et id quod de alio enuntiatur est sicut esse quoddam inhærens : prius autem est id cui aliquid inhæret, quam id quod inhæret : et ideo præponimus tractatum *nominis* ante tractatum *verbi*, sicut ens est ante esse quod est actus entis : verbum enim ut actus nominis est cui apponitur, sicut agenti illum actum.

Dicamus ergo totam simul præmitten-tes nominis diffinitionem, quod *nomen* est vox significativa ad placitum, sine tempore, cujus nulla pars est significativa separate. In hac diffinitione ab antiquis Peripateticis data, non diffinitur nomen secundum quod dictio vel secundum quod pars orationis. Et hujus qui-

dem hæc causa est, quia dictio ad rem dictam refertur, nomen autem secundum logicum ad intellectum refertur a quo formatur ut sit nota conceptus illius. Pars autem orationis non dicitur, quia pars dicit ordinabile in toto ad debitam totius constructionem : debita autem est congrua : hoc enim debitum habet ex hoc quod est constructiva ad designandum de re et modo orantis, secundum quod modus varium dicit affectum pronuntiantis orationem, vel indicative, vel deprecative, vel in alio affectu pronuntiantis orationem. Hic autem sic non intenditur de nomine et verbo, et de oratione, sed potius prout sunt indicia passionum intellectus.

Primum autem quod procedit ab intellectu ad declarandum passionem quæ est in ipso intellectu, est vox : et ideo hic per vocem nomen et verbum proprie habent diffiniri.

Prima ratio.

Alia enim ratio hujus est, et magis conveniens : agitur enim hic de his quæ ad placitum significant, et quibus signis utimur pro rebus, ut in ante habitis dictum est<sup>1</sup> : talia autem non nisi in voce formabilia sunt : et ideo talium diffinitio est per vocem ut per propriam materiam. Quamvis enim in naturalibus materia non prædicetur de eo cuius est materia, eo quod forma in naturis est substantia quæ dat esse et nomen et rationem. In artibus tamen et in his quæ sunt a voluntate, quia voluntas substantiam non dat, sed accidens quoddam compositionis, vel sculpturæ, vel incisionis, prædicatur materia : quia ipsa est tota substantia talium : et ideo annulus dicitur aurum, et scyphus argentum, domus ligna et lapides. Et sic hic ut materia prædicatur vox de nomine, non quidem materia ex qua, sed sicut materia in qua formatur nomen. In talibus enim ubi forma substantialis materiae non additur, per quam materia ad aliam speciem et substantiam trahitur, fit divisio specierum per mate-

Secunda ratio.

<sup>1</sup> Vide in 2 de *Anima*, tex. com. 8.

riam, sicut domorum alia lignea, alia lapidea, et sic de aliis similibus.

Si quis tamen dicat quod in diffinitione nominis vox ponitur ut genus, nihil errat: per differentias enim divisum genus distrahitur in species. Dividimus autem sic: vocum alia significativa, alia non. Significativarum alia ad placitum, alia non. Significativarum ad placitum alia complexa, alia non. Et incomplexarum alia sine tempore, alia cum tempore, et sic per divisiones differentiarum accipiuntur species quae sunt nomen et verbum, licet per immediatam vocis divisionem non statim possent accipi. Sic ergo nomen est vox vel materialiter, vel formaliter, secundum quod genus est vox.

Quod autem additur, *significativa*, ad exclusionem additur non significativa vocis. Et de hoc quidem in præhabitis dictum est: quia quamvis omnis vox significet seipsam aut vocantem, tamen illa dicitur significativa quae instituta est ad passionem intellectus quae est similitudo rei significanda. Alia autem quae licet sit litterata, tamen quia adhuc non est instituta, dicitur non significativa.

Et quod additur, *ad placitum*, hoc est, ad voluntatem instituentis, sicut in præhabitis dictum est. Et querunt quidam quae est differentia inter voluntatem et ad placitum? Et dicitur quod voluntas dicit animi appetitum ab interiori tendentem ad extra: placitum autem dicit affectum quem facit id quod appetitur procedentem a movente extra ad intus: et placitum ideo est voluntas, quia patitur in volito.

Et cum dicitur, ad placitum, ista præpositio *ad* notat simul tres causas, finalem scilicet, eo quod finis significationis est ut satis fiat pro placito per nomen quod rem designet: et causam efficiensem, eo quod placitum est instituens et faciens quod rem illam designet: et causam formalem, quia secundum formam passionis qua affecta est anima instituen-

tis, significat, secundum quod dicit Aristoteles<sup>1</sup>, quod tres causæ, scilicet efficiens, formalis, et finalis, coincidunt in unam rem et eamdem. Sic ergo est vox significativa ad placitum. Sed attende quod oportet quod sit signum certum, quia aliter de re non certificaret. Non fit autem certum nisi per litterationem qua in hanc vel illam vocem figuratur. Oportet ergo quod sit vox litterata: si enim sine litteratione proferretur, non esset distincta, nec ad hoc significandum vel illud. Et ideo ad hoc quod certum esset signum, oportet quod talis vox sit litterata ad certificationem audientis: voci enim secundum quod est signum tantum ad intellectum rei relatum, accedit quod litterata sit.

Quod autem additur, *sine tempore*, videtur peccatum esse propter hoc quod sine tempore est privatio quae in negatione fundatur: diffinitiones autem per privationem et negationem non debent assignari: quia diffinitio dicit esse, privatio autem et negatio tollunt esse ab his quorum sunt. Sed notandum quod hæc privatio sine tempore fundatur in habitu et affirmatione, hac scilicet quae significat rem suam in quiete, et non in motu ut verbum: et talis privatio sic in habitu et affirmatione fundata, non tollit esse: et hoc modo ponitur in diffinitione. Et per hoc habet nomen, quod est enuntiationis subjectum: quia sic habet esse stans et fixum, et manens est substantia in seipsa, de qua aliquid potest enuntiari quod insit ei. Quod autem significat cum tempore, significat cum motu: motus autem esse in fieri est quod ab altero est, et non est secundum seipsum: et ideo potest quidem enuntiari de altero, sed nihil potest enuntiari de ipso secundum quod verbaliter accipitur: propter hoc ergo quod nomen significat substantiam de qua enuntiatur quod enuntiatur, oportuit nomen significare rem sine tempore.

Dubitatio.

Solutio.

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 2 Physic. tex. com. 70 et 8

et Metaph. tex. com. 42.

Quod autem dicitur, *cujus nulla pars est significativa separata*, ideo dicitur, quia significatio nominis sic refertur ad totum nomen, ita quod non ad partes: pars enim prima sive syllaba sive littera non habet primam partem significati, et secunda pars secundum, et sic deinceps: sicut cum dico, *dominus*, hoc ipsum *do*, quod prima syllaba est, non habet primam tertiam significationis, et *mi* quod est secunda syllaba secundam, et *nus*, quod est tertia syllaba, non habet ultimam tertiam, et sic nomen totum dicit et habet totam significationem: quia nulla pars separata habet aliquid significationis, neque secundum totum, neque secundum partem: et ideo nihil penitus retinet de significatione totius.

Hæc autem causa est, ut dicit Avicenna, quia institutio est causa significationis in nomine: non est autem institutum ut pars aliquid significet separata, sed ut totum significet totum: et ideo pars nihil significat. Et quia ars imitatur naturam, in natura invenitur similiter, sicut in motibus animalium, ut in volatu, qui non fit ab una parte divisim secundum unam partem, et ab altera parte altera pars, sed ab utraque ala mota simul. Mixtum etiam non fit ab aliquo tantum miscibili, nec ab uno secundum unam partem mixtionis et ab altero secundum aliam partem: sed cum quodlibet est, cumquolibet perficitur mixtio. Non ergo significatio infusa est nomini sic, quod sit conveniens partibus, sicut est in homogeniis, in quibus quælibet pars habet nomen et rationem totius, ut ignis, vel aer: quælibet enim pars ignis est ignis, et quælibet pars aeris est aer. Nec iterum est infusa significatio ut in heterogeniis, in quibus pars una habet partem unam totius, et alteram altera, sicut caput et pes et cor in corpore hominis, sed sic est totius, quod nullius partis est, nec secundum totam significationem, nec secundum partem.

Hoc autem probatur per locum a maiori: quia si ita est in composito, in quo

magis videntur partes aliquid significare de toto, quam in simplici: tunc multo magis hoc est in simplici. Cujus exemplum est in hoc nomine composito *equiferus*: *ferus* enim (prout est pars nominis compositi hujus quod est equiferus) nihil significat per se separatum de significatione totius: et hoc ideo est, quia hoc nomen *equiferus* impositum est equo a qualitate feritatis immixtae in qualitatem equinam: et quia ut immixtam non significat ferus, ideo de toto nihil significat. Nomen enim non est impositum a duabus qualitatibus divisis, sed unitis: et ideo quia unam divisam significat, nihil significat de totius nominis significatione. Nihil ergo significat ferus quando est pars compositi nominis quemadmodum per se aliquid significat, quando est pars orationis istius quæ est equus ferus. In hac enim est pars orationis, et per se sumptum ut nomen, aliquid significat de toto significato orationis. Significatum enim orationi sic convenit, quod est in oratione secundum partes, et una pars unam partem dicit significationis, et altera reliquam.

Quamvis autem sit dictum, quod nec in compositis nec in simplicibus pars aliquid significet de totius significatione, nullus existimet quod per omnia sit simile in partibus compositorum et simplicium nominum, nomen enim compositum est quod dividitur in duas partes intelligibiles ejusdem sensus capaces: simplex autem quod sic dividi non potest. Et ideo non quemadmodum se habet in simplicibus, ita se habet omnino in compositis. In simplicibus enim pars nullo modo est significativa. In compositis autem pars separata prout est nomen et per se sumpta, vult quidem aptitudine institutionis aliquid separatim significare, sed tamen nullius est significativa, quod sit de tota significatione compositi, vel secundum totum, vel secundum partem: cuius causa nuper dicta est.

Quod autem additur, *secundum placitum*, ideo additur, quia nomini ut est

sonus vocantis et res naturae non accidit sive convenit significare: unde sic nomen non est, quia notam non facit: nomen enim a notamine quod facit dicitur, et ad hoc quod aliquid significet, oportet quod nota fiat per ipsum, et tunc est nota passionum quae sunt in anima: quia sicut dicit Plato, sermo impositus est ad hoc ut praesto sint mutuae voluntatis indicia. Ab institutione ergo oportet nomen esse significativum, et non a natura: quia etiam illiterati soni aliquos designant affectus, vel passiones in eis: et tamen nullus talis sonus est nomen: vox enim secundum plenam vocis significacionem brutis non convenit, ut paulo ante dictum est.

## CAPUT V.

*Quid sit nomen infinitum, et quare non est nomen apud logicum.*

Visa autem sic diffinitione nominis posita et exposita, patet quod secundum hanc diffinitionem nomen infinitum non est nomen. Quia nomen significat substantiam cum qualitate, et nisi hoc modo significet, de ipso nihil certum posset enuntiari: propter quod quia nomen infinitum deficit in hoc quod non est finitae qualitatis, et de quo aliquid enuntiari potest, patet quod nomen infinitum non perfectam habet nominis rationem, quia non est finitae qualitatis: ideo dicimus quod non homo, quod est nomen infinitum, non est nomen secundum perfectam rationem nominis. Sed tamen quamvis nomen non est etiam alia pars orationis: et ideo nomen infinitum cadit a perfecta ratione nominis, et non est alia pars orationis, et non est ei nomen impositum, quo illud appellari oporteat in partibus orationis. Ideo, si placet, vocetur nomen infinitum, ut et habeat rationem nominis quoad modum grammaticae, et quoad dialecticum extra perfectam rationem nominis extrahatur. Hoc ergo modo dicitur nomen non simpliciter, sed nomen infi-

nitum. Non enim simpliciter negatio est, quia negatio nihil relinquit: nec etiam oratio, quia negatio cum dicitur non homo, per compositionem adjungitur ei quod est homo, et una dictio est non homo, et non oratio: et ideo cum perfectam rationem nominis non habeat, fit secundum nostram institutionem nomen infinitum.

De hoc autem nomine infinito multae sunt dubitationes. Et inter eas prima est, per quid negatio nomini per compositionem possit adjungi? Sed ad hoc statim prompta est responsio: quia sicut in verbo quolibet praedicato intelligitur nota compositionis, quae est *est*, sicut cum dico, homo currit, sensus est, homo est currrens: ita in nomine quod subjicitur, intelligitur ens, sicut cum dico, homo currit, sensus est, homo ens vel existens currit, et ratione hujus potest ei addi negatio quae facit nomen infinitum.

Si autem queratur per quid differt nomen infinitum in logicis, a nomine infinito quod vocatur infinitum in grammaticis? Dicendum quod in grammaticis nomen est infinitum, ut quis, et qualis, quod ab omni determinato numero finitum est, ut quis vel qualis duorum vel trium vel quatuor, et sic de quolibet alio. Nomen autem infinitum in logicis est illud, cuius privata est determinata qualitas, et relicta substantia infinita, quae substantia infinita supponitur per hoc quod dico ens: unde non homo est ens non habens formam humanitatis.

Et ideo queritur cum non homo sit nomen, nomen autem infinitum ad aliam partem orationis reduci non potest nisi ad nomen, quid habeat pro substantia, et quid habeat pro qualitate? Dicendum quod substantiam habet indeterminatam et infinitam, et privationem qualitatis habet pro qualitate: et hoc sufficit apud grammaticum, ad hoc quod aliquid sit nomen, quamvis apud logicum non sufficient ad perfectam nominis rationem. Et cum dicitur, quod nomen infinitum significat substantiam infinitam, non op-

Dubitatio  
prima.

Solutio.

Secunda.

Solutio.

Tertia.

Solutio.

portet quod illa substantia sit aliquid in rerum natura, sed sufficit quod sit aliquid in apprehensione vel dictione, secundum quod dicimus, quod chimæra est aliquid, et privationes et negationes sunt aliquid, per hoc quod aliquid habent in apprehensione: hoc enim modo substantia dicitur infinita, quia ad nullam formam entis finita est.

Propter quod quæritur utrum nomen infinitum aliquid ponat, aut non? Et dicunt quidam, quod ponit aliquid, ad hoc adducentes rationes: quia Aristoteles dicit in fine *Priorum*, quod differt dicere, est non æquale, et non est æquale: quia negatio non est æquale, nihil ponit: terminus autem infinitus non æquale, ponit aliquid.

Secundo dicunt et inducunt hoc quod communiter dicitur et verum est, quod differt negatio ab infinitivo et privativo: negatio enim cum sit extra genus, nihil ponit. Infinitum autem cum sit negatio in genere et communitate entis, aliquid ponit, scilicet ens infinitum. Privatio etiam in genere est, et ponit subjectum cum aptitudine et dispositione ad habitum, ut cæcum. Ex quo accipitur quod infinitum aliquid ponit.

In oppositi-  
um.  
Prima ra-  
tio.

Si autem hoc concedatur, videbitur contrarium per hoc quod omnis nominis impositio est a forma, sicut hoc nomen *homo*, a forma impositum est. Ab eadem forma imponitur et nomen habitus, et nomen privationis habitus ejusdem: cum ergo dicitur non homo, illud nomen etiam imponitur ab hominis forma. Sed differentia est in hoc, quod unum imponitur ab ipsa forma secundum se: alterum a privatione formæ ejusdem. Si autem hoc nomen homo, a forma secundum se imponatur, ubicumque invenitur hæc forma homo, illud est homo, et de illo enuntiatur quod homo est. Et ab opposito ubicumque invenitur privatio non homo, de illo enuntiatur quod est non homo. Non homo enim invenitur et in ente et in non ente æqualiter: non ens

est non homo, et ens diversum ab homine, est non homo: ergo non homo æqualiter dicitur de ente et de non ente: ergo neutrum determinat. Et si non determinat nec ens, nec non ens, nihil ponit: ergo non homo nihil ponit.

Adhuc autem si unum nomen potest esse infinitum, quod aliquid ponat: tunc omne nomen potest esse infinitum, ita quod aliquid ponat: quia una et eadem ratio est de uno et de omni nomine: sed ens est nomen: si ergo infinitetur ut dicatur non ens, aliquid ponet non ens secundum quod est nomen infinitum: ponet ergo aliquid quod est non entis: ergo est aliquid commune enti et non enti: nihil autem est commune enti et non enti: ergo nihil ponit penitus: vel reliquitur, quod sit non ens in rerum natura.

Adhuc autem cum dicō, *homo*, dico *Tertia ratio*. formam: et cum dico *hic homo*, dico formam in hac materia: et in talibus idem est esse hominis et hujus hominis, sicut est idem esse universalis et particularis in quo est universale: sed universale in quo est, et particulare est id quod est: sublato ergo universalis quod est in particulari, necesse est quod particulare secundum id quod est ab universalis auferratur. Cum autem dicitur non homo, aufertur homo quo hic homo est: licet homo: ergo et aufertur hic homo, et sic non remanente homine non remanet hic homo: ergo cum dico non homo nec ponitur universale nec particulare: et omne quod est aut est universale aut particulare alicujus naturæ: videtur ergo quod non homo nihil ponat quod alicujus naturæ sit.

Adhuc autem logice objicitur, quod si *Quarta ra-*  
*tio.*  
non homo aliquid ponat, cum hæc propositio sit vera, omnis homo est animal, erit hæc vera per conversionem per contrapositionem factam, omne non animal est non homo: et lapis est non animal: ergo lapis est non homo: ergo a primo si omnis homo est animal, lapis est non homo, et est aliquid quod non sequitur: et ideo cum consequentia ista sequitur,

si non homo aliquid ponat: ergo videtur,  
quod non homo nihil ponit.

**Solutio questionis.** Ad hæc autem et consimilia dici con-suevit communiter et bene satis conve-nienter, quod est differentia in nomini-bus infinitis. Aut enim sunt substantiva, aut adjectiva. In substantivis quidem no-men nihil ponit quod est infinitum, prop-ter hoc quod qualitas illius nominis quando privatur, privatur et ipsum quod est determinatum qualitate illa: et sic ablata qualitate qua est, privatur et ipsa substantia secundum id quod est. Et quia nomen infinitum privat qualitatem, pri-vat etiam substantiam secundum id quod est, et sic nihil ponit quod in rerum natura sit. Et si dicitur quod relinquit substantiam infinitam, dicendum quod illam non relinquit nisi sub appre-hensione, secundum quod supponitur per hoc nomen ens infinitum, et secundum hoc non est in rerum natura. In adjecti-vis autem quæ qualitatem habent finitam, et substantiam habent infinitam, negata qualitate non necessario negatur sub-stantia secundum id quod est, et ideo in talibus aliquid ponit. Unde cum dicitur non æquale, vel non simile, sensus est, ens quod non est æquale, et ens quod non est simile. Et de talibus infinitis lo-quitur Aristoteles in fine *Priorum*, sed non de substantivis infinitis. Sic ergo aliquando aliquid ponit, sicut in adjecti-vis, et aliquando nihil ponit, sicut in substantivis: et sic videtur infinitum nomen commune esse enti et non enti, quod non est inconveniens hoc modo quo infinitum est commune enti et non enti: quia licet aliquando relinquat ens, non tamen relinquit ens quod sit aliquid in rerum natura. Ex hoc patet qualiter facit negationem in genere entis et cuiusmodi entis.

**Objectio.** Sed tunc quæritur, cum (quando dici-tur nullus et neuter) negatio veniat in nominis compositionem, sicut quando dici-tur non homo, qualiter in uno facit terminum infinitum, et non in alio? Hoc autem solvere non est difficile: quia cum

dicitur *nullus*, *neuter*, distributio quæ importatur per signum distributivum, di-vidit supposita subjecti in comparationem ad prædicatum: et ideo negat prædicatum a partibus subjecti, et non negat qualitatem subjecti: et ideo non facit nomen infinitum. Cum autem dicitur non homo, negatur qualitas nominis in seipso. Propterea nomen infinitum est non ho-mo. Sic ergo patet quod nomen infinitum privat qualitatem, et relinquit subst-antiam infinitam, quæ supponitur per hoc nomen ens infinitum: secundum quod cadit sub apprehensione et locu-tione quod non est ens in natura: sicut dicimus quod idem est ens aliquo modo circa quod est intellectus, et de quo est locutio: et sic aliquando affirmatio entis negationi similis est, sicut cum dico, vi-dens tenebras: videtur enim ibi esse affir-matio visionis. Cum autem consideratur quod tenebræ nihil sunt, scitur quod vi-dens tenebras nihil videt: et nihil videns non videt: et sic videns tenebras, non videt: ideo cum dicitur non homo, intel-ligendo non hominem (cum non homo nihil ponat), nihil intelligit.

Sed attende quod licet nomen infini-tum nihil ponat et nihil significet, non tamen est vox non significativa, ut *bu ba-baf*: quia vox non significativa, non excitat intellectum ad aliquid de aliquo intelligendum, sed non homo excitat ad intelligendum de hoc quod est privatæ qualitatis, quod tamen in rerum natura nihil est, quamvis sit in apprehensione: et hoc modo opinio est circa id quod est in apprehensione tantum. Et est simile sicut quando dicimus innominabile, hoc nihil est, et tamen prout cadit in apprehensione per suum oppositum quod est nominabile, ad aliquid excitat intellec-tum. Hoc modo apparent qualiter aliquid ponit, et qualiter nihil ponit nomen infini-tum.

Attendendum tamen est quod nomina trans-cendentia infinitari non possunt, si-cut res, ens, et aliquid: quia ablata qua-litate istorum nominum cum infinita sint,

non potest relinquiri etiam secundum apprehensionem substantia infinita: propterea infinitari non possunt. Ad hoc enim quod aliquod nomen infinitetur, oportet quod habeat qualitatem determinatam quam non habent res ens et aliquid. Oportet etiam quod habeant ordinatam qualitatem ad substantiam finiendam et determinandam: et ideo omnis et quilibet et nullus et nemo infinitari non possunt, quia hujusmodi qualitatem non habent. Oportet etiam quod non fuerit ante infinitum: et ideo partes indeclinabiles, ut conjunctio, præpositio, et hujusmodi, infinitari non possunt, quia casse infinitarentur: quia ex seipsis infinita sunt. Et ideo etiam adjективum quoad substantiam quam habet infinitam, non infinitatur per ablationem qualitatis, sed remanet substantia infinita, de qua tollitur qualitas: propter quod infinitatio talis æquipollit negationi.

Attendendum etiam quod nomen finitum determinatæ et circumscripæ est significationis: et per hoc quod infinitatur, efficitur incircumscripæ significationis, quæ nec ad ens, nec ad non ens finiri potest: et haec est præcipue causa, quod nihil ponit nomen infinitum.

Et adhuc notandum est quod cum dicitur quod nomen significat substantiam cum qualitate, substantia nominis est id quod est et quod supponitur in nomine: qualitas autem est id quo est id quod est: quæ in pluribus non sunt accipienda in abstracto, sed in concreto, sicut si dicamus, quod homo est quo id quod est homo, est homo: et sic appareat quod ablata qualitate ista quæ dicitur per hoc nomen homo, non remanet homo id quod est homo, et per consequens nihil relinquitur positum de homine: quia quidquid ponitur per finitum, cum dicitur homo, tollitur per infinitum cum dicitur non homo. Et cum dicitur quod non homo est ens non homo, sicut ante diximus, illud ens non est rei vel naturæ, sed ens in apprehensione animæ: et hoc non est aliquid vel ens simpliciter, sed est ens in opinio-

ne, de quo ratiocinari et loqui possumus, sicut in ante habitis dictum est.

Ad habendum perfectam notitiam par-  
tium infinitarum, sciendum primo de infi-  
nitatione terminorum, et præcipue nomi-  
nis et verbi, quod negatio est tollens ver-  
bi vel nominis formam, et relinquens  
substantiam quæ est in hoc communi  
quod est ens, secundum quod ipsum est  
commune ad ens secundum naturam, et  
ens rationis vel in ratione vel in dictione  
significativa quocumque modo: hoc enim  
ens est infinitum, hoc est, ad nullam cer-  
tam formam determinatum, quamvis per  
negationem tollatur significatio, et per  
consequens finitas quæ primo fuit: tamen  
per appositionem negationis quæ pro  
forma additur supra substantiam infini-  
tam, generatur alia dictio quæ est nomen  
vel verbum infinitum, et hoc pro forma  
vel qualitate habet ipsam privationem, et  
sic significat substantiam cum qualitate.  
Et similiter verbum quod significat esse  
et agere, privationem in agere significa-  
tam pro esse habet et agere, et dicitur no-  
men infinitum et verbum infinitum.

Secundo notandum quod quamvis una  
negatio possit negare duas composicio-  
nes, ut cum dicitur, non qui currit move-  
tur: hoc tamen non facit negatio nisi sit  
libera non cadens in compositionem ali-  
cujus partis in illa oratione positæ, et nisi  
secunda compositio sit determinatio ali-  
cujus partis primæ compositionis: negatio  
autem infinitans cadit in compositionem  
termini infiniti, et ideo extra illum nihil  
negat: et ideo negatio illa simul duas di-  
ctiones infinitare non potest, ut cum dici-  
tur, non homo albus, vel non lignum al-  
bum: quamvis enim neget duas composi-  
tiones prædicati ad subjectum, istæ com-  
positiones dicunt esse et non entis com-  
positionem. Entis enim compositio duplex  
est. Una quidem ex substantialibus for-  
ma et materia: alia ex accidente et sub-  
stantia, quæ est adjectivi cum subjecto,  
et illam tollit infinitans negatio: et ideo  
conjuncta cum termino accidentalis com-  
positionis, nihil extra illam respicere pot-

Secundum  
notandum.

est : sed libera existens negatio ad utramque partem compositionis esse, quæ est ex prædicato et subjecto, et determinatione partis illius compositionis simul, ita quod unam per alteram negare potest.

**Tertium notandum.** Tertio notandum quod partes indeclinabiles (eo quod infinitæ sunt significatio nis in se, nec finitur earum significatio nisi per adjuncta) infinitari non possunt : negatio enim infinitans semper cadit in compositionem infiniti termini, et aliquid relinquunt, et aliquid tollit, quod in parte indeclinabili esse non potest : non enim significat quamdam compositionem vel entis vel esse ad quam referri possit negatio.

**Quartum notandum.** Quarto notandum quod pronomen de se meram significat substantiam : et cum qualitas quam acquirit per demonstrati onem vel relationem pronominis, non sit de pronominis significazione, non potest infinitari ; quia infinita est, et nullam habet positam sive circumscriptam significati onem. Etsi dicat Aristoteles aliquando non hoc, non intendit quod pronom en infinitetur, sed quod infinitetur no men quocumque demonstratum vel datum, ut hoc non lignum, et hoc non al bum. Et quod sub nomine comprehendi tur a dialectico pronomen, hoc non facit quod pronomen fiat nomen, sed quod supplet vicem nominis in supponendo. Et ideo quamvis nomen infinitetur, non tamen infinitari potest pronomen. Si enim infinitaretur, cum negatio infinitans tollat formam inferiorem finitam, et relinquat superiorem infinitam, sicut ens est forma, sequeretur quod pronomen haberet compositam substantiam ex forma superiori et inferiori, et sic significaret substantiam cum qualitate, et esset nomen : quod absurdum est : et ideo infinitari non potest.

**Quinto notandum.** Quinto notandum quod non omne no men infinitari potest. Ad infinitationem enim nominis duo exiguntur, quorum unum est, quod in eo quod infinitandum est, significetur qualitas unica, quæ in se finita est et substantiam significatam finiat ad unum aliquo modo. Secundum autem

quod non sit negatum ; quia si negatum esset, negatio superveniens ad infinitandum tolleret negationem, et illa ablata remaneret nomen finitum.

Ex his patet per primam suppositio nem, quod signa distributiva, omnis, et hujusmodi, non possunt infinitari : quia dicunt dispositionem subjecti secundum quod subjectum est, et non habent circumscriptam significati onem : sicut etiam nomina infinita, quis, et qualis, et hujusmodi, infinitari non possunt.

Adhuc autem cum nomen infinitum privet inferiorem formam finitam, et relinquat superiorem infinitam, et hoc no men ens superius nihil habeat, proprie infinitari non potest. Similiter autem est de aliis nominibus, unum, res, et aliquid, ut dicit Avicenna, sed tamen si ens accipiatur ut nomen hujus rei quæ est ens, tunc potest privari : quia privatur ens actu, et relinquit commune ad ens actu, et ens imaginatum, vel sermone quo cumque modo significatum, quod est no men infinitum.

Et similiter est de eo quod est unum et aliquid, et plus quod unum addit super ens indisionem, et aliquid addit super ens particularizatum, et res addit super ens ratum : gratia quorum possunt illa nomina infinitari.

Quamvis enim quædam nomina simplicem naturam et nullam significant compositionem, et negatio sive negans sive infinitans velit invenire compositionem aliquam : tamen illa nomina possunt infinitari : talia enim nomina sunt Deus, albedo, linea, et hujusmodi. Quamvis enim in re significant non esse compositionem, tamen habent substantiam, quia sunt id quod sunt : et habent qualitatem formam qua sunt id quo sunt formaliter : et sic habent quod est, et quo est illud quod est : et hanc compositionem requirit negatio infinitans. Habent etiam potentias quibus determinate vel indeterminate sunt, quorum compositionem tollit in eis infinitans negatio.

Sexto notandum quod nomen aliud **Sextum notandum.**

substantivum, aliud adjectivum. In substantivis autem est substantialis qualitas, quæ non essentialiter differt a substantia quam nomen significat : et ideo ablata qualitate substantiali, etiam substantia nominis tollitur, et quantum de se nihil relinquitur nisi infinitum ens: quod tamen compatitur secum suppositionem ejus quod actu non sub forma negata est, sicut non homo est lignum : de se tamen illam substantiam non significat, et ideo de se nihil significat, quamvis aliquid secum compatiatur. Et ideo non sequitur si aliquis sic arguat, omnis homo est animal: ergo omne non animal est non homo : sed lapis est non animal : ergo lapis est non homo : et lapis non est homo : ergo lapis est : ergo a primo si homo est animal, lapis est : hæc enim ideo non valet, quia terminus infinitus de se nihil ponit neque significat, quamvis secum aliquid compatiatur illa forma carens quam privat. Adjectivum autem (cujus qualitas essentialiter differt a substantia infinita quam significat) relinquit aliquid, substantiam scilicet infinitam : quod patet per expositionem : non album enim est res non alba. Si tamen adjectivum est denominatum a forma substantiali, ut rationale sensibile animatum, et sic de aliis, idem est judicium de eo quod de substantivis, quod de se nihil ponit. Quia tamen privatio quæ est in ipso, salvatur in ente, et inclinationem ponit ad subjectum in quo est illa privatio, quod tamen de se non significat dictio privativa, ideo terminus privativus non est negativus, nec oratio in qua ponitur terminus privativus est negativa, sed affirmativa. Ens autem in communitate acceptum non infinitatur proprie, nisi accipiatur pro ente actu, ut ante dictum est : quia si communitate sua infinitaretur, nihil penitus relinquoret : et hoc non est negationis infinitantis proprie, sed negationis, eo quo dictum est quod nomen infinitum nihil significat: et qui dicit homo, aliquid positum significat: qui autem dicit non homo, quod positum est

tollit, et nihil ponit nisi privationem, quæ de se nihil significat. Et hoc intelligitur de nomine absoluto secundum se accepto. Si enim ponatur in oratione ut subjectum vel prædicatum, tunc oportet quod aliquid significet, ut cum dicitur, non homo est album, non homo currit, vel currens est non homo.

Septimo notandum quod aliter dicitur Septimum notandum. nomen privativum apud grammaticum, et aliter nomen infinitum secundum logicum : nomen enim privativum apud grammaticum significat substantiam cum qualitate, et utrumque significat positive. Nomen infinitum apud logicum nec substantiam nec qualitatem significat vere, sed privationem qualitatis et substantiam non significat veram, sed significat substantiam communem ad veram substantiam et ad eam quæ est in opinione vel dictione, de qua loqui contingit et quoquo modo imaginari : et ideo, ut dicit Boetius, nomen infinitum dicitur tam de ente quam non ente.

Octavo notandum quod negatio veniens Octavum notandum. in compositionem nominis aliquando facit puram negationem, ut cum dicitur, neuter, nemo, et hujusmodi : et aliquando facit infinitatem et non puram negationem, ut cum dicitur, non homo. Hujus enim pro certo ratio est, quia aliquando negat et removet prædicatum ab omnibus partibus nominis suppositi, et tunc facit puram negationem. Quando autem negat qualitatem essentialem quæ est in compositione substantiæ significatæ per nomen, tunc fit terminus infinitus.

Nono notandum de terminis privativis, Nonum notandum. quod differunt a terminis infinitis: quia quamvis omne nomen significet per monum cuiusdam habitus, et omnis habitus privari possit, sicut id quod significat substantiam cum qualitate potest privari qualitate : tamen quia habitus dicit id quod actu est in substantia, et maxime quia privatio dicit potentiam ad receptionem habitus iteratam, ideo non potest proprie loquendo privari nisi terminus accidentalis, ut injustum, impium, et hu-

jusmodi : et tunc privatio illa nomine abstracto significatur, ut injustitia, impietas : et ideo non dicitur in homo, vel insubstantia : et ideo talis terminus talem substantiam significat realem cum potentia ad habitum, quod non facit terminus infinitus, ut dictum est, sive fuerit substantivum, sive adjectivum denominatum a forma substantiali, ut rationale, irrationalis, insensibile, inanimatum, et hujusmodi, sicut patet ex prædictis : non enim relinquunt substantiam cum potentia redeundi ad habitum, sed tollunt potentiam et qualitatem, et relinquunt substantiam significatam per ens commune ad ens vere, et secundum puram imaginationem. Pura autem negatio nihil penitus quantum est de se relinquit. Adjectivum autem formatum a forma accidentalis privativum, tollit habitum, et relinquit substantiam infinitam realem cum potentia ad habitum revertendi.

Decimum notandum. Decimo notandum de infinitate participii sicut de infinitate adjectivi significantis formam accidentalem, quod quamvis nomina privativa et infinita in talibus non multum sint posita, si tamen poneantur, tunc sic illa infinitarentur et privativa efficerentur.

Undecimum notandum. Undecimo notandum de verbi infinitatione, quod quamvis dicatur quod verbum infinitum privat actionem in specie significatam, et quod relinquit actionem in genere significatam : tamen hoc non est verum, sed relinquit actionem in communitate ad ens vel esse in actu et secundum imaginationem et locutionem : et ideo infinitatur hoc verbum *est*, quando esse in actu significat, sicut hoc nomen ens, quando ens actu significat. Et sicut non infinitatur ens in communi ad ens actu et secundum imaginationem, ita nec infinitatur hoc verbum esse quando significat esse in tali communitate, quia ex tali infinitatione nihil relinqueretur.

Adhuc sunt quædam verba quæ per suas significationes possunt poni circa ens et non ens, sicut opinatur, solet, convenit, et hujusmodi : et quia illa hoc ha-

bent ex suis formis per potentiam significativam, et non ex negativa particula infinitatem, ideo etiam illa infinitari possunt : quia suas formas per modum finitum significant, et ideo recipiunt infinitationem.

Adhuc cum quædam verba significant negationem infinitam et conceptam et non ut exercitam, sicut negare, annihilare, et privari, et hujusmodi : tamen quia non significant negationem nisi positive per formas negationis, etiam ipsa possunt accipere infinitantem particulam privantem illam determinatam privationis formam, ut non negat, non annihilat, non privat.

Sed de verbo exceptæ actionis notandum, quod determinat sibi certum suppositum : et ideo addita sibi negatione negatur res verbi a determinato supposito et actuali : et sic fit hæc negatio pura, et non infinitans verbum : propter quod verbum exceptæ actionis meo iudicio infinitari non potest.

Duodecimo notandum quod cum dicat Boetius quod verbum infinitum in oratione positum non fit infinitum : sed negatio quæ ei conjungitur, efficitur negans suppositum et rem verbi a determinato supposito. Eadem ratione verbum primæ vel secundæ personæ in quibus determinata intelliguntur supposita, non debent dici posse infinitari. Et si adveniat negatio, erit negans rem verbi a supposito determinato : quod etiam causa est in verbo exceptæ actionis in tertia persona, quod infinitari non potest : quia negatio negans efficitur. Nisi forte aliquis velit dicere, quod omnis dictio per compositionem recipiens negationem, est infinita : quia sic etiam verba exceptæ actionis et verba primæ vel secundæ personæ infinitantur : sed tunc non erit realis differentia talis verbi ad verbum pure negativum sive puræ negationis.

Decimo tertio notandum quod cum dicitur verbum infinitum, ut non currit, exponibile est altero duorum modorum, scilicet quod idem est non currit, quod

Duodecimum notandum.

Decimum tertium notandum.

est non currens. Si primo quidem modo exponitur, tunc magis infinitatur partici-  
pium quam verbum. Si autem secundo modo, tunc non differt a pura negatione,  
et ideo videtur nihil ponere, maxime  
quia dicit Aristoteles, quod æqualiter est  
in eo quod est et in eo quod non est : hoc  
enim esse non posset si aliquid poneret :  
quia nihil est commune esse et non esse,  
sicut nec enti et non enti.

Si dicatur quod est actio generalis et  
specialis, et verbum infinitum tollit spe-  
cialem, et relinquunt generalem secundum  
rem : hoc dictum non est in omnibus ver-  
bis infinitis generale : non enim contingit  
huic verbo *est*, quod tamen secundum  
aliquem modum infinitatur, ut prius dic-  
tum est. Adhuc autem quando dico non  
currit, verum est quando nihil penitus  
agitatur, et quando aliud agitur a cursu : et  
sic non potest ponere actionem genera-  
lem. Et ideo de hoc dicendum videtur,  
quod nihil ponit in rerum natura : aliquid  
tamen ponit secundum rationem et locu-  
tionem sicut privationem actus, quæ com-  
patitur **secum** aliquid quod non est illa  
actio : et hoc tamen de se **non** ponit, sed  
relinquit, ita quod hoc non privat : sed  
negatio pura nihil ponit neque aliquid  
relinquit, sive secundum rem, sive secun-  
dum rationem. Unde non currit, exponi  
habet sic, non est currens : et non sic, est  
non currens : non tamen est verbum pu-  
ræ negationis : cuius causa jam dicta est,  
quia enim in quolibet est quod non est  
vel quod est, ideo nihil ponit.

**objectio.** Si aliquis opponat dicens, quod sicut  
nomina se habent ad infinitationem, ita  
et verba : et ita sicut quodlibet nomen  
potest infinitari, ita quodlibet verbum,  
**Solutio.** Dicendum quod nomina diversarum sunt  
naturarum ad infinitationem, et sic non  
est de verbis : et ita quamvis aliquid no-  
men infinitum ponat aliquid, non tamen  
sequitur ex hoc, quod aliquid ponat ver-  
bum infinitum. Dico autem aliquid quod  
sit in rerum natura et simpliciter ens.  
Verbum tamen infinitum in oratione cum  
dicat aliquid alicui inesse, vel per modum

quo aliquid inest alteri, aliquid ponit, et  
aliquid simpliciter negat, sicut appareat ex  
supradictis ; sed non sequitur quod ideo  
verbum infinitum secundum se aliquid  
ponat, sed potius magis privat.

Decimo quarto notandum de hoc quod  
quæri solet, utrum verbum infinitum in  
oratione differat ab ipso verbo simpliciter  
negato, vel non differat ab ipso ?  
Verbum enim significat esse obliquatum  
et ad ens sive existens : propter  
quod si ponatur illud ens et esse in ora-  
tione, statim adveniente negatione remo-  
vetur res verbi secundum esse a tali  
ente : et cum primo insit tale esse, et  
postea fit negatio, fit remotio rei verbi  
ab actuali supposito. Et sic verbum infi-  
nitum non differt a verbo pure negato.  
Adhuc autem ideo, quia si actuali compo-  
sitioni (quæ est inter actualiter entia)  
superveniat negatio, ipsa negat verbum  
ab alio faciens simpliciter orationem ne-  
gativam : sed sic est quando verbum  
infinitum in oratione ponitur : propter  
quod secundum Boetium, ibi pura est ne-  
gatio : et hoc videtur esse verum. Sed  
notandum quod quamvis verbum infini-  
tum in oratione negatum sit, hoc non  
habet a se, sed ab extremis quæ actualiter  
in oratione significantur : et ideo alterum  
necessario ab altero per negationem  
removetur : verbum autem quod  
ponitur negativum, et quod est pure ne-  
gativum, ex se habet quod actualiter  
negat aliquid ab aliquo, et de se habet  
quod facit orationem negativam.

Decimum  
quartum  
notandum.

Sic ergo patere possunt ea quæ de in-  
finitis verbis videntur esse querenda, et  
quæ sit natura terminorum infinitorum  
tam in generali quam in speciali consi-  
deratorum, et quæ sit natura terminorum  
privativorum, et quomodo se habeat ad  
terminos infinitos.

## CAPUT VI.

### *De casu nominis.*

Diximus autem in diffinitione nominis,  
finita et recta. Cum enim duo sint in no-

mine secundum perfectam nominis rationem, substantia scilicet et qualitas, infinitum nomen esse non potest, de quo aliquid enuntietur propter defectum qualitatis. Similiter casus nominis sive nomen obliquum, nomen hic esse non potest: quia deficit in significatione substantiae, quam ita designari oportet, ut de ea aliquid enuntiabile sit: quod non potest fieri nisi in recto: genitivus enim non significat substantiam, sed aliquid esse ipsius. Similiter dativus non significat substantiam, sed significat aliquid esse illi. Et eodem modo accusativus non significat substantiam, sed aliquid ad ipsam. Et ideo nullus casus directe significat substantiam nisi rectus, qui significat eam prout aliquid est enuntiabile de ea.

Sic autem non est in casu verbi secundum præteritum et futurum: præteritum enim et futurum cum recto rectam faciunt enuntiationem, ut homo legit, homo leget, et hujus causam dicunt quidam esse: quia rectum verbum est in casu verbi quod est nunc præsens: unde præsens de præterito præteritum est, ut dicunt, et præsens de futuro futuro est: et hæc verba derisilia sunt, licet idem nunc secundum substantiam sit substantia temporis, tamen hoc aliam formam et aliud esse habet in præterito et aliud in futuro. Pròpterea dicendum quod non est ita in verbo sicut in nomine: quia verbum dicit hoc quod inest alteri: et hoc facit æqualiter per omnem differentiam temporis in modo indicativo, qui etiam enuntiativus dicitur: ideo per rationem modi habet quod per totum modum indicativum habet virtutem recti. In aliis autem modis ab illa cadit virtute. Et hæc est causa quare

*Expositio  
vera.*

cum verbo præteriti temporis vel futuri temporis perfecta est enuntiatio. Verbum enim per hoc quod verbum est, semper alterius est ut actus vel passio, et non significatur ut hoc vel illud: et hanc obliquitatem habet in omnibus: sed quod cadit a modo significandi per præteritum et futurum, non facit ipsum obliquari in obliquo ab inhærentia quam dicit in præsenti: et ideo perfecta est enuntiatio secundum quodlibet dictorum temporum, dummodo sit secundum modum enuntiativum: sed cum cadit a modo, tunc non est interpretatio vel enuntiatio, sed vel deprecation, vel optatio, vel dubitatio, vel aliquid tale: et ideo cum modis illis non est enuntiatio. Hoc ergo modo dicitur ab Aristotele quod Catonis et Catoni, et quæcumque talia sunt de casibus nominis obliquis, et non sunt nomina, sed casus nominis, qui substantiam (secundum quod aliquid enuntiari potest de ipsa) supponere non possunt.

Et ratio quidem nominis in recto et in obliquo in multis quidem est eadem, quia significatum est idem: sed in hoc differt, quia obliquus coniunctus cum est vel erit vel fuit, hoc est, cum verbo præsenti, præterito vel futuro, neque veram neque falsam facit orationem. Nomen vero adjunctum cum est vel fuit vel erit, semper vel verum vel falsum est. Et si dicam Catonis est, vel non est, nondum verum dico vel mentior: quia est locutio incongrua quæ nihil significat.

Si autem objicitur de hujusmodi orationibus, regis est hoc facere. Dicendum est quod omnes tales appositorum habent pro supposito: et infinitivus cum casu in virtute est rectus: unde sensus est: hoc facere est regis.

*Objectio.  
Solutio.*

# TRACTATUS III

## DE VERBO.

### CAPUT I.

*Qualiter verbum est de consideratione logica.*

Interpretatio (quæ de re sicut est vel non est interpretatur) non potest fieri solo nomine, sed oportet quod verbum adjungatur : quia verbum per hoc quod significat agere vel pati (quod est substantiæ nominis proprium) significat illud quod inest nomini. Inesse autem in eo quod inest, causa est prædicationis de altero, sicut in scientia *Universali* dictum est : et ideo interpretatio de esse vel non esse rei non nisi per verbum fieri potest. Propter quod de verbo in scientia de interpretatione determinari conveniens est : quia est alterum interpretationis elementum.

Objectio. Et si objiciatur quod verbum non semper est prædicatum quod de altero dicitur, sed ut frequenter prædicantur nomina, ut homo est animal, Socrates est homo, homo est rationale vel risibile vel album, et sic de aliis quæ sub quinque universalibus et prædicatis continentur, Facile est solvere : quia prædicatum est duplex, scilicet materiale, et formale. Formale quidem est, quod intra se concipit formam per quam retorquet ad alterum cui inest, et de quo est ut de subiecto : hæc autem forma non est nisi compositio : et hanc formam verbum (per hoc quod alterius est) in se concipit. Et ideo solum verbum prædicatum formale est. Hoc autem probatur exemplo : quia

cum dicitur, homo currit, sensus est, homo est currens, ut participium sit res verbi prædicata materialiter : ipsum autem quod dico *est* quod est nota compositionis, formam dicit qua res verbi refertur ad subiectum sicut inhærens sibi vel aliquid ejus, et ut aliquid quod de ipso sit : talis autem forma non est concepta in significato nominis.

Dubitatio. Si autem quæritur ratio, quare compositione magis concipitur in verbo quam in nomine, præcipue cum compositio media sit inter composita, et æqualiter videatur utrumque extremorum respicerre ? Dicendum cum Dionysio, quod nulla compositio est a primo, sed omnis compositio incipit et principiatur a secundo. Primum enim ut primum nulli inest, sed secundum potest inesse. Adhuc quia per verbum significatur id quod inest, ideo in secundo concipitur compositio et non in primo.

Objectio. Si ergo aliquis dicat quod vere quinque sunt prædicata quæ sunt vere universalia, et sic non solum verbum est prædicatum, Patet responsio : quia omnia illa materialiter sunt prædicata, solum autem verbum est prædicatum formaliter propter jam inductam rationem. Unde etiam nec pronomen nec participium formaliter est prædicatum, propter quod de istis in logicis ut de partibus interpretationis non determinatur.

Determinantes ergo de verbo secundum logici intentionem et de nomine, non vocamus ea subiectum et prædicatum : quamvis tamen nomen sit subiectum de quo alterum est, et verbum præ-

Solutio.

Solutio.

Objectio.

Solutio.

dicatum quod est de altero : quia subjectum in ratione subjecti non est nisi prout est in enuntiatione et stat sub forma enuntiationis : et similiter est de praedicato si in ratione praedicati accipiatur : et hoc modo notitia subjecti et praedicati pendet ex notitia enuntiationis : et sic subjectum et praedicatum sunt posteriora in ratione quam enuntiatio et non priora. Cum ergo hic quærebamus elementa enuntiationis quæ in ratione priora sunt composito, determinamus ista elementa sub ratione nominis et verbi, et non sub ratione subjecti et praedicati.

Patet etiam ex dictis, quare de aliis partibus orationis non determinamus. Illæ enim vel non significant aliquid, vel sunt consignificantes tantum cum aliis ut partes indeclinabiles. Si enim dicam in, vel supra, vel olim, vel unde, vel et, vel ergo, nihil penitus significant nisi addatur aliquid circa quod ponitur modus quem illa pars importat, sicut si dicitur in domo, vel supra stagnum, vel olim fuit bellum Trojæ, vel aliquod tale. Pronomen autem quia significant substantiam meram sive puram, non veram de re potest facere interpretationem, et ideo ad logicum non pertinet nisi prout finitum demonstratione vel relatione ponitur pro nomine finito : propter quod etiam proprie loquendo pronomem infinitari non potest, quia quod per seipsum infinitum est, superflue infinitaretur. Participium autem res verbi est, quæ in verbo materialiter continetur : et ideo nec formaliter nec materialiter est elementum constitutens enuntiationem : propter quod de talibus non determinat logicus.

Sicut autem de nomine tractamus, sic etiam de verbo tractabimus secundum potissimum verbi acceptiōnem, et non secundum quod ipsum considerat grammaticus : quia grammaticus considerat ipsum ad finem congruæ orationis, et ideo accidentia verbi perquirit secundum quod verbum congruæ vel incongruæ enuntiationis potest esse principium :

logicus autem refert ea ad finem veri vel falsi, per quæ sit interpretatio : et ideo non considerabimus de verbo nisi illa quæ faciunt ad hanc intentionem.

## CAPUT II.

*Quid (per diffinitionem logicam) sit verbum.*

Dicamus ergo quod verbum logice consideratum est quod consignificat tempus, cuius pars extra nihil significat, et est semper eorum nota quæ de altero praedcantur. Hæc autem diffinitio ab Alfarabio sic exponitur, quod consignificare tempus dicit duo : unum ex intentione principali, et alterum ex consequenti. Ex principali intentione consignificare tempus dicit, quod non est significare tempus vel significare rem quæ necessario est in tempore, sed per modum quo cum tempore, hoc est, per modum agere vel moveri : quia hoc nomen cursus significat id quod necessario est in tempore, tamen significat illud ut essentiam separatam a tempore, quia significat rem suam totam simul et non distensam in tempore. Hoc autem non fit nisi significando eam ut agere vel moveri : quia sic agere in agente significatum est in fieri, et illius tempus est mensura. Ex consequenti dicitur hoc quod præsupponit, scilicet quod verbum est vox significativa ad placitum, quia, ut dicit Avicenna, verbum quod hoc modo consignificat cum tempore, non habet ex se, sed a placito imponentis.

Sunt tamen qui dicunt quod verbum habet duo, scilicet rem verbi significare : et hoc dicunt, quod habet a placito : sed postquam ad significandum rem suam determinatum est, rem suam significare cum tempore vel consignificare tempus habet ex necessitate : quia suum significatum necessario significatur in aliqua differentia temporis esse : omne enim agere et pati in aliqua differentia temporis est, cum

dicat Philosophus in quarto *Physic.*<sup>1</sup> quod idem est esse in tempore, et quadam parte temporis mensurari.

Quod autem dicitur quod est semper eorum quæ de altero dicuntur nota, propter compositionem dictum est quæ concipiatur in verbo: per hanc enim rem suam retorquet ad subjectum cui inest. Inesse autem est causa prædicationis de altero; et ideo per rem suam et compositionem nota est eorum quæ de subjecto prædicantur per hoc quod in subjecto sunt.

Sunt autem quæ verba videntur, sed secundum potissimum verbificationem verba non sunt: verbum enim secundum potissimum sui rationem est per quod aliquid interpretari potest de subjecto, et secundum hoc *non currit, non laborat*, verbum dici non potest. Et similiter cætera verba infinita. Sed tali parti orationis sive tali verbi differentiæ nomen propriæ non est impositum. In hoc enim cum verbo convenit, quod semper consignificat tempus, et in hoc quod semper est prædicatum de aliquo. Et ideo, si placet, dicatur verbum infinitum: quia nec ad esse nec ad non esse finitur. Et hoc est ideo quia similiter sive æqualiter est in quolibet et quod est et quod non est. Hujus autem causa est: quia sicut in nomine infinito privatur forma et remanet substantia infinita, quæ nec ad ens, nec ad non ens finita est, quæ designatur per hoc nomen ens, secundum quod communiter dicit id quod est sive in natura sive in ratione vel aestimatione sola, de qua cogitari vel sermo haberi potest: ita verbum infinitum privat rem verbi, et relinquit actum infinitum ordinatum ad substantiam infinitam, ratione cujus significat tempus et compositionem in se habet, per quam sic infinitum actum retorquet ad subjectum: et per hoc est nota eorum quæ desubjecto dicuntur. Sed quia nullam rem verbi significat finitam, ideo per ipsum nihil est interpretabile de sub-

jecto, et ideo non potest esse pars interpretationis.

Similiter autem et *curret* et *currebat* et alii casus verbi a verbo declinati, non sunt verba secundum intentionem logicam, sed casus verbi. Et hujus causa non est quam dicunt quidam, quod unicuique innatum sit magis interpretari præsens quam præteritum vel futurum. Sed hæc est vera causa, quod nihil potest prædictari de re vel etiam vere interpretari per *infuisse*, vel *infore*: sed quidquid prædictatur de re vel interpretatur de ea, hoc non fit nisi per *inesse*. Et ideo infuisse vel infore sunt casus verbi, et non verba, secundum quod verbum est pars orationis vel interpretationis. Attendit enim logicus declinationem secundum tempus in verbo, quia accedit verbo secundum significatum proprium: declinatio autem secundum personas aut secundum numeros aut secundum agentia et patientia et declinatio secundum modos accedit verbo secundum affectus agentis: et ideo de illis non curat logicus.

Quod autem dicit, cuius nulla pars extra significat, sicut in diffinitione nominis intelligitur, ita scilicet, quod nulla dictio quæ verbum est, significat quod secundum partem vel secundum totum sit de intellectu totius: et ideo etiam hoc hic exponi non oportet.

Sicut autem verbum infinitum non est verbum secundum logicum, ita verba præteriti temporis et verba futuri temporis non sunt verba secundum logicum: quia non significant præsens (per quod potest solum aliiquid interpretari quod insit, vel potest probari inesse), sed significant duo tempora quæ præsens tempus complectuntur. Præsens abiit in præteritum et extenditur in futurum, et sic præteritum et futurum significant duo tempora quæ complectuntur præsens, et quorum ipsum præsens continuatio est, et quæ pro certo non sunt simpliciter, sed

<sup>1</sup> ARISTOTELES, in 4 *Physic.*, tex. com. 415.

secundum quid sunt, secundum quod ad id quod est substantia temporis et completentia ipsum reducuntur. Et siquidem secundum naturale esse temporis accipiatur, tunc primum est nunc præsens quod abiit secundum esse finis in præteritum, et secundum esse principii extenditur in futurum. Si autem tempus accipiatur in temporali quod prius in potentia quam in actu fit, quoad hoc prius est futurum, et deinde præsens, ultimo præteritum. Si autem tempus accipiatur ut spatum periodi generatorum, tunc prius est præteritum, deinde præsens, et ultimo expectatur futurum.

Sed in hoc cavendum est : quia in ordine quo præteritum et futurum propter hoc verbum de præterito et verbum de futuro faciunt rectum, ut male dicunt quidam : non enim propter hoc verbum est rectum vel non rectum, sed propter hoc est rectum, quia quidem per inesse (quod significat) rectam de eo quod est vel non est facit interpretationem : quod in præterito fieri non potest, neque in futuro : quia per infuisse nihil secundum rem potest interpretari de re : quia non sequitur, hoc infuit illi : ergo potest prædicari de ipso : et similiter est de futuro, ut cuilibet patet : et ideo solum præsens rectam facit interpretationem<sup>1</sup>. Eodem modo id quod diximus de infinito, quod non est verbum, ideo diximus, quia ablata forma et re verbi non remanet nisi privatio ut actus cum compositione quæ ad nihil finita est. Et ideo æqualiter est in eo quod est et quod non est, non quidem ut contradicatio sive ut affirmatio et negatio : quia illius nihil est medium secundum se, sed est in utroque et quod est et quod non est sicut ad neutrum finitum.

*jectio.* Et si dicat aliquis, quod etiam negatio infinita est, Dicendum quod negatio in-

finita est per hoc nihil ponit : sed per hoc finitatur, quod ea quæ negat sive dividit ab invicem, sunt finitæ significationis : et hoc modo nomen infinitum et verbum infinitum non sunt finita : unde apparet quod non est similiter. Et si ratio ponatur in forma argumenti, erit fallacia æquivationis. Similiter etiam verbum per inse conceptam compositionem est semper nota eorum quæ de altero dicuntur ut de subjecto : et est nota eorum quæ de altero dicuntur per hoc quod est in altero ut actus vel passio, sicut diximus. Sic ergo intelligitur inducta verbi diffinitio.

Sciendum etiam quod verbum infinitum non potest esse in oratione infinitum : cuius ratio est, quia cum negatio est quæ per compositionem est in verbo infinito, non refertur nisi ad rem sive ad formam verbi, et tollendo illam relinquit verbum infinitum, quod nec ad ens aliquod, nec ad non ens aliquod finitum est<sup>2</sup>. Et hoc ideo est, quia verbum secundum se sump tum non concipit determinatam compositionem et finitam, que determinata sit per sua componentia sive composita : et ideo ad compositionem referri non potest negatio, sed ad rem et formam verbi. Et ideo in oratione compositio quæ est in verbo finita est : et ideo in oratione necesse est negationem referri ad compositionem, quia ejusdem est divisio, cuius est compositio : et ideo negatio tunc faciet orationem negativam, et non verbum infinitum.

Attendendum etiam quod si verbum aliquod est de se infinitum, illud infinitari non potest, sicut nec nomen de se infinitum. Et ideo sicut *ens* infinitari non potest, ita nec hoc verbum *est*. Talis igitur est diffinitio verbi secundum logicos.

<sup>1</sup> Hoc videtur contra dicta supra in cap. ultimo tractatus secundi, ubi dicit quod totus modulus indicativus habet virtutem recti. Bene considera et solves. JAMMY.

<sup>2</sup> Sed hoc videtur etiam contra dicta supra cap. 5 tract. II, ubi dicit in decimo quarto

*notabili*, quod verbum potest in oratione infinitari, et quærerit utrum ejus infinitatio differat ab ejus negatione. Respondetur quod hic intelligit verbum non posse infinitari in oratione nisi etiam negetur : sed bene extra orationem. JAMMY.

## CAPUT III.

*Quia verba secundum se dicta nomina sunt.*

Ipsa verba secundum se dicta, hoc est, secundum se sola accepta (non in oratione ut partes orationis posita) nomina sunt. Cujus probatio : quia significant aliquid determinatum quod proprium est nominis, notam scilicet. Et si queratur, Quid est nomen hujus verbi quod est *amo* : dicitur quod nomen ejus *amor* est : et dicimus, hoc verbum *amo* est activum verbum. Et talia sic dicta ostendunt quod verba secundum se accepta (et non ad subjecta per compositionem reflexa) sunt accepta ut nomina. Hujus probatio : quia qui primo verbo imposuit tale nomen, et similiter qui simplici dictione dicit vel nominat verbum, talem intendit constitutre intellectum, ut scilicet nomine illo tale verbum significetur. Et qui audit sic dicentem et nominantem verbum, quiescit in tali intellectu simplici, et non quaerit amplius. Si enim dicam verbum, et quaeratur quod verbum, et dicatur quod *amo* vel *lego*, verbum audiens statim quiescit, non autem quiesceret nisi esset sciens, quod *amo* determinati et certi verbi nomen est; et ideo per intellectum simplicem quiescit in illo. Verbum autem per se sumptum nondum significat verum vel falsum : non enim significat de re si est, vel si non est per negationem.

Et hujus causa est, quia verbum per se sumptum, neque est signum esse rei, neque signum non esse ; et esse quidem per affirmationem, non esse quidem per negationem. Ad hoc autem quod significetur ut esse, oportet quod actu componatur cum re cuius esse secundum aliquem actum vel passionem significat : et hunc proprie est verbum, quia tunc concepit compositionem determinatam ad id cuius est : unde secundum se sumptum nihil habet de verbi significatione. Hoc au-

tem a majori probatur sic. Si enim ali- quod verbum per se aliquid significet de intentione verbi, tunc maxime videtur, quod id verbum per se sumptum signifi- ciet quod concipitur in omni verbo, et hoc est hoc verbum, *est* : sed si hoc ver- bum, *est*, purum et simplex dixeris, ip- sum quidem nihil est et nihil finitum si- gnificat. Cum significet enim infinite qua- dam compositione, quam sine extremis non est intelligere, ut Avicenna dicit, si dicam, *est*, nihil penitus significat, nisi addatur quid est vel substantiali vel ac- cidentalii prædicato ut dicatur, est lapis, est album, vel est rationale, vel aliiquid hujusmodi. Tamen hujus alia ratio est, quia compositio est medium conjungens composita : non conjungit autem nisi per rationem compositorum : et sic compo- sitionis ratio sumitur a compositis : sic ergo verissime intelligitur illud quod di- citur de verbis secundum se dictis, quod nomina sunt.

Sunt tamen qui dicunt, quod verba se- condum se dicta sunt verba in re verbi per infinitum accepta, ut amare, vel le- gere<sup>1</sup>. Et dicunt illa in vi nominum esse, quia subiectibilia sunt sicut nomina : ut cum dicitur, legere est bonum, vel ali- quid hujusmodi. Sed primum melius est, quia ille est intellectus Philosophorum.

Contra hoc tamen quod dictum est, quod verbum secundum se sumptum non significat esse vel non esse, objicitur per instantiam de verbis exceptæ actionis, ut fulminat, tonat. Sed ad hoc facilis est responsio : quia verbum illud non habet hoc in quantum verbum est, sed in quan- tum est exceptæ actionis.

Adhuc autem si de verbis primæ vel secundæ personæ objicitur, in quibus de- terminatum est suppositum, eodem modo solvitur. Hoc enim non habent illa verba in quantum verba, sed in quantum de- terminant certum agens. Et ideo non est instantia de istis.

Hæc igitur de verbo dicta sunt quan-

<sup>1</sup> Cf. S Th. qui hanc improbat opinionem.

Ed. Vives, tom. xxii Periherm. liber I, lectio 5.

tum ad naturam interpretationis, de qua hic principaliter quærimus: quia enim non interpretamur nisi aliquid quod est ut esse, de alio quod est ut ens, et nomen significat ut ens, verbum autem ut esse, ideo non oportet hujus plures partes interpretationis quærere. Pronomen non significat ut ens finitum et perfectum.

Participium autem non significat ut esse per comparationem ad id ad quod est reductum: et ideo non perfecta ratione sunt elementa interpretationis: propter quod de illis omittendum est. Habitum autem elementis interpretationis, nunc ea sunt quærenda quæ formalia sunt principia interpretationis.



---

**TRACTATUS IV**

## DE ENUNTIATIONE.

## CAPUT I.

*De diffinitione orationis quæ est genus enuntiationis.*

Habitis autem his quæ ad elementa enuntiationis pertinent sive interpretationis, nunc investigandum est quid sit interpretatio. Et quia interpretatio in oratione est sicut in genere diffinitivo, ideo ab oratione incipiendum est. Et quia immediatum genus interpretationis est oratio perfecta, ideo quæremus orationis perfectæ diffinitionem secundum logicum<sup>1</sup>. Sic enim compositum correspondet componentibus : quia cum diffinivimus nomen et verbum, diffinimus prout sunt elementa orationis perfectissimæ : propterea etiam de oratione loquentes ut de perfecta loquimur.

Dicamus ergo quod oratio quæ genus proximum est ad interpretationem, est vox significativa, cuius partium aliquid separatim significat ut dictio, non ut affirmatio. Dictio enim æquivoca est<sup>2</sup> : quia dictio est pronuntiatio cuiuslibet dictionis, ut nominis vel verbi. Dictio etiam est enuntiatio affirmativa alicujus de aliquo : et ut hanc multitudinem distinguamus, dicimus ut dictio quæ separatim aliquid simplici intellectu significat : sed secundum quod dicitur dictio

etiam affirmatio alicujus de aliquo (in qua aliquid dicitur de aliquo) sic non significat aliquid separatim, quia sic significaret verum vel falsum : sed significat aliquid separatum secundum quod totum significatur in partibus. Dico autem hoc quod dictum est exponendo ut homo quod est dictio simplicem intellectum constituens, et ideo significat aliquid : sed non significat sic aliquid, quoniam est affirmative vel negative : sed tunc erit affirmatio vel negatio si aliquid addatur ut aliquid affirmatum vel negatum de homine. Quamvis enim dicamus quod partes orationis aliquid significant, non intelligimus hoc nisi de partibus orationis, ex quibus immediate componitur oratio quæ sunt dictiones. Et non intelligimus de partibus partium, sicut de una nominis syllaba quæ pars dictionis est : quia, sicut diximus, syllaba dictionis neque partem neque aliquid in toto habet de significato dictionis.

Et hoc appareat per locum a majori : quia si in aliquibus aliquid significaret per se syllaba de intellectu totius, magis videretur quod hoc fieret in duplicibus sive compositis, quam in aliis. Et in his non significat aliquid separatim. Ergo nec in aliis. Sicut in hoc nomine, *sorex*, *rex* per se sumptum nihil significat, neque secundum totum, neque secundum partem de intellectu totius. Et ideo nec aliorum no-

Remov  
dubium

<sup>1</sup> In diffinitione orationis D. Albertus et Filoxenus sunt unius opinionis. Boetius et S. Thomas volunt quod hic diffiniatur oratio communis ad perfectam et imperfectam.

<sup>2</sup> Ly *dictio* est æquivocum nomen ; et quia

Aristoteles sæpe accipit ly *dicere pro affirmare*, ne quis intelligeret ly *dictio* pro affirmare, addit non ut affirmatio, et est expositio Alexandri. JAMMY.

minum pars dictionis aliquid per se separatim significat : non significat quidem pars compositæ dictionis aliquid separatim, hoc est dictu, id quod est pars secundum quod pars est nihil significat de intentione totius..

Cum autem dicimus orationem significativam, non dicimus eam significativam ut instrumentum, sed sicut dictum est, dicimus eam significativam esse ad placitum : omne enim instrumentum alicujus causæ est instrumentum et naturaliter et accidentaliter est ordinatum ad unum et non ad aliud. Vox autem litterata et articulata, sive sit dictio sive oratio non est ad unum : quia quod in uno idiomate sonat unum, in alio sonat statim oppositum vel aliud : et ideo non est significativa ut instrumentum, sed ad placitum<sup>1</sup>.

In diffinitione tamen orationis non dicitur, quod significativa sit ad placitum : quia significare ad placitum convenit sibi ex partibus plus quam ex seipsa : quia cum partes significant ad placitum, accepta illa significacione de natura dictiōnum significat oratio illud quod significant partes : sed tamen quia origo significacionis ad placitum est, ideo per partes attribuitur ei ad placitum significare. In diffinitione tamen non ponitur : quia in diffinitione non ponuntur nisi ea quæ immediate convenient diffinitio. Hæc ergo est oratio secundum quod est genus interpretationis sive enuntiationis. Oratio autem imperfecta neque perfecte est vox significativa, neque aliquid aliorum perfecte convenit ei.

**Objectio.** Objiciunt tamen sophistæ contra hanc diffinitionem dicentes, quod oratio quæ conjunctione una est, ut Socrates currit aut dormit : aut si Socrates stertit, Socr-

<sup>1</sup> Hoc dicitur propter Platonem qui voluit orationem naturaliter significare, cum sit instrumentum virtutis naturalis, ut dixit Boetius.

<sup>2</sup> Hæc est objectio Aspasii quam etiam tangunt Boetius et S. Thomas, et quam solvit Antonius Alexandrinus. Porphyrius tamen et Aspasius dixerunt hic Aristotelem diffinivisse orationem simplicem tanquam priorem.

tes dormit : aut Socrates currit aut legit. Hæc enim omnes orationes perfectæ sunt, et ejus partes significant separatim ut affirmatio<sup>2</sup>. Ad hoc dicendum quod orationis perfectæ inducta est diffinitio, si ve sit simpliciter una, sive conjunctione una. Sed in diffinitione orationis dicitur, cuius aliquid partium separatim significat, non ut affirmatio : et ex hoc non sequitur, quod oratio perfecta nullam habeat partem significantem ut affirmatio, quia partitiva constructio hoc impedit : sed quod per se et proxime partes componentes orationem ut oratio est, aliquid significant, non ut affirmatio, sed ut dictio simplicis intellectus.

Hæc autem oratio perfecta quæ diffinita est, dividitur : non enim omnis oratio enuntiatio est, sed illa sola inter perfectas orationes enuntiatio est in qua indicative verum vel falsum est significatum : hoc enim non omnibus inest perfectis orationibus. Deprecatio enim seu deprecativa oratio perfecta est, quia perfectum sensum generat : et tamen neque vera neque falsa est, quia neque verum neque falsum significat. Et similiter est de aliis orationibus, ut de optativa et conjunctiva<sup>3</sup>. Omnes enim tales orationes quæ non dicunt neque verum neque falsum (quod solum logicus ut finem intendit) relinquuntur : de talibus enim rhetor vel poeta convenientius speculator : cum tales valeant ad supplicationem judicis vel actoris vel rei, et non ad significacionem veritatis vel falsitatis. Enuntiativa enim quæ veritatem et falsitatē significat, sola est præsentis speculatio-

Solutio.

<sup>3</sup> Ex his patet quod, secundum D. Albertum, Aristoteles hic innuit divisionem orationis perfectæ in deprecativam, imperativam, interrogativam, vocativam et enuntiativam : secundum Boetium autem et S. Thomam, hic innuitur divisio orationis communis ad perfectam et imperfectam.

## CAPUT II.

*De diffinitione enuntiationis in speciebus ejus.*

*Tripli-*  
*citer*  
*di-*  
*vidit-*  
*ur*  
*enun-*  
*tatio-*  
*secundum*  
*tria quæ*  
*sunt in ea.*

Habitis autem his quæ ad esse et diffinitionem pertinent orationis, jam tractandum est de divisione et partibus sive speciebus ipsius. Primo notandum est quod secundum tria quæ sunt in enuntiatione, tripliciter habet dividi. Si enim attenditur penes componentia ipsam, tunc pro certo dividitur quod enuntiationum alia simplex, alia composita, et alia plures, simpliciter et quodammodo una. Si enim una est ratio enuntiationis et unius tantum enuntiationis, tunc sicut unum non dividitur in multa, ita enuntiatio non dividitur in plures: quia plures enuntiations non sunt enuntiatio, sed enuntiations: dividens enim debet participare divisum, et nomen suum recipere. Si autem attenditur qualitas enuntiationis, tunc enim dividitur enuntiatio per affirmationem et negationem: et has omnes exequamur divisiones.

Sciendum ergo quod enuntiationum alia est simplex una, et alia una est conjunctione, et alia plures. Vel sic dividi potest, quod alia est una, et alia plures. Unarum autem alia simplex una, alia conjunctione una. Una autem quæ simplex una et primo loco una est, ipsa est in qua unum prædicatum de uno subiecto dicitur vel negatur, ut homo currit, vel homo non est animal. Composita vero sive plures in qua vel plura de uno, vel unum de pluribus, vel plura de pluribus dicuntur. Et hoc est duobus modis: eo quod plura possunt esse per conjunctionem copulata, vel sine conjunctione conjuncta sub una prolatione, ut si dicam, Socrates et Plato currunt: vel si dicam, Socrates currit et disputat: vel si dicam, Socrates et Plato currunt et disputant: vel sine conjunctione si dicam, homo albus musicus legit: vel si dicam,

homo albus musicus est crispus citharœdus. Tales ergo sunt plures et inconjunctæ et conjunctæ per conjunctionem. Unarum autem quædam sunt simpliciter unæ, et quædam conjunctione unæ. Simpliciter autem unæ sunt quæ a simplici et ab una forma compositionis simplicis sunt, ut homo est animal. Conjunctione autem unæ sunt, in quibus consequentia (quam notat conjunctio) facit unitatem: et hoc non est nisi in conditionali et disjunctiva: quia in conditionali sequentia ex ordine naturali antecedentis ad consequens consequentia contingunt se in uno: in disjunctiva autem ex oppositione non manet pluralitas, sed altero delecto inferatur reliquum et manet unum. Et secundum Boetium et Avicennam et Algazelem, istæ duæ solæ conjunctiones faciunt unam conjunctione enuntiationem, et non copulativa: quia in copulatis nulla est unitas nisi aggregationis, quæ simpliciter est pluralitas, et non unitas. Potest etiam dici, quod sicut in naturis quædam sunt a forma simplici sicut elementum, quædam a formis ordinis diversarum ad unum per compositionem vel complexionem, sicut est in heterogeniis, sic sunt duæ unitates in enuntiatione. Et ideo quædam est simpliciter una, quædam autem conjunctione una: et quædam conjunctæ, et quædam inconjunctæ sive conjunctione prolatæ: sed hoc parum facit ad propositum.

Sed attendendum quod enuntiationum unarum, quædam sunt unæ significatione et non voce, et quædam voce et non significatione, et quædam voce et significatione simul. Significatione et non voce una est hæc, animal rationale mortale est homo: hæc enim est una unitate significationis, quamvis non unitate vocis, eo quod omnia diffinentia uniuntur unitate ultimæ differentiæ quæ realis et naturalis et essentialis est unitas. Vocis autem et non significationis unitate una est in cuius subjecto et prædicato est terminus multa significans, ut canis. Vocis autem et significationis unitate una est in qua

simpliciter unum prædicatur de uno quod non est æquivocum vel multiplex.

**Objectio.** Sed secundum ea quæ dicta sunt videatur quod hæc non sit una : Socrates albus currit, quia Socrates et album non sunt

**Solutio.** simpliciter unum, sed aggregatum. Ad quod dicendum, quod non est unum primo, sed per accidens, sicut per accidens

**Objectio.** unum est unum. Si autem tunc objicitur, quod hæc etiam est una, homo albus mu-

**Solutio.** sicus currit, Dicendum quod non est verum : quia album et musicum propter hoc quod sunt duo accidentia ordinem essentialiem non habentia ad se invicem, faciunt duo subjecta : et sic propositio non est una, sed plures. Sic autem non est hic, homo albus coloratus currit : et ideo illa est una unitate per accidens.

His itaque prænotatis, facile est inventire enuntiationis divisionem, et partes ejus dividentes. Dicimus enim quod illa quæ una est et prima oratio enuntiativa, est affirmatio, et deinde negatio : quia quamvis affirmatio et negatio sint species coæquævæ enuntiationis, et sic ex æquo se habent ad genus quod est enuntiatio : tamen si comparentur ad invicem, et per id quo sunt et ex quo sunt, affirmatio est ante negationem : quia sicut pars ejus et causa ipsius : et ideo prius est affirmatio, et deinde negatio<sup>1</sup>. Aliae vero quæ sunt unæ enuntiations, sunt conjunctione unæ. Habetur ergo hæc divisio enuntiationis : enuntiationum quædam sunt simpliciter et primo unæ, aliae sunt conjunctione potius unitæ quam unæ. Sed sive primo modo sit una, sive secundo modo, sive etiam non una.

Hic sciendum quod ex pluribus nominibus tantum, vel ex verbis pluribus tantum non potest esse oratio enuntiativa : sed necesse est orationem enuntiativam esse ex nomine et ex verbo, vel ex nomine et casu verbi. Et si aliquis objiciat quod oratio enuntiativa sit ex nomine

infinito (quod non est nomen) et verbo : ut cum dico, non homo currit. Objectio non valet, quia non est enuntiatio de nomine infinito. Vel nomen infinitum quæcumque non sit nomen ad interpretandum, tamen nomen est ad qualitercumque enuntiandum. Non omnem enim amittit virtutem nominis.

**Solutio.**

Quod autem sine verbo per sola nomina non fiat enuntiatio, probatur a majori. Si enim aliqua oratio sine verbo faceret enuntiationem, hoc magis faceret oratio diffinitiva : quia illa dicit esse. Oratio autem diffinitiva enuntiationem non facit. Ergo nec aliqua aliarum<sup>2</sup>. Cujus exemplum est : quia rationi hominis quæ est animal gressibile bipes si non addatur est, vel fuit, vel aliquid verbum, nondum faciet enuntiationem : cum enim sic dicitur animal gressibile bipes, totum illud est unum quoddam et non multa : quia unitate ultimæ differentiæ totum unum est. Et quia sic unum est et non multa, ideo non potest dicere unum de uno : et hoc est de substantia enuntiationis, quod aliquid de alio dicatur. Et cum solum verbum nota sit dicendi unum de altero, non potest esse enuntiatio sine verbo vel casu verbi. Ratio enim diffinitiva non propter hoc unum est simpliciter, quia partes illius orationis quæ sunt voces et nomina ea posita propinque, hoc est, sine distantia proferuntur vel sine conjunctione copulante : sed ideo, ut diximus, sunt unum, quia præcedentes et generales uniuntur et determinantur ultima differentia quæ est unus simplex actus. Sed tamen causam determinare, quare diffinitio est unum et non multa, alterius est negotii : in septimo enim *Primæ philosophiæ*<sup>3</sup> est hoc determinandum.

Secundum ergo ea quæ dicta sunt, tunc una oratio enuntiativa est, quando unum prædicatum de uno subjecto dici significat suæ compositionis simplicitate. Si autem

non faciat Aristoteles. Tom. xxii, pag. 26 ed. Vivès.

<sup>1</sup> Cf. etiam S. Thom. Perihermenias L. I, lect. 8 et 9. Tom. xxii ed. Vivès.

<sup>2</sup> S. Thomas, in lect. 8 Lib. I Perihermenias, tres dat responsiones cur de verbo mentionem

<sup>3</sup> Tex. com. 42.

aliter vel plura de uno, vel unum de pluribus, vel plura de pluribus dici significat vel negat, non potest simpliciter esse una : sed si est una, erit una conjunctione vel terminorum vel enuntiationum, sicut diximus. Plures autem est illa enuntiatio, quæ pluralitatem in his quæ de se dicuntur significat vel in subjecto, vel in prædicato, vel in utroque. Plures autem quæ sunt conjunctæ per conjunctionem copulativam. Et plures sunt quæ inconjunctæ sunt, et tamen vel plura de uno, vel unum de pluribus, vel plura de pluribus dici significant.

Adhuc autem inconjunctæ et conjunctæ alio modo dicuntur, ut dicunt quidam, ita quod conjunctæ sunt quæ sine distantia una proferuntur prolatione: inconjunctæ autem quia in pluribus proferuntur cum interruptione continuæ prolationis.

Sicut autem enuntiatio non est sine nomine et verbo, ita solo nomine vel solo verbo nunquam potest fieri enuntiatio : quia nomen est dictio una sola, et verbum est dictio una sola. Non enim nomine vel verbo simplici voce contingit aliquid enuntiare vel aliquid enuntiative proferre: sive proferat hoc ad alium interrogatus ab eo, sive proferat hoc apud semetipsum non interrogatus. Per simplex ergo verbum non fit enuntiativa ora-

tio : quia simplici intellectu non potest aliquid enuntiari.

Harum autem enuntiationum unarum sive simpliciter unæ, sive conjunctione, illa enuntiatio dicitur simplex in qua aliquid unum de aliquo uno prædicari significatur, sicut in simplici categorica affirmativa : vel aliquid unum prædicatum negari significatur ab aliquo uno subjecto, sicut in simplici categorica negativa. Hæc autem alia, scilicet quæ etiam una est, est composita et conjuncta ex his vel terminis vel propositionibus, sicut dictum est : et tales hypotheticæ conditionales sunt vel disjunctivæ, quia in illis fit syllogismus hypotheticus. Est enim simplex enuntiatio vox significativa de eo quod est aliquid secundum affirmationem, vel non est secundum negationem, vel fuit, vel erit, quemadmodum tempora seu differentiæ temporum sunt diversæ quæ accidunt verbis, sicut in ante habitis dictum est. Per qualitatem autem dividitur enuntiatio in affirmativam enuntiati- vam, et negativam enuntiati- vam. Affir- matio autem est enuntiatio alicujus præ- dicati de aliquo subjecto. Negatio vero est enuntiatio alicujus ab aliquo per divisio- nem. Istæ ergo sunt species enuntiatio- num.

## TRACTATUS V

## DE PASSIONE PARTIUM ENUNTIATIONIS QUÆ EST OPPOSITIO.

## CAPUT I.

*Quod omni affirmationi negatio est opposita, et e converso.*

Contingit autem enuntiare et id quod verum est esse, sicut enuntiatur Deum esse. Contingit autem etiam enuntiare id quod verum est, non esse, ut si dicam Deum non esse, enuntio id quod est, non esse. Contingit etiam enuntiare aliquando id quod non est, esse, ut si dicam chimaeram esse. Et iterum contingit enuntiare quod non est, non esse, ut si dicam chimaeram non esse. Dicit enim Avicenna quod ista quatuor sic diversificantur: quia contingit quod est enuntiare esse, in affirmativa enuntiatione. Et contingit quod est, non esse enuntiare in ejusdem negativa. Et contingit enuntiare quod non est, esse in affirmativa negative opposita. Et contingit enuntiare quod non est, non esse in negatione negationi opposita, ut nullus homo albus est, non nullus homo albus est. Sic ergo tali modo affirmando et negando de esse et non esse contingit enuntiativam facere orationem. Et sicut haec diversitas contingit circa enuntiations quæ sunt de præsenti, sic contingit circa alia tempora quæ sunt extra præsens quæ sunt præteritum et futurum. In omni enim differentia temporis enuntiativa ora-

tione omne quod quis affirmaverit, negare contingit. Et omne quod quis negaverit, contingit enuntiativa oratione affirmare: et hoc est secundum oppositionem in genere acceptam. Manifestum ergo est, quod omni affirmationi negatio est opposita, et omni negationi opposita est affirmatio secundum quodlibet genus oppositionis: quia hoc est verum tam in contradictione, quam in contrarietate.

Ex hoc patet quid est oppositio. Est *Oppositio*, enim oppositio (secundum quod est passio enuntiationis, et secundum quod hic intenditur de oppositione) affirmatio et negatio oppositæ. Et quia negatur in una quod in alia affirmatur, ideo in communi aliquando utraque oppositio dicitur contradictio quando species pro genere ponitur propter rationem quam diximus<sup>4</sup>. Cum autem dicimus, quod oppositio est affirmatio et negatio oppositæ, dico oppositionem esse, quando est unius et ejusdem prædicati de eodem subjecto non æquivoce accepto. Et omnia talia attenduntur circa oppositionem, quæcumque in elenchis attendenda esse determinavimus, quando loquebamur de elencho qui syllogismus est contradictionis. Et quæ attendenda sunt circa sophisticas importunitates: quia importunus fortius instat. Et ideo oportet quod oppositio sit ejusdem de eodem, et circa idem et secundum idem, eodem tempore. Tunc enim

<sup>4</sup> *Contradiccio* quandoque capitur pro oppositione, et sic species pro genere: et hoc modo capitur hic a Philosopho secundum D. Albert. Sed contra: hoc dato, idem poneretur in diffinitione sui ipsius; nam in ly *oppositæ* includi-

tur oppositio. Respondetur quod hic non inconvenit de eodem diversimode sumpto. S. Thomas autem vult quod contradiccio hic capiatur pro determinata specie oppositionis. **JAMMY.**

vera est oppositio quamvis de elencho adhuc non sit determinatum, cum ea quæ dicta sunt attenduntur penes elenchum: et ideo jam secundum rationem elenchi sunt declarata et determinata quæ sunt de ratione elenchi. Ista ergo est oppositio quæ accidit circa partes enuntiationis.

Hæc autem oppositio dicitur multipliciter secundum universale et particulare, affirmativum et negativum. Subjectorum enim in enuntiationibus et prædicatorum sunt hæc quidem universalia, ista vero singularia. Dico autem exponendo, quod universale est subjectum vel prædicatum quod de pluribus natum est prædicari et inesse: quia universale est, quod est in multis et de multis: singulare vero est, quod non est sic, sed ab ipso nulla est prædicatio, quemadmodum in ante habitis dictum est. Verbi gratia ut homo quidem universale est subjectum vel prædicatum: quia natum est esse in pluribus et dici de pluribus. Plato enim est de numero eorum quæ sunt singularia, quia non aptum natum est dici de pluribus et esse in pluribus: et ideo aliud est universale subjectum et prædicatum, et aliud est singulare. Cum autem enuntiatio fiat de quolibet et quolibet modo, necesse est quod aliquando enuntietur de aliquo, quod insit aliquod prædicatum alicui subjecto secundum omnem modum quo ei potest inesse et non inesse: necesse est ergo, quod aliquoties enuntietur inesse aliquid alicui aliorum quæ sunt universalia subjecta, ut si aliquid enuntiatur esse homo. Aliquoties autem necesse est enuntiare inesse aliquid alicui eorum quæ sunt singularia, ut si aliquid enuntiatur inesse Platoni.

Quæ sint propositiones contrarie.

Ex his ergo divisio sumitur oppositionum quæ sunt enuntiationis. Si enim aliquis enuntiet in universalis universaliter, quoniam est et non est, universaliter affirmando, et universaliter negando: tunc erunt contrariæ enuntiationes. Dico autem exponendo quod in universalis enuntiatio fit universaliter, quando universale subjectum est, et per signum di-

stributivum capitut ut stet pro partibus quæ divisim participant prædicatum distributum et confusum, etiam affirmando et negando, ut omnis homo albus est, nullus homo albus est. Quando autem oppositio sive contradicatio fit in universalibus terminis non universaliter per signum distributivum distributis, non sunt contrariæ enuntiationes, sed in aliud cadunt genus oppositionis. Dico autem exponendo per exemplum in universalis sive de universalis enuntiationem fieri et affirmando et negando, ut homo albus est, non est homo albus. Et sunt ordinandæ istæ propositiones sive enuntiationes ad debitum situm terminorum, qui est subjecti et prædicati, ut dicatur sic, homo est albus, homo non est albus. Et quod hæ indefinitæ particularibus æquipollent his, scilicet quidam homo est albus, quidam homo non est albus: hæ enim non sunt contrariæ enuntiationes, sed subcontrariæ, quia quamvis non sint contrariæ propositiones, subjecta tamen et prædicata quæ in eis signantur, contingit esse contraria in qualitate: quia id quod affirmatur de uno in una, negatur de eodem in altera: et talis oppositio habet modum contrariorum in qualitate. Et quia in omni oppositione sic fit, quod idem negatur de eodem in una quod de illo affirmatur in reliqua, ideo ab Aristotele sæpe contradicatio extenso nomine pro omni ponitur oppositione. In talibus ergo quæ sunt subcontrariæ cum universale sit subjectum propositionis: non tamen sine distributione utitur universaliter enuntiatione: quia sine signo universalis subjectum actu non est distributum ad standum pro particularibus, quamvis de natura sit aptum natum stare pro multis in quantum appellativum sive commune est et universale.

Hoc enim signum distributivum quod est *omnis*, non est universale proprio loquendo: sed est signum per quod stat pro particularibus universaliter universalis, cui tale signum est adjunctum. Causa autem quare non est universale, est,

Quæ sint subcontrariæ.

quia quamvis secundum grammaticum sit nomen appellativum, hoc est, multis secundum naturae suae aptitudinem conveniens, tamen est secundum formam infinitum, nullam enim naturam unam dicit: propter quod *omnis* naturae communis est distributivum. Universale autem est quod est in multis et de multis sua naturae suppositis: et ideo *omnis*, et *nullus*, et hujusmodi signa universalia esse non possunt, sed sunt signa designantia utrum universale sit acceptum universaliter vel particulariter secundum sua supposita: et haec sunt verba Avicennæ.

In subjecto universal signum distributivum est ordinandum: quia per divisionem subjecti prædicatum partibus attribuitur subjecti, ut divisim participant id per prædicationem et non in prædicato ponendum: quia cum prædicatum formaliter sit acceptum, non proprie dividitur, nisi alterius, hoc est, subjecti divisione: sed inæqualiter redditur subjecto et partibus ejus. Unde id quod est universale prædicari potest, ut omnis homo est animal: sed universale universaliter acceptum non potest prædicari: nulla enim vera affirmatio esse potest, in qua de universalis aliquo prædicato prædicetur sive prædicatio fiat: quoniam universaliter sic patet quod falsum est, omnis homo est omne animal, et si ponatur, quod nullum animal sit nisi homo. Cum enim homo subjiciatur gratia partium suarum, et prædicata formaliter accipientur, oportet quod quilibet homo esset omne animal, quod falsum est.

**objectio.** Objiciunt tamen quidam et instant per hanc, nullus homo est nullum animal: quod probatur per hoc quod ejus contradictoria est falsa, haec scilicet, non nullus homo est nullum animal: ex hac enim sequitur haec, aliquis homo est nullum animal, quæ est falsa et contradictoria primæ. Sed ad hoc solvere non est difficile si haec propositio, nullus homo est nullum animal, debite ordinetur sic, quod utraque negatio feratur ad compositionem sic, nullus homo nullum est animal: haec

**Solutio.**

enim æquipollet huic, omnis homo non nullum animal est. Et ex hac sequitur haec, quod quilibet homo est aliquod animal, quæ vera est: et in hoc sensu sua contradictoria est falsa, sicut appareat cuiuslibet: et sic constat quod signum universale ad prædicatum non est ponendum.

Ex omnibus quæ inducta sunt in hoc capitulo, appareat quod oppositio est passio partium enuntiationis: ex quo contingit enuntiare secundum omnem modum oppositionis et contradictoriæ et contrariæ et subcontrariæ. Nunc ergo dandæ sunt leges harum oppositionum.

## CAPUT II.

### *De legibus et consequentiis dictarum oppositionum.*

Opponi ergo dico affirmationem et negationem contradictorie: quoniam una universaliter significat, et alia contradicens ei significat non universaliter, sed particulariter, vel indefinite, vel singulariter, ut cum dicatur, omnis homo est albus: huic enim contradictorie opponitur et immediate haec, non omnis homo est albus: et huic æquipollet haec, quidam homo non est albus, quæ etiam contradictoria est non immediate, sed mediante illa cui æquipollet. Similiter si dicam, omnis homo albus est, Socrates albus non est, contradictio est: quia affirmatio fuit prædicati de qualibet parte subjecti: et Socrates est pars subjecti: sequitur enim, Socrates non est albus: ergo quidam homo non est albus, et ergo non omnis homo est albus: et haec est contradictio primæ. Et similis est oppositio inter universalem negativam et particularem affirmativam, ut quidam homo est albus, et nullus homo est albus. Huic enim quidam homo est albus, immediate opponitur haec, non quidam homo est albus: huic autem æquipollet, nullus homo

est albus, quæ est contradictoria per il-  
lam cui æquipolleat : et sic est in aliis<sup>1</sup>.

Contrarie vero dico opponi in enuntia-  
tionibus universalem affirmativam et  
universalem negativam. Dico autem uni-  
versalem quæ designat quoniam univer-  
saliter, ut cum dicitur, omnis homo est  
justus ; et cum dicitur, nullus homo jus-  
tus est. Inter has enim contrarietatis est  
oppositio : propterea quod sunt ambæ  
universales. Et non est possibile quod  
istæ unquam sint simul veræ in aliqua  
materia : quia si prædicatum est essen-  
tiale subjecto, tunc erit necessaria, et erit  
una vera, et altera falsa, ut cum dicitur,  
omnis homo est animal, nullus homo est  
animal. Si autem prædicatum repugnet  
subjecto, tunc est impossibilis materia, et  
erit negativa vera, et affirmativa falsa. Si  
autem prædicatum est accidentale sub-  
jecto : tunc enuntiatio erit in materia  
contingenti, et tunc erunt ambæ simul  
falsæ, si accipiatur accidens ad utrumlibet,  
videlicet cum dicitur, omnis homo  
est albus, nullus homo est albus. Hæc  
enim sunt contrariæ, et sunt ambæ falsæ.

Oppositæ autem contrariis in modo si-  
gni universalis sunt subcontrariæ : quia  
utraque illarum est particularis, cum  
utraque contrariarum sit universalis. Et  
illarum lex est, quod ambæ possunt si-  
mul esse veræ in materia contingenti :  
sunt enim simul veræ istæ, non omnis  
homo albus est, et quidam homo albus  
est. Hæc enim non omnis homo albus  
est, æquivalet huic, quidam homo non  
est albus, quæ est subcontraria istius,  
quidam homo est albus : et sunt ambæ  
veræ in materia contingenti ad utrumlibet.

Resumentes de contradictorie opposi-  
tis, dicimus quod quæcumque enuntia-  
tionis contradictiones sive contradictorie  
oppositæ, et sunt universalium subjector-  
um et universaliter distributorum, in  
his necesse est semper unam enuntiatio-  
nem esse veram et alteram falsam in  
omni materia : per illud principium quod

dicitur : De quolibet affirmatio vel nega-  
tio est vera, et de nullo simul ambæ, ut  
omnis homo justus est, et quidam homo  
justus non est : et omnis homo animal  
est, et quidam homo animal non est :  
nullus homo lapis est, et quidam homo  
lapis est.

Similiter autem est in contradictoriis  
enuntiationibus quæcumque sunt in sin-  
gularibus subjectis, ut Socrates est albus,  
et Socrates non est albus. In omnibus  
enim talibus contradictoriis semper una  
est vera, et reliqua est falsa in omni ma-  
teria. Quæcumque vero contradictiones  
sive oppositiones, quia contradicatio ex-  
tenso nomine contradictionis dicitur de  
omni oppositione communiter, quæ ergo  
talium oppositionum sunt quidem in  
enuntiationibus universalibus (in quibus  
subjecta sunt universalia, sed non uni-  
versaliter distributa) non semper in omni  
materia contingit unam esse veram et al-  
teram falsam : quia ambæ tales possunt  
simul esse veræ, ut quæ sunt subcontra-  
riæ. Simul enim est verum dicere, quod  
homo est albus, et quod homo non est  
albus : et cum indefinita æquipolleat par-  
ticulari, simul erit verum dicere, quidam  
homo est albus, et quidam homo non est  
albus. Et similiter est verum dicere, quod  
homo est probus, et quod homo non est  
probus : quia si moribus est turpis, tunc  
probus non est. Et eodem modo simul  
erit verum dicere, quod homo est pul-  
cher secundum corpus, et quod homo  
non est pulcher. Si enim fœdus corpore  
est (quod frequenter contingit) sequitur  
tunc quod non est pulcher. Similiter au-  
tem est in permanentibus quæ contingentib-  
us causis fiunt et talibus accidit esse ;  
et in talibus simul veræ sunt istæ, quod-  
dam contingentium est, et quoddam con-  
tingentium non est : quia quod sic est  
(dum adhuc est in fieri) non est. Et sic  
patet in multis, quod subcontrariæ (in  
quibus non enuntiatur universale uni-  
versaliter) simul veræ esse possunt.

<sup>1</sup> Ex quo patet quod particulari affirmativa  
non contradicit immediate universalis nega-

tiva, sed una quæ ei æquipolleat : et sic dicas de  
universalis affirmativa et particulari negativa.

**Objentio  
tertia.** Hoc tamen si prima facie et non subtiliter inspiciatur, videbitur esse inconveniens. Et hoc idcirco est, quia hæc enuntiatio, non est homo albus, videtur per æquipollentiam significare idem quod nemo est homo albus, sive quod nullus homo est albus : hæc enim nemo est albus, neque idem est cum hac, non est homo albus, neque simul verificatur cum hac, est homo albus. Impossibile est enim has duas verificari simul, quia contradictoriæ sunt. Hoc autem ideo contingit, quia cum dicitur, non est homo albus, negatio, quia præcedit subjectum, videatur formaliter respicere subjectum et negare : et sic idem est, non est homo albus, quod nemo est albus. Sed, sicut diximus, si termini enuntiationum istarum debite ordinentur, tunc hoc non continget : ut si ista, non est homo albus, resolvatur in hanc, homo non est albus, et tunc non est eadem cum hac, nemo est albus : et verificatur simul cum sua subcontrarie opposita, homo est albus : quia tunc negatio non refertur ad formam subjecti, sed ad compositionem.

Adhuc autem in contradictoriis et in aliis oppositionibus attendendum est, quod una negatio unius et ejusdem debet esse affirmationis. Et probatur per hoc : quia si affirmatio et negatio sunt oppositæ, oportet quod illud idem neget negatio, quod affirmavit affirmatio : et sic non potest esse nisi una negatio unius affirmationis<sup>1</sup>. Et si plures aliquando sint voce, sunt tamen ad unam primam reductæ, sicut paulo ante dictum est. Oportet etiam quod affirmatio et negatio sint de eodem subjecto, sive hoc sit subjectum de aliquo singularium, ut de Socrate vel Platone, sive sit de aliquo universalium subjectorum, ut de homine, vel de asino : sive etiam illud subjectum universale sit suppositum universaliter distributum, sive sit non distributum. In omnibus enim his requirit unitatem et

identitatem oppositio, non quidem tantum generis vel speciei, sed numeri : quia oppositio circa idem numero vult esse.

Et si quis objiciat quod omnis homo currit, et quidam homo non currit, vel Socrates non currit, non sunt circa idem numero, sed circa idem genere vel specie, Dicendum quod hoc falsum est : quia cum dicitur, omnis homo currit, homo stat ibi pro quolibet suo supposito : et ideo stat pro illo cui supponitur quando dicitur, Socrates currit, vel quidam homo currit. Si ergo omnis homo currit, tunc aliquis homo currit : et si quidam homo non currit, tunc quidam homo currit et non currit : et hæc est contradictio. Similiter si omnis homo currit, tunc Socrates currit : et si cum hoc, Socrates non currit, tunc sequitur quod Socrates currit et non currit : et hæc est contradictio. Oportet ergo quod oppositio sit circa idem numero, ut diximus.

Hujus autem exemplaris ratio seu declaratio est, sicut si dicam, Socrates est albus, et Socrates non est albus. Si autem aliquid aliud prædicatum dicam de eodem subjecto, vel idem prædicatum de alio subjecto, non erit talis enuntiatio isti opposita, sed alia et separata et diversa per disparationem ab ipsa. Sicut si dicam de Socrate, quod est musicus : et dicam de Platone, quod est albus : neutra enim istarum opponitur huic, Socrates non est albus, vel huic, Plato non est musicus.

Huic ergo affirmationi quæ est, omnis homo albus est, contradictorie et immediate opponitur negatio ejusdem de eodem quæ est, non omnis homo albus est : et per illam sua æquipollens quæ est, quidam homo non est albus. Illi vero quæ est, aliquis homo est albus, contradictorie opponitur illa quæ est, non aliquis homo est albus, immediate et per illam sua æquipollens quæ est, nullus homo est

<sup>1</sup> Unius affirmationis est una tantum negatio principalis. Boetius hoc intelligit in contradic-

toriis ; S. Thomas autem et D. Albertus videntur hoc intelligere in omni genere oppositionis.

albus. Et illi indefinitæ quæ est, homo albus est, contradictorie opponitur illa quæ est, non homo albus est: quia hæc æquipolleat universalis, nullus homo albus est, secundum quod negatio formaliter respicit subjectum<sup>1</sup>.

Manifestum est ergo, sicut diximus, quoniam affirmationi uni una negatio opposita est: et si sunt plures secundum æquipollentiam, reducuntur ad unam et eamdem. Manifestum est etiam, quod enuntiationum aliæ sunt contrariæ, aliæ contradictoriæ. Nam subcontrariæ sunt, quæ sub contrariis continentur. Dictum est etiam, quæ sunt contrariæ, et quæ contradictoriæ. Adhuc autem est determinatum quando sive in quibus non semper significat verum vel falsum contradictionis, vel oppositio quæ extenso nomine contradictionis vocatur. Dictum est etiam quare sive propter quid. Et dictum est etiam, quando una earum est vera vel falsa de necessitate.

**Dubitatio.** Si autem quaeratur, quæ oppositio est major, vel contradictionis, vel contrarietatis, eo quod contrarietas universaliter, contradictionis vero particulariter contradicit universalis, Dicendum quod oppositio contradictionis major est omnibus: eo

**Solutio.** quod illa nullum habet medium quin semper dividat per verum et falsum. Contrarietas vero habet medium, in quo non dividit extrema, sed ambo erunt falsa. Et quod dicitur, quod universaliter negat quod universaliter affirmatum est, dicitur quod hoc non est prædicatum conjungere uni universaliter et removere ab altero secundum rem et veritatem: sed est tantum secundum signum et non secundum rem: in contradictione autem removentur ab invicem oppositionis extrema per veritatem. Et sic patet quod in aliquo conjungibilia sunt extrema contrariorum, quia in falso: in nullo autem conjunguntur extrema contradictionis neque in vero neque in falso.

<sup>1</sup> Nota quod S. Thomas videtur velle istas, homo est albus, non homo est albus, esse subcontrarias; et salvat quod sint oppositæ. Expo-

Adhuc autem notandum est quod quamvis indefinita æquipolleat particulari, tamen non est idem dicere, homo currit, et non homo currit: et quidem homo currit, et quidam homo non currit: quia per singulum particulare trahitur universale subjectum ad standum pro supposito, quod tamen ad hoc non trahitur quando stat per seipsum sine particulari signo: et ideo tunc potest respici materialiter vel formaliter a negatione quæ opponitur ei in eadem enuntiatione. Unde non est idem dicere, homo est albus, et non homo est albus, cum istis, quidam homo est albus, et quidam homo non est albus: et sic in aliis judicandum est.

### CAPUT III.

*Utrum semper altera contradictiarum determinate est vera.*

Nunc autem determinare relinquuntur utrum altera contradictiarum sit semper determinata vera, alia falsa. Ad hoc autem declarandum sumemus extenso nomine contradictionis, secundum quod illæ (quæ sub unitate vocis sunt, quamvis non sint sub unitate significationis) contradictiones dicuntur, quando differunt per affirmationem et negationem.

Quod autem altera non necessario sit vera, sic probatur. Resumatur enim illud quod dictum est in præcedenti capitulo, quod una est affirmatio vel negatio, quæ unum prædicatum de uno subjecto significat sive significando enuntiat. Et hoc duobus modis, scilicet vel sic, quod subjectum sit universale universaliter sicut contradicunt istæ, omnis homo est albus, non omnis homo est albus. Signum enim universale additum subjecto non facit compositam enuntiationem, cum non dicat aliquam formam vel ens determinatum, sed formæ subjecti distributionem, vel etiam cum significat non universaliter,

*Contradic-  
toriae largi  
acceptas  
sunt etiam  
in sequen-  
tia.*

sitio tamen D. Alberti est minus dubitabilis.  
JAMMY.

ut quando particularis opponitur universalis, ut quidam homo albus est, nullus homo albus est. Et quia etiam ista, non omnis homo albus est, æquipollet particulari: et hæc, non nullus homo albus est, particulari æquipollet. In his enim albus quod est prædicatum, significat unum et idem de eodem subjecto quod est homo.

Si vero propositio significatione subjecti quidem plures sit: cum tamen voce et nomine subjecti sit una, ut si duobus unum nomen sit impositum, ex quibus duobus non fit unum, nec potest fieri unum sicut in definitione ex genere et differentia fit unum: tunc secundum significationem non est una affirmatio, in qua uni prædicato subjicitur tale subjectum: quia propter duas impositiones actu factas nomen illud utrumque illorum actu significat, et sic plura significat actu. Et hujus exemplum est, ut si quis imponat hoc nomen, *tunica*, homini et equo duabus actualibus impositionibus, et dicat, tunica est alba, vel tunica non est alba: non est simpliciter affirmatio vel negatio: quia significatione actuali non est una: quia quamvis dicat Boetius quod termino semel sumpto non continget uti æquivoce, tamen nihil prohibet quin duo duabus acceptationibus termini possint uti æquivoce: et sic inter respondentem et opponentem possit accipi æquivoce: et sic non est inter eos contradictio: quia affirmationem et negationem non referunt ad idem: secundum hoc enim nihil refert dicere, tunica est alba, quam homo et equus est albus divisim, ut sit sensus, quod homo est albus et quod equus est albus. Sic ergo hæc enuntiatio, homo et equus est albus, multa significet propter diversa et explicita subjecta plura. Manifestum est quoniam et prima multa significat propter multas unius nominis institutiones ad plura significanda. Institutione enim principalis est in significatione nominis, cum nomen sit vox significativa ad placitum, et non a natura. Aequali enim ratione qua significat unum, signi-

ficat et reliquum. Unde vel utrumque significat, vel neutrum, vel significat id quod fit ex duobus: sed non significat neutrum, nec quod fit ex utraque, quia non fit unum aliquod ex duobus, homine scilicet et equo: ergo significat actu utrumque. Propter quod in his et in talibus æquivocis non necesse est hanc quidem propositionem contradictionis unam partem esse veram determinate, aliam vero falsam determinate: sed utraque dubia est. Et, sicut diximus, large hic accipimus contradictionem, prout contradicatio in unitate vocis consistit, et non univocæ significationis: et hæc est quæ videtur contradictoria, et non est.

In his autem non æquivocis quæ vel sunt secundum præsens, vel facta sunt secundum præteritum, eo quod illa nullam sui partem habent in potentia dependentem ad futurum, ut homo est, vel homo fuit, vel homo non est, vel homo non fuit, si affirmatio et negatio ad idem referantur, necesse est vel affirmationem vel negationem determinate veram vel falsam esse. Dicimus tamen præsentia vel facta, quæ nullam, ut diximus, dependentiam habent ad futurum: quia si aliquam ad futurum habent dependentiam, non simpliciter sunt, vel facta sunt, sed sunt et facta sunt secundum quid. Simpliciter autem sunt in potentia, et dependent in futurum, sicut ea quæ præsentia vel facta sunt in astrorum dispositione, quæ adhuc secundum causas inferiores et secundum effectum dependent in futurum, et multis modis, ut dicit Ptolemæus, possunt impediri. Idem est de his quæ modo prophetico enuntiantur.

In talibus ergo quæ sunt et facta sunt non habent dependentiam ad futurum, necesse est alteram partem esse veram determinate, et alteram falsam. In universalibus quidem contradictoriis universaliter ut cum dico, omnis homo currit, non omnis homo currit: nullus homo currit, non nullus homo currit. In talibus enim semper est necesse hanc quidem determinate esse veram, illam vero sibi con-

tradictorie oppositam, determinate necesse est esse falsam. In his vero quæ sunt singularia etiam alteram necesse est determinate esse veram, et alteram falsam, ut Socrates currit, Socrates non currit, quemadmodum jam ante dictum est. In his vero enuntiationibus, quæ quidem in universalibus subjectis non universaliter distributis dicuntur sive enuntiantur, sicut ante diximus in æquivocis, non est necesse alteram esse veram, ut jam immediate ante dictum est de his.

## CAPUT IV.

*Utrum in singularibus contingentibus de futuro sit determinata veritas.*

In singularibus vero et futuris non est similiter determinata veritas in altera contradictioriarum. Singularia vero quæ secundum esse suum et causam futura sunt contingentia sunt, et ideo ad utrumlibet se habent, et neutrum eorum determinate verum vel falsum est<sup>1</sup>. Si enim in talibus omnis affirmatio esset determinate vera vel falsa, et essent necessaria esse, sequeretur quod omne contingens singulare et futurum, necesse esset esse vel non esse : quod falsum est, cum contingens possit esse et non esse, hoc est, possit esse, et similiter possit non esse : quia aliter non esset contingens. Ponamus enim quod hic quidem aliquis dicat aliquid esse futurum, ille vero sive aliud dicat illud non esse futurum, sive neget illud futurum esse : hoc si dictum per affirmationem et negationem est dictum. Manifestum est enim quod alter istorum verum dicit : et sic manifestum est verum dicere alterum istorum : quia aut erit, aut non erit, per hoc principium quod in quarto *primæ philosophiæ* est probatum<sup>2</sup> quod omnis

affirmatio vel negatio pro altera parte de quolibet vera vel falsa est, et quod utraque, affirmatio scilicet et negatio nunquam simul de aliquo vera erunt. Unde in talibus contingentibus non erunt affirmatio et negatio contradictoræ simul verræ. Hoc autem tali probatur ratione : si enim verum est de aliquo dicere, quoniam album est, vel ex opposito, quoniam non album est : tunc necesse est alterum illorum verum esse, scilicet quod sit album, vel quod non sit album, quodcumque fuerit verum dicere de ipso. Et si necesse est alterum illorum esse verum, quod scilicet est album, vel non est album, tunc alterum verum est vel affirmare vel negare de ipso. Si enim est album, vere affirmatur album de ipso. Si vero non est album, tunc album vere negatur : quia si non est album, qui dicit esse album, ipse mentitur, et si mentitur dicendo esse album, tunc non est album : propter quod necesse est aut affirmacionem aut negationem determinate veram esse vel falsam.

Si ergo propter hoc necesse est affirmationem vel negationem esse veram determinate vel falsam de futuro : tunc sequitur quod nihil fit a casu, et sequitur quod nihil fit ad utrumlibet. Si enim duorum alter dicat sive affirmet aliquid esse futurum, et alter neget illud esse futurum, ut navale bellum : oportet quod aut qui dicit sive affirmit illud futurum esse, verus sit in affirmando : aut qui negat illud futurum esse, in negando illud futurum esse verus sit : quia simul ambo verificari non possunt. Res enim ipsa causa est veritatis vel falsitatis : et dicere affirmativum vel negativum nihil facit ad hoc quod res sic vel non sic eveniat: propter dicere sive affirmare res non magis sic vel sic habebit se. Et ideo si in singulari-

<sup>1</sup> Dixit quæ secundum suum esse et causam futura sunt ad excludendum singulares, necessarias et impossibilis, quarum altera contradictoria est determinate vera et reliqua falsa : dicit tamen S. Thomas quod Aristoteles loquens de singularibus, ideo non fecit mentionem de

materia contingentii, quia omnes sciunt illam esse materiam quæ convenit singularibus ; imo, secundum Alexandrum et Porphyrium, per singularia dedit intelligere contingentia. JAMMY.

<sup>2</sup> Tex. com. 19.

bus et contingentibus de futuro altera pars contradictionis necessario et determinate sit vera, quocumque eveniet, necesse est quod eveniat et non possit non evenire, et sic nihil erit a casu et nihil erit ad utrumlibet.

Amplius hoc idem probatur ex ipsa re per alium modum. Si enim de aliquo est verum dicere, quoniam nunc est album, de eodem primo ante hoc nunc verum fuit dicere, quoniam hoc erit album; quia omne præsens antequam veniret, fuit futurum. Si enim detur quod nunquam fuit futurum, sequitur quod nunquam veniet tempus præsens in quo posset dici de eo quod est album: ergo de quolibet illorum quæ facta sunt in præsenti aliquo, semper in omni præterito (quod est ante hoc nunc in quo facta sunt) fuit semper verum dicere de illo quoniam ipsum est, vel erit: quia in præsenti in quo est vel factum est, verum est dicere de ipso, quia est. In præterito autem quod fuit ante hoc præsens, verum fuit dicere, quoniam erit: semper ergo verum est et fuit verum dicere, quoniam est vel erit. Inde arguitur ulterius: quia de quocumque semper est verum dicere, quoniam est vel erit, illud inevitabiliter et immutabiliter se habet ad esse et fieri: quod autem inevitabiliter et immutabiliter se habet ad esse et fieri, hoc non potest non esse, et non potest non futurum esse. Et ex hac ratione iterum arguitur ulterius: quia quod non potest non esse et quod non potest non fieri, impossibile est non esse, et impossibile est non fieri: et quod impossibile est non esse vel impossibile est non fieri, necesse est fieri vel necesse est esse: omnia ergo quæ futura sunt et in aliquo præsenti erunt, necesse est fieri. Inter ea ergo quæ fiunt vel sunt in aliquo præsenti, nihil est quod ad utrumlibet se habeat, scilicet ad fieri, et ad non fieri, et nihil in talibus fit a casu. Si enim detur quod aliquid talium sit a casu, et quod se habeat ad utrumlibet, hoc est, ad fieri et ad non fieri, queretur quod non esset ex necessitate: probatum autem est quod ex necessitate

eveniet, si altera pars contradictionis necessario et determinate sit vera.

Si vero aliquis hæc inconvenientia fugiens dicere velit, quod in talibus singularibus et contingentibus de futuro neutra pars contradictionis est vera, sed ambæ falsæ: ut si dicatur, quod futurum contingens in singularibus, nec erit, nec non erit: hoc nullo modo convenit dicere: quia ex hoc sequuntur plura inconvenientia, quorum unum et primum et maximum est, quod in contradictoriis secundum hoc eveniet, quod affirmatio sit falsa, quando etiam negatio illi opposita erit non vera: et sic contradictoriæ ambæ sunt falsæ: quod est impossibile. Et e converso etiam sequitur, quod cum negatio in contradictoriis est falsa, sibi opposita affirmatio est non vera, sed falsa: et sic omnis demonstrationis destruitur primum principium, quod est, quod non contingit contradictionem simul veram vel falsam esse.

Adhuc autem inducitur alia ratio: si enim verum est dicere de aliquo, quoniam ipsum album et magnum, oportet quod ipsum sit utrumque illorum: quia copulativa non verificatur nisi ejus utraque pars sit vera. Si ergo verum est dicere de aliquo, quod cras erit album et magnum, oportet quod utrumque illorum fiat cras. Si vero dicatur quod neuter eorum cras erit, et dicatur quod neque erit cras, neque non erit cras, tunc sequitur quod non est ad utrumlibet: quia nec negatio erit, nec affirmatio. Et detur de hoc exemplum in navalibello, quod cras fieri potest et non fieri potest: sequitur enim ex hoc quod dicitur quod neutra contradictiarum est vera, sed ambæ falsæ, quia navale bellum cras oportet, vel necesse sit neque fieri neque non fieri: quod falsum est, quia necesse est navale bellum cras fieri vel non fieri.

Inconvenientia ergo quæ sequuntur si ve contingunt ex hoc quod in singularibus et contingentibus de futuro altera pars determinate necessario sit vera, hæc sunt quæ dicta sunt: hæc enim inconve-

nientia sequuntur si dicatur, quod omnis affirmationis et negationis (sive in his contradictoriis quæ dicuntur per oppositionem contradictionis in universalibus subjectis universaliter sumptis, sive in his sint per oppositionem contradictionis accepta quæ sunt singularia) necesse est oppositarum contradictione enuntiationum hanc determinate esse veram, alteram autem determinate necesse est esse falsam. Si autem sic esset, in his quæ fiunt nihil se haberet ad utrumlibet, et quod posset fieri et quod posset non fieri: sed secundum haec omnia quæ fiunt vel sunt, vel essent et fierent ex necessitate.

#### CAPUT V.

*De inconvenientibus quæ sequuntur ex parte eorum quorum nos causa sumus.*

Adhuc autem quorum nos causa sumus ostenditur, quoniam non necesse est hanc vel illam contradictiarum in contingentibus veram vel falsam esse: si enim omnia vel ex necessitate erunt, vel ex necessitate non erunt: tunc non oportet nos de aliquo consiliari: quia consilium est, ut dicit Aristoteles in *Ethicis*<sup>1</sup>, de operationibus per nos possibilibus aliter fieri.

Adhuc si sic esset sicut dictum est, non oporteret nos negotiari de aliquo acquirendo nobis: non enim negotiamur de aliquo nisi quod est possibile nos habere, et quod etiam possumus non habere. Ad quid enim consiliaremur vel negotiaremur? quia si consiliabimur vel negotiabimur, erit necessario alterum contradictiorum. Et si non consiliemur et non negotiemur, adhuc nihilominus erit necessarium quod futurum est. Nihil enim prohibet vel in futurum propinquum futurum, vel in remotum, sicut in millesimum annum aliqua dicere futura esse, vel non esse futura.

Et tunc ex dictis sequitur, quod quodlibet alterum eorum quæ sunt partes con-

tradictionis, erit ex necessitate quodcumque fuit illud de quo verum erat dicere in præterito, quod erit, vel quod non erit. Si ergo erit, tunc de necessitate erit. Si vero non erit, de necessitate non erit. Tunc enim in dicere aliqua et proferre voce contradictoria nulla est differentia, ita scilicet, quod aliquis dicat affirmationem vel negationem, vel non dixerit: propter dicere enim in re nihil eveniet. Sed manifestum est, quod in ipsa re et causis rerum ita se habet, vel quod fit, vel quod non fit: unde in ipsa re est et non in hoc quod unus quidem aliquis unum contradictiorum dixerit sive affirmaverit, ille vero alius isti contradicens idem negaverit: non enim propter hominis negare vel affirmare sic erit ut affirmatur, vel sic non erit ut negatur: sed, sicut diximus, sic fieri vel non fieri prius est in ipsis causis rerum contingentibus vel necessariis.

Nec iterum in hoc est differentia si dicatur futurum in millesimum annum vel in quamlibet partem temporis magnam vel parvam: quia si altera pars necessario erit vera determinata, tunc post quantumcumque temporis fiat, semper verum erit dicere, quod sit de necessitate. Et si in omni tempore præterito quod est antequam fiat sic se habet, quod unum contradictiorum vere dicatur fieri: tunc sequitur quod illud necesse est fieri: unumquodque autem eorum quæ sunt sic se habet, quod antequam fiat verum est dicere, quod erit sive fiet: sequitur quod unumquodque quod fit, ex necessitate fit. Si enim sic est, tunc quandocumque aliquis dixerit de aliquo, quod illud erit, sequitur quod sic erit, quod non potest non fieri si hoc determinate est futurum: quod enim jam nunc factum est, de illo semper in omni præterito quod fuit antequam fieret verum erat dicere quod hoc erit, et fuit falsum dicere quod hoc non erit.

Si autem hæc inconvenientia quæ in-

<sup>1</sup> ARISTOTELES, In 3 Ethic. cap. 6.

ducta sunt possibilia non sunt, sequitur quod impossibile est in futuris contingentibus alteram partem contradictionis esse de necessitate veram: sed si erit contingens, erit et poterit non esse. Quod autem omne quod contingenter evenit, possibile sit non evenire, probatur ex nobis: multa enim contingentia sunt operabilia per nos, et nos sumus principium et causa illorum: quod probatur ex hoc quod de talibus consiliariam qualiter utilius fiant: quod non faceremus si aliter evenire non possent. Probatur etiam ex hoc quod nos per voluntatem agimus talia: voluntas non est principium uno modo se habens: quod enim aliquis vult, potest non velle, et quod per voluntatem agit, potest non agere.

Adhuc autem aliter probatur idem generali ratione. Omnino enim sive universaliter in his quae non semper actu sunt, nec in se nec in suis causis semper sic est, quod ea possibile est esse, et possibile est ea non esse, sicut est videre in omnibus in quibus utrumque est contingens, et esse scilicet et non esse. In talibus autem etiam contingit quod possibile est ea fieri, et possibile est ea non fieri: et etiam in sensu sunt nobis manifesta multa singularia quae sic se habent, sicut est hoc, quod hanc vestem quamcumque datam possibile est incidi violenter, et tamen potest esse quod non incidetur: possibile est enim quod exteratur usu et vetustate consumatur et non incidatur. Similiter autem est possibile hanc vestem non incidi: non enim esset possibile quod usu et vetustate exteratur sive consumeretur, nisi possibile esset eam non incidi: propter quod etiam in aliis futuris quae dicuntur secundum potentiam ad esse et ad non esse, sic est quod talia possibile est esse, et possibile est non esse. Cum ergo multa talia sint, manifestum est quod non omnia contradictoria in singularibus et de futuro de necessitate sic eveniunt, quod alterum de necessitate sit futurum: sed aliqua quidem se habent ad utrumlibet, esse scilicet

et non esse: et non magis est in talibus affirmatio quam negatio. Alia vero contingentia quædam sunt, quæ magis se habent ad unum quam ad reliquum, ita quod unum magis et in pluribus contingit, alterum vero minime sive in paucioribus contingit fieri: sed tamen nihilominus utrumque illorum contingens est fieri et non fieri, et neutrum est de necessitate.

## CAPUT VI.

*De determinatione dubitationis inductæ.*

Ad omnium autem eorum quæ inducta sunt determinationem, prænotandum Necessitas duplex: suppositio- nis, absolu- ta. quod duplex est necessitas. Quædam est necessitas rei qua res in se necessaria est: eo quod habet causam stantem et necessariam. Alia autem est necessitas positivæ, quæ est ex determinatione aliqua. Et hujus exemplum est, quod esse quidem quod est quando est necessarium est, sicut necesse est Socratem sedere quando sedet. Et similiter est in negatione, illud quod non est quando non est necessarium est non esse, sicut Socratem non sedere quando non sedet. Nec tamen propter illam necessitatem omne quod est, necesse est esse simpliciter: nec omne quod non est, necessarium est simpliciter non esse secundum necessitatem quæ ipsius rei necessitas et absoluta est. Hæc enim duo non sunt idem, scilicet necessarium esse quod est quando est, et similiter aliquid esse de necessitate. Et similiter se habet in eo quod non est: quia non est idem id quod non est necesse non esse quando non est, et similiter aliquid non esse necessarium non esse.

Eodem autem modo et similiter in contradictione: sub disjunctione enim alterum contradictiorum necessarium est esse, et sub disjunctione alterum necessarium est non esse: sed nondeterminate hoc vel illud necessarium est esse vel fieri, sed utrumque est et fit contingenter.

Unde cum dicitur, quod necesse est esse alterum contradictoriorum, si necessitas referatur ad disjunctionem indeterminate, verum est quod dicitur<sup>1</sup>. Si autem referatur ad disjuncta determinatae, tunc est falsum quod dicitur. Unde omne contradictorium necesse est esse vel non esse sub disjunctione indeterminate. Similiter est in eo quod factum est : quia necesse est fore vel non fore sub disjunctione indeterminate. Non tamen propter hoc dividendo disjuncta contingit dicere, quod alterum determinatum necesse sit fieri vel futurum esse. Hujus autem exemplum est, quod navale bellum futurum est cras, vel navale bellum non futurum est cras, sub determinata disjunctione est necessarium. Non tamen propter hoc disjuncta determinate sunt necessaria : non enim necesse est navale bellum cras esse, nec iterum necesse est navale bellum non esse cras.

Cum ergo orationes similiter veræ sunt quemadmodum et res : quia in eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa dicitur, et sic se habent orationes ad necessitatem et contingentiam sicut et res. Et ex hoc concluditur quod quæcumque res sic se habent, quod sunt ad utrumlibet, hoc est, quod contraria eorum vel opposita queant vel possint contingere de illis rebus, si fiant orationes sive enuntiationes contradictoriæ, necesse est quod contradictoria similiter se habeant sicut res, hoc est, quod utrumque eorum determinate acceptum et possit esse et possit non esse. Hoc autem contingit in contingentia materia tantum : hæc enim sunt talia, quod nec semper sunt, nec semper non sunt, sed aliquando sunt, et aliquando non sunt : quia ad utrumlibet potentia vel possibilia sunt. In talibus enim necesse est sub disjunctione indeterminate alteram partem esse falsam, et alteram veram. Non enim determinate hoc est falsum, vel illud quod est sibi oppositum, quia

utrumque contingit : sed ambo sunt ad utrumlibet, hoc est, ad esse et non esse se habentia. Et potest esse in talibus aliquando : et contingit quidem in talibus aliquando, quod altera pars contradictionis magis in pluribus est vera quam alia : non tamen ex hoc sequitur, quod illa determinata secundum actum vera sit, sed quod contingit veram esse. Ex omnibus autem quæ dicta sunt manifestum est, quod non est necessarium, quod omnes affirmationes et negationes oppositarum contradictiarum ita se habeant, quod una sit determinata vera, et alia determinata sit falsa. Sic enim non habet se in his quæ sunt, nec in his quæ non sunt, quæ sunt possibilia esse et non esse : sed in his est necessitas disjunctionis et non disjunctorum : et in his se habet quemadmodum dictum est.

## CAPUT VII.

*De solutione dubitabilium quæ sunt circa prædicta.*

Circa ista quæ dicta sunt multæ sunt dubitationes sophisticæ, quædam ad propositum quidem facientes : sed solvi non possunt ex hujus scientiae principiis. Objiciunt enim sophistæ dicentes, quod hæc est per se, futura contingentia sunt futura. Si autem est per se, modisicari potest modo necessitatis, ut dicatur, contingentia futura necessario sunt futura, et sic contingentia necessario evenient. Sed ad hoc dicendum quod cum dicitur, futura contingentia sunt futura, hæc non est per se, nisi futura contingentia formaliter accipiuntur, scilicet prout sunt sub forma futuritionis : quia tunc futurum de necessitate est futurum, et hoc modo recipit necessitatis modum : et sic procedit argumentum. Si autem stet materialiter pro his quæ sunt futura et contingentia : tunc contingenter eveniunt et

Objectio.

Solutio.

<sup>1</sup> Vult dicere quod, in contradictoriis, necesse est alterum esse verum necessitatē dis-

junctionis, et non necessitate disjunctorum, ut dicit in fine hujus capituli.

**Non recipiunt modum necessitatis.** Dicunt tamen aliter quidam, quod futura contingentia de necessitate eveniunt hoc modo quo sunt futura, hoc est, contingenter : et sic necessarium est hoc vel illud evenire, sed non necessario alterum determinate, ut prius dictum est.

**Objec<sup>tio</sup>.** Objiciunt tamen adhuc de singularibus et futuris sic : Antichristus erit vel non erit necessario : ergo vel erit necessario, vel non erit necessario. Sed ad hoc jam dictum est quod cum dicitur : Antichristus erit vel non erit necessario, potest esse necessitas disjunctio<sup>n</sup>is conjunctim, et sic est vera : vel necessitas disjunctorum divisim, et sic est falsa.

**Alli<sup>m</sup> objec<sup>tio</sup>.** Objiciunt adhuc quidam, quod enuntiatio de præterito non sit vera : quia sicut se habet res ad esse, ita se habet ad veritatem. Præteritum autem non est, sed abiit in non esse. Ergo non potest esse verum. Adhuc autem quærunt, qualiter verbum præteritum determinate sit et non futurum, cum neutrum eorum sit.

**Motio<sup>n</sup> pri-  
me.** Ad hoc autem dicendum, quod licet præteritum secundum se præterierit, non tamen prætererit ex præteritione sua : etsic accidit enuntiationi : et hoc modo determinate verum est quod est de præterito. Ad aliud dicendum quod non est simile de præterito et futuro : quia futurum nunquam fuit : et ideo nec in se nec in futuritione sua determinatum est : sed præteritum ad minus in præteritione sua determinatum est.

Quærunt etiam hic quidam de necessitate ordinis causarum, de fato, de fortuna, de consilio, de casu, de certitudine

divinæ providentiae in singularibus et voluntariis contingentibus. Sed de his hic quærere stultum est : quia quæstiones istæ ex istius scientiæ principiis (cum logica procedat ex communibus quæ in pluribus vel in omnibus inveniuntur) non possunt determinari : ista autem determinari volunt ex propriis.

Jam ergo dicta sunt omnia quæ ad constitutionem enuntiationis pertinent et substantiam tam diffinitive quam divisive : et determinatae sunt species enuntiationis quæ sunt partes substantiales ejus : dictum est enim quæ est enuntiatio una et plures, et quæ simplex et quæ composita, et quæ affirmativa et quæ negativa, et quæ conjunctione una et quæ enuntiationes inconjunctæ. Et quia accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est, ideo etiam de propria passione specierum et partium enuntiationis determinatum est, hoc est, de oppositione secundum omnem modum oppositionis quæ enuntiationi accidere potest. Hæc autem omnia pertinent ad constitutionem perfectam enuntiationis secundum substantiam, et id quod proxime est consequens substantiam. Quædam autem sunt quæ enuntiationi convenient, non ex specie vel substantia, sed ex comparatione oppositionum ad invicem, vel ex ipsius oppositionis multiplicatione, sicut consequentia unius ad aliam. Et hæc sub alterius libri principio determinabimus. Hæc igitur de constitutione enuntiationis dicta a nobis sufficient ad præsentem intentionem.

pilogus  
primi libri.



# LIBER II

## PERIHERMENIAS

### TRACTATUS I

#### DE CONSEQUENTIIS ENUNTIATIONUM DE INESSE.

##### CAPUT I.

*Qualiter sumendæ sunt enuntiationes de inesse, inter quas est consequentia, quæ sunt unæ, et in quibus est secundum est adjacens.*

Jam autem determinatis omnibus quæ ad enuntiationis constitutionem pertinent, tam elementaliter, sicut nomen et verbum, quam formaliter, sicut oratio ; determinatis etiam his quæ pertinent ad divisionem ipsius, eo quod divisio fit in partes formales quæ est per differentias exeentes a genere, sicut est enuntiatio una et plures, et enuntiatio simplex et composita, et sicut enuntiatio affirmativa et negativa ; determinata etiam oppositione quæ est passio immediate consequens qualitatem specierum enuntiationis : quia ex affirmatione et negatione, eo quod talium accidentium cognitio multum valet ad cognitionem ejus quod quid est, quia propria passio fluit a principiis essentialibus speciei : nunc sub alterius libri principio de consequentiis enuntiationum. Quoniam enim consequentia non

sequitur enuntiationem in quantum est enuntiatio in genere accepta ; nec sequitur species enuntiationis in quantum in specie considerantur, sed sequitur enuntiationem per aliquam additionem (ad subjectum vel ad prædicatum factam) vel negationis infinitantis subjectum vel prædicatum, vel casus, hoc est, obliqui alicujus qui ponitur in prædicato vel in subjecto : vel per additionem alicujus quod faciat unum subjectum plura, vel unum prædicatum facit plura : vel per additionem modi, scilicet possibile, vel contingens, vel necesse, vel impossibile : quæ omnia diminuunt rationem primæ vel simplicis et perfectissimæ enuntiationis. Ex his enim omnibus multiplicatur modus oppositionis in enuntiationibus et multiplicatur æquipollentia in ipsis : et ex his multiplicatur consequentia. Multiplicatis his quæ dicta sunt per indefinitum scilicet, universale, particulare, et singulare. Et quia sic consequentia non accidit enuntiationi in genere vel in specie secundum quod hujusmodi, ideo de consequentia in eodem libro cum enuntiationis constitutione non erat determinandum. Quia tamen sequitur enuntiationem va-

riatam ex additione aliqua ad ea quæ constituant enuntiationem, ideo in eadem scientia tractandum est de consequentia in qua determinatur de enuntiatione sub alterius libri principio.

*Ordo dicen-  
dorum, cau-  
sa ordinis.*

Tractantes ergo de consequentiis enuntiationis, prius determinabimus consequentias earum enuntiationum quæ sunt de inesse : et in his ordo est : prius enim tractandum est de his in quibus prædicatum de uno dicitur subjecto, quam de illis in quibus vel unum prædicatum dicitur de pluribus subjectis, vel in quibus plura prædicata dicuntur de uno subjecto. Adhuc illæ (in quibus unum prædicatum de uno dicitur subjecto) duobus modis sunt acceptæ. Sunt enim in quibus simplex verbum *est*, est nota compositionis : et sunt in quibus est aliud verbum, scilicet *currit*, vel *ambulat*. Et quia hoc verbum *est*, est tanquam radix omnium verborum, primo dicendum de enuntiationum consequentiis in quibus hoc verbum *est* facit diversitatem, quam de his in quibus aliud verbum causa diversitatis est. Adhuc autem diversitas est in enuntiationibus in quibus hoc verbum *est* facit diversitatem : quia hoc verbum *est* aliquando est secundum adjacens, et aliquando est tertium adjacens. Et ideo primo sumendæ sunt enuntiations in quibus hoc verbum *est*, est secundum adjacens : quia illæ omnibus sunt simpliciores et priores. Et quia res non difficilis, sed intricata est tractare de his, ideo quantum possibile est, studebimus facilitati et ordini, ut faciliter et ordinate ista tractentur.

Incipientes ergo dicimus, quoniam affirmatio sive enuntiatio affirmativa quæ est una et simplex, est significans aliquid unum prædicatum de aliquo uno subjecto. Hoc autem subjectum est nomen finitum et rectum, vel innominabile sicut nomen infinitum, quod innominabile dicimus, quia nihil nominat. Dicit enim Boetius : Si dico homo, rem constituo ; si autem dico non homo, constitutionem tollo, et nihil entium vel non entium

pono : propter quod nomen infinitum innominabile vocamus. Sic ergo subjectum talis enuntiationis variatur in duo, scilicet in nomen et innominabile. Prædicatum autem variari non potest : quia hoc verbum *est*, prædicatum est in talibus, et illud infinitari non potest, ut patet per ante dicta. Significat enim quamdam compositionem infinitam, quam sine compositis non est intelligere, et infinitum infinitari non potest. Sic ergo variato subjecto per finitum et infinitum in tali enuntiatione in qua, *est*, est secundum adjacens in affirmatione sive in affirmativa enuntiatione, oportet unum prædicatum simplex de uno subjecto dici.

In præcedentibus autem antecedentis libri dictum est quid est nomen, et quid innominabile est : non homo enim secundum logici intentionem non dico nomen : nec tamen in aliam cadit partem orationis : sed dicitur nomen infinitum, quod est nomen secundum aliquid, quia significat substantiam cum qualitate : sed non habet nominis perfectionem, scilicet quod significet et interpretetur quæ sit illa qualitas qua substantia nominis habet determinari : et quia finitam tollit qualitatem quæ in homine est humanitas, et nullam ponit, ideo non interpretatur et significat substantiam nisi infinitam, cuius qualitas ipsa est infinitas : sed talis qualitas sufficit ad hoc quod sit nomen secundum intentionem grammatici, quæ modos plusquam res attendit. Hoc enim modo nomen infinitum significat id quod quodammodo est unum : et talis unitas sufficit ad unitatem subjecti in propositione sive in enuntiatione una. Similiter autem dico de verbo infinito, sicut est non currit, quod quidem non est verbum secundum logici intentionem, et tamen in aliam non incidit orationis partem : et ideo dicitur verbum infinitum. Ex quo ergo subjectum sic variatur per finitum et infinitum, sequitur quod omnis generaliter enuntiatio est vel ex nomine et verbo finitis, vel infinito nomine et finito verbo.

Infinitum enim verbum (ut jamdudum dictum est) in oratione non potest esse infinitum. Et hujus causa est: quia sublata per negationem re verbi infinitatem non remanet nisi verbi radix quæ est *est*<sup>1</sup>. Et hæc est nota compositionis infinita: quam sine compositis non est intelligere: propter quod in talibus nihil affirmaret: et negatio ad ipsam fieri non potest: quia non dicit nisi verbi reflexionem ad subjectum, quæ si negaretur, nec verbum esset verbum, nec posset esse prædicatum, et destrueretur enuntiatio. Et ideo cum verbum infinitum ponitur in oratione, oportet quod negatio feratur ad compositionem, et rem prædicati neget inesse subjecto: et sic fit negatio infinitans. Omnis ergo enuntiatio vel est ex nomine et verbo, vel ex infinito nomine et verbo.

Præter verbum autem nulla potest esse affirmativa enuntiatio vel negativa. In primis autem enuntiationibus hoc verbum est, vel hoc verbum fuit, vel hoc verbum erit, ut quidam dicunt, sunt potentia in præsenti, et præteritionem suam vel futuritionem determinant ad præsens. Et alia hujusmodi verba similiter faciunt: et ideo illa sunt potentia componere ipsam enuntiationem: eo quod illa ex proprio suo significato consignificant tempus in quo prædicatum inest subjecto.

Secundum hæc ergo quæ dicta sunt, prima omnium enuntiationum est affirmatio et negatio, scilicet est homo, non est homo: et sic ordinentur, homo est, homo non est: illæ enim oppositæ enuntiationes omnibus sunt simpliciores, et ideo omnibus priores. Deinde autem sunt illæ quæ sunt de infinito subjecto, ut est non homo, non est non homo, et sic ordinentur secundum proprietatem Latini sermonis, non homo est, non homo non est. Post illas autem sunt quæ majorem habent addi-

tionem ut quæ sunt de universalis universaliter sumpto, ut est omnis homo, non est omnis homo, et sic ordinentur, omnis homo est, omnis homo non est: et eadem sumptæ de infinito subjecto, ut sic dicam, est omnis non homo, et non est omnis non homo, quæ sic ordinandæ sunt, omnis non homo est, omnis non homo non est. Et similis variatio est secundum præteritum et futurum quæ sunt tempora extrinseca præsenti nunc: quia unum præcedit ipsum, et alterum sequitur ipsum.

De particulari autem signo non facimus variationem<sup>2</sup>, quia nihil addit supra terminum indefinitum, nisi quemdam vagum respectum universalis ad particulare, quem etiam indeterminate importat universale indefinitum: sed universale signum ponit pro omnibus universalibus distributionem, et formam quamdam ponit circa universale, quam universale non habet ex seipso. Iste sunt ergo primæ enuntiationes quatuor, homo est, homo non est, non homo est, non homo non est: quæ quatuor si multiplicentur per indefinitum, particulare, universale, et singulare, faciunt sedecim quæ sunt illæ, homo est, homo non est: non homo est, non homo non est: omnis homo est, omnis homo non est: omnis non homo est, omnis non homo non est: quidam homo est, quidam homo non est: quidam non homo est, quidam non homo non est: Socrates est, Socrates non est: non Socrates est, non Socrates non est. Quatuor enim indefinitæ, et quatuor universales, et quatuor particulares, et quatuor singulares, in universo faciunt sedecim. Quamvis enim particulare non addat supra indefinitum, nisi quod dictum est, tamen variat oppositionem, et per consequens etiam variat consequentiam. Hæ ergo omnium sunt

<sup>1</sup> Nota tamen, ne sit contradicatio inter hæc et dicta in præcedenti libro, quod intelligit hic verbum non posse infinitari in oratione infinitione distincta a negatione, hoc est, quod ita infinitetur quod non negetur. JAMMY.

<sup>2</sup> Tacuit de particularibus et de singularibus, ut inquit S. Thomas, quia in eis non potest inveniri omnis differentia et ex parte qualitatis et ex parte quantitatis.

primæ in quibus hoc verbum, *est*, secundum adjacens est prædicatum.

In his autem omnibus facile est advertere, quod ad affirmativam definito subjecto sequitur negativa de infinito subjecto, et e converso ad negativam de subjecto infinito sequitur affirmativa de subjecto finito, tam in indefinitis, quam in universalibus, quam etiam in particularibus et singularibus. Hæc ergo de simplicibus enuntiationibus de inesse in quibus hoc verbum *est*, secundum adjacens est prædicatum, et de consequentiis earum dicta sunt et sufficientia.

## CAPUT II.

*De multiplicatione et consequentia enuntiationum in quibus est tertium est adjacens.*

Quando hoc verbum *est*, tertium adjacens est prædicatum, duplice dicuntur fieri oppositiones: vel quia fiunt ex parte subjecti et prædicati finitis vel infinitis: vel quia fiunt in duplo plures, quia fiunt octo, scilicet cum istæ primæ fuerint tantum quatuor. Attende autem quod hoc verbum *est*, tertium adjacens dicitur in propositione in qua hoc verbum *est*, non est prædicatum, id est, res prædicata: sed est tantum nota compositionis prædicati cum subjecto, ut cum dicitur, homo est albus. Et tunc dicitur tertium adjacens non ordine, sed numero: ordine enim secundum est adjacens. Sed quia conjungibilia sunt ante conjunctionem eorum, et componibilia ante compositionem, cum compositionem non sit intelligere sine compositis, hoc modo loquendo hoc verbum *est* (cum sit nota compositionis quam sine compositis non est intelligere) etiam ordine est tertium adjacens. Exemplariter ergo declarando dico, quod prædicto modo duplices fiunt oppositiones, ut est justus homo. In hac

enim affirmatione nota vel verbum prædicatum de subjecto est tertium adjacens. Unde nota compositionis est unum de tribus. Et quando sic fit, necesse est primas oppositiones quatuor esse, quarum duæ quælibet ad affirmationem et negationem sese ad invicem habent secundum consequentiam: duæ autem minime se habeant secundum consequentiam<sup>1</sup>. Habent autem sese ad consequentiam ut propositiones privativæ. Privativas autem dicimus sicut *injustus*, quod privativum est et non infinitum. Dico autem hoc explanando: quia hoc verbum *est*, adjacebit aut prædicato finito quod est justum, aut prædicato infinito quod est non justum. Et si affirmaciones hoc modo sunt quatuor, sequitur quod negationes etiam erunt quatuor, et sic inter affirmaciones et negationes necessario sunt octo.

Hoc autem quod dictum est, facilius intelligimus ex his dispositionibus enuntiationum quæ subscriptæ sunt, ut dicamus, est *justus homo*, quæ sic ordinanda est, homo est *justus*: hujus autem negatio est, non est *justus homo*, sive homo non est *justus*. Alia autem cum prædicato infinito quæ est, est non *justus homo*, sive hæc, homo est non *justus*, affirmativa est de infinito prædicato: hujus enim negatio est, non est non *justus homo*, sive homo non est non *justus*: hoc enim verbum *est*, in talibus, ut tertium adjacens adjacet, et justo prædicato finito et non justo quod est prædicatum infinitum, adjacet ut tertium adjacens. Hæc ergo omnia sic se habent quemadmodum in resolutoriis prioribus circa propositiones dictum est.

Omnia autem eodem modo se habent quantum ad prædicatum finitum et infinitum, quando affirmatio, id est, affirmativa enuntiatio est universalis nominis: et voco *universalis*, quando sumitur universaliter per signum distributivum,

<sup>1</sup> Hic breviter se expedit circa expositionem verborum textus, super quæ verba Boetius et

S. Thomas multas afferunt expositiones.

ut omnis homo justus est, non omnis homo justus est, quæ sunt affirmatio et negatio oppositæ de subjecto et prædicato finitis. Est omnis homo non justus, non est omnis homo non justus: quæ sunt oppositæ per affirmationem et negationem de prædicato infinito. Sed in talibus non contingit similiter sicut in prioribus angulares esse veras simul sicut contingit in prioribus. Contingit tamen angulares veras esse simul aliquando.

Istæ ergo duæ quæ sunt, est justus, et est non justus, sunt oppositæ et faciunt duas oppositiones et quatuor opposita.

Aliæ autem duæ oppositiones et quatuor opposita habent aliquid additum sive compositionem sive conjunctionem ad *non homo*, sicut ad subjectum infinitum. Dico autem aliquod additum: quia infinitum subjectum non proprie subjectum est, cum quo proprie aliquid componi possit: habet tamen prædicatum ad ipsum additum, ut compositum cum ipso faciat enuntiationis modum et non perfectam enuntiationem. Tales autem sunt, ut *justus est non homo*, sive *non homo est justus*: et *negativa hujus, non est justus non homo, sive non homo non est justus*. Similiter quando infinitum prædicatum dicitur vel non dicitur inesse subjecto infinito per affirmationem et negationem, ut sicut dicam, *est non justus non homo, sive non homo est non justus*, quæ est affirmativa, et hujus negativa opposita est, *non est non justus non homo, sive non homo non est non justus*. Hæ ergo octo sunt, scilicet, *homo est justus, homo non est justus: homo est non justus, homo non est non justus: non homo est justus, non homo non est justus: non homo est non justus, non homo non est non justus*.

Magis autem in his plures in quibus hoc verbum *est*, tertium est adjacens, non sunt oppositæ sive per oppositionem affirmationis et negationis acceptæ: quia

plures esse non possunt. Hæ ergo in quibus hoc verbum *est*, tertium est adjacens, sunt extra illas, hoc est, extra numerum illarum in quibus hoc verbum *est*, secundum est adjacens: et illæ quæ sunt de finito subjecto vel prædicato, sunt extra illas quæ sunt de subjecto et prædicato infinitis, et alia habent opposita et alias consequentias: et sic sunt extra illas quæ ipsæ secundum se sunt enuntiationes perfectæ, sicut illæ quæ sunt de finitis subjecto et prædicato. Sunt autem extra eas nomine infinito quod est in eis sicut est *non homo*. Cum termino enim infinito non fit enuntiatio quæ secundum seipsam sit enuntiatio perfecta.

Accipe ergo illas octo quæ sunt, *homo est justus, homo non est justus: non homo est justus, non homo non est justus: homo est non justus, homo non est non justus: non homo est non justus, non homo non est non justus, et multiplica per hæc quatuor, indefinitum, universale signum, particulare, et singulare, ita quod quælibet inductarum affirmativarum et negativarum accipiatur et indefinite, et quælibet universaliter, et quælibet particulariter, et quælibet singulariter, et erunt quater octo, scilicet indefinitæ, quatuor affirmativæ, et quatuor negativæ, et octo universales per eundem modum, et per eundem modum octo particulares, et similiter octo singulares, et erunt in universo triginta duo, quia quater octo faciunt triginta duo, quæ prius inductis sedecim in quibus hoc verbum *est*, secundum adjacens prædicatur, faciunt quadraginta octo enuntiationes de inesse, nec possunt esse plures. Sunt autem sic disponendæ, ut quælibet negativa opposita directe et in eadem linea stet contra suam affirmativam sic ut fiat talis figura: quia per hanc intelligibilius fit quod dicitur quando ad oculum demonstratur. Sic ergo disponantur:*

Numerus  
omnium  
propositio  
num de ines-  
se est qua-  
draginta  
octo.

|                             |                                 |                                 |                                    |
|-----------------------------|---------------------------------|---------------------------------|------------------------------------|
| Homo est.                   | Homo non est.                   | Non homo est.                   | Non homo non est.                  |
| Omnis homo est.             | Omnis homo non est.             | Omnis non homo est.             | Omnis non homo non est.            |
| Quidam homo est.            | Quidam homo non est.            | Quidam homo non est.            | Quidam homo non est.               |
| Socrates est.               | Socrates non est.               | Non Socrates est.               | Non Socrates non est.              |
| Quidam homo est justus.     | Quidam non homo est justus.     | Quidam homo non est justus.     | Quidam homo non est justus.        |
| Quidam homo est non justus. | Quidam non homo est non justus. | Quidam non homo est non justus. | Quidam non homo est non justus.    |
| Socrates est justus.        | Non Socrates est justus.        | Socrates non est justus.        | Non Socrates non est justus.       |
| Homo est justus.            | Non homo est justus.            | Homo non est non justus.        | Non homo non est non justus.       |
| Non homo est non justus.    | Homo est non justus.            | Non homo non est non justus.    | Omnis homo non est justus.         |
| Omnis homo est justus.      | Omnis non homo est justus.      | Omnis homo non est justus.      | Omnis non homo non est justus.     |
| Omnis non homo est justus.  | Omnis homo est non justus.      | Omnis non homo non est justus.  | Omnis non homo non est non justus. |

In his contingit angulares, hoc est, in angulis directe oppositas, non semper esse veras simul. Contingit tamen aliquando : quia in contingentia materia particulares (quae sunt subcontrariæ angulariter oppositæ) simul sunt veræ, ut quidam homo est justus, quidam homo non est justus.

Hæc autem patent quæ sequuntur ad invicem, et quæ non per rationes æquipollentiarum. Hæc enim, homo est justus, sequitur hanc, homo non est non justus. Et similiter ista, homo non est justus, sequitur hanc, homo est non justus. Quia negativa de prædicato finito et affirmativa de prædicato infinito æquipollent, et una sequitur aliam. Similiter ista sequitur ad hanc, et e contra, omnis homo non est non justus, et omnis homo est justus : et similiter ista, non omnis homo est justus, sequitur ad hanc, quidam homo non est justus : et similiter hæc, non quidam homo est justus, sequitur ad hanc, omnis homo non est justus, vel nullus homo est justus.

Et sic facile est videre in omnibus indirectis quæ et ad quas sequuntur, et quæ non sequuntur ad invicem secundum æquipollentiarum rationes. Et hoc maxime contingit ex negationis diversa posi-

tione : quia (cum negatio sit forma enunciationis non tantum informans, sed etiam transmutans eam) negatio tollit illud cui componitur. Et ideo cum dicatur, non homo est justus, negatur hic terminus *homo* formaliter, et hoc modo non homo nullus homo est, et non quidam homo nullus est homo. Cum autem postponitur, non negat præcedens, sed negat prædicatum a partibus subjecti, vel universaliter, vel particulariter : et ideo omnis homo non currit, valet illam, nullus homo currit : et sic est cum dicatur, non quidam homo currit, negatur particularitas, et relinquitur universalitas : et ideo non quidam homo est justus, valet hanc, nullus homo est justus. Et sic facile est videre in omnibus considerata positione negationis.

Adhuc autem in talibus aliquando duæ negationes æquipollent uni affirmationi propter causam quam diximus : quia scilicet negatio *non est* est tantum formans id supra quod cadit, sed etiam transmutans : et ideo si supervenit negationi tollit eam : et quia transmutare non potest nisi in oppositum, ideo transmutat ad valorem affirmationis, sicut hæc, non omnis homo non currit, valet hanc, quidam homo currit : et hæc, non quidam homo

non currit, valet hanc, omnis homo currit: et sic est in omnibus. Sic ergo de oppositionibus et consequentiis enuntiationis de inesse (in quibus hoc verbum, *est*, secundum est adjacens vel tertium adjacens) sit dictum.

## CAPUT III.

*De his enuntiationibus in quibus hoc verbum est, non ponitur, sed aliud.*

In his autem enuntiationibus in quibus hoc verbum *est* non ponitur, sed aliud quodcumque verbum, ut currit, vel legit, vel ambulat, tot quoad oppositionem et consequentiam faciunt enuntiationes secundum quod dictum est (si sicut dictum est ponantur) ac si hoc verbum *est* adderetur, sicut est videre exemplariter, si dicatur, currit omnis homo, non currit omnis homo: quæ sic sunt ordinandæ, omnis homo currit, omnis homo non currit: et sic cum subjecto infinito, currit omnis non homo, non currit omnis non homo: et sic ordinentur, omnis non homo currit, omnis non homo non currit. Variatio tamen ista non debet fieri nisi ponendo negationem infinitantem ad universale quod sit in subjecto: quia cum hoc formæ sit finitæ et determinatæ, potest infinitari: sed negatio infinitans non debet poni ad signum universale distributivum vel etiam particulare: quia illa non dicunt qualitates et formas determinatas et finitas, sed cuilibet applicabiles: et ideo quia sunt non finitæ, infinitari non possunt.

**objectio.** Si autem quis objiciat, quod verbum in oratione non potest esse infinitum, ut dicit Boetius, et sic ista variatio non potest esse ex parte prædicati finiti, vel infiniti, Dicendum quod nec hoc dictum est, quod tanta fiat variatio sicut in præhabitis, sed quia ex parte subjecti finiti et infiniti simile est in istis et in illis. Dicunt aliqui quod si verbum resolvatur in hoc verbum *est* et in suum participium, tunc per omnia idem faciunt istæ cum illis.

Est enim idem, homo currit, et quod homo est currens. Sic ergo dicendum quod in his fit variatio ut non negatio non ad signum, sed ad universale referatur, quando est infinitans: eo quod signum distributivum non significat universale quod est formæ circumscriptæ et finitæ, sed significat quoniam universaliter, et distribuitur universale cui adjungitur, et ideo est infinitæ et circumscriptæ formæ, quæ infinitari non potest.

Sic ergo pluralitas enuntiationum de inesse in quibus hoc verbum *est* est secundum vel tertium adjacens, crescit in quadraginta octo enuntiationes, quarum sedecim sunt quando hoc verbum *est* secundum adjacens est, et triginta duo quando est tertium adjacens: quæ inter se habent oppositionem per affirmationem et negationem: et quædam consequuntur ad quasdam, propter multiplicationem negationis et situm, diversas facientes æquipollentias, sicut cuilibet consideranti facile est videre, si in figura disponat oppositam contra oppositam, et postea oppositam uni reducat ad æquipollentiam oppositæ alterius. Et ex hoc quod aliud verbum in enuntiatione ponitur, quam hoc verbum *est*, non surgit novus numerus enuntiationum, vel nova oppositio, vel nova consequentia, quæ ex prædictis facile haberi non possit: propositiones enim facile est describere contra se invicem, et oppositas contrarie vel subcontrarie vel contradictorie sibi invicem opponere, et æquipollentes ad consequentiam adaptare per lineas ab una ad aliam tractas, in dispositione sive figura in qua describuntur.

Et sciendum quod ex situ negationis infinitantis ad signum distributivum non potest fieri enuntiationum variatio, eo quod signum infinitari non potest. Sic manifestum est cum dicatur, currit homo, non currit homo: quæ subcontrariæ sunt. Et similiter cum eadem ponantur cum subjecto infinito sic, currit non homo, non currit non homo: quæ etiam sunt subcontrariæ. Istæ ergo quatuor in-

solutio.

aliter.

definitæ ab illis quæ sunt universales et contrariæ non differunt, nisi quod illæ universaliter sunt distributivæ, et istæ non sunt universaliter distributæ : et non differunt ab invicem in hoc, quod istæ de universalis subjecto sunt, et illæ non : quia tam illæ quam istæ convenient in hoc quod sunt de subjecto quod est universale.

Ex quo sequitur quod ista signa *omnis*, *nullus*, et quæcumque alia talia fuerint, non significant universale determinatae et communis formæ, sed significant quoniam universaliter, et similiter particula-ria signa significant quoniam particulari-ter. In his enuntiationibus quæ supra inductæ sunt, signum distributivum nihil aliud significat, nisi quoniam universaliter de homine vel non homine, vel affir- mat vel negat, ille qui enuntiat.

Ex quo sequitur etiam quod cætera illa quæ enuntiationem variant, vel op- positionem, vel consequentiam, oportet apponi istis in quibus est aliud verbum quam hoc verbum *est*, quæcumque appon- nuntur illis in quibus hoc verbum *est* tertium adjacens cum subjecto et prædicato ponitur. Omnia ergo quæcumque apponuntur circa oppositiones et conse- quentias illarum quæ sunt cum verbo *est*, quod est tertium adjacens, sunt etiam in his in quibus aliud verbum ponitur quam hoc verbum *est*.

Hoc autem adhuc probatur per hoc quod consequentiæ sunt eadem in illis in quibus est aliud verbum, et in illis in quibus ponitur hoc verbum *est*. Patet quod affirmatio universalis contraria est negationi universalis, ut hæc quæ dicit quoniam omne animal est justum, con- traria est isti quæ dicit quoniam nullum animal est justum. De his manifestum est quod consequuntur legem contrario- rum : quoniam nunquam simul erunt veræ, nec possunt esse simul in eodem tempore, hoc est, ita quod simul sint in eodem tempore : illæ autem quæ oppo-

sitæ sunt, sunt ambæ particulares, et ideo aliquando in contingenti materia possunt esse simul veræ, ut quidam ho- mo est justus, quidam homo non est ju- stus : vel quoddam animal est justum, et non omnè animal est justum : quia hæc, non omne animal est justum, valet is- tam, quoddam animal non est justum. Et in talibus eam quidem quæ est, nullus homo justus est, sequitur illa quæ est, homo est non justus, et istam quæ est, omnis homo est non justus : quia nega- tiva et affirmativa de prædicato opposito æquipollent. Illam vero quæ est, aliquis homo justus est, sequitur illa quæ est opposita præcedenti, hæc scilicet, non omnis homo est non justus : hæc enim æquipollit illi, quidam homo est justus. Ista tamen consequentia est in his quæ fiunt cum constantia subjecti, scilicet quod aliquis homo sit vel aliquod ani- mal<sup>1</sup>. Eadem autem penitus opposita et contraria sunt et in his in quibus aliud verbum ponitur quam hoc verbum *est*.

#### CAPUT IV.

*De remotione errorum qui possunt esse circa ea quæ dicta sunt.*

Circa ea quæ dicta sunt multi possunt esse errores. Ex hoc enim quod negatio præposita vel postposita facit differen- tiat oppositionis et consequentiæ in uni- versalibus et particularibus et indefinitis, posset etiam credi, quod similiter negatio faceret differentiam oppositionis et conse- quentiæ præposita vel postposita in sin- gularibus : quod non est verum. Mani- festum est enim quod si in singularibus ali- quis interrogatus potest negare hoc de quo interrogatus est, tunc etiam potest idem affirmare de singulari eodem. Hujus exemplum est ut si dicam : Putasne So- crates sapiens est ? Et respondeatur *non*, negando concluditur statim dicendo : So- crates sapiens non est : vel igitur Sogra-

<sup>1</sup> Nota hanc limitationem, quia deservit

etiam regulis positis in præcedenti capitulo.

tes non sapiens est : et est idem si negatio præponatur vel postponatur.

In universalibus vero illa quæ similiter dicitur per positionem negationis non est vera, ut si dicam : Putasne omnis homo sapiens est? Si respondeas tunc, *non* : si tunc inferam et dicam : Ergo omnis homo non est sapiens, postponendo negationem post subjectum distributum, male infero : quia utraque falsa est, et illa quæ dicit, omnis homo est sapiens, et illa quæ dicit, omnis homo non est sapiens, quia æquivalet illi, nullus homo est sapiens : quæ contrariæ sunt et simul falsæ : et ideo ipsa non fuit opposita contradictorie illi quam dicit respondens. Sed cum interrogatus an homo sapiens est? dicit *non*, inferre debuit, igitur non omnis homo sapiens est : hæc enim est contradictorie opposita illi, omnis homo sapiens est. Et sic patet quoniam situs negationis in universalibus facit oppositionis et consequentiæ diversitatem, et non in singularibus.

Est etiam error ex infinitatione negationis : quia posset aliquis credere, quod negationes infinitantes essent veræ negationes, et propositiones de infinito subjecto vel prædicato essent veræ negativæ : et hoc non est verum. Illæ enim dictiones finitæ et infinitæ quæ sunt sibi contrajacentes secundum nomina infinita vel secundum verba infinita, ut in eo quod est non homo, vel non justum (quæ sunt nomina infinita contrajacentia ad hoc *homo* et *justum*) videntur esse negationes quæ sine nomine et verbo accipiuntur : et hoc inducit in errorem. Videntur enim similia negationibus, et tamen non sunt veræ negationes simpliciter : necesse est enim semper negationem esse veram vel falsam in contradictione, et nunquam simul cum affirmatione est vera vel falsa. Qui vero dixerit, *non homo*, per terminum infinitum nihil dixit penitus per dictionem de homine : sed potius cum dicitur, *homo*, aliquid ponitur : et cum dicitur, *non homo*, quod dictum est tollitur, et nihil ponitur per dictionem : et ideo de homine nihil magis sed minus verum fuit, vel in

toto de homine falsum, secundum quod verum convertitur cum ente, et falsum cum non ente, quando verum et falsum sunt in incomplexis : et ideo negatio non est in termino infinito nisi aliquid addatur : tunc enim potest fieri vera affirmatio vel vera negatio, ut cum dicitur, non homo currit.

Posset etiam esse error ex hoc quod dictum est, quod illa de prædicato infinito sequitur negativam de prædicato finito. Forte enim putaret aliquis, quod etiam de infinito subjecto affirmativa sequeretur negativam de subjecto finito, et non est ita. Hæc enim qua dicitur, omnis non homo est justus, nulli illorum idem in consequendo vel in æquipollendo significat quæ sunt de subjecto finito negative : et similiter nec negatio contradictorie opposita, quæ est non omnis non homo est justus, alicui illarum quæ sunt de subjecto finito idem in consequendo significant : et ideo non illa de subjecto finito idem in consequendo significat illi de subjecto finito. Et ideo non ita de finito et infinito subjecto accipitur consequentia inter affirmativam et negativam, sicut accipitur consequentia inter istas quæ sunt de infinito prædicato et finito. Sed universalis affirmativa de utroque, subjecto scilicet et prædicato infinitis, significat idem quod universalis negativa de subjecto infinito et prædicato finito : et ideo se invicem consequuntur, omnis non justus est non homo, et nullus est justus non homo : et sic sunt ordinandæ, omnis non homo est non justus, et nullus non homo est justus. Istæ ergo duæ idem in consequendo significant.

Quia vero dictum est supra, quod transpositio negationis variat oppositionem et consequentiam, posset aliquis credere, quod transposita nomina et verba non idem facerent : quod non est verum. Ergo illi errori succurrendum est dicendo, quod transposita nomina et verba secundum se accepta secundum oppositionem et consequentiam idem significant, sicut patet in istis, homo albus est, et est albus

homo : quæ sic ordinandæ sunt, homo est albus, et album est homo. Si enim hoc negetur, et dicatur quod nomina et verba transposita non idem significant, sequitur inconveniens, hoc scilicet, quod multæ negationes erunt unius et ejusdem affirmationis ; et hoc est inconveniens : quia in prædictis ostensum est unius affirmationis ; unam esse negationem per contradictionem oppositam. Ejus enim enuntiationis quæ est, est albus homo, negatio per contradictionem opposita est, hæc scilicet, non est albus homo, in qua idem negatur de eodem quod affirmabatur de eodem in affirmativa. Ejus vero enuntiationis quæ est, homo est albus, in qua verbum transpositum est, negatio est aut eadem ei quæ est, est albus homo, aut alia. Si eadem, tunc habetur propositionum quod nomina et verba transposita idem in consequendo et oppositione significant. Si autem non est eadem, tunc arguo sic : quia illius quæ est, homo est albus (si ipsa non est eadem illi quæ est, est albus homo in consequendo) oportet quod alia sit negatio quam illa quæ negat hanc, est albus homo. Aut ergo negatio sua est illa qua dicitur, non est non homo albus : vel illa quæ est, non est homo albus : sed hæc quidem non est non homo albus, est negatio alterius propositionis quæ est, est non homo albus, quæ est affirmativa. Alia vero quæ dicit, non est homo albus, est negatio alterius enuntiationis, scilicet quæ dicit, homo est albus, et hæc sequitur ad hanc, est albus homo : et sic duarum affirmationum sunt duæ negationes : et si hæc ambæ sunt negationes unius et ejusdem, tunc sequitur quod duæ negationes sunt unius affirmationis : quod est inconveniens. Relinquitur igitur quod istæ in consequendo sunt una et eadem, est albus homo, et est homo albus.

Manifestum est ergo, quod transposito nomine vel verbo si non aliquid impedit, eadem est affirmatio et eadem negatio. Et hoc est verum quantum ad hoc quod idem significant et idem habent opposi-

tum, et idem consequens si nihil fit ibi nisi transpositio : sequitur enim ista, albus est homo, hanc, homo est albus. Si autem ex constructione aliquorum transposita fiat amphibologia, vel compositio, vel divisio : tunc non est ibi sola transpositio : et tunc non est verum quod dicitur. Hæc ergo de enuntiationibus de inesse in quibus prædicatum unum de uno dicitur subjecto, dicta sint. Ex his ergo facile est similia conspicere.

## CAPUT V.

*De consequentia enuntiationum in quibus plura de uno vel unum de pluribus dicitur.*

His autem habitis, determinandum est de enuntiationibus in quibus vel plura de uno subjecto prædicata dicuntur, vel de pluribus subjectis unum dicitur prædicatum. Cum enim quatuor sint secundum hæc enuntiationum differentiæ, scilicet quod unum de uno, vel plura de pluribus, vel plura de uno, vel unum de pluribus dicatur : jam satis dictum est de eis in quibus unum de uno dicitur. In quibus autem plura de pluribus dicuntur hic omittimus : quia non intendimus nisi de enuntiatione quæ aliquo modo est una : illa vero in qua plura dicuntur de pluribus, nullo modo est una : ideo non est tractandum de ipsa. Cum ergo de his in quibus unum de uno dicitur jam tractatum sit, de his ergo in quibus de uno plura, vel unum de pluribus dicitur, nunc relinquitur esse dicendum.

Dicamus ergo si non est affirmare vel negare unum de pluribus, vel plura de uno, sed semper plura de pluribus affirmare vel negare : tunc talis affirmatio et negatio non est una aliquo modo : quia non est una ex parte subjecti, nec est una ex parte prædicati : et de tali enuntiatione hic non intendimus. In talibus autem dico unum non quod est unum voce tantum, sicut in æquivocis, sicut si unum nomen pluribus impositum sit, quod ta-

men actu plura et æque principaliter significat, ex quibus pluribus non fit unum per essentiam vel per accidens, sicut si dicam interrupta pronuntiatione vel prolatione, animal et mansuetum et bipes : hæc enim sic prolata unam enuntiationem non faciunt : quia unumquodque eorum significatur ut actus : actus autem ut actus nihil unum constituunt. Si autem pronuntientur continue ut actus et potentia, ut dicatur animal mansuetum bipes, ex his unum fit quod uno nomine dicitur, quod est homo, quod nomen non plura significat, sed unum : quia actus et potentia sunt unum. Et ideo dixi *fortasse*<sup>1</sup> : quia si hoc nomen, *homo*, esset animali et mansueto et bipedi impositum divisim ut actibus, non oporteret esse in significando unum, nec in supponendo, nec in prædicando. Quando autem impunitur his quæ dicta sunt sicut potentiae et actui, tunc stat pro uno, sive sit subjectum, sive prædicatum. Ex albo et ambulante non fit unum subjectum : quia nec faciunt unum secundum substantiam vel essentiam, nec unum per accidens : quia quamvis homo et album et ambulans possint esse unum subjectum secundum substantiam quæ substat utriusque, tamen in enuntiatione veram rationem supponendi sive substandi verbo non habent homo albus, et homo ambulans : et ideo aliud subjectum est homo albus, et aliud homo ambulans, et aliud album ambulans.

Propter quod etiam si aliquis de tali subjecto quod est plura, affirmet aliquid verum prædicatum, non propter hoc erit affirmatio una. Similiter autem est si taliter, ut dictum est, plura prædicet de uno subjecto : plures enim est illa enuntiatio in qua unum de pluribus, vel in qua plura de uno, vel in qua plura de pluribus prædicantur, sicut in priori hujus

scientiae libro determinatum est. In tali bus ergo enuntiationibus quæ non unæ, sed plures sunt, vox quidem una est quando una et non interpolata fit pronuntiatio : sed tamen affirmationes vel negationes sunt multæ. Quod autem plures sit hujusmodi enuntiatio ex hoc patet : quia si omnis dialectica interrogatio est responsionis petitio : et hoc modo petit opponens fieri sibi responsionem quo interrogat : petit enim a respondente propositionem affirmativam vel negativam quæ est altera pars contradictionis<sup>2</sup>. Tunc si ita est, sicut dictum est, quod proposicio affirmativa non est nisi unius contradictionis : quia una proposicio non habet nisi unam contradictorie oppositam : tunc hujusmodi interrogatiōnē quæ plura significat, ut dictum est, non erit una dialectica responsio, sicut nec una fuit interrogatio. Quamvis forte in toto sive in pluribus illis quæ supponuntur vel prædicantur sit una : quia a sophistis qui cavendi sunt, posset argui talis responsio. De his autem qualiter interrogandum et qualiter respondentum sit, in *dialecticis Topicis* dictum est. In *Topicis* autem *elenchis* (quia et sophistici et elenchi topica sunt quædam) dictum est de interrogatione plures ut una.

Patet etiam similiter, quod propter hoc quod dialectica interrogatio petitio est responsionis per alteram partem contradictionis (quamcumque partem respondens elegerit) quod de quæstione quid est non est dialectica interrogatio, ut si quis interroget, quid est animal per diffinitionem et substantiam ? In dialectica autem interrogatione oportet respondentem ex data quacumque dialectica interrogatiōne eligere utram velit partem contradictionis. In tali enim interrogatione oportet interrogationem determinare utrum homo sit animal de quo interrogat, vel

<sup>1</sup> Cf. Boetium quia aliter exposuit ly *fortasse*.

<sup>2</sup> Ex hoc loco colligitur quod dialecticus non interrogat nisi unam partem contradictionis. Contrarium habetur I *Topic.* cap. 3. in fine.

Respondetur quod si dialecticus interrogat per

propositionem dialecticam, tunc tantum unum interrogat explicite ; si autem per problema dialecticum, tunc plura interrogat explicite. JAMMY.

non : hoc autem non licet in quæstione quid est, in qua est determinata responsio diffinitionis<sup>1</sup>.

Ex omnibus autem inductis constat quod plures enuntiatio de qua hic intendimus, est in qua vel plura de uno vel de pluribus unum enuntiatur. Istæ enim enuntiationes aliquid de unitate habent : et ideo de his intendimus ad præsens. Quæramus ergo de illis, utrum ea plura quæ composita sive conjuncta prædicantur de aliquo uno subjecto, prædicentur divisa de eodem subjecto communī. Ad hoc autem determinandum accipiamus illud quod jam determinatum est, quod scilicet quædam prædicantur composita de uno subjecto quæ sic conjuncta sunt, ut omne sive totum prædicamentum sive totum prædicatum fiat ex omnibus illis vel substantialiter vel essentialiter, ita quod quodlibet suppositorum conjunctorum extra compositionem divisim accep-tum per se inferat subjectum quando sumitur extra compositionem. Si enim quæramus sic aut enuntiemus quod eorum quæ conjuncta prædicantur plura de uno subjecto conjuncta sive compo-sita, quædam de toto composto prædicantur divisim, et quædam conjunctum, convenientia non prædicantur de toto di-visim, quæ sic differentia sunt inter hæc et illa, ut de homine verum est dicere quod est animal bipes : et iterum verum est dicere extra sive divisim, quod homo est animal, et quod homo est bipes. Et simili-ter de hoc toto conjuncto quod est animal bipes, verum est dicere, quod est animal : quia animal bipes est animal. Et iterum de hoc eodem verum est dicere, quod est bipes : quia animal bipes est bipes, divisim prædicatum : et de homine (quod implice est animal bipes) verum est dicere, quod est animal divisim, et quod est bi-pes : hæc enim conjunctum et sine interrup-tione prolata prædicatur, prout unum

est ex ipsis, sive prout ipsa sunt unum. Similiter cum dicitur conjunctum homo albus, de hoc prædicatur divisim et albus et homo : quia homo albus est albus, et homo albus est homo. Et hæc etiam prædicantur ut unum subjecto et unum per accidens : quia album non habet rationem supponendi vel substandi nisi per subjectum in quo est : et ideo hoc fuit subjecto unum sive substando : et non multiplicatur in eis ratio substandi cum non sint unum per substantiam et essen-tiam.

Hoc autem in omnibus non est simi-liter. Si enim dicam, iste est citharœdus bonus, hæc quidem conjunctum prædicantur de isto homine : et tamen divisim non valet prædicatio. Si enim dicam, iste est citharœdus bonus, vera est prædicatio si sit ita in re sicut enuntiatur in præ-dicatione : tamen non sequitur, iste est citharœdus bonus : igitur iste est citha-rœdus, et iste est bonus : nec sequitur etiam, est citharœdus et est bonus, ergo est citharœdus bonus. Si enim conceda-tur, quod quotiescumque duorum vel plurium alterutrum conjunctum dicatur de aliquo, utrumque duorum vel utrum-que trium quæ conjuncta dicuntur, divi-sim de eodem prædicantur, multa se-quuntur inconvenientia. Sequitur enim primo in talibus, quod nugatio in multis erit explicita : nam de homine conjunc-tum et divisim verum est dicere, et quod est homo, et quod est albus. Si ergo utrumque illorum divisim verum est di-cere de toto conjuncto : tunc verum est dicere de homine albo, quod est homo, et quod est albus, et sic homo albus est homo : et hoc est iterum conjungere, ut dicatur, homo albus homo : et de hoc conjuncto verum est dicere iterum divi-sim, quod est homo : ergo homo homo albus, est homo : ergo est homo, homo homo albus. Et similiter est de eo quod est album : quia homo albus est album :

<sup>1</sup> Contra : Diffinition est prædicatum dialecti-cum, ut patet primo Topic. Ergo dialecticus in-terrogat per quid est. Cf. Joannem Gramma-

et de hoc toto dicetur album : ergo homo albus albus est albus : et hoc procedit in infinitum. Et similiter si dicam, homo est musicus ambulans quæ conjunctim convenient homini. Et si de toto conjuncto ea quæ conjuncta sunt, prædicantur divisim, nugatio erit, et nugando procedetur in infinitum : hæc enim et implicita sive conjunctim sunt convenientia subjecto : quia subjecto actu et intellectu et voce sunt conjuncta. Si iterum dicuntur de eo divisim, erit nugatio explicita et expressa.

Amplius autem in substantialibus ex quibus sit unum per substantiam, idem sequitur inconveniens, si de toto conjuncto divisim prædicentur, quæ composita subjecto convenient. Si enim propter hoc quod Socrates divisim et homo est, et bipes, etiam homo bipes est homo et bipes : et sic homo bipes est homo : et de hoc conjuncto iterum prædicatur homo : et sic homo bipes est homo homo bipes : et eadem ratione erit homo bipes homo homo bipes : et sic procedur nugando in infinitum per hunc modum. Manifestum est ergo quod plura contingunt inconvenientia si quis ponat complexionem, hoc est, compositam prædicationem fieri de his quæ divisim toti composito convenient, sicut jam in parte ostensum est.

Quod si de composito componentia divisim prædicantur tam in accidentibus prædicatis quam in substantialibus, amplius hoc etiam deducetur ad nagationem implicitam : si enim quæcumque prædicantur conjunctim, prædicantur etiam divisim : cum sciamus, quod Socrates est et homo divisim, et bipes divisim, secundum hoc Socrates erit homo bipes conjunctim : et de hoc toto conjuncto prædicatur et homo et bipes : ergo Socrates homo bipes erit homo et erit bipes : et iterum illa conjunctim dicentur de Socrate homine bipede : ergo Socrates erit homo homo bipes bipes : et hoc procedet in infinitum sicut prius. Adhuc in homine actu et intellectu est bipes : addere ergo

non oportet : et si addatur, erit nugatio. Si enim sic dicatur : Socrates est homo, per hoc quod dico homo, ponitur et bipes : et bipes etiam additur : ergo Socrates est homo bipes bipes. Similiter statim nominato Socrate intelligitur homo : si enim dicam, Socrates homo, sequitur quod Socrates est homo homo : et sic in infinitum. Et scias quod hunc modum sic ponit Alfarabius, nec aliter exponi potest quod perspicue sit verum quod hic ponitur.

Quæcumque ergo sunt de numero eorum quæ prædicantur, vel quæcumque sunt etiam de numero subjectorum de quibus illa prædicantur, sunt talia quæ secundum accidens prædicantur de aliquo : vel talia sunt, quod secundum accidens prædicatur unum eorum de reliquo, hæc divisim convenientia non erunt unum conjunctum prædicatum : ut si dicam divisim, homo est albus, et homo est musicus, non erit idem compositum prædicatum musicus et albus : quia ista sunt accidentia eidem, et e converso : et unum eorum non est sicut potentia, et alterum ut actus : et ideo non faciunt unum conjunctum prædicatum : unde quamvis aliquando sit verum dicere album esse musicum, hoc est, quod aliquis albus est musicus, non tamen propter hoc erit unum conjunctum prædicatum ex his quæ sunt album et musicum, sicut unum fit ex potentia et actu, ut si dicatur coloratum album : hæc enim conjuncta sicut actus et potentia unum actum faciunt prædicatum.

Ex quo sequitur quod nec illa quæ superius inducta sunt, cum dicitur si citharœdus bonus sit, non fuit simpliciter unum, hoc est, universaliter unum prædicatum : quoniam hoc quod dico bonus, non semper dicit bonitatem citharœdi : sed quando simpliciter prædicatur sine eo cui adjungitur circa quod ponit formam suæ bonitatis, dicit bonitatem ejus quo prædicatur, ut cum dicitur, homo est bonus, dicit hominis bonitatem et non citharœdi. Et ideo si illa prædicentur

divisim sicut conjunctim, ut cum dicitur, homo citharœdus bonus : ita diceretur homo citharœdus, et homo bonus, variaretur secundum æquivocationem hoc quod dico, *bonus* : bonus enim per prius et posterius dicitur de bono moris et de bono citharœdi : quia, ut dicit Aristoteles, alia est virtus hominis in bono, et alia est virtus citharœdi : unde non simpliciter unum sunt bonum et citharœdus sicut actus et potentia, sicut unum sunt animal et bipes, si bipes ponatur differentia constitutiva, quæ cum genere speciem constitutat : quia tunc unum prædicatum conjunctum sunt animal bipes, sicut cum dicitur, homo est animal rationale : sic enim non ad invicem se habent citharœdus et bonus. Accidentalis ergo prædicatio impedit quod convenientia divisim non semper prædicantur conjunctim. Propter quod etiam quia accidit animali hominem esse, dicunt quidam quod bene dicitur, Socrates est homo, et est animal : tamen non dicitur, Socrates est homo animal, impediente nugatione : quia animal actu et intellectu supponitur in homine : et ideo si est homo animal, erit homo animal animal : et proceditur nugando in infinitum. Sed quia in animali non supponitur actu homo et intellectu, sed potentia solum, bene dicitur Socrates animal homo, quia se habent ad invicem ut unum substantiale : homo enim dicit actum ejus quod in potentia est in animali.

Amplius autem adhuc in talibus prædicatis quæ plura sunt et composita, advertendum est, si sunt in aliquo sicut in subjecto per intellectum vel voce vel intellectu supposita : tunc enim ex conjunctis non licet inferre divisum : propter quam considerationem vitatur nugatio : quia sic non sequitur, quod album frequenter dicatur nec homo : nec aliquid aliud quod est in aliquo. Hoc autem est sicut si dicam de aliquo ut Cicerone, Cicero albus est homo albus. Et si est homo albus, et est homo et est albus, et inferam : ergo Cicero albus est homo al-

bus, homo albus : vel si dicam sic, Cicero homo est animal bipes : ergo est animal et est bipes : et sic est Cicero homo animal animal bipes. Divisim ergo convenientia cum eis quæ insunt, non licet componere : in homine enim per intellectum sunt et actu supponuntur et animal et bipes. Verumtamen aliquando verum est dicere vel prædicare prædicata composita de aliquo, et etiam divisim sive simpliciter sine compositione. Sicut enim verum est dicere quemdam esse hominem simpliciter sine compositione : aut sicut verum est dicere quemdam qui est albus, hominem esse album simpliciter sine compositione : ita verum est dicere quemdam hominem album esse album, ita quod album prædicetur de eo divisim sicut conjunctim cum homine : bene enim sequitur, Cicero est homo albus : ergo est albus.

Hoc autem non semper nec in omnibus prædicatis compositis verum est dicere : falsum enim est quotiescumque in prædicato est oppositio in adjecto, quod ut compositum conjungitur prædicato : tunc enim argumentum non valet a composite ad divisum, ut si dicam, iste est homo mortuus, non sequitur, ergo est homo, et est mortuus : eo quod hoc quod dico mortuus, privat rationem hominis simpliciter, et sic est oppositum homini. Quando autem in talibus prædicatis compositis non est aliquid compositorum in altero componente, ex quo sequitur contradictione vel privatio alterius : tunc verum est inferre divisim conjuncta : et quando quidem oppositio est in adjecto ad prædicatum, semper est falsum, quod procedatur a composite conjuncto ad divisum. Sed quando in adjecto non est oppositio, non semper est verum, quod ex composite divisum inferatur. Si enim dicam sic : Homerus est aliquid ut poeta, vel Homerus est poeta, non est oppositio in adjecto prædicati : quia esse ut poeta non est oppositum ad aliquid quod prædicatur de Homero : non tamen sequitur, Homerus est aliquid ut poeta :

ergo est aliquid, et est poeta: quia esse ut poetam accidit Homero: et ideo ex tali accidente non infertur esse simpliciter: quia esse ut poetam Homero est esse secundum quid, et hoc non infert esse simpliciter. Adhuc autem ponitur expressius aliud exemplum quod est: Homerus vivit ut poeta, non sequitur, ergo vivit: vivere enim ut poeta est vivere in memoria poesis quam fecit.

Ex his autem quae dicta sunt accipitur, quod in quantiscumque vel quibuscumque prædicatis compositis non est contrarietas vel aliquo modo oppositio in adjecto quod componitur cum prædicato, considerandum in talibus si diffinitiones prædicatorum illorum prædicentur de subjecto, et possunt poni loco nominum<sup>1</sup>. Si enim sic est: tunc ista per se et substantialiter prædicantur, et tunc a composito prædicato potest inferri divisum secundum se: quia talia non prædicantur secundum accidentem. Quod simpliciter non est, non potest concludi esse propter aliquod opinabile aliquo modo, sicut diximus de Homero, qui vivit in opinione, hoc est, in fama hominum: talis enim opinio est accidentis Homero: et non est de eo quod sit, si est de Homero quod simpliciter non sit, sed sit secundum accidentem aliquod.

Ita regu-  
n. quando  
divisis  
et inferre  
njuncta,  
quando  
non.

Quia ante jam multa de his et diffusa dicta sunt, in omnibus talibus prædicatis data est talis doctrina a quibusdam, quod considerandum est in prædicatis compositis quae duo sunt vel plura: aut enim ambo erunt substantialia, aut ambo accidentalia: aut unum substantialia, et aliud accidentale. Et siquidem ambo sunt substantialia: aut sunt convertibilia inter se, aut non. Et si quidem sunt convertibilia, ex divisim convenientibus non pot-

est inferri prædicatum conjunctum impeditente nugatione, ut si dicam, iste est homo et est risibilis: igitur est homo risibilis. Si autem substantialia sint et non convertibilia: tunc unum est in plus, et aliud in minus: et tunc considerandum est quod unum illorum in composito prædicato præordinetur alii. Si autem præponitur magis commune, et apponitur ei magis commune: tunc ex divisim convenientibus bene concluditur conjunctum, ut iste est animal et est homo: igitur est animal homo: quia homo non concipitur in ratione animalis, sed in prædicato animali apponitur ad determinationem. Si autem præponitur minus commune quod in se claudit magis commune, tunc ex divisim convenientibus non infertur conjunctum impeditente nugatione, ut iste est homo et est animal, non sequitur: ergo est homo animal impeditente nugatione implicita. Si autem ambo prædicata accidentalia sunt, debet considerari si unum inest subjecto per alterum vel non. Et si quidem unum inest per alterum, tunc illud quod inest per alterum, est deratione illius quod inest per ipsum: et tunc ex divisim convenientibus infertur conjunctum. Si præponatur in conjuncto illud per quod inest alterum: quia illud est magis commune, ut si dicam, iste est coloratus et est albus: ergo iste est coloratus albus. Si autem e converso minus commune præponatur, tunc non sequitur propter nugationem. Si autem ambo sunt accidentalia, et unum non inest per alterum: tunc nunquam valet processus a divisim convenientibus ad conjunctum, ut si dicam, iste est albus, et est musicus: ergo est albus musicus. Hæc de consequentia enuntiationum quæ sunt de inesse dicta sufficient.

<sup>1</sup> Dixit si diffinitiones pro nominibus ponantur, quemadmodum dicit Boetius, ut daret modum cognoscendi oppositionem in adjecto, si esset occulta: et est regula I Topic. secundum D. Al-

bertum. Dixit autem hoc ut restringeret regulam suam ad prædicata essentialia; talia autem sunt prædicata loco quarum licet ponere suas diffinitiones. JAMMY.

# TRACTATUS II

## DE CONSEQUENTIA MODALIUM.

### CAPUT I.

*Que sint modales enuntiationes.*

Post consequentias enuntiationum de inesse quæ simpliciores sunt, tractandum est de enuntiationibus modalibus, quæ ex additione modi alicujus dicuntur modales. Et ideo primo videndum est, quis modus faciat propositionem modalem. Et quot sunt tales modi: et cuius sunt modi, prædicati scilicet, vel subjecti, vel compositionis. Et quid sit prædictum in enuntiatione modali, et quid subjectum sit in ea, et alia hujusmodi: quia sine his non potest fieri oppositio modalium vel consequentia.

Prima dubitatio.

Secunda.  
Tertia.  
Quarta.

Ad primam  
et tertiam.

contingens est futurum, et potest esse et non esse. Necessarium autem et impossibile ampliant compositionem ad omne tempus: quia necessarium et impossibile ponunt compositionem in omne tempus: et ideo illi sunt modi speciales facientes totam enuntiationem modalem, necessarium simpliciter omni tempore inesse, et impossibile simpliciter nunquam inesse. Et quia tales modi sunt modi compositionis, et compositio formaliter ambit composita, et est principium intelligendi ea secundum quod stant sub compositione, et sic modus compositionis est modus totius enuntiationis: et ideo isti modi totam modificant enuntiationem et totam faciunt modalem. Verum autem et falsum quamvis sint modi compositionem determinantes, tamen quia non ampliant compositionem secundum tempus, nec in speciale aliquem modum formant compositionem, sed dicunt generalem modum illarum de inesse, ideo non sunt modi speciales, sed sunt modi quidam non facientes propositionem modalem nisi secundum quid: quia in eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa: sed non in eo quod res est vel non est, oratio dicitur possibilis vel contingens, necessaria vel impossibilis. Sed potius in eo quod sic vel sic res se habet ad suam causam, in eo oratio formata sive complexa de re est possibilis vel contingens, vel de necessario vel de impossibili. Et ideo isti quatuor modi, possibile, contingens, necessarium, et impossibile, speciales sunt modi quibus enuntiatio dicitur modalis.

Ex hoc etiam accipitur, quod negatio quæ fertur ad cōpositionem, non facit enuntiationem modalem: quia non ampliat eam secundum tempus, nec etiam informat modo speciali, sed simpliciter dividit ipsam in forma in qua est significata. Ex his ergo patet quod modalis enuntiatio duplīciter dicitur, scilicet generaliter et specialiter. Et generaliter quidem modalis dicitur a modo generaliter sumpto, sive sit modus prædicati, sive compositionis. Specialiter autem modalis dicitur quatuor modis qui dicti sunt: quia denominatio fit a specie, et non a genere. Ex hoc autem ulterius patet, quod enuntiatio modalis substantialiter et per sua constituentia differt ab enuntiatione de inesse simplici: quia modus est substantialis enuntiationi modali, et est substantiale constitutivum.

Ad secun-  
dam.

Quatuor autem sunt tales modi, quia in compositione non est nisi esse. Quod autem dicit esse, aut dicit esse permixtum potentiae; aut quod est in actu perfecto. Si primo modo: tunc est esse possibile, vel contingens. Et hæc differunt in hoc, quod possibile determinat esse secundum se: et contingens autem in comparatione ad causam non stantem: unde esse non stans, est possibile: contingens autem est, quod non habet causam stantem. Si autem est esse perfectum secundum actum: aut accipitur in ipso esse, et sic est necessarium: aut accipitur in ipso non esse, quod ad simpliciter esse est oppositum, et sic est impossibile. Contingens autem et possibile non possunt accipi secundum divisionem esse et non esse: quia utrumque dicit esse permixtum cum non esse. Hi sunt ergo modi modales facientes enuntiationem, et facientes enuntiationem differre modalem ab enuntiatione de inesse, et oppositionem modalis ab oppositione illius quæ est de inesse, et consequentiam illius

a consequentia quæ est in illis de inesse.

Si autem quæritur quid sit prædicatum in enuntiatione modali, dicimus cum Boetio et Alfarabio, quod modus est prædicatum inesse, et esse vel non esse subjecta sunt, ut patet, cum dicitur, Socratem currere est possibile: quia accusatus casus cum infinitivo reddunt suppositum huic verbo <sup>est</sup><sup>1</sup>.

Si autem objicitur contra hoc: quia modus est determinatio compositionis: prædicatum est alterum compositorum: et ideo determinatio compositionis esse non potest. Dicendum est quod in propositione modali duplex est compositio, scilicet una dicti quod subjicitur: quia, sicut dicit Aristoteles, nihil aliud est dicere Socratem ambulare, quam Socratem ambulantem esse: et sic esse et non esse cum compositione subjiciuntur in enuntiatione modali, et illius compositionis modus est determinatio, et non compositionis quæ est compositio enuntiationis: et ideo potest esse et determinatio compositionis dicti et prædicatum enuntiationis.

Objectio.

Solutio.

Et si dicitur, quod prædicatum non est determinatio compositionis. Ad hoc respondet Alexander, quod verum est quando prædicatum prædicatur ut esse, et non ut modus, sicut *currit* cum dicitur, homo currit: vel sicut *album* cum dicitur, homo est albus. In enuntiatione autem modali quia non subjicitur substantia cui insit prædicatum, sed subjicitur dictum cum sua compositione, prædicatum modus prædicatur non ut esse, quia hoc dicit prædicatum dicti: sed prædicatur ut modus esse quod dicit compositio dicti: et ideo et est prædicatum et est modus compositionis. Et hæc solutio notanda est: quia ad multa valet et hic et in scientia libri *Priorum*.

Objectio.

Solutio Ale-  
xandri no-  
tanda.

Si autem adhuc objicitur: quia secundum hoc omnis talis enuntiatio est sin-

dus sit determinatio, et extrellum sit determinabile. Solve ex dictis D. Alberti, infra in cap. 6.

<sup>1</sup> Modus est prædicatum in enuntiatione modali: *sed contra*, si sic esset, tum non esset modus. Patet, quia idem non potest esse modus enuntiationis et extrellum ejusdem, cum mo-

gularis : de enuntiationibus autem singularibus non est syllogismus : et sic de modalibus non potest fieri syllogismus.

**Solutio.** Dicendum quod enuntiationis modalis duplex est subjectum, scilicet subjectum locutionis, et subjectum enuntiationis. Dico autem subjectum locutionis id de quo est locutio, sicut in hac, Socratem currere, de Socrate fit locutio : et ideo subjectum locutionis est Socrates. Subjectum autem enuntiationis non est quod supponitur infinitivo, sed potius subjectum est totum dictum, hoc est, casus cum infinitivo. Hoc ergo secundo modo enuntiatio modalis singularis est, et hoc modo non fit ex modalibus syllogismus : quia in complectione et figura syllogismi non sumitur medium sub toto dicto, nec minor extremitas sub medio : sed assumitur sub subjecto dicti sic, omnem hominem possibile est currere : Socrates est homo : ergo Socratem possibile est currere. Et ab hoc subjecto sumendo quantitatem, dictum est talis quantitatis, sicut est sua præjacens enuntiatio a qua formatur, ut hic Socratem currere est possibile, dictum est singulare : quia formatur ab hac, Socrates currit. Hæc autem universalis, omnem hominem currere, quia formatur ab hac sua præjacente, omnis homo currit : et sic fit syllogismus de enuntiatione sive propositione modali.

**Objectio.** Si autem adhuc contra ea quæ dicta sunt, objicitur, quod secundum hoc omnis propositio modalis est composita, et non duplex ex compositione et divisione : et sic omnes tales essent simpliciter falsæ, sicut non currentem currere est possibile, non legentem legere est possibile.

**Solutio.** Dicendum quod hoc non sequitur in prædicato quod non ut esse, sed ut modus prædicatur : quia quod ut modus prædicatur, non prædicatur ut modus sui, sed aliorum : et ideo ad alia potest referri, vel

<sup>1</sup> Ex hoc patet error modernorum dicentium propositionem non esse de sensu diviso nisi quando mediat inter partes dicti, nec esse de sensu composito nisi modus totaliter præcedat aut finaliter sequatur : nam ubicumque pona-

-sub divisione, vel sub compositione, sicut patet cuilibet parum consideranti. Sunt tamen qui propter inductas rationes dicunt modos non esse prædicata : sed de dictis eorum non curamus : quia nec commentatoribus concordant, nec innituntur veritati<sup>1</sup>.

Sciendum etiam quod omne dictum est singulare secundum quantitatem : quia appellatio ejus est similis appellationi termini singularis : sub hoc enim communi quod est dictum hoc, omnem hominem currere, non appellat nisi pro hoc eodem dicto quod est, omnem hominem currere : et non potest appellare pro alio, quia non est dictum nisi hujus singularis propositionis quæ est, omnis homo currit. Non sic autem est in enuntiatione de inesse : quia illius subjectum est universale vel singulare : universale autem est universaliter acceptum, aut particulariter, aut indefinite quoad appellata sua : et ideo quantitatem ab his accipit. Sic igitur de modali enuntiatione est intelligendum.

## CAPUT II.

*Qualiter sumenda sit oppositio modali.*

His autem sic determinatis, perspicendum est quemadmodum sive qualiter se habeant affirmations et negationes ad invicem secundum oppositionem contradictionis. Hujus autem exemplum est ut quæramus qualiter hæc se habeant ad invicem secundum oppositionem, quæ sunt, possibile est esse, non possibile est esse, contingens est essé, et non contingere esse, et de impossibili et necessario similiter, ut si dicam, necesse est esse, et non necesse est esse : impossibile esse, et non impossibile esse : sive accipientur

tur modus, propositio semper est distinguenda juxta compositionem et divisionem, ut etiam innuit D. Albertus hic, et colligitur primo *Elenchorum. JAMMY.*

cum modo nominali, sive cum modo adverbiali: hoc enim idem est secundum præsentem intentionem, ut si dicam, Socrates currit contingenter: sive dicam, Socratem currere est contingens: et sic de aliis modis sive adverbialiter, sive nominaliter accipiuntur. Talium ergo enuntiationum modi sumendi sunt quantum ad oppositionem et consequentiam.

**Dubitatio.** Hæc enim habent aliquas speciales dubitationes, quia non similiter sumuntur oppositiones in his et in illis de inesse: nam si enuntiationum (quæ complectuntur ex subjecto et præterito complectente) ea compositione illæ contradictiones sunt sive sint sibi invicem oppositæ secundum contradictionem. Quæcumque (secundum esse quod affirmatur in una, et secundum non esse quod negatur in altera) contra se invicem ex opposito disponuntur, sicut in illis quæ sunt de inesse dictum est: tunc similis erit oppositio in illis quæ sunt de inesse, et in modalibus: et hoc est impossibile. Hujus autem exemplum ponamus dicentes, quod in illis quæ sunt de inesse ejus quod est esse hominem, opposita negatio est, non esse hominem: et non est ejus negatio propositio illa quæ est esse non hominem, quia ista est affirmativa sicut prima, quamvis sit de infinito prædicato: et hoc est in illis de inesse in quibus hoc verbum *est* secundum adjacens prædicatur: esse enim hominem idem est quod est hominem esse. Similiter est in illis in quibus hoc verbum *est* est tertium adjacens: quia ejus quod est esse album hominem, sive hominem esse album negatio est non esse album hominem, sive hominem non esse album: et non illa quæ dicit esse non album hominem, sive hominem esse non album: quia utraque est affirmativa, quamvis una sit de prædicato finito, et alia de prædicato infinito.

Si enim secundum hunc modum esset in modalibus oppositio sumenda, ita quod

negatio ad esse (quod affirms affirmatio) referatur, cum in contradictione semper aut dictio<sup>1</sup> sive affirmatio aut negatio sit vera, cum falsum sit dicere hominem lignum, verum erit dicere de homine hominem non esse lignum. Si autem hoc modo est in his in quibus hoc verbum *est*, secundum vel tertium adjacens prædicatur: tunc etiam hoc idem verum est in enuntiationibus in quibus hoc verbum *est* non additur, nec ut secundum, nec ut tertium adjacens, sed aliud verbum ponitur. In his enim enuntiationibus idem (quoad modum oppositionis) faciet aliud verbum quod ponitur loco esse sine hoc verbo *est*, sicut patet in exemplis: ejus enim quæ est, ambulat homo, sive homo ambulat, negatio contradictoria non est, ambulat non homo: sed potius illa quæ dicit, non ambulat homo: nihil enim quantum ad oppositionem differt dicere hominem ambulare, et hominem esse ambulantem: sive homo ambulat, et homo est ambulans.

Si ergo in omnibus, scilicet de inesse et modalibus enuntiationibus sic secundum esse et non esse sumeretur oppositio, sequeretur inconveniens quod contradictionie oppositæ aliquando erunt simul veræ. Si enim est verum, quod secundum esse et non esse in modalibus sumitur oppositio: tunc sequitur quod ejus quæ est, possibile est esse, negatio est, possibile est non esse: et illa quæ est, non possibile est esse; in qua negatur modulus, non erit ejus negatio. Sed contra hoc est quod dicitur, quod idem possibile est esse, et possibile est non esse: omne enim quod possibile est dividi, et possibile ambulare, possibile est etiam non dividi, et possibile non ambulare. Ratio autem et causa hujus est: quia quod sic est ad utrumlibet possibile, non semper est in actu: quinimo in potentia est, quæ se habet ad esse et ad non esse: propter quod in taliter possibili inerit etiam negatio

<sup>1</sup> Hic capit *dictionem* pro affirmatione, et de hoc dictum est supra in I hujus tract. de *Enun-*

*tiatione*, cap. 4.

secundum potentiam intermixta: et sic quod ambulat, potest non ambulare: potest ergo illud quod est ambulabile secundum potentiam, etiam non ambulare: et illud quod sic est divisible secundum potentiam, potest non dividi. At vero sicut in ante habitis probatum est, impossibile est quod de eodem veræ sint simul oppositæ affirmationes et negationes: quia si datur, contradictoria possunt esse simul vera. Non ergo illius affirmationis quæ dicta est, ista est negatio quæ pro ejus negatione inducta est: quia sunt simul veræ quando dictum in utraque in potentia sumitur. Contingit enim secundum hoc sive sequitur, quod unum et idem vere simul dicitur et affirmatur et negatur simul de eodem, quod est impossibile: aut quod oportet negare, quod in modalibus sumatur oppositio secundum esse et non esse, et quod affirmationes et negationes contradictorie oppositæ in modalibus non fiunt secundum esse et non esse: sed oportet dicere, quod fiant in talibus affirmationes et negationes oppositæ, secundum hoc quod negatio refertur ad modum. Inter hæc autem duo impossibilius est contradictorias esse simul veras, quam quod negatio ad modum referatur. Erit ergo magis eligendum, quod negatio ad modum referatur, quam quod contradictoria simul esse vera concedantur.

**Objectio.** Huic enim quod negatio ad modum referatur non obstat nisi hoc quod negatio ad compositionem habet referri, et modus non est compositio.

**Solutio.** Et hoc facile solvitur: quia quamvis modus non sit compositio, tamen ut dictum est, modus est compositionis: et sic negatio mediante modo refertur ad compositionem.

Secundum hoc ergo quod dictum est, negatio contradictoria ejus quæ est, est possibile esse, sive possibile est esse, ista est quæ est, non possibile esse, sive non possibile est esse. Eadem autem ratio est in ea quæ est, contingens est esse: est enim illius negatio, non contingens est esse: et in aliis quoque modalibus est

omnino similiter accipienda oppositio, ut in necessario et impossibili. In omnibus enim talibus modalibus fiunt oppositiones per affirmaciones et negationes modi oppositi, sicut fiunt in his quæ de inesse sunt oppositiones secundum esse et non esse. Oppositiones enim modorum determinantium compositionem in modalibus fiunt, sicut esse et non esse se habent in enuntiationibus de inesse: ut sicut in illis de inesse res subjectæ compositioni subjectum sunt et prædicatum, ut subjectum homo, et prædicatum album: eodem modo hoc loco in modalibus fiunt subjecta enuntiationis modalis dicta, esse vel non esse significantia. Contingens vero et possibile et necessarium et impossibile sunt oppositiones determinantes dicti compositionem: propter quod prædicata sunt eo modo quo ante dictum est: et quemadmodum in illis de inesse secundum esse vel non esse contingit esse veritatem vel falsitatem, ita in istis quæ sunt modales contingit esse veritatem et falsitatem secundum modorum affirmationem vel negationem.

Secundum ergo ea quæ dicta sunt illius quæ dicit, possibile est non esse, negatio est, non possibile est non esse. Aliæ autem duæ quæ sunt, possibile est esse, et possibile est non esse, non sunt contrajacentes sibi invicem secundum contradictionem: quod ex hoc apparent, quia simul veræ sunt, et videntur sequi ad invicem. Idem enim simul et semel possibile est esse, et possibile est non esse: sed possibile esse, et non possibile esse, nunquam sunt vel possunt esse simul veræ. Istæ ergo contradictorie sunt oppositæ quæ sumuntur secundum modi affirmationem et negationem. Similiter autem possibile est non esse, et non possibile est non esse, nunquam sunt simul veræ. Hæ ergo sunt oppositæ per contradictionem, et istæ etiam sumuntur secundum modi affirmationem et negationem. Similiter autem est in ea quæ dicit, necessarium est esse: hujus enim non ea quæ dicit, necessarium est non esse, contradictoria est, sed ea

quæ dicit, non necessarium esse. Ejus autem quæ dicit, necessarium non esse, opposita contradictorie est quæ negat modum et dicit, non necessarium est non esse. Similiter ejus quæ dicit, impossibile est esse, non est illa contradictoria quæ dicit, impossibile est non esse: sed ea quæ negat modum et dicit, non impossibile est esse. Et similiter ea quæ dicit, impossibile est non esse, illa est contradictoria ejus quæ dicit cum negato modo, non impossibile est non esse.

Universaliter quidem ergo et regulariter in modalibus quidem esse et non esse oportet ponere quemadmodum subjecta quæ supponant, et de quibus enuntiatur modus, quemadmodum jam nuper dictum est: sed affirmationem et negationem facientes hoc quod diximus in modalibus (hoc est, contradictionis oppositionem) oportet apponere sive referre ad unum tantummodo, hoc est, ad modum unum et eundem, et non ad esse vel non esse: et sic illas oportet putare, hoc est, repræsentare oppositas dictiones sive affirmations sive negationes contradictorie oppositas, quæ sunt cum modi affirmatione et negatione. Verbi gratia possibile, non possibile: contingens, non contingens: impossibile, non impossible: necessarium, non necessarium: verum, non verum: falsum, non falsum: hi quamvis enim non simpliciter sunt modi, tamen sunt modi quidam.

### CAPUT III.

#### *De consequentiis modalium secundum opinionem Antiquorum.*

Nunc autem post determinationem oppositionum modalium de consequentiis earum determinandum est. Quia vero quidam Antiquorum in aliquo errasse videntur circa consequentias modalium, ideo primo disponamus consequentias secundum quod Antiqui disposuerunt eas, et ostendamus quid verum et quid falsum est in consequentiis eorum, et postea di-

sponamus consequentias secundum veritatem. Sic enim melius declarabitur quod intendimus.

Dicamus ergo quod consequentiæ secundum aliquos fiunt inter modales secundum ordinem quem ponunt inter eas, ita ut sic disponantur, scilicet ut illi quæ est possibile esse, statim jungatur vel subjungatur ista quæ est contingit esse: contingere enim esse convertitur cum illa quæ est possibile esse: et utraque istarum antecedit et sequitur ad aliam. Tertio subjungatur ea quæ est, non impossibile est esse. Et his quarto loco subjungerunt illam quæ est, non necesse esse. Et has quatuor in prima linea posuerunt quasi se invicem consequentes.

Deinde in secunda linea posuerunt primo illam de negativo dicto, et affirmato modo, quæ est, possibile non esse: et subjungerunt illam quæ est de contingenti, quæ est, contingens non esse. Et illi tertio subjungerunt illam de impossibili negato modo, quæ est, non impossibile non esse. Et illi quarto subjungerunt illam de necessario, negato modo, quæ est, non necesse non esse. Similiter has in secunda linea disposuerunt.

Illi vero quæ est de possibili modo negato et dicto affirmato quæ est, non possibile esse, conjungerunt istam per eundem modum, non contingens esse: et illi conjungerunt eam quæ est de impossibili modo affirmato, et de dicto affirmato, quæ est, impossibile esse: et illi subjungerunt istam quæ est de necessario modo affirmato et negato dicto, quæ est, necessarium non esse. Et has quatuor in tertia linea posuerunt.

Illi vero quæ est de possibili modo negato in negativo dicto, quæ est, non possibile non esse, conjungerunt de contingenti modo negato in negativo dicto, quæ est, non contingit non esse. Et huic tertio, sicut consequentem subjungerunt illam de impossibili modo affirmato et dicto negato, quæ est, impossibile non esse. Et huic subjungerunt illam de necessario modo affirmato et dicto affirma-

tivo quæ est, necessarium est esse. Et ex his quartam constituant consequentium se lineam. Hæc autem considerari facilius possunt ex subscriptione talis figuræ quæ sequitur:

|                               |                              |
|-------------------------------|------------------------------|
| Possibile est esse.           | Contingens est esse.         |
| Possibile est non esse.       | Contingens est non esse.     |
| Non possibile est esse.       | Non contingens est esse.     |
| Non possibile est non esse.   | Non contingens est non esse. |
| Non impossibile est esse.     | Non necesse est esse.        |
| Non impossibile est non esse. | Non necesse est non esse.    |
| Impossibile est esse.         | Necesse est non esse.        |
| Impossibile est non esse.     | Necesse est esse.            |

In hac autem dispositione videamus quid bene se habet, et quid non bene. Dicamus ergo, quod sicut dicunt impossibile et non impossibile, hoc est, impossibile affirmatum et impossibile negatum, bene sequuntur ad illud quod est contingens et possibile, et ad non contingens et non possibile, sicut dicunt Antiqui. Et sequuntur ista conversim, ita quod quælibet earum et antecedit ad aliam et consequitur eam. Sequuntur autem se contradictorie, ita quod negatio impossibilis quæ est contradictoria ad impossibile affirmatum, sequitur affirmatum possibile et contingens. Hanc enim enuntiationem possibile esse cum modo et dicto affirmatis utrisque, sequitur illa quæ est de negato modo cum affirmato dicto quæ est contradictoria ad hanc, impossibile est esse. Unde negatio impossibilis sequitur affirmationem possibilis et contingentis, et negationem possibilis et contingentis sequitur affirmatio impossibilis: et similiter affirmationem possibilis et contingentis sequitur negatio impossibilis. Hanc enim quæ dicitur possibile esse, sequitur non impossibile esse. Et similiter illud quod dicit non possibile esse, sequitur impossibile esse. Hæc enim quæ dicit impossibile esse, affirmatio est. Hæc au-

tem quæ dicit non possibile esse, negatio est. Diximus autem nuper, quod in tali bus negatio de possibili sequitur affirmationem de impossibili, et affirmatio sequitur negationem. Hoc enim bene dictum est ab Antiquis in omnibus quatuor consequentium se lineis.

Et ut breviter dicatur in nulla linea peccatum est nisi in prima: et hoc non nisi ad quartum, scilicet de necessario. Et ideo considerandum qualiter secundum consequentiam se habeat illa quæ de necessario. Hoc autem manifestum est cuilibet consideranti, quod non eodem modo se habent secundum consequentiam ut illi dixerunt. Sed potius illæ quidem de modo necessitatis contrario modo sequuntur de impossibili, et non contradictorie. Contradictorie autem sumptæ modales de necessario sunt extra consequentiam, et non sequuntur ad illæ de impossibili. Hoc autem sic probatur. Accipiatur enim hæc, necesse est non esse: illius enim negatio contradictoriæ non est hæc, non necesse est esse. Contingit enim in eodem aliquando utrasque istas esse veras: necesse enim est hominem non esse lignum, et etiam non necesse est hominem esse lignum, quæ simul de eodem sunt veræ, et per consequens non sunt contradictoriæ: et sic contingit utrasque simul esse veras: quia omne quod necesse est non esse, non est necesse esse.

Hujus autem causa est, quare non sequitur ista de necesse, illam de impossibili secundum dispositionem Antiquorum: quia non contradictorie, sed contrarie opponuntur: et ideo negatione postposita ad modum reducuntur, ut idem valentia et æquipollentia: enuntiatio quæ est de impossibili et necessario. Et ideo impossibile esse et necessario non esse quæ sunt de modis affirmatis et dictis contrario modo dispositis per affirmationem et negationem redundunt sibi per consequentiam, et idem valent per æquipollentiam. Hujus autem exemplum, ut sic dicam, impossibile est esse de modo

et dicto affirmatis, huic opponam de necessario dictum contrarium, hoc est, negatum, istae se sequuntur: et ideo illi quæ est impossibile esse, redditur ea quæ est necessarium non esse: sicut hominem impossibile est esse lapidem, sequitur quod hominem necesse est non esse lapidem: quia istae idem valent. Sic ergo congrue se sequuntur et valent.

Adhuc autem declaratur per ad impossibile deductionem: quia si aliquid impossibile est esse, sequitur quod hoc idem necesse est non esse. Si vero aliquid impossibile est non esse, sequitur quod illud necessarium est esse: et hoc est contrarium illius quæ est necessarium non esse. Patet ergo quod impossibile est ponit ad necessarium consequencias: eo quod opponuntur per contradictionem, hoc est, per modi affirmationem et negationem: quia illa sola oppositionem contradictionis faciunt, sicut in ante habitis probatum est. Affirmatio autem dicti et negatio faciunt contrarietatem, hoc est, modum contrarietatis: et ideo impossibile sic (ut Antiqui ponere dicuntur) necessario contradiceret: quod patet, quia quod est necesse esse, possibile est esse, quantum ad consequentiam.

Et si aliquis ad hoc contradicat, oportet quod det oppositum, quod possit stare cum præmisso: et sic dabit negationem ejus quod est, possibile est esse, quæ est, non possibile est esse. Necessarium enim est in omnibus de quolibet affirmare vel negare, hoc est, de quolibet affirmacionem et negationem in contradictoriis esse veram. Propter quod sequitur, quod si aliquid non possibile est esse, sequitur quod illud impossibile est esse: quia in talibus æquivalent non possibile et impossibile: et sic quod illud quod impossibile est esse et non possibile est esse necesse est esse, quod est valde inconveniens: igitur hypothesis fuit inconveniens, quæ fuit, quod oppositum hujus quod est possibile esse, sequitur ad hoc quod est necesse esse: ergo ad hoc quod est necessarium esse, sequitur possibile

esse, sicut dictum est. Hanc autem quæ dicit, aliquid possibile est esse, sequitur illa quæ dicit, non impossibile est esse. Hæc vero quæ dicit, non impossibile est esse, sequitur illam quæ dicit, non necesse est esse: et ideo secundum Antiquos contingit virtute argumentationis illius a primo ad ultimum, quod illud quod non est necessarium esse, necesse est esse, quod est valde inconveniens: quia sic contradictoria essent vera. Sic ergo patet quod in ordine necessarii ad impossibile fallit consequentia Antiquorum.

#### CAPUT IV.

*Corrigitur error Antiquorum, et ostenditur vera consequentia modalium.*

His autem habitis veram dispositionem modalium et veram consequentiam nos oportet investigare. Dicamus igitur quod necessarium esse non sequitur ad possibile esse: neque etiam ad possibile esse, sequitur necessarium non esse. Illi enim quæ dicit possibile aliquid esse, utraque ista contingit accidere sive sequi, scilicet possibile esse et possibile non esse. Aliarum autem quæ sunt de necessario, quæcumque vera sit, altera non erit vera: simul enim verum est aliquid possibile esse et possibile non esse. Si vero aliquid necesse est esse, non poterit non esse: et si necesse est non esse, non poterit esse: et ideo quæcumque istarum vera sit, altera non est vera. Relinquitur ergo ex his quæ dicta sunt, quod ea quæ dicit non necessarium non esse, sequitur ad eam quæ dicit possibile esse: possibile enim esse verum est de eo quod est necesse esse, et de eo quod est non necesse esse: hæc enim contradictio est ejus quæ dicit aliquid necesse non esse. Hæc autem quæ dicit, necesse est non esse, sequitur ad hanc, non possibile est esse: illud enim quod est, non possibile est esse, sequitur ad hanc, impossibile est esse, et hanc sequitur, necesse est non esse: hujus autem negatio est, non necesse est

non esse. Sic ergo dispositæ contradictiones sequuntur secundum prædictum modum : et nihil penitus impossibile contingit sive sequitur sic, ut diximus, dispositis. Est autem hæc dispositio in figura ut facilius videatur quod dictum est :

| <i>Prima linea.</i>       | <i>Secunda linea.</i>         |
|---------------------------|-------------------------------|
| Possibile est esse.       | Possibile est non esse.       |
| Non possibile est esse.   | Non possibile est non esse.   |
| Contingit esse.           | Contingit non esse.           |
| Non contingit esse.       | Non contingit non esse.       |
| <i>Tertia linea.</i>      | <i>Quarta linea.</i>          |
| Non impossibile est esse. | Non impossibile est non esse. |
| Impossibile est esse.     | Impossibile est non esse.     |
| Non necesse est esse.     | Non necesse est non esse.     |
| Necesse est non esse.     | Necesse est esse.             |
| Æquipollent.              | Æquipollent.                  |

In hac dispositione semper superior consequitur ad tertiam ad se inferiorem, et nihil sequitur inconveniens. Prima enim linea sequitur tertiam, et secunda quartam per omnes modos possibilis contingentis, et impossibilis, et necessarii. Et sic etiam correctus est error Antiquorum, et vera consequentia modalium est disposita hoc modo.

Si autem consequentiæ ad invicem accipiuntur aliter quam dictum est, ut si prima linea comparetur ad secundam, et secunda ad tertiam, fallit consequentia. Eodem modo si prima comparetur ad quartam, et secunda ad tertiam, consequentia non valebit. Hoc autem facile patet cuilibet intuenti. Si autem voluerit consequentias invenire, prædicto modo infallibiliter inveniet. Sic ergo disponendæ sunt.

#### CAPUT V.

*Solvitur dubitatio de consequentia possibilis ad necesse esse.*

Dubitatio. Dubitabit autem aliquis fortasse, an sit

verum quod dictum est, quod scilicet possibile esse sequitur ad necesse esse : et ideo ostendamus primo, quod sequitur ad ipsum : et postea ponamus ad hoc rationes, quod non sequitur ad ipsum, quæ sunt apparentes: et postea hujus dubitationis ponamus solutionem et determinationem. Quod ergo possibile esse sequitur ad necesse esse, probatur deducendo ad impossibile. Si enim detur quod non sequitur ad ipsum, hoc est, si detur quod possibile non sequitur ad necesse esse, tunc oportet quod contradictio sive contradictorium ejus quod est possibile esse, verificetur cum necesse esse : hoc autem est non possibile esse. Erunt ergo istæ duæ simul veræ, necesse esse, et non possibile esse, et erunt simul veræ de eodem. Sequitur ergo, quod illud quod est necesse esse, non possibile est esse : et quod non possibile est esse, impossibile est esse : ergo quod necesse est esse, impossibile est esse : et quod impossibile est esse, necesse est non esse : ergo quod necesse est esse, necesse est non esse, quod est omnino inconveniens: ergo etiam hypothesis fuit impossibilis et inconveniens quæ posuit, quod impossibile non sequitur ad necesse esse. Si forte dicat aliquis, quod hujusmodi enuntiationis, possibile est esse, non est contradictoria hæc, non possibile est esse, sed hæc, possibile est non esse ; quamvis hoc falsum sit, tunc adhuc sequitur inconveniens si hoc detur, quia secundum hoc sequitur, necesse est esse : ergo possibile est non esse : quod autem necesse est esse, impossibile est non esse : et quod impossibile est esse, necesse est non esse. Sequitur ergo quod necesse est non esse, et necesse est esse, quod est valde inconveniens : hypothesis ergo fuit impossibilis quæ ponit, quod possibile esse, non sequitur ad necesse esse.

Si autem hoc concedatur, videtur accidere inconveniens; quia quod possibile est esse, cum hoc etiam possibile est non esse: cuius exemplum est quod possibile est incidi, cum hoc etiam est

Argumen-tum.

In opposi-tum.

possibile non incidi: et hunc hominem possibile est ambulare, et possibile est non ambulare. Et hoc generabile possibile est esse, et possibile est non esse. Si ergo possibile esse sequatur ad necesse esse, sequitur ad id quod necesse est esse, possibile esse, et possibile non esse: ergo quod necesse est esse, possibile est non esse: quod autem possibile est non esse, non necesse est esse: ergo quod necesse est esse, non necesse est esse: et sic contradictoria erunt simul vera, quod est falsum. Omni ergo modo hypothesis est impossibilis quæ dicit, quod possibile sequitur ad necesse esse. Et oportet nos respondere rationi quæ videtur probare oppositum.

**Molutio du-**  
**bii.** Ad solutionem autem hujus dubitatio-  
nis in primis dicimus, quod cuilibet etiam parum scienti manifestum est, quod non omnis potestas sive potentia qua aliquid possibile dicitur ad aliquid, valet ad oppo-  
sita. In quibusdam autem hoc non est verum, sicut patet in quibusdam eorum quæ habent potestates naturales a forma naturali, quæ de necessitate activa est. Et non habent potestates animales sive rationales quæ sunt animæ rationalis, quæ maxime libera est et ex materia non obligatur ad agendum hoc vel illud, sed potest agere hoc vel illud, et etiam oppositum. Et potest agere hoc et potest non agere hoc per voluntatis libertatem. Quæcumque ergo non habent tales potestates, sed naturales, cum natura non sit nisi ad unum, non possunt nisi ad unum: et hoc necessario faciunt, et non possunt non facere illud, sicut ignis calefactibilis sive calefactivus est.

Patet ergo quod quæcumque habent irrationales, hoc est, non rationales sive non animales potestates, sed naturales et a forma naturali, illa non sunt ad oppo-  
sita secundum suas potentias. Sed quæcumque rationales habent potestates, sunt ad opposita, et oppositorum esse possunt secundum unam et eamdem potentiam et

manentem unam: quia illa (quæ ex se non obligatur ad unum) est oppositorum. Sed quæcumque non rationalibus sive irrationalibus possunt potestatibus, non omnia, nec semper secundum unam et eamdem potestatem sunt ad opposita, si-  
cut diximus de igne, quod calefactivus est, et non frigefactivus, nec etiam potest esse non calefactivus. Non omnia tamen quæ naturalibus et irrationalibus poten-  
tiis possunt, semper ad unum sunt: sed ea quæcumque possunt activis potentias (quæ a forma sunt) ad unum sunt: et quæcumque sunt semper in actu perfe-  
cto<sup>1</sup>. Quæcumque autem secundum poten-  
tiam passivam possilia sunt, illa ad utrumque oppositorum se habent. Nec hoc quod dictum est, quod irrationales sive naturales potentiae ad opposita non sunt, ideo generaliter dictum est, quia ve-  
rum sit: sed ideo dictum est, quod ferre-  
tur instantia ad hoc quod dicitur, quod omnis potentia qua aliquid possibile est, oppositorum est et ad opposita. Patet enim quod etiam potentiae quæ in eadem specie sunt, sicut naturales quæ in quan-  
tum contra rationales sive animales divi-  
dunt hoc commune quod est potentia, non omnes sunt ad opposita.

Ad solutionem ergo inductæ dubitatio-  
nis sciendum, quod potentia et possibile æquivoce dicitur ad ea de quibus dicitur secundum potentiam activam et poten-  
tiam passivam, hoc modo quo est cum dicitur aliquid commune, quod secundum prius et posterius convenit his de quibus prædicatur. Est enim possibile agere quod est in actu ipso, sicut dicimus aliquem possibile ambulare, eo quod jam ambu-  
lat. Et universaliter loquendo sicut dici-  
mus, hoc possibile vel posse esse, quod jam in actu est. Aliud autem dicimus possi-  
ble quod non est in actu, sed forsitan erit in actu, sicut dicimus possibile am-  
bulare quando non ambulat, sed forsitan ambulabit. Illud enim quod a potentia materiali est possibile, ad opposita se ha-

<sup>1</sup> Cf. Boetium, quia salvat hoc de potentias etiam activis, scilicet quod possunt in opposita

aliqua potentiae activæ irrationales.

bet : et tale possibile est in his quæ mobilia sunt secundum substantiam motam, sicut generabilia et corruptibilia. Aliud vero possibile est quod est secundum potentiam activam quæ in actu est, et in perpetuis et incorruptilibus. In utrisque tamen his verum est dicere, quod utrumque eorum est possibile. Possibile enim est ambulare quod jam ambulat et possibile est ambulare quod ambulabit : et sic possibile communitate analogiæ communne est ad utrumque.

Dicendum ergo quod hoc possibile quod est ante actum et non in actu, non est verum dicere de necessario, sicut probatum est. Sed hoc quod est in actu, sequitur ad necessarium, sicut a principio probatum est. Quia ergo partem subjectivam sequitur suum universale, quod ut commune genus vel analogum prædicitur de ipsa : et possibile est sicut universale ad id quod est in actu sicut necessarium, et ad id quod est ante actum, sicut possibile ad utrumlibet. Oportet ergo concedere quod possibile ut commune et universale sequatur ad necessarium, quamvis possibile non omnino, hoc est, pro omni specie possibilis sequitur ad necessarium.

Et quod plus est ex dictis habetur, quod illud quod est necesse vel non necesse est esse, principium est omnium aliorum ad hoc quod sint vel non sint ; et sic oportet quod omnia alia considerentur ut consequentia ad necessarium esse vel non esse. Et secundum hoc oportet disponere consequentias secundum hunc modum : necesse est esse, non possibile est non esse : non contingens est non esse, impossibile est non esse. Sic in secunda linea necesse est non esse, non possibile est esse : non contingens est esse, impossibile est esse. In tertia vero non necesse est esse, possibile est non esse : contingit non esse, non impossibile est non esse. In quarta vero non necesse est non esse, possibile est esse : contingit esse, non impossibile est esse.

Manifestum autem ulterius est ex his quæ dicta sunt, quod ea quæ necessaria sunt, actu sunt et non habent potestatem ante actum : propter quod si priora sunt ea quæ actu sunt his quæ potestate sunt, sicut in nono *primæ philosophiæ*<sup>1</sup> determinatum est (quia quæ semper actu sunt, sempiterna sunt) sequitur quod necessaria priora sunt his possibilibus, quæ ante actum sunt possibilia : et hæc quidem quæ sempiterna sunt, sic semper actu sunt, eo quod sine potestate materiali sunt possibilia. Alia vero generabilia sunt possibilia, ita quod fiunt in actu : et quando sunt in actu, sunt adhuc cum potestate ad oppositum actum : quia talis actus non perficit potentiam. sic, quod non relinquat in ea possibilitatem ad oppositum actum. Et in his ipsis actus et ea quæ sunt in actu naturali, priora sunt his quæ potentia sunt : quamvis tempore potentia esse sit prius quam in actu esse in eodem : quia est potentia prius et actu posterius. Quædam vero nunquam sunt in actu perfecto, sed sunt potentia solum, sicut potentia divisionis in infinitum in continuo et potentia excrescendi in infinitum in numero, et sicut est in motu et tempore.

Et si objiciatur quod frustra est potentia quæ non potest reduci ad actum. Hoc facile solvitur : quia si talis potentia nullo modo reduceretur ad actum, tunc verum esset quod objicitur. Istæ autem potentiae continue exeunt in actum imperfectum, et nunquam stant in actu perfecto, per quem nihil remaneat de potentia.

Ex his omnibus patet hoc quod diximus, quod possibile esse ut universale et commune, sequitur ad necesse, quamvis non omne possibile sequatur ad necessarium. Et hoc per eamdem rationem patet, quod contingens esse, sequitur etiam ad necesse esse : quia possibile esse et contingens esse consequuntur se invicem, sicut patet per omnes dispositiones con-

Objectio  
quam tangit  
etiam Boë-  
tius et sol-  
vit

<sup>1</sup> A tex. com. 13.

sequentiarum quæ in ante habitis determinatæ sunt. Hæc autem ut melius intelligantur, oportet quod interponatur de distinctione possibilis et contingentis.

## CAPUT VI.

*De distinctione possibilis, et de differen-  
tia possibilis et contingentis.*

Ad intelligentiam ergo eorum quæ dicta sunt attende, quod sicut dicit Avicenna, ens possibile dividit ens cum eo quod est ens <sup>Quid sit ens  
necessere, et  
quid ens  
possibile.</sup> necesse. Et cum ens necesse sit quod nullo modo est in potentia, erit ens necesse quod nullam habet causam : quia ens quod habet causam quocumque modo, est in potentia comparatum ad causam illam secundum id quod est in ea. Et per oppositum ens possibile est, quod habet causam, et possibile est secundum quod comparatur ad causam illam, et secundum quod per esse dependet ab illa : et sic omnia causata possibilia sunt : et hoc modo ens necesse non est ens possibile, nec e converso : quia impossibile est quod non causatum sit causatum, vel quod ens causatum sit non causatum. Dicitur autem aliter necesse esse in enuntiationibus, quando scilicet coinherence predici cum subjecto inevitabilis et necessaria est. Tale necessarium non est ens necesse : quia tale necessarium esse nihil prohibet habere causam : quinimo illud possibile prædicatur de eo quod est necesse esse causam habente.

Alio modo aliud dicitur possibile non ad esse, sed ad operationem vel actionem : et quia actio vel operatio non est nisi secundum potentiam activam, hoc modo dicitur possibile quod aliud agendi habet potestatem sive facultatem : et hoc est dupliciter. Jam enim illa facultas sive potestas inest ex forma naturali, aut ex anima rationali vel sensibili. Et si inest a forma naturali : tunc agit per necessitatem, et quantum est de se non potest non agere : quia se-

cundum talēm potentiam quantum est de se semper in actu est. Et si aliquando non agit, hoc est per accidens : quia scilicet non habet in quod agat : et ideo hoc possibile secundum se non est ad opposita, sive illa sumantur ut contraria, sive ut contradictoria : tale enim possibile non agit aliquid, et suum contrarium ut calidum et frigidum : et non possunt agere et non agere simul, quæ sunt contradictoria. Si autem est ab anima : tunc non potest esse ab anima vegetabili : quia illa ut natura per necessitatem agit. Quamvis autem actiones animæ sunt oppositæ, sicut ambulare, vel non ambulare : videre, vel non videre : imitari aliquid, vel fugere : tamen quia ubi sensibilis est præter rationem, ibi agitur a natura, et ideo in multis uno modo se habet, sicut hirundo una nidum facit sicut alia, et in tempore quo una facit, facit et alia, et non invenitur quod aliqua tunc non faciat : ideo non ita appetit in potentia animæ sensibilis, sicut in potentia rationis. Illæ enim a natura aguntur : sed ipsa ratio domina est suarum operationum, et potest agere et potest non agere, et agere hoc et oppositum illius per unam et eamdem potestatem, qua possibilis dicitur ad operationes. His ergo modis dicitur possibile secundum potentiam activam. Et hoc quidem quod est secundum potentiam naturalem irrationalem, non removetur a necessario, sed id quod est secundum potentiam animalem et maxime rationalem.

Dicitur adhuc possibile secundum potentiam materialem ad esse, quæ, inquam, potentia est cum privatione, sicut possibile fieri vel generari vel possibile esse : et hoc (quia cum privatione est) est ad esse et ad non esse : et sequitur quod possibile est esse, et possibile est non esse : et hoc possibile secundum modum opponitur ei quod est necesse esse.

Et attende quod sive possibile active dicatur secundum potentiam activam, quæ est rationalis et ad opposita, sive secundum potentiam materialem disposi-

Quid sit pos-  
sibile secun-  
dum poten-  
tiā mate-  
riālē.

tam vel indispositam, utroque modo dupliciter accipitur, scilicet ut ante actum, vel ut in actu existens : et hujus exemplum est quod dicitur de aliquo, possibile est eum ambulare quando sedet vel jacet : et dicitur de eo, quod possibile est eum ambulare quando jam ambulat. Dicitur etiam de aliquo, quod possibile est eum fieri vel esse antequam sit : et dicitur de aliquo, quod possibile est eum esse quando est, et ante actum plus habet de potestate et de potentia. Quando autem est in actu, plus habet de actu quam potentia. Et ideo ante actum acceptum est ad opposita et removetur a necessario. In actu autem existens majorem habet accessum ad necessarium quod semper in actu est. Cum defectum tamen : quia deficit ab eo, sicut illud quod est in actu permixto cum potentia, deficit ab eo quod est in actu puro : et quia accedit ad necessarium, cum reduplicatione actus fit necessarium, sicut dicimus, quod hominem necessarium est ambulare dum ambulat.

Omnibus ergo dictis modis dicitur possibile. Possibile autem in genere acceptum abstrahit ab omnibus his, et habet ad ista vel communitatem generis vel communitatem analogiae. Et ideo sicut animal praedicatur de homine, et universale praedicatur de particulari : nec tamen oportet, quod secundum omnes suas species praedicetur de ipso : animal enim de homine non praedicatur secundum speciem animalis quae est asinus : ita possibile in genere acceptum (quod commune est ad omnes modos possibilium qui dicti sunt) praedicatur de necessario : et sic possibile in communi acceptum sequitur ad necessarium.

*Quæ sit differētia inter possiblē et contingētia.* Adhuc autem contingens esse convertitur cum possibile esse : et non est verum quod quidam dicunt, quod contingens differat a possibili in hoc, quod contingens dicat extensionem temporis in futurum, et possibile non dicat illud : pos-

sibile enim ante actum acceptum extenditur in futurum. Sed in hoc differunt possibile et contingens : quia possibile simpliciter dicit potentiam vel agentem vel materialem, et variatur secundum potentiae varietatem. Contingens autem respicit causam quæ non est per se causa : et ideo distinguitur secundum causæ distinctionem<sup>1</sup>. Si autem est causa non per se ad esse disposita et inclinata, dicitur contingens natum sive ut in pluribus. Si autem causa est indisposita et non inclinata ad unum plus quam ad aliud, dicitur contingens ad utrumlibet. In hoc ergo differt a possibili, et facit modum diversum ab ipso.

De necessario et impossibili dictum est in præcedentibus : quia universaliter respiciunt omne tempus, et quoad tempus sunt universalia, licet non secundum distributionem subjectorum. Et idem est, quod negatio præposita vel postposita facit contrarietatem vel contradictionem : contrarietatem præposita, et postposita contradictionem, ut Socratem non necesse est esse, et Socratem esse est necesse : hoc autem non est de aliis.

Notandum est quod sicut diximus in præhabitis, quod appellatio dicti de quo prædicatur modus, ut modus compositionis ipsius dicti, est appellatio termini discreti sub hoc communi quod est dictum vel enuntiabile : et ideo hæc est singularis, omnem hominem currere est contingens. Et ideo notandum quod quatuor modis propositio sive enuntiatio dicitur singularis. Primus modus est quando subjectum sive suppositum significazione sua (per qualitatem quam significat) est discretum, ut Socrates legit. Secundo modo dicitur singularis quoad significationem alicujus discretionem facientis circa terminum communem in subjecto positum, sicut cum dicitur, ille homo legit. Pronomina enim discretiva sunt et maxime per demonstrationem. Tertio modo dicitur singularis quando sub-

Quatuor  
modis enun-  
tiatio potest  
dici singu-  
laris

<sup>1</sup> Cf. etiam Boetium, quia aliter ponit diffe-

ren tiam inter possibile et contingens.

jectum simpliciter stat pro essentia simplici quam significat cum dicitur, homo est species. Quarto modo dicitur singularis quando privatur a termino communis qui est in subjecto, hoc quod est praedicari de pluribus, quod solum facit per terminum universalem sive communem, sicut cum dicitur, omnem hominem currere est possibile. Hujus enim dicti quod subjicitur appellatio, est appellatio termini discreti.

Quamvis autem sic singulares sint modales enuntiationes, tamen ex situ negationis efficiuntur omnis quantitatis, hoc est, et universalis et particularis: et hoc est ab universalitate temporis, et non appellationis. Unde omnes quae sunt in prima linea primae dispositionis, superius determinatae sunt particulares affirmativae. De prima enim linea sunt istae, possibile est esse, contingens est esse, non impossibile est esse, non necesse est non esse. Omnes autem quae sunt in secunda linea sunt particulares negativae, ut possibile est non esse, contingens est non esse: non impossibile est non esse, non necesse est esse. Omnes autem quae sunt in tertia linea, sunt universales negativae, scilicet non possibile est esse, non contingens est esse: impossibile est esse, necesse est non esse. Omnes autem quae sunt in quarta linea sunt universales affirmativae, scilicet non possibile est non esse, non contingens est non esse: impossibile est non esse, necesse est esse: et accipienda est quantitas quoad tempus et non quoad supposita, sicut diximus in ante habitis. Attendum etiam est quod quamvis modalis enuntiatio sit singularis quoad totum dictum, tamen quoad subjectum dicti potest esse universalis vel particularis vel indefinita vel singularis: universalis, ut omnem hominem currere: particularis, ut aliquem hominem currere: indefinita, ut hominem currere: singularis, ut Socratem currere. Modus enim quamvis sit praedicatum enuntiationis, tamen est modus dicti qui ad compositionem dicti habet referri. Hoc enim non

est inconveniens, quod aliquid respectu diversorum sit praedicatum et modus.

## CAPUT VII.

*Qualiter est oppositio contrarietas et contradictionis.*

Quia omnis consequentia secundum oppositionem variatur, sicut in ante habitis dictum est, et oppositio secundum aliquos accipitur in rebus contrariis, sicut contraria sunt bonum et malum, justum et injustum, album et nigrum. Diximus autem nos in præhabitibus, quod sumenda est secundum oppositionem affirmationis et negationis: ideo oportet nos hic querere qualiter sumenda sit oppositio, ne ignorata oppositione fiat error in consequentiis.

Accipiamus ergo nomen contrarii large, ita quod comprehendat contradictionem et contrarietatem stricte dictam, et quæramus utrum contraria est affirmatio negationi sive oratio orationi, quamvis non differant per affirmationem et negationem: quia si contraria sunt quae de rebus contrariis enuntiantur, affirmatio erit contraria affirmationi, et negatio negationi, sicut statim in sequentibus erit manifestum. Ponamus autem hoc in exemplis, ut facilius intelligatur. Quæramus ergo, utrum illi enuntiationi quae dicit, quoniam omnis homo justus est, sit illa contraria quae opponitur ei secundum modum negationis ejusdem praedicati de eodem subjecto, sicut illa quae dicit, quoniam nullus homo justus est, aut ista non sit ejus contraria, sed potius illa quae contrariam rem enuntiat de eodem subjecto, sicut si diceretur, omnis homo justus est, esse contraria isti quae dicit, omnis homo injustus est. Et in singularibus similiter contingit quæri, sicut cum dicitur: Callias justus est, utrum illi contraria sive contradictoria est illa quae dicit, Callias justus non est, quae idem praedicatum negat de eodem subjecto: vel illa quae contrarium enuntiat de eodem sub-

jecto, sicut cum dicitur, Callias justus est, Callias injustus est. Quæramus ergo, quæ illarum alteri sit contraria.

Ponamus ergo primo rationes ad hoc, quod oppositiones contrarietatis sumendæ sunt penes res contrarias. Sicut enim dictum est in primo hujus scientiæ libro apud logicum (qui significaciones nominum accipit ab institutione facta ad placitum et ad conceptum instituentis) ea quæ sunt in voce, sequuntur ea quæ sunt in anima: et conceptus qui sunt in anima, causantur a rebus extra: et sic erit opinio sive conceptus contraria opinioni quæ est de rebus contrariis relatis ad idem subjectum: et hic opinio quæ dicit, quoniam omnis homo justus est, contraria est ei quæ dicit, quoniam omnis homo est injustus. Si ergo ea quæ sunt in voce, ut diximus, sequuntur ea quæ sunt in anima, tunc videtur quod similiter sit in affirmationibus quæ sunt in voce, quod contrarias in eis sumenda sit secundum res contrarias. Si autem in anima non sit opinio contraria opinioni quæ est de contraria re, tunc etiam una affirmatio non est contraria alteri, propter hoc quod est de re contraria. Sed potius affirmationi erit contraria illa negatio quæ dicta est, sicut nullus homo justus est, erit contraria ad hanc, omnis homo justus est.

Et quia ea quæ sunt in voce, sequuntur ea quæ sunt in anima immediate, propter hoc oportet quærere quæ opinio vera sit quæ falsæ opinioni sic contrariatur. Opinionem ergo hic large vocamus quemlibet animæ conceptum sive verum sive falsum, qui sit de rebus apprehensis in anima. Oportet autem quærere, utrum opinio affirmans aliquid de aliquo sit contraria negationi, quæ negat idem de eodem quod affirmavit affirmatio: aut non sit illi contraria, sed ei quæ contraria rem de eodem opinatur. Dico autem in exemplis ponendo hoc modo, est quædam opinio sive conceptus de bono, quod

bonum est, et hæc est opinio vera. Alia est conceptio boni etiam, quoniam bonum non est bonum, et hæc est falsa opinio. Est etiam alia falsa quæ est de bono, quoniam malum est: ex quo ergo duæ falsæ sunt. Quæramus quæ illarum contraria est opinioni quæ dicit et concedit de bono, quoniam bonum est.

Dicamus ergo quod arbitrari quod in hoc diffiniantur et determinantur opiniones, quod contrariæ sint, propter hoc quod de rebus contrariis sint, est falsum: quod sic probatur<sup>1</sup>. Et supponamus, quod verum vero non contrariatur, et quod unum uni est contrarium primo et immediate. Opinio enim de bono, quoniam bonum est, et opinio de malo, quoniam malum est, sunt opiniones de rebus contrariis: et tamen fortassis sunt ambæ una in specie, et forma unitatis, quamvis materialiter sint diversæ. Sed in hoc quantum ad propositam intentionem non est vis: quia sive sint ambæ una opinio, sive plures, constat quod ambæ veræ sunt: verum autem vero non contrariatur. Cum ergo sint de rebus contrariis, patet quod contrariæ opiniones sive conceptiones non determinantur per hoc quod contrariorum sunt, hoc est, de rebus contrariis: sed magis determinantur per hoc quod contrariæ, hoc est, per modum contrarii se habent ad invicem secundum affirmationem et negationem, ut scilicet negatio idem de eodem neget, quod affirmat affirmatio. Si ergo opinio vera est bono, quoniam bonum est: et quæratur, quæ sit ejus contraria: quamvis multas secundum rem habeat contrarias, tamen nulla est ponenda esse ejus contraria, nisi illa quæ dicit, quoniam bonum non est bonum, et negat idem de eodem. Quod autem multæ sint secundum res contrarias, ex hoc appareat quoniam de bono possumus opinari quod bonum est album, vel quid dishonestum, vel quid turpe, vel quid inutile, vel quid

<sup>1</sup> Opiniones non sunt contrariæ quia de contrariis rebus; sed quia non eas opinamur con-

trario modo: et in hoc appetit solutio quæstionis textus quoad opiniones.

non expediens, vel non expetibile, vel aliud quocumque, quod nec bonum est nec bonum esse potest. Infinita enim talia possunt concipi de bono, et quæ sunt bona, et quæ non sunt bona, sicut jam ostensum est. Bonum enim honestum est, expetibile est, finis est, utile est : et talia infinita vere de bono opinari possunt. Aliquis potest etiam opinari, quod bonum malum est, et non expediens, et dishonestum : et talia infinita quæ nec bono convenient, nec possunt convenire. In omnibus his nulla erit contraria, nisi illa quæ negat idem prædicatum de eodem subjecto, et dicit quoniam bonum non bonum est.

*Motu quoque  
et omnia tex-  
tus quoad  
enuntiationes.*

Determinando autem istam quæstionem, utrum scilicet in rebus contrariis, vel in modo enuntiandi contrario attenditur contrarietas in enuntiationibus. Dicimus quod oppositio contrarietatis vel contradictionis attenditur penes ea in quibus est prima fallacia sive falsitas. Et dico primam quæ per se est et non per aliud : quod enim per aliud est, hoc accidit et non contingit per se et primo. Prima autem falsitas est in oppositione affirmationis et negationis in enuntiationibus. Est enim prima fallacia sive falsitas ex quibus fiunt generationes rerum contrariarum. Generationes autem primo et per se fiunt in terminis, qui differunt per affirmacionem et negationem : homo enim fit ex non homine, et album ex non albo, et musicum ex non musico. Et quod generatio in aliquibus fit ex contrario, hoc est per accidens : album enim non fit ex nigro, nisi quia accidit nigro non album esse. Et hujus ratio est : quia generatio fit ex privatione : privatio autem per negationem enuntiatur. Ex oppositis ergo fiunt generationes : et ergo primo et per se fallacia sive falsitas est ex opposito per affirmationem et negationem : et illa oppositio quæ est contrariarum rerum enun-

tiarum de eodem, est fallacia sive falsitas, quæ accidit per illam quæ est inter affirmationem et negationem. Si ergo dicamus de bono, quod bonum est ; et dicamus quod bonum malum non est, hoc quod dicimus, quod bonum bonum est, per se est et primo : quia prædicatum non solum conceptum est cum <sup>1</sup>subjecto, sed etiam cum subjecto est idem, et ideo per se et primo. Sed quum dicimus quod bonum non est malum, non negatur de ipso malum, nisi propter hoc quod bonum est bonum, et bonum est malo contrarium. Et ideo simul in eodem esse non possunt : et ideo non propter se et primo negatur malum de bono, sed propter aliud : et ideo per accidens : bono enim accidit malum non esse, propter hoc quod bonum est bonum <sup>2</sup>. In unoquoque autem genere illud quod secundum se est verum, magis est verum quam illud quod secundum accidens est verum : et magis est falsum quod secundum se est falsum, quam illud quod secundum accidens est falsum. Et cum contraria et contradictoria sint eorum quæ maxime distant in vero et falso : et erit opinio vera quæ est boni, quoniam bonum est bonum, ei opinioni quæ est boni, quoniam bonum non est bonum, maxime contraria. Oportet ergo quod secundum affirmationem et negationem ejusdem de eodem accipiat tam contrarietas quam contradicatio. Illa enim quæ est de bono, quoniam non bonum est, secundum se et primo falsa est : illa quæ dicit de bono, quod malum est, est falsa per accidens : magis ergo erit falsa de eo quod bonum est, quæ est negationis, quam ea quæ est, quod bonum contrarium aliquod bono est ut malum : falsa autem magis est quæ circa singula (quæ sunt partes subjecti) habet oppositionem contrariam. Sunt enim contraria quæ plurimum distant secundum idem subjectum <sup>3</sup>.

<sup>1</sup> Unde sequitur quod ista propositio, bonum est bonum, est verior quam ista, bonum non est malum, quia prior est vera per se et primo, dum posterior est tantum vera per aliud, id est, ratione primæ.

<sup>2</sup> Sequitur adhuc quod hæc propositio, bonum non est bonum, est magis falsa quam ista, bonum est malum ; quia secunda non est falsa nisi ratione primæ.

Quod si etiam detur, quod altera harum (illa scilicet quæ dicit, quoniam bonum malum est) etiam est contraria illi quæ dicit, quoniam bonum est bonum : tamen ex præmissis sequitur, quod illa quæ contrariatur ei per modum contradictionis, est magis contraria quam illa quæ enuntiat de bono contrarium secundum esse : magis enim contraria primo et per se contraria est. Et sic inter estas duas, bonum est bonum, et bonum non est bonum, est prima contrarietas. Altera autem quæ est, quod bonum malum est, non est contraria, nisi quia est implicita huic quæ dicit, quoniam bonum non est bonum : quia ex hoc quod bonum non est bonum, ei quod non est bonum, accidit esse malum : et sic non est contraria nisi per aliud : et hoc est per accidens esse contrarium. Cum enim dicit bonum esse malum, necesse est quod opinetur ideo accidere esse malum, quia non est bonum : et si esset bonum, non accideret ei esse malum.

Amplius si in aliis quæ non habent contrarium, est accipere contrarium secundum res contrarias : tunc etiam in ipsis quæ habent contrarium, bene dictum est : quia contraria secundum res contrarias accipiuntur. Si enim est ars generalis contrariam enuntiationem accipiendi, oportet quod ubique in omni materia uno et eodem modo accipientur : et ideo aut ubique erunt contraria, aut nusquam. In his vero in quibus non est contrarium secundum rem, sicut substantiæ, oportet accipere contrarium per affirmationem et negationem, sicut de ea quæ est ejus opinio, quæ putat sive opinatur hominem non esse hominem, quæ est contraria ei quæ opinatur hominem esse hominem. Si ergo in tali materia per affirmationem

et negationem sumitur contrarietas in enuntiationibus, sequitur quod in omnibus contrarietas secundum contradictionem affirmationis et negationis accipiatur<sup>1</sup>.

Amplius similiter se habent in veritate opinio boni quæ dicit, quod bonum bonum est, et opinio quæ dicit de non bono, quod non bonum est. Et similiter ad has se habet in falsitate opinio dicens, quod bonum non est bonum : et quæ dicit, quod non bonum bonum est. Quæramus ergo quæ sit contraria huic veræ opinioni quæ dicit, quod non bonum non est bonum : ea enim quæ dicit, quoniam non bonum malum est, non potest ejus esse contraria : hæc enim, quod non bonum non est bonum, et illa quæ dicit, quod non bonum malum est, aliquando sunt simul veræ : vera autem opinio veræ non contrariatur : quia verum vero non potest esse contrarium : quoddam autem non bonum est malum, sicut injustitia non bonum est, quod malum est. Et ideo si essent contrariæ quæ dictæ sunt, contingent contrarias esse simul veras : quod nunquam esse potest in aliqua materia. Adhuc autem illi opinioni veræ quæ dicit, quod non bonum non bonum est, nec ista potest esse contraria quæ dicit, quod non bonum non malum est. Hæc enim duæ etiam sunt simul veræ : indifferens enim est, est non bonum, et est malum. Relinquitur ergo ex omnibus his, quod illi veræ opinioni quæ est non boni, quod non est, contraria sit hæc quæ dicit, quod non bonum bonum est. Similiter et illi quæ dicit, quod bonum bonum est, contraria est illa quæ dicit, bonum non bonum est : et sic per oppositionem affirmationis et negationis de eodem et secundum idem est accipienda contrarie-

<sup>1</sup> Si contrarium capiatur pro quodam communi ad vere contrarium et contradictorium, ut dicit D. Albertus in fine hujus cap., ista ratio nulla videtur esse ; quia nihil est assumere quod non habeat contrarium hoc modo. Respondetur quod hic non capit contrarium illo modo large in principio hujus rationis : quia loquitur de incomplexis, dum dicit in his quæ

tas, et non secundum res contrarias quæ de eodem enuntiantur.

Manifestum est etiam quod nihil differentiæ est quantum ad contrarietatis acceptiōnem, etiamsi universaliter ponamus affirmationem : huic enim universali affirmationi universalis negatio erit contraria, sicut illi opinioni quæ opinatur, quoniam omne quod est bonum bonum est, sive quod omne bonum bonum est, est illa contraria quæ opinatur, quod nihil eorum quæ bona sunt bonum est, sive quod nullum bonum bonum est: nam illa opinio quæ est de bono dicens, quoniam bonum bonum est (si universaliter sit acceptum bonum) eadem est ei quæ dicit, quod quidquid bonum est bonum est, sive quod omne bonum est bonum. Et sic se habet in non bono : quia si ponamus non bonum universaliter, sive pro omni non bono, idem est dicere non bonum esse non bonum, quod omne non bonum esse non bonum.

Propter quod si in opinione sive in conceptione animæ sic se habet, quod contraria est affirmatio negationi, et contradictoria, ut dictum est, oportet quod in enuntiatione vocali eodem modo accipiatur oppositio contrarietatis et contradictionis, et non in contrariis rebus de eodem enuntiatis : affirmatio[n]es enim et negatio[n]es quæ sunt in voce, sunt notæ earum affirmationum et negationum quæ sunt in anima, sicut s[ecundu]m dictum est. Manifestum est ergo, quod affirmationi contraria est illa negatio quæ est circa idem universale universaliter acceptum, sicut ei quæ est, quoniam omne bonum est bonum, vel ei quæ est, quoniam omnis homo bonus est, illæ sunt contrariae quæ dicunt, nullum bonum bonum est, et quoniam nullus homo bonus est. Contradicto[r]iae autem earum duarum sunt quæ dicunt, quoniam non omne bonum bonum est, et quoniam non omnis homo bonus est. Manifestum autem ex prædi-

ctis, quoniam veram opinionem vel enuntiationem non contingit esse contrariam veræ opinioni vel enuntiationi. Contraria enim sunt quæ sunt opposita circa idem subjectum. Circa autem idem subjectum contingit bene plura vere dicere eumdem, ut quoniam bonum est bonum, et quoniam non est malum, et quoniam non est non bonum, et pluribus aliis modis. Sed contraria quæ vere et primo contraria sunt, non contingit eidem inesse simul: et ideo veræ ambæ contrariæ simul esse non possunt: propter quod vera vero non sunt contraria.

Et attende quod in isto ultimo capitulo fere ubique contrarium accipimus large, quod sub se continet contrarium et contradictrium: et hoc ideo factum est quia ostendimus contrarium in enuntiationibus debere accipi secundum modum affirmationis et negationis, et non secundum res contrarias de eodem enuntiatis. Iste autem modus idem est quoad affirmatiōnem et negationem tam in contrariis quam in contradictoriis, nisi quod in contrariis propter hoc quod universales sunt, negatio negat prædicatum materialiter respiciendo subjectum pro partibus distributis. In contradictoriis autem negatio formalis est et non materialis, et negat prædicatum de subjecto secundum formam accepto.

Jam ergo partes duæ logicæ perfectæ sunt, scilicet de scientia deveniendi in ignotum incomplexum per diffinitionem acceptam per divisionem, et de scientia interpretationis. Oportet enim generaliter interpretatum esse omne per cuius notitiam potest quis devenire in cognitionem ignoti. Et quia jam præmissum est omne quod exigitur ad interpretationem, oportet nos attingere ad naturam syllogismi et demonstrationis per quam quis potest venire in cognitionem ignoti, quod est complexum.





# LIBER I

## PRIORUM ANALYTICORUM.

### TRACTATUS I

DE HIS QUÆ PRÆMITTENDA SUNT AD ARTEM.

#### CAPUT I.

*De subjecto et modo et nomine libri.*

Tractatur de scientia syllogistica, oportet primum scire quod primo tractandum est de syllogismo simpliciter, qui super rationem et inferentiam syllogismi nihil addit. Primo determinandum, et postea de speciebus syllogismi, quæ secundum materiam determinantur agendum est, qui sunt syllogismus demonstrativus in materia necessaria, et syllogismus dialecticus in materia probabili; et tandem de syllogismo sophistico et tentativo dicemus, qui imitantur secundum apparentiam syllogismum dialecticum: et in his perficietur scientia syllogistica. In libro ergo qui dicitur *Priorum Analyticorum*, agemus de syllogismo simpliciter non contracto ad aliquam materiam.

**Objectio.** Et si aliquis objiciat quod tota logica est de syllogismo simpliciter: et sic aliquis librorum logicæ de syllogismo simpliciter esse non debet, facile est respon-

dere: quia logica tota est de syllogismo simpliciter, secundum quod simpliciter est idem quod universaliter acceptum: quia de syllogismo in communi et in genere vel de partibus tota pertractat logica. Secundum autem quod simpliciter dicitur simplex formale a sua acceptum simplicitate formalis, non tractat de syllogismo simpliciter tota logica, sed determinatur in uno librorum ejus: sic enim acceptus syllogismus simplex proprias habet passiones quæ de ipso per propria principia sunt probandæ, ut fiat de ipso scientia specialis. Sic ergo tractabimus de ipso: et per hoc patet libri subjectum et materia.

Modus autem noster erit diffinitivus et divisivus, et collectivus: et pro tempore, ut facilior sit doctrina, erit etiam exemplorum suppositivus. Per totum autem erit resolutorius: quia ista tota scientia resolutoria est.

Attendendum est autem, cum omnis et tota logica sit scientia differendi, et hæc dividatur in scientiam inveniendi, et in scientiam judicandi quod inventum est.

Modus doc-  
trinæ hujus  
libri.

Inventivum autem fit per localem habitudinem terminorum ad invicem, judicium autem fit per resolutionem: et quamvis inventio quoad nos prior sit resolutione, eo quod non potest resolvi et judicari nisi quod jam inventum est, tamen quia omnis resolutio est ad priora secundum naturam, quia non resolvitur nisi vel posteriorius in prius, vel compositum in simplex, vel materiale in suum formale principium: et ideo ars resolvendi et judicandi secundum rationem resolutionis est ante artem inveniendi. Nec potest esse nisi duplex resolutio, scilicet rei conclusæ in principia et causas per quas concluditur, et syllogismi collecti jam et constituti in principia formalia, syllogismi in quantum syllogismus est non possunt esse nisi duæ resolutoriæ scientiæ. Secundum rationem autem prior est resolutio in formalia syllogismi, quam rei conclusæ in principia rei, præcipue in logica quæ scientia rationis est. Et ideo liber in quo docetur resolutio formalis syllogismi in figuram et modum syllogismi, quæ formalia sunt ad ipsum syllogismum secundum esse syllogismi in quantum syllogismus est, vocatur *Liber priorum analyticorum*. Alter autem ubi docetur resolutio rei conclusæ in sua principia et causas, vocatur *Liber posteriorum analyticorum*. Sic ergo patet de subiecto et modo et nomine sive titulo libri.

De auctore autem non magna vis est nisi hoc quod, sicut in omnibus aliis, Peripateticos et maxime Aristotelem sequi sumus, ita faciemus adhuc. Frivolis quidem abstinentes, quæcumque autem ad bonitatem doctrinæ faciunt, diligenter ponemus.

Finis enim noster quem in alio intendimus est, ut artem syllogizandi resolutriam sine impedimento sciatur qui hunc librum legerit. Finis vero in nobis est, ut perfecte tradita sit ars syllogizandi syllogismo simplici. Et hæc de pælibandis ante librum dicta sint a nobis.

*Resolutio duplex, scilicet prior et posterior.*

*Ratio inscriptionis hujus libri et libri posteriorum.*

## CAPUT II.

*De his de quibus est intentio hujus scientiæ.*

Ut autem sciatur quando in hac scientia finem habeamus intentum, ea de quibus est intentio hæc sunt duo in genere, scilicet de quibus principaliter est intentio sunt demonstratio et disciplina demonstrativa: et propter illa secundaria intentione oportet de his in quæ fit resolutio quæ sunt propositio ad quam fit immediata syllogismi resolutio. Et deinde oportet dicere quid terminus ad quem fit secunda resolutio, quæ est propositionis in terminos. Quos etiam terminos et non nomen et verbum vocamus: quia hic intendimus de ipsis non secundum quod constituunt enuntiationem, sed potius secundum quod in ipsis, sicut in ultimis indivisibilibus stat resolutio: et hoc modo propositio non est terminus quamvis ad ipsam fiat resolutio. Et deinde oportet considerare quid est syllogismus per substantiam et diffinitionem: quia resolutio non potest, cuius ignoratur substantialis compositio. Et oportet considerare quis syllogismus perfectus, et quis imperfectus, quæ sunt syllogismi passiones, quia cognitio proprietatum accidentium multum confert ad scientiam quid est et substantiam. Primo etiam consideranda principia syllogismi in quantum syllogismus est decursus rationis in conclusionem. Ad hoc autem exigitur quid sit in toto esse vel non esse unum in alio, sive hoc in illo. Et iterum dicendum est quid est quod dicimus de omni vel de nullo prædicari: sine his enim non potest esse decursus syllogisticus. Cum autem dicimus quod intentio nostra est circa demonstrationem et disciplinam demonstrativam, vocamus demonstrationem syllogismi demonstrativi constitutionem, disciplinam autem demonstrativam vocamus scientiam hoc docentem.

**Objectio.** Si autem aliquis hic objiciat: quia ars resolvendi non potest tradi nisi per syllogismum: et sic syllogismum oportet esse ante artem syllogizandi: et sic ad constitutionem syllogismi arte non indigemus. Et ad hoc dicendum, quod omnis homo in persuadendo in ipsa sua ratione quedam seminaria habet ad syllogizandum et persuadendum, tum per experientiam, tum per communes animi conceptiones, quae sunt apud animam: et ex illo syllogismo qui quasi per natum inest, primo inventa est omnis ars syllogizandi et aliæ artes: et in illis est status: et ideo hoc non procedit in infinitum. Sic igitur præmissum est de intentis a nobis, sive sint intenta principaliter, sive sint intenta propter illa quæ principaliter sunt intenta: de his enim omnibus ante principale propositum agendum: quia nisi ista primo sciantur, non potest sciri decursus syllogisticus, sicut in præhabitis ostensum est.

Hoc est ergo de quo est intentum, pri-  
mum quidem circa demonstrationem.  
*Præpositio circa* dicit motum circum-  
spicientis rationis in circuitu, et nihil  
omittentis de his quæ circa talem disci-  
plinam consideranda. *De* autem præposi-  
tio dicit materiam: quia materia de qua  
ultimo et finali intentione intendimus,  
demonstratio est, quæ efficacissime pro-  
bat; syllogismus autem simplex infert  
solum et nihil probat: et ideo in via in  
qua devenitur in notitiam ignoti per no-  
tum, ultima intentio stat in demonstra-  
tione, et alia ordinantur ad illam. Hæc  
autem quæ dicta, dicta sunt ad intentio-  
nis nostræ manifestationem: nec sunt hic  
considerationes de quibus sit curandum.

## CAPUT III.

*Quid est propositio.*

Secundum ordinem de his exsequentes,  
dicimus primo quod quamvis propositio

et enuntiatio non differant secundum sub-  
stantiam et secundum id quod sunt propo-  
sitio et enuntiatio, differunt tamen secun-  
dum esse, et secundum intentiones nomi-  
num: quia enuntiatio secundum esse  
enuntiationis et secundum rationem no-  
minis refertur ad rem designatam et inter-  
pretatam per enuntiationem, propositio  
autem dicit orationem indicativam non ad  
rem designatam relata, sed pro altero  
(quod per ipsam probatur) positam, sicut  
præmissa virtutem et rationem habet prin-  
cipii comparata ad conclusionem. Enun-  
tiatio autem ad rem non habet rationem  
principii, sed potius virtutem signi<sup>1</sup>: et  
ideo formaliter loquendo accedit enuntia-  
tioni propositionem fieri vel esse: sed  
enuntiare de re designata enuntiationi est  
essentiale. Et quia hic utimur enuntiatio-  
ne prout ponitur ut scientiæ conclusionis  
principium, ideo hic vocamus proposicio-  
nem, quod in *Perihermenias* vocavimus  
enuntiationem: quia ibi de indicativa  
oratione intendimus secundum rationem  
signi, quod de rebus enuntiando inter-  
pretatur sicut sunt, vel sicut non sunt.

Sic ergo sumpta propositione, dicimus  
quod propositio est oratio affirmativa vel  
negativa alicujus de aliquo: et hoc debet  
accipi divisim sic, quod propositio affir-  
mativa sit affirmativa sive affirmatio alicujus  
prædicati de aliquo subjecto, et  
quod propositio negativa sit negativa sive  
negatio alicujus de aliquo: si enim nega-  
tio est alicujus, tunc negatio est et divi-  
sio alicujus ab aliquo. Et ideo cum dici-  
tur, alicujus de aliquo propositio quan-  
tum ad subjectum univoce stat, et in af-  
firmativa et in negativa: quantum autem  
ad relationem prædicati ad subjectum non  
stat omnino univoce: quia in affirmativa  
notat inhærentiam prædicati ad subje-  
ctum, in negativa autem notat remotio-  
nem.

Diffinitio  
propositio-  
nis, et ejus  
explanatio.

Attendendum autem est quod cum in-  
ferius non ponatur in diffinitione sui su-  
perioris, tamen affirmativa et negativa

<sup>1</sup> Cf. I *Perihermenias*, cap. 1, ubi declaratur

hæc differentia.

quæ sunt partes propositionis subjectivæ, ponuntur in assignatione propositionis : quia de diffinitione propositionis substanciali est, quod sit oratio alicujus prædicati de aliquo subjecto. Quod autem ita sit, probatur a partibus ipsius : est enim in affirmativa, et in negativa est iterum alicujus de aliquo.

Ut ergo simul detur diffinitio, et omnibus convenire probetur, ideo in diffinitione ponitur affirmativa et negativa. Et ideo inferius non ponitur in diffinitione sui superioris ut diffinitivum, sed potius ut divisivum, ut ex partibus divisis generalis sive universalis probetur esse diffinitio : et hoc modo inferius bene ponitur in assignatione superioris.

**Dubitatio.** Si autem quæratur, cum multis modis dividatur enuntiatio per unam et plures, et compositam et simplicem, et universalem et particularem, quare de his nulla mentio fit in assignatione propositionis, sed tantum de affirmativa et negativa,

**Solutio.** Facile est respondere : quia aliæ divisiones non fiunt per ista essentialia propositioni, sicut quando dividitur per affirmativum et negativum : ista enim respiquant compositionem quæ formalis est in propositione : et ideo sunt qualitates essentiales propositioni. Universale autem et particulare accidentunt propositioni ex subjecto, et similiter una vel plures propositio ex subjecto vel prædicato, et similiter simplex et composita : et ideo non ita essentialiter specificant enuntiationem sicut affirmativum et negativum, nec tantum faciunt ad diversificationem syllogismi in figura et modo sicut affirmativum et negativum : et ideo ista potius quam alia ponuntur in assignatione propositionis.

Quod autem dicitur *oratio*, hoc in diffinitione propositionis ponitur ut genus proximum : quia intelligitur de oratione dupli perfectione perfecta, constitutione in perfectionem orationis, et constitutione in perfectionem significationis. Dico autem constitutionem in perfectionem perfectæ orationis, quod sit ex nomine et

verbo perfectam notitiam faciente de affectu pronuntiantis : sicut cum dicitur : *fac hoc*, per orationem imperativam perfecte designatur imperantis affectus : et cum dicitur : *utinam bonus essem*, perfecte designatur optantis affectus, et sic de aliis. Et dico orationis constitutæ in perfectionem significationis, propter orationem indicativam, quæ non fit ad indicandum affectum pronuntiantis primo et principaliter, sed potius ad esse designandum sicut est : et ex consequenti per rei enuntiationem fit judicium affectus indicantis rem, sicut est in esse vel non esse. De tali igitur oratione intelligitur, quia apud logicum non est alia considerata oratio.

Si vero quæritur, quare non dicitur enuntiatio, Dicendum quod enuntiatio secundum esse et substantiam non est genus ad propositionem, sed potius secundum substantiam convertitur enuntiatio cum propositione : et ideo si in diffinitione poneretur, diffiniretur idem per seipsum. Potest tamen etiam dici quod prius dictum est : quia enuntiatio dicit relationem ad significatum, et propositione dicit relationem principii ad conclusionem : et quoad hanc rationem enuntiatio in diffinitione propositionis non debet ponni, quia sic diversitatem et oppositionem quamdam habet ad propositionem : sed oratio perfecta perfectionibus dictis genus est substantiale ad enuntiationem et ad propositionem, et ideo talis oratio ponitur in propositionis diffinitione.

Propositio autem sic diffinita et accepta, sic dividitur, quod hæc quidem est universalis, et alia particularis, et alia indefinita. Singularem autem hic nonpono : quia illa non est syllogistica, et ideo pro conclusione syllogismi non posita, et ideo non propriè habet nomen et rationem propositionis. Quia si aliquando forte in syllogismo ponitur, non ponitur ut singularis, sed ut particulare ad hoc vel illud determinatum : particulare enim est quod substantialiter sub universali accipitur, ut sub omni homine quidam

**Dubitatio.**  
**Solutio.**

homo. Singulare autem nec immediate, nec per se sumitur sub universalis : quia si dicam, omnis homo currit, non assumentur Socrates, nisi per hoc quod Socrates est quidam homo : nec quidam homo determinatur ad Socratem, nisi per hoc quod accidit cuidam homini Socratem esse<sup>1</sup>.

*Quomodo  
differt par-  
ticularis ab  
indefinita.*

Attendendum etiam quod quamvis indefinita æquipolleat particulari : tamen nec æquipollentia secundum valorem comparatur ad supposita sub subjecto accepta : quia utraque pro uno verificatur. Sed secundum signi determinationem opponitur particularis indefinitæ : quia cum dicitur, *quidam homo*, universale per signum inclinatum est ad standum pro partibus, et hujusmodi inclinationem non habet in ea quæ est infinita. Hæ igitur species sunt propositionis secundum quantitatem penes quam attenditur decursus syllogisticus, universale, particulare, et indefinitum.

**Objectio.** Et si aliquis objiciat, quod ars imitatur naturam : et cum indefinitum nihil sit in natura, videtur quod etiam in arte nihil esse debeat indefinitum. Dicendum quod ista objectio procedit ac si indefinitum idem sit quod infinitum : et hoc non est verum : quia infinitum dicitur a privatione finis intus et extra finientis, cuius ultimum non est accipere. Indefinitum autem dicitur a privatione certificantis ipsum ad hoc vel illud, sicut neutrum genus dicitur indefinitum, hoc est, incertum ad formam masculini et femинini : et sic dicitur propositio indefinita, nec ad universale vel particulare certificata per signum ad alterum dictorum certificans subjecti quantitatem : et hoc modo indefinitum et est in natura, et in arte necessarium.

*infinitum et  
indefinitum  
differunt.*

Per exempla autem declarantur quæ dicta sunt. Dico autem describendo universalis propositionem, quæ omni aut nulli inesse significat. Si enim universale

quod est subjectum accipitur distributum, ut secundum quamlibet partem ipsius insit ei prædicatum, sicut cum dicitur, *omnis homo currit*, et sic significat prædicatum inesse subjecto : tunc est universalis affirmativa. Si autem significat nulli parti subjecti inesse prædicatum, sed a qualibet parte subjecti removeri : tunc habet quidem subjectum ad standum pro qualibet parte distributum per universale signum, sed per negationem quæ est in signo respicientem compositionem, prædicatum removetur a qualibet parte divisim, sicut cum dico, *nullus homo currit*, removetur cursus a qualibet homine. Particularem propositionem dico quæ significat prædicatum inesse subjecto sub determinatione subjecti ad partem, aut significat non omni sed parti inesse affirmative vel negative, ut cum dicitur, *quidam homo currit*, aut *non omnis homo currit* : ita quod negatio signum distributivum formaliter respicit : sic enim negat universalitatem in ratione universalitatis, et relinquunt partem sub distributione acceptam. Indefinitam autem dico propositionem, quæ prædicatur inesse vel non esse, et significat sine certificatione ad universaliter standum vel particulariter : et hoc est universalis subjecto accepto sine signo universalis vel particulari, sicut affirmativa indefinita est, a qua formatur hoc dictum, contrariorum esse eamdem disciplinam. Propositio autem est, contrariorum eadem est disciplina. Indefinita autem negativa est, a qua formatur hoc dictum, voluntatem non esse bonum : et propositio est, voluptas non est bonum.

Dividendo autem propositionem non per species, sed per proprietates suas, est quædam propositio dialectica, et quædam demonstrativa, secundum quod est in materia probabili vel necessaria. Et dicam omnem illam propositionem dialecticam, quæ non sumit, sed interrogat

<sup>1</sup> Singularis propositio non ponitur in syllo-gismo : vide tamen infra tract. III, cap. 1, ver-

consensum respondentis an sumendum esse concedat, sicut est propositio sophistica, et etiam tentativa: omnes enim illæ hoc modo dialecticæ dicuntur propositiones: quia in hoc conveniunt, quod consensum respondentis interrogant: quod non facit demonstrator, qui propter ipsam rei necessitatem sumit et de consensu respondentis non curat: quia in talibus oportet discentem credere, et non in ipso contradicere.

Unde in hoc differt propositio demonstrativa a dialectica quoniam demonstrativa propositio est sumptio alterius partis contradictionis quæcumque est vera et necessaria: non enim interrogat respondentis consensum, sed ex ipsa rei veritate et necessitate sumit quasi concessam ille qui demonstrat. Dialectica vero propositio non sic sumi potest: quia non habet rei certitudinem, sed ex consensu procedit respondentis: et ideo dialectica propositio est cum interrogatione alterius partis contradictionis quomodocumque scilicet concedere velit respondens. Hujus autem vera causa est: quia necessitas in propositione non est ab homine, sed a re ipsa: probabilitas autem erit ab homine: probabile enim est, quod videtur omnibus aut pluribus aut maxime notis: et ideo in probabilibus oportet quod habeatur respondentis condisputantis nobiscum consensus.

Quamvis autem sic differant dialectica et demonstrativa propositiones, tamen in hoc non distabit una ab alia, quin ejusdem figuræ et ejusdem modi fiat ex utraque formalis et simplex syllogismus, hoc est, syllogismus qui formaliter est applicabilis utrisque, scilicet tam demonstrativo quam dialectico syllogismis: uterque enim, scilicet et qui demonstrat et qui consensus interrogat, syllogizant, et unus syllogismus simplex et formalis est demonstrativus et dialecticus, quamvis non sit una species materialis syllogismi in utroque istorum, sed unum sunt in forma simplicis syllogismi, sicut *isosceles* et *isopleurus* sunt una figura, quamvis

non sint unus triangulus, sicut dicit Aristoteles. Manifestum est enim quod et qui demonstrat et qui interrogat syllogizans, servat formam syllogismi simplicis in figura et modo: et qui syllogizat in propositionibus, sumit aliquid de aliquo affirmative esse, vel negative non esse. Quia igitur omnis syllogizans sumit vel concessam a respondente vel acceptam ab ipsius rei necessitate, sequitur quod syllogistica propositio est simpliciter sive universaliter affirmatio aut negatio alicuius de aliquo, vel alicuius ab aliquo secundum modum qui dictus est, scilicet quod vel consensu sumit interrogatam, vel ab ipsa necessitate accipit concessam. Demonstrativa autem propositio est, si aut per se vera sit, aut si non per se vera est quod tamen sit per primas propositiones per se veras sic sumpta et probata. Dialectica autem propositio in percunctante quidem et quærente quam partem contradictionis concedat respondens est interrogatio: quia consensum oportet inquirere. Syllogizanti autem (eo quod syllogizans sumit concessum ante per interrogationem et colligit ea in quæ jam consensit respondens) est sumptio apparentis quoad respondentem, et est sumptio probabilis quoad rei probabilitatem, quemadmodum in *Topicis* dictum est, ubi de interrogatione et probabili ex intentione est determinatum.

Quid est igitur propositio secundum se, et quid differt propositio syllogistica in syllogismo simplici et formalis posita, a demonstrativa et dialectica, subtiliter quidem in sequentibus dicetur: ad præsentem vero utilitatem, in qua non intendimus nisi prælibare ea quæ necessaria sunt ad propositum, sufficiunt ea quæ nunc a nobis de propositione determinata sunt. Hoc enim solum scire oportet, quod propositio syllogistica (quæ syllogistica dicitur a simplici forma syllogismi) nullius significationis est ratio determinata: sed sumitur a terminis transcendentibus, sicut in A et B et C et hujusmodi, quæ nihil in se significant nec

Quid sit  
propositio  
syllogistica.

materiam aliquam determinant: sed materia cui illa forma primo applicabilis est, duplex est, scilicet necessaria et probabilis. Et ideo non sunt syllogisticæ propositiones syllogismi, scilicet simplificis et demonstrativi et dialectici.

## CAPUT IV.

*Quid est terminus.*

Terminum vero voco in quem resolvitur sicut in terminum ultimum propositione: sicut terminus est prædicatum et subjectum de quo prædicatur, hoc est, sit prædicatio, et hoc prædicato apposito per inhærentiam subjecto, sicut sit in propositione affirmativa, vel prædicato diviso a subjecto, sicut sit in propositione negativa: et hoc est vel secundum esse sicut in affirmativa, vel secundum non esse sicut in negativa. Proximæ enim partes et substantiales propositionis non sunt nomen et verbum, quia propositione dicit aliquid de aliquo: et ideo pars ejus est subjectum quod dicit id de quo aliquid dicitur sub ratione qua substans illi quod dicitur de ipso: et talem rationem non habet nomen, ut nomen est. Similiter prædicatum dicit id quod de alio dicitur sub ratione inhærendi qua dicitur de subjecto, quod non dicit verbum in quantum verbum est: et ideo proximæ partes propositionis sunt subjectum et prædicatum, et non nomen et verbum. Quod autem dicitur apposito vel diviso esse vel non esse, non dicitur nisi propterea quod affirmativa vel negativa potest esse propositione.

Tamen sciendum quod esse et non esse quod notat cohærentiam vel divisionem prædicati a subjecto, cum prædicato semper clauditur, sicut in *Perihermenias* est dictum. Sic et si prædicatum secundum se totum consideretur secundum quod refertur ad subjectum, duo habet in se, scilicet esse vel non esse, quod notat inhærentiam vel divisionem prædicati a subjecto, vel cum subjecto, et cum hoc

dicit rem quæ esse vel non esse illud specificat, ut Socrates legit, sensus est, est legens: et esse specificatur lectione, et hoc est prædicatum totum simul, esse scilicet, et id quod esse specificat: quia sicut in scientia *Perihermenias* determinatum est, compositio (quæ esse dicit et significat in hoc verbo *est*) tenet se ex parte prædicati, et aliquando etiam per seipsum prædicatur, sicut in propositionibus in quibus non tertium, sed secundum adjacens prædicatur, ut homo est, non homo est: et hoc est tam in affirmativis apposito esse significante, quam in negativis in quibus significat non esse. Hic est igitur terminus in quo stat resolutio propositionis syllogisticæ quoad figuram quæ cognoscitur habitidine et positione terminorum.

## CAPUT V.

*De syllogismo quid sit secundum definitionem.*

Syllogismus autem qui componitur immediate quidem ex propositionibus et mediate ex terminis, in universalis quidem et non in hac vel illa materia acceptus, est oratio in qua quibusdam positis aliud quid ab his quæ posita sunt, ex necessitate accedit ab his quæ posita sunt. Accedit autem eo sive ideo quod hæc sunt posita, scilicet et præmissa: ista enim debent in syllogismo esse causa consequentiæ conclusionis: hoc est enim dictum, *eo quod hæc sunt*, quod scilicet sit conclusionem propter hæc contingere sive sequi. Propter hæc autem quæ posita sunt sequi sive contingere tunc accedit, quando nullius termini vel propositionis apponendæ extrinsecus indiget præter ea quæ sunt de substantia syllogismi in figura et modo, quæ sunt tres termini, et duæ propositiones.

Hæc autem sic explanantur quod syllogismus dicitur *oratio* et non orationes, quia quamvis in syllogismo ponantur duæ propositiones, quæ sunt orationes et

non oratio, tamen prout in syllogismo ponuntur, non ponuntur ut orationes, sed ut oratio propter tres causas. Quarum prima et potissima est, quia uniuersatur in medio uniente extremitatis in omni figura: et quæ sunt unita in formali principio, non sunt principaliter multa, sed potius simpliciter unum, materialiter autem et secundum aliquid multa. Secunda causa est, quia minor ut restringens majorem in syllogismo ponitur: quod autem restringit et coarctat aliud, non cadit cum eo in numerum: et sic iterum ambæ propositiones coarctantur ad unum. Tertia causa est, quia ambæ præmissæ referuntur ad unam orationem quæ est conclusio: et quæ in uno fine uniuntur, non simpliciter sunt diversa, sed relata ad unum finem: et ideo syllogismus congruentius dicitur oratio quam orationes, præcipue quia syllogismus est unum ordine ad unum: et ideo quæ componunt ipsum, ordine ad invicem et ad unum sunt unum.

Quod autem dicitur *in qua*, dicitur propter necessarias propositiones, quæ ad probandum vel declarandum inducuntur, quæ non sunt intra syllogismum, sed extra substantiam ipsius.

Quod autem dicitur *quibusdam*, dicitur propter enthymema, in quo non quædam orationes, sed potius una propositione ponitur: et ex illa concluditur sicut in syllogismis fit rhetoriciis.

Quod autem dicitur *positis*, hoc duo dicit: positum est enim quod est ordine congruo secundum ordinem et locum dispositum: et sic per hoc quod dicitur *positis*, omnes excluduntur inutiles conjugationes: quia in illis nulla propositionum in ordine et loco bene est disposita. Positum etiam dicit idem quod concessum, et sic ponitur ibi propter syllogismum dialecticum, cujus propositiones interrogant respondentis consensum: propter quod etiam Boetius in *Topicis*, ubi eamdem ponit diffinitionem, addit dicens *positis et concessis*.

*Aliud* autem ab his quæ posita sunt

additur, propter conclusionem quæ quamvis materialiter non simpliciter sit aliud a præmissis, quia componitur ex majori et minori extremitatibus quæ sunt partes majoris et minoris propositionis, tamen formaliter est aliud a præmissis, sicut effectus et principiatum aliud sunt a causa et principio a quibus causantur et principiantur. Dicitur autem etiam *aliud* propter ejus quod est in principio petitionem, non quidem secundum quod est locus sophisticus, sed secundum quod est peccatum contra syllogismum, sicut in sequentibus istius scientiæ in secundo libro determinabitur.

Quod autem dicitur *ex necessitate accidere vel sequi*, de necessitate consequentiæ intelligitur, et non de necessitate rei, vel consequentis. Hoc etiam quod dicitur de necessitate accidere, dicitur propter inductionem et exemplum, in quibus consequentia non est necessaria.

Quod autem additur *eo quod hæc sunt*, quæ sunt causa illationis et consequentiæ, dicitur propter non causam ut causam, non in quantum est locus sophisticus, sed potius ut non causa ut causa peccatum est contra syllogismum, sicut in secundo hujus scientiæ libro determinabitur. Et sic patet qualiter dicta diffinitio syllogismi esse syllogismi diffinit, et ipsum ab omnibus aliis excludit.

Dicitur enim *propter ea quæ præmissa sunt contingere*, ita quod hoc idem est quod nullius extrinseci, termini scilicet vel propositionis indigere ut fiat, hoc est, ut appareat necessaria, hoc est, necessario concludens. Et quamvis non indigeat extrinseco quod sit propositione vel terminus, tamen ut appareat necessarium quod in se necessarium est, indiget aliquando syllogismi vel propositionis proprietate, sicut est conversio in propositione, et sicut est reductio in syllogismo: aliter enim syllogismi secundæ et tertiaræ figuræ non apparetur necessarii, nisi ad primam figuram reducantur. Hæc est igitur assignatio data de syllogismo.

Aliter etiam a quibusdam exponitur

inducta diffinitio, et multis modis : sed ad præsentem speculationem sufficit quod dictum est. Sed hoc advertendum, quod dicta syllogismi diffinitio generaliter convenit omni syllogismo, et maxime illi quem dicimus esse simplicem : quia ille nullam habet necessitatem, nisi illam quæ dicitur necessitas illationis simplicis ex figura et modo : alii autem particulares syllogismi probationem rei conclusæ habent præter necessitatem illationis<sup>1</sup>.

## CAPUT VI.

*Quis syllogismus est perfectus et quis imperfectus.*

Dividendo autem syllogismum, quod quidam syllogismus est perfectus, et quidam imperfectus, non dicitur dividi syllogismus secundum speciem, sed secundum apparentiam quoad nos. Omnis syllogismus qui habet tres terminos et duas propositiones disposita in modo et figura quacunque trium figurarum, perfectus est in esse syllogismi, et non indiget ad esse syllogismi. Syllogismus tamen tertiae figuræ vel secundæ imperfectus dicitur quoad hoc quod appareat ejus consequentia, indiget aliquando reductione ad aliquem modum primæ figuræ, et aliqua conversione propositionum, ut appareat necessaria ejus consequentia : et ideo uterque tam perfectus quam imperfectus syllogismus est, et rationem habet syllogismi, eo quod de substantialibus syllogismi neutri aliquid deest : et imperfectus non dicitur imperfectus, nisi quoad bene esse, et non quoad esse.

Sic ergo dividendo syllogismum, dicimus quod perfectum voco syllogismum qui nullius alicujus sive alterius indiget præter ea quæ sumpta sunt in terminis et propositionibus : quamvis enim aliis in esse syllogismi sit perfectus, tamen

quantum ad præsentem intentionem spectat, hunc voco perfectum, qui etiam in apparentia perfectus est ex his quæ continet intra seipsum ad hoc ut appareat necessarium, hoc est, quod consequentia qua concludit, appareat necessaria. Imperfectum autem illum voco syllogismum, qui non ad hoc ut sit syllogismus, sed ad hoc ut appareat nobis necessarium, indiget uno vel pluribus sive indiget unius vel plurium secundum Græcos qui carent ablativo, et genitivum ponunt pro ablativo. Dico autem *unius* : quia aliquando non indiget nisi sola propositionum conversione ad hoc quod reducatur in syllogismum perfectum : aliquando indiget plurium ut reducatur, sicut conversione et transpositione, sicut patebit in sequentibus, ubi dicitur de syllogismorum imperfectorum secundæ et tertiae figuræ ad perfectos reductione, qui in prima figura perfecti sunt.

Hæc autem quibus indiget, necessaria sunt et necessarium faciunt syllogismi consequentiam per sumptos terminos, quorum habitudine et situ naturali constituitur figura. Non autem necessaria sunt per sumptas et positas in syllogismo propositiones : quia in conversione, quando per conversionem reducitur syllogismus imperfectus ad perfectum, non manent eadem propositiones : quia conversa et illa in quam convertitur, non sunt propositiones una : quamvis termini iidem maneant et eundem situm naturalem servent, vel intra extrema, vel ante ea, vel post ipsa. Isti igitur et tales sunt syllogismi perfecti et imperfecti.

<sup>1</sup> Ex hoc loco colligitur duplē esse syllogismum, scilicet *illativum* tantum, qualis est syllogismus incontractus, et *illativum probati-*

*vumque*, ut syllogismus contractus ad materiam ex veris procedens. P. J.

## CAPUT VII.

*De in toto esse, et de omni, et de nullo prædicari, que sunt syllogismorum perfectorum principia.*

Post hæc dicamus de principiis syllogismorum perfectorum et imperfectorum: quia de illis etiam antequam de syllogismis tradamus, oportet quædam præconoscere. Principia autem syllogismorum perfectorum sunt duo, scilicet dici de omni, et dici de nullo. De istis igitur primo determinandum est. Dicimus igitur quod in toto esse unum in altero, et unum prædicari de omni altero idem est quoad suppositum et quoad substantiam. Differunt tamen ratione: quia in toto esse alterum in altero dicit comparationem subjecti ad prædicatum, eo quod subjectum est in prædicato proprie loquendo, sicut materia in forma continente. De omni autem prædicari dicit comparationem prædicati ad subjectum, eo quod de omni prædicari est quoddam dici de altero: de altero autem dici est prædicatum de subjecto dici, sicut patet per antedicta.

Objectio.

Si autem quis objiciat quod de omni est dispositio subjecti et conditio pertinens ad subjectum, et ideo non possit dicere comparationem prædicati ad subjectum: sed magis e converso videatur comparationem subjecti ad prædicatum, Dicendum quod quamvis signum distributivum ad subjectum referatur, tamen dici de omni proprium est prædicati: quia dici de omni non est aliud, nisi prædicatum cuilibet parti subjecti inesse, et quod pro qualibet parte stet subjecti, hoc facit signum universale distributivum: et ideo dici pertinet ad prædicatum, et etiam dici de omni: sed quod pro qualibet parte prædicatum attribuatur subjecto, facit signum distributivum. Dicimus igitur de omni prædicari, quando nihil est sumere subjecti, hoc est, partium

In toto esse  
et dici de  
omni ratio-  
ne differunt.

Solutio.

subjecti, de quo alterum quod est prædicatum non dicatur.

Et attende quod quamvis omne et totum sint ambo signa distributiva universaliter, tamen in hoc differunt, quod totum proprie distribuit pro partibus integralibus, omne autem pro partibus substantivis. Similiter autem non est idem dicere, quando nihil est sumere subjecti, et dicere, quando nihil est sumere sub subjecto: quia quando dicitur sic, quando nihil est sumere subjecti, tunc intelligitur quod nulla partium subjecti excipitur sive sit integralis sive subjectiva: quia et integralis est aliquid subjecti, et etiam subjectiva aliquid est subjecti. Quando autem dicitur, quando nihil est sumere sub subjecto, non stat nisi pro partibus subjectivis: quia illæ solæ sumuntur sub subjecto sicut communi: integrales autem non sumuntur sub subjecto, quia totum subjectum non prædicatur de ipsis. Et ideo in toto esse melius explanatur sic dicendo, quod in toto esse et de omni prædicari est, quando nihil est sumere subjecti de quo prædicatum non dicatur, quam si sic dicatur, quod in toto esse et de omni prædicari est, quando nihil est sumere sub subjecto de quo prædicatum non dicatur.

Differenti  
inter om  
et totum

Hæc autem quæ dicta sunt omnia vindentur convenire indefinitæ propositioni quando sumitur in materia necessaria, cum sic dico, homo est animal, nihil est sumere subjecti de quo prædicatum non dicatur, et sic talis indefinita videtur esse universalis. Et ad hoc dicendum quod cum dicatur, quod dici de omni est quando nihil est sumere subjecti de quo prædicatum non dicatur, quod tunc stat subjectum actualiter pro partibus, quia actu distributum est pro partibus: sed cum subjectum est indefinitum, non stat pro partibus nisi potentialiter et habitualiter: et ideo indefinita non est universalis actu, etiam quando est in materia necessaria. Eodem autem modo dicendum est de eo quod est de nullo prædicari.

Object

Soluti

## CAPUT VIII.

*Qualiter conversio principium est imperfecti syllogismi, et quid sit conversio.*

Quia conversio propositionum in terminis eisdem facta est principium per quod perficitur syllogismus imperfectus, oportet praemittere de conversione et tractare de ipsa inter alia principia syllogismorum, de quibus tractatur ante doctrinam syllogismi simpliciter: et ideo vindendum est quid sit conversio. Est autem conversio propositionis in terminis sicut terminorum transpositio, ut subjectum fiat praedicatum, et e converso de praedictato fiat subjectum: per hoc enim syllogismi secundæ et tertiae figuræ imperfecti reducuntur ad primam figuram, cuius syllogismi perfecti sunt secundum evidentiam necessitatis consequentiæ, qua syllogismi sequitur conclusio, ut si dicam, nullum A B et nullum B A, vel quoddam A B et quoddam B A, vel omne A B et quoddam B A: his enim modis fiunt conversiones propositionum in terminis eisdem.

Propter quod etiam conversionem per contrapositionem hic conversionem non vocamus: quia in tali conversione iidem termini non manent, sicut si dicam *omnis homo animal*, et convertam reflectendo oppositum de opposito, et dicam, *omne non animal non homo: non homo* enim et *non animal* non sunt iidem termini cum his, *homo animal*, qui sunt termini ejus propositionis quæ est conversa. Hæc igitur quæ est per contrapositionem conversio, non est conversio nisi valde extensa et communi significazione hujus nominis conversio, ut omnis reflexio propositionis conversio dicatur: qua sive in terminis sive in oppositis terminorum praedicatum reflectitur in subjectum. Hoc autem modo hic non loquimur de conversione, sed tantum de illa quæ est in eisdem terminis, sicut eorumdem terminorum transpositio: hæc enim

proprie dicitur conversio: de illa vero est quæ per contrapositionem omittimus.

Attendendum quod quamvis tres viæ sint perficiendi syllogismos imperfectos, scilicet conversio, expositio, et deductio ad impossibile, tamen non præmittimus hic nisi de conversione: quia expositio est per aliquod sensibile determinatum; sensus autem in nobis sunt: et ideo sensibilium non oportet tradere doctrinam. Deductio autem ad impossibile syllogizandi est modus quidam: et ideo non ante artem syllogizandi doceri potest, sed potius ex ipsa arte jam tradita ducendus est talis syllogizandi modus. Dicamus igitur quod jam diximus, quid conversio per diffinitionem.

Sed adhuc restat dicendum in quo genere sit instrumentorum artis et doctrinae. Dudum enim determinatum est, quod *instrumenta logica sunt diffinitio, division, et argumentatio.* Scientia logica est scientia docens per notum devenire ad ignoti cognitionem. Hoc autem est aut incomplexum, vel complexum. Et si est incomplexum, devenitur in cognitionem ipsius diffinitione, vel divisione, vel utroque modo, sicut in scientia divisionum dictum est. Et si est complexum, devenitur in cognitionem ipsius argumentatione. Si ergo conversio est unum principiorum doctrinæ logicæ, tunc oportet, quod doceat venire ex cognito ad incongnitum: erit ergo aliquod dictorum trium, scilicet aut diffinitio, aut divisio, aut argumentum: constat autem quod non est diffinitio vel divisio, videtur ergo quod incidat in genus argumenti: et hoc multi concesserunt.

Et si quæritur ab eis, in specie cuius sit argumentationis? Dicunt quod in specie sive genere sit enthymematis. Non enim habet tres terminos actu et duas propositiones, ut possit dici syllogismus: nec infert ex simili aliquo, ut possit dici exemplum: nec inducit partes, ut inferat universale sicut inductio. Si igitur est argumentatio aliqua, relinquitur quod sit enthymema.

Si autem objicitur istis quod enthymematis *objectio.*

mema habet tres terminos secundum rationem, sicut syllogismus, propter retentam in animo sive in mente propositionem, a qua etiam enthymema vocatur : et si illa apponatur, tunc enthymema habet tres terminos et duas propositiones, et erit syllogismus : propter quod enthymema est potentia syllogismus : conversio autem si fiat in terminis non habet nisi duos terminos : et ideo conversio ad enthymema non potest reduci. Respondent isti qui dicunt conversionem esse enthymema, quod conversio habet duos terminos actu et tres secundum rationem : quia unus in duplice sumitur ratione, sicut in syllogismo ex oppositis duo sunt termini tantum, et tres secundum rationem, eo quod unus sumitur in duplice ratione, sicut si dicam, nulla disciplina studiosa : omnis disciplina studiosa : ergo nulla disciplina est disciplina. Vel nulla voluptas bonum : omnis voluptas bonum : ergo nulla voluptas est voluptas. Et hoc modo dicunt de conversione, quod habet duos terminos numero et actu, sed tres secundum rationem : si enim dicam sic, nullam A B, nullum : B A A quidem qui alter terminus in duplice sumitur ratione, et ideo efficitur syllogismus per additionem minoris propositionis sic, nullum B A, omne A A ; ergo nullum A B, quae est conversa primæ propositionis quae dixit nullum B A, et est iste syllogismus primus secundæ figuræ : et sic enthymema quod est conversio simplex universalis negativæ, est potentia syllogismus primus secundæ figuræ. Similiter est de enthymemate quod est conversio universalis affirmativæ, illius enthymema est hoc, omne B A, ergo aliquod A B : hoc enim enthymema est juxta primum modum tertiae figuræ : et fit syllogismus primus tertiae figuræ per additionem majoris sic, omne B A, omne B B, ergo aliquod A est B, quae fuit in quam convertebatur universalis affirmativa. Et sic dicunt quod conversio est enthymema quoddam quod reducibile est dicto modo in syllogismum.

**Solutio.**

Contra istos tamen objicitur : quia si *Contra illuc* conversio est enthymema, et enthymema illud perficitur reducendo ipsum ad syllogismum imperfectum secundæ vel tertiae figuræ, constat quod perficitur syllogismo imperfecto : sed et ille syllogismus cum sit imperfectus, habet perfici per reductionem ad primam figuram : et hic non potest fieri nisi per conversionem alterius propositionis : ergo conversio perficit syllogismum imperfectum : et syllogismus imperfectus perficit enthymema, quod est conversio : ergo inter syllogismum et conversionem est circularis perfectio : quia utrumque perficit alterum, et utrumque perficitur ab altero : quod est valde inconveniens. Sequitur enim quod utrumque est perfectum et non perfectum, quod esse non potest : quia contradictoria non verificantur de eodem simul.

Si forte aliquis adhuc respondeat quod non est inconveniens, quia et syllogismus perficiat enthymema quod est conversio, et e converso conversio perficiat syllogismum : quia non est una et in una ratione sumpta perfectio : quia syllogismus perficit conversionem quae est enthymema quoad necessitatem consequendi et inferendi conclusionem, quia hanc necessitatem enthymema de se non habet : sed conversio perficit syllogismum non quoad necessitatem, quia illam de se habet syllogismus, sed perficit ipsum quoad necessitatis evidentiam, quia hanc non habet nisi educatur per conversionem ad primam figuram : et sic cum non secundum idem perficiantur a se invicem, non est inconveniens quod utrumque perficiat aliud et perficiatur ab illo. Si, inquam, aliquis sic dicat, videtur contra hoc esse, quod cum syllogismus conferat enthymemati necessitatem, non potest conferre necessitatem quam non habet : non habet necessitatem nisi per conversionem per quam reducitur ad perfectionem : de se ergo syllogismus non habet necessitatem sicut imperfectus : ergo perfectionem non confert enthymemati quod est conversio, sed per conversionem : ergo oportet quod

*Evasio b.  
na.*

*Contra.*

conversio secundum se sit perfecta et evidentis necessitatis: et sic non accipit perfectionem a syllogismo hoc enthymema quod est conversio. Si enim diceretur quod conversio perficiens syllogismum imperfectum non de se haberet necessitatem, sed acciperet eam ab alio, oportet quod illud abiret in infinitum.

Ad hoc tamen etiam respondere isti conantur dicentes, quod pro certo enthymema quod est conversio, perfectionem consequentiae et necessitatem accipit a syllogismo. Sed syllogismus imperfectus non accipit nisi evidentiā necessitatis a conversione: sed conversio a reductione in syllogismum perfectum accipit necessitatem consequentiae.

Quamvis autem hanc viam multi tenuerint, tamen nobis magis videtur, quod conversio non sit formaliter loquendo enthymema, neque etiam aliqua argumentatio, et quod conversio in doctrina sive arte nihil probat: sed sumit conversam: nec inter conversas simpliciter est diversitas sicut inter probans et probatum, sed conversio sumptio est ejusdem secundum situm transmutati. Et propter hoc dicendum esse videtur, quod conversio est proprietas et habitudo eorumdem terminorum per esse et non esse in affirmativa et negativa conjunctorum secundum situm diversum: conversio enim primo est terminorum, sicut in præhabitatis dictum est, propositionem in terminis converti: sed hoc per sequentia magis erit manifestum: convertitur enim propositio per sumptos terminos et non per sumptas propositiones. Hoc autem maxime videtur ex hoc probari, quod si conversio esset enthymema, oporteret illud enthymema reduci in syllogismum imperfectum, et illum syllogismum imperfectum per conversionem oporteret reduci in syllogismum perfectum. Si autem convertitur altera propositio syllo-

gismi imperfecti, et sic reducitur, conversa erit eadem cum enthymematis conversione, quod est conversio, et syllogismi qui formatus est ex enthymemate. Illa ergo conversio non erit aliud a præmissis, quod est contra syllogismi diffinitionem datam in ante habitis, ubi dictum est quod syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliud necesse est accidere. Et sic videtur quod conversio nulla sit argumentatio, sed quædam terminorum primo et propositionis per consequens passio, et quod non probat, sed sumit idem ex eodem, differente tamen secundum situm terminorum.

Dicendum igitur quod conversio non est argumentum: omne enim argumentum reducibile est in syllogismum: et ideo oportet quod in omni argumento sint termini ex quibus fiant duæ propositiones, et una conversio diversa a præmissis quæ non sunt in conversione: et talis consequentia quæ est ex tribus terminis et duabus propositionibus ad inferendam conversionem a præmissis diversam, est in omni argumentatione, et est substantialis ei: propter hoc quod omnis argumentatio habet reduci ad syllogismum. Cum igitur conversio non sic habeat tres terminos et duas propositiones a conversione diversas, non potest habere talem virtutem consequentiae. Est autem et alias modus consequentiae qui est convertentiae consequentia, quando aliquid sub uno situ partium sequitur ad seipsum sub alio partium situ: et hoc modo una propositio infert suam conversam, quæ eadem est illi quamvis sub uno situ partium est magis nota, et sub alio situ minus nota: et secundum quod est magis nota, infert suam conversam sub alio situ minus notam<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Quomodo conversio est quidam modus consequentiae. Contra: si sic, posset ergo facere fidem, et sic posset reduci ad argumentationem. Respondeatur quod aliqualem facit fidem,

## CAPUT IX.

*De conversione propositionum secundum terminos.*

Quoniam autem, sicut in *Perihermenia* dictum est, omnis propositio significat aut simpliciter inesse sine modo aliquo determinante compositionem, aut significat necessario inesse modo necessitatis determinante compositionem, aut significat contingenter inesse modo contingentis determinante compositionem: oportet determinare conversionem in istis, qualiter videlicet istæ propositiones convertuntur. Et non dicimus aliquid de indefinita: quia eamdem cum particulari habet conversionem. Nec dicimus aliquid de singulari, quia ad sensum determinatur et ideo sub arte non cadit.

Istæ autem propositiones sive sint de inesse simpliciter, sive de modo necessitatis vel contingentis, quædam quidem sunt affirmativæ, quædam autem negativæ secundum unamquamque allocutionem sive propositionem, hoc est, de inesse, et de necessario, et contingent. Rursum autem ulterius dividendo per quantitatem tam earum quæ sunt de inesse, quam illarum quæ sunt de necessario et contingent, affirmativarum et negativarum quædam sunt universales, et quædam particulares, et quædam indefinitæ: oportet de omni harum conversione tractare.

Dico igitur quod universalem quidem privativam sive negativam necesse est in eisdem terminis converti manente eadem quantitate et qualitate, mutato tantum situ terminorum: et hæc vocatur conversio simplex, in qua nihil mutatur nisi situs terminorum, sicut si dicam, quod *nulla voluptas est bonum*, et convertam in hanc, *nullum bonum voluptas*. Prædicativam autem sive affirmativam con-

verti quidem est necessarium, sed non sub eadem quantitate, sed sub eadem qualitate: unde non convertitur universaliter sed particulariter, ut si detur, quod *omnis voluptas bonum*, convertitur in *bonum quoddam esse voluptatem*: et hæc est conversio universalis in particularem. Particularium autem propositionum duæ sunt, affirmativa scilicet, et negativa. Et affirmativam quidem particularium necesse est simpliciter converti manente eadem quantitate et qualitate, sicut *quædam voluptas est bonum*, et *bonum quoddam necesse est esse voluptatem*. Particularem autem privativam sive negativam non necessarium converti, vel potius (quod melius dicitur) necesse est particularē negativam non converti: cujus probatio est per exemplum: quia dato quod homo non inest alicui animali, sicut patet, quod aliquod animal non est homo, non propter hoc sequitur, quod animal non insit alicui homini, ita quod quis homo non sit animal.

Hoc autem quod dictum est, probatur per syllogismum deducentem ad impossibile: et primo ostendamus hoc in universalī privativa sive negativa. Et quia de syllogismo loquimur simplici, qui tantum formaliter syllogismus est, et in omni materia habet poni, et nullius materiæ est proprius, ideo terminis utimur transcendentibus, nihil et omnia significantibus<sup>1</sup>. *Nihil* dico, quia nullam determinant materiam. *Omnia* vero dico significantibus: quia omnibus materiis sunt applicabiles, sicut sunt A, B, C. Et in his, secundum consuetudinem Aristotelis, semper primus est prædicatum, secundus autem de quo prædicatur. Hos igitur terminos accipientes dicimus, quod privativa sive universalis negativa sit hæc quæ designatur per A B: si enim nulli eorum quæ sunt B inest A, dico quod per convertentiam sequitur, quod nulli eorum quæ sunt A inerit B, et hoc est di-

<sup>1</sup> Quare Aristoteles utitur terminis ignotis A, B, C, et hoc idem declarat Averroës hic, et Boe-

tius in libro *de syllogismo categorico*.

ctu, quod nullum  $B$  est  $A$ , sequitur per convertentiam quod nullum  $A$  est  $B$ . Et si dicatur quod non sequitur, detur oppositum: hoc enim potest stare cum præmissa, si non sequitur: oppositum autem est, aliquod  $A$  est  $B$ , et sic aliquid sumptum sub  $A$  est  $B$ , sit illud  $C$ ; sequitur ergo quod  $C$  quod erat  $B$  est  $A$ : ergo non fuit verum, quod nullum  $B$  esset  $A$ : hoc autem est contra hypothesis: quia datum fuit, quod nullum  $B$  esset  $A$ ; quia aliter contradictoria verificabuntur de eodem: ex quo  $C$  directe sumitur sub  $A$ , oportet quod  $C$  sit aliquid eorum quæ sunt  $A$ ; sicut Socrates est aliquid eorum quæ sunt animal.

Similiter autem probatur, quod universalis affirmativa convertitur in particularem affirmativam: sed non est simplex conversio: quia non est eadem quantitas in conversa, et in ea in quam convertitur, ut causa exempli si dicam, quod omni  $B$  inest  $A$ , hoc est, quod omne  $B$  est  $A$ , convertitur in hanc quod alicui  $A$  inest  $B$ , sive quod aliquod  $A$  est  $B$ . Si enim detur, quod non sequitur, detur oppositum: hoc enim potest stare cum præmissa si primum non sequebatur: oppositum autem contradictorie est, nullum  $A$  est  $B$ : hoc enim contradictorium est ad hoc, aliquod  $A$  est  $B$ ; et hoc non potest stare cum hoc, omne  $B$  est  $A$ , et ex hoc sequitur, quod nullum  $B$  est  $A$ : erunt ergo simul veræ, omne  $B$  est  $A$  et nullum  $B$  est  $A$ , quod esse non potest cum sint contrariae. Contrariae autem non possunt simul esse veræ.

Eodem modo probatur, quod particularis affirmativa convertitur simpliciter. Si enim detur, quod inest  $A$  alicui  $B$ , hoc est, quod aliquod  $B$  est  $A$ , tunc necesse est per convertentiam, quod etiam  $B$  insit alicui eorum quæ sunt  $A$ , hoc est, quod aliquod  $A$  sit  $B$ . Si enim dicatur quod hoc non sequitur, tunc dare oportet quod oppositum conclusionis stare potest cum præmisso: oppositum autem con-

clusionis est, quod  $B$  nulli eorum quæ sunt  $A$  insit, hoc est, quod nullum  $A$  sit  $B$ , et cum universalis negativa convertitur in hanc, nullum  $B$  est  $A$ : et hæc non potest stare cum hac, aliquid  $B$  est  $A$ , quia est ejus contradictoria. Oportet igitur quod simpliciter convertatur particularis affirmativa.

Particularis autem negativa non est convertibilis, neque simpliciter, neque in aliam quantitatem<sup>1</sup>. Si enim concedatur quod  $A$  non inest alicui eorum quæ sunt  $B$ , hoc est, aliquod  $B$  non est  $A$ : non est necesse quod et  $B$  non insit alicui  $A$ , hoc est, quod aliquod  $A$  non sit  $B$ , et hoc ut facilior sit doctrina, ponamus in terminis: sit enim  $B$  animal,  $A$  vero sit homo. Homo igitur non omni inest animali, quia non omne animal est homo: animal vero inest omni homini, quia omnis homo est animal.

## CAPUT X.

*De solutione instantiarum quæ videntur esse contra inductas conversiones.*

Sophisticæ tamen quædam instantiæ Primum argumentum. contra inductas conversiones esse videntur: si enim universalis negativa generatiter convertitur simpliciter in omni materia et allocutione sive enuntiatione: tunc sequitur semper si ea est vera quæ convertitur, est etiam illa vera in quam convertitur: est autem hæc vera, *nullus senex erit puer*: ergo et hæc est vera, *nullus puer erit senex*, quæ aperte falsa est.

Sed similiter est de his, *nullum dolium est in vino*: et sequitur ex hoc, quod *nullum vinum est in dolio*, quod aperte falsum est. Quidam etiam ponunt hanc, *nullus civis est fœmina*: ergo *nulla fœmina est civis*: sed hoc non est adeo expressum, quia *civis* est communis generis.


Similiter autem contra hoc quod di- Tertium.

matriæ, ut dicit Aristoteles hic.

<sup>1</sup> Hoc intellige gratia formæ et non gratia

etum est, quod non convertitur particularis negativa videtur objici: dictum est enim quod convertitur universalis negativa: accipiam ergo illam, nullum *B* est *A*, et ex illa inferam istam, quoddam *B* non est *A*, et accipiam conversam primæ, hanc scilicet, nullum *A* est *B*, et ex illa inferam hanc, quoddam *A* non est *B*; et arguo sic, si nullum *B* est *A*, ergo aliquod *B* non *A*, et si nullum *A* est *B*, aliquod *A* non est *B*: ergo a secundo ad quartum, si aliquod *B* non est *A*, aliquod *A* non est *B*: et sic videtur converti particularis negativa: quod jam ante negatum fuit.

*Nullum B est A; aliquod B non est A. Nullum A est B; aliquod A non est B.*



Solutio pri-  
mi.

Regulæ ap-  
pellatio-  
num.

Ad hæc autem solvenda et similia duo prænotanda sunt, scilicet regulæ appellationum et consequentiarum. Regulæ autem appellationum sunt, quod nomen *homo* supponens verbo præteriti vel futuri temporis potest appellare pro homine qui est, vel qui fuit, si verbum est præteriti temporis: vel pro homine qui est, vel qui futurus est, si est verbum futuri temporis. Adhuc autem verbum resolvendum est ad verbum substantivum præsentis temporis. Et secundum has regulas cum dicitur, *nullus puer erit senex*, sensus est, quod nullus existens puer vel futurus puer est senex: et hæc vera est sicut sua conversa, hæc scilicet *nullus senex erit puer*: est enim sensus,

<sup>1</sup> Vult dicere quod variatur modus arguendi, et ideo non valet argumentum. Posset etiam

quod nullus existens jam senex vel futurus senex est puer.

Similiter cum dicitur, *nullum dolium est in vino*, secundum ea quæ dicta sunt non convertitur in hanc, *nullum vinum est in dolio*, sed potius in hanc, nullum existens in vino est dolium: quia et in conversa et in ea in quam convertitur, oportet unam observare habitudinem terminorum.

Similiter etiam ad id quod objicitur in

Solutio ter-  
tiæ.

particulari negativa, non est difficile respondere: quia non est verum, si duo sunt quorum unum sequitur ad alterum, quod propter hoc omne quod sequitur ad consequens sequitur etiam ad antecedens, nisi in consequentia tali, in qua unum substantialiter sequitur ad alterum: et ideo non sequitur, si ad universalem negativam sequitur particularis negativa, et si ad conversam universalis negativæ sequitur conversa particularis negativæ, quod propter hoc ad particularem negativam sequatur conversa particularis negativæ<sup>1</sup>: sed peccat argumentum secundum consequens: quia quod particularis sequitur ad universalem, non est ex conversione, sed ex hoc quod universalis infert particularem: quando autem particularis ponitur antecedens: tunc non potest inferre conversam generaliter, sicut in terminis ante habitis probatum est: et ideo patet quod istæ instantiae non interimunt hoc quod dictum est.

## CAPUT XI.

*De conversione propositionum de neces-  
sario.*

Post propositionum de inesse simpli- Ratio ordi-  
citer conversionem, determinandum est  
de conversione propositionum de neces-  
sario: quia istæ similem habent conver-  
sionem cum illis quæ sunt de inesse sim-

dici quod argumentum a commutata proposi-  
tione non valet nisi in numeris. P. J.

pliciter: illæ autem de contingente conversionem habent dissimilem: et ideo conversio illarum quæ sunt de necessario inesse subjungenda est conversioni illarum quæ sunt de inesse. Dicamus igitur, quod eadem se habebit conversio in necessariis propositionibus sive in propositionibus quæ sunt de modo necessitatis, sicut in illis de inesse: quia universalis privativa sive negativa de necessario universaliter et simpliciter convertitur sicut universalis negativa de inesse. Affirmativarum autem propositionum de necessario, quarum una est universalis affirmativa et altera particularis affirmativa, utraque per eumdem modum convertitur, sicut universalis affirmativa et sicut particularis affirmativa de inesse simpliciter: convertitur enim utraque particulariter, hoc est, per particularem affirmativam.

Horum autem quæ dicta sunt exempla sunt hæc. Accipiamus enim universalem negativam de necessario: et sit hæc, *A* nulli *B* necesse est inesse: sive hæc, necesse est nullum *B* esse *A*: tunc sequitur per conversionem, quod necesse est *B* nulli *A* inesse: sive sic, necesse est nullum *A* esse *B*: aut enim hoc sequitur aut non. Si sequitur habetur propositum. Si non sequitur, tunc oppositum conclusio-  
nis stabit cum præmissa. Detur ergo op-  
positum conclusionis, et est hæc, quod *B* contingit alicui *A*, hoc est, quod aliquod *A* est *B*, vel quod aliquod *A* contingit esse *B*: oppositum enim conclusionis est, non necesse est nullum *A* esse *B*; sed hæc con-  
vertitur cum illa, contingit aliquod *A* esse *B*, et si contingit aliquod *A* esse *B*, tunc etiam contingit e converso aliquod *B* esse *A*: hæc autem condicit primæ, huic scilicet, de necessitate nullum *B* esse *A*, et sic patet quod sequitur de necessitate nullum *A* est *B*: ergo de necessitate nullum *B* est *A*.

Non enim vocamus hic propositiones negativas quæ sunt de modo negato, sed eas quæ sunt negativæ de dicto sive de esse vel non esse, cuius ratio est, quia

propositiones de necessario, quæ sunt de modo negato, sicut cum dicitur, non esse est *A* esse *B*, vel non necesse est *A* non esse *B*, secundum ipsam rem et realem compositionem sunt de contingenti: hæc enim, non necesse est esse, æquivalet illi quæ dicit, contingit non esse: et similiiter illa quæ est negativa modi contingentis secundum rem est de necessario, ut patet: quia hæc, non contingit esse, æquipollit illi quæ dicit, necesse est non esse. Et ideo in tota ista scientia libri hujus negativæ et affirmativæ di-  
cuntur negativæ vel affirmativæ de esse et non esse, et non de affirmatione vel negatione modi. Eodem autem modo est de universalis affirmativa et particulari affirmativa de necessario, quod conver-  
tuntur particulariter sicut illæ de inesse. Si enim detur, quod *A* ex necessitate inest omni vel alicui *B*, ut sic dicatur, de necessitate omne *B* est *A*, vel sic in parti-  
culari, de necessitate aliquod *B* est *A*, sequitur tam ex universalis affirmativa quam ex particulari affirmativa, quod ex necessitate aliquod *A* est *B*. Si autem dicat aliquis quod non sequitur, et quod non necessario aliquod *A* est *B*, tunc etiam sequitur quod non necessario *B* est *A*: datum autem fuit quod vel omne vel aliquod *B* necessario fuit *A*.

Nec conturbetur aliquis, quod proban-  
tes hic quod universalis negativa de ne-  
cessario convertitur simpliciter, utimur in probatione contingente: cum tamen nihil adhuc probatum sit vel determina-  
tum de conversione contingentis. Non enim fundamus probationem nostram su-  
per conversionem contingentis, sed potius super ad impossibile deductionem sic: si necesse est nullum *B* esse *A*, erit conversa de necessario, quod nullum *A* est *B* de necessitate. Et si detur oppo-  
situm, quod scilicet non necessario nullum *A* est *B*, tunc aliquod *A* contingat esse *B*: ponatur ergo inesse, quod aliquod *A* sit *B*, ergo etiam aliquod *B* est *A*: quia parti-  
cularis affirmativa de inesse convertitur simpliciter: hæc autem, aliquod *A* est *B*

*Removet  
pulchram  
dubitatio-  
nem.*

non potest stare cum prima, nullum A de necessitate est B. Et talis probatio procedit: quia si contingit poni, potest accidere, et nihil sequi debet impossibile: sequitur autem impossibile, sicut ostensum est: quia si nullum B de necessitate est A, tunc haec est vera, nullum B est A; et sic illae erunt simul veræ, nullum B est A et aliquod B est A, quod est impossibile: convertitur ergo universalis negativa simpliciter.

Et eodem modo probatur, quod universalis affirmativa convertitur particulariter: detur enim, quod de necessitate omne B est A, dico quod sequitur ad hoc A de necessitate est B, vel detur oppositum, hoc scilicet, non de necessitate aliquod A est B, sequitur quod aliquod A contingit non esse B: ponatur ergo: erit ergo haec vera, non aliquod A est B; datum autem fuit, quod omne B de necessitate fuit A: ergo cum illa de necessario relinquat et ponat illam quæ est de inesse ante se, erit haec vera, omne B est A; sed haec convertitur particulariter, ut in ante habitis ostensum est: ergo ex hac, omne B est A, inferetur illa, aliquod A est B, et haec non potest stare cum ultima quæ dicit, non aliquod A est B.

Eodem modo probatur quod particularis affirmativa convertitur simpliciter in particularem: et haec est probatio quam intendimus.

## CAPUT XII.

### *De distinctione modorum quibus accipiatur contingens.*

Antequam autem determinemus conversionem propositionum de contingenti, oportet nos distinguere modos contingentis: eo quod multipliciter dicitur, et non in omnibus modis similem habent propositiones de contingenti conversationem. Dicamus igitur quod est contingens quod est necessarium: quia ad necessarium esse sequitur contingere esse: et est contingens non necessarium, quod se

habet ad utrumlibet, hoc est, ad esse et ad non esse: et hoc est duorum modorum, scilicet contingens natum, et contingens infinitum, quod æqualiter se habet ad esse et ad non esse. Et tertio modo dicitur contingens possibile, quod jam in praecedentibus ostendimus, est quasi genus ad necessarium et ad non necessarium: ostendimus enim quod possibile sequitur ad necessarium, sicut genus sive universale ad speciem suam: et hoc jamdudum in *Perihermenias* probatum est: et cum contingens sit convertibile cum possibili, erit etiam contingens hoc sicut genus commune ad contingens necessarium et ad contingens non necessarium, hoc est, ad contingens natum et ad contingens infinitum.

Et attende quod ista distinctio contingentis est potius modorum contingentis, quam specierum: et sic est accipienda divisio. Contingens dicitur secundum genus commune, aut secundum acceptiōnem specialem. Si dicitur secundum genus commune: tunc est contingens quod convertitur cum possibili, et hoc vocatur contingens commune: et quidam vocant ipsum altum, eo quod non descendit ad modum specialem: et multa accidentū sive convenientiū ei ratione communitatis talis, quæ non convenientiū specialibus modis contingentis: et ratione talium (quæ sibi singulariter convenientiū) ponitur hic cum aliis modis contingentis: quamvis enim sit commune in singulis inventum, tamen ratione eorum quæ sibi propter talem communitatem convenientiū, facit modum specialem diversum ab aliis modis contingentis.

Alius autem contingentis modus est, quo dicitur contingere id quod est necessarium: quia sequitur si aliquid necesse est esse, quod illud idem contingit esse: quod sic probatur. Ponatur enim talis consequentia, si necesse illud est esse, contingit esse: quæ sequitur, aut non sequitur. Si sequitur, habetur propositionem. Si non sequitur, detur oppositum: hoc enim stabit cum primo. Oppositum

autem ejus quod est contingere esse, est non contingit esse: sed quod non contingit esse, non possibile est esse: et quod non possibile est esse, impossibile est esse: et quod impossibile est esse, necesse est non esse: et hoc non est compossibile primo, quod est necesse esse: quia sequeretur quod id quod necesse est esse, non necesse est esse: quia quod necesse est non esse, non necesse est esse. Iste est ergo unus specialis et secundus modus acceptioonis contingentis.

Tertio modo dicitur contingens specialiter, quod est non necessarium, et non impossibile: non necessarium quidem ad esse, et non impossibile ad non esse. Et hoc tertio modo dictum contingens dividitur in duo, scilicet in contingens natum quod plus se habet ad esse quam ad non esse, tamen ad esse non habet necessitatem, sed potest non esse. Et dicitur contingens infinitum ad esse et ad non esse se habens æqualiter. Propter quod vocatur contingens ad utrumlibet. Et utrumque istorum contingentium est contingens non necessarium. Sunt ergo isti modi contingentis, commune scilicet quod cum possibili convertitur: et speciale contingens, quod sequitur ad necessarium: et contingens non necessarium, quod est duplex, natum scilicet et infinitum.

**Objectio.** Si quis autem objiciat quod Aristoteles dicit, quod id quod contingit esse, contingit non esse: et ideo si contingens sequitur ad necessarium, tunc ista consequentia valebit, quod necesse est esse, contingit esse: et quod contingit esse, contingit non esse: ergo quod necesse est esse, contingit non esse: sed quod contingit non esse, non necesse est esse: ergo quod necesse est esse, non necesse est esse. Sic, inquam, si aliquis objiciat, in secundo libro *Perihermenias*<sup>1</sup> solutum est, ubi determinatur qualiter possibile sequitur ad necessarium: non enim possibile quod se habet ad utrumlibet sequitur ad necessarium, sed possibile commune ad ne-

cessarium et ad non necessarium. Et similiter dicendum hic quod contingens commune quod convertitur cum possibili, sequitur ad necessarium. Id autem quod est non necessarium, ut natum et infinitum, non sequitur ad necessarium: quia illud convertitur ad oppositas qualitates, et quod contingit esse, contingit non esse: et quod contingit omni, contingit etiam nulli: quæ ei quod est necesse esse convenire non possunt.

Adhuc autem si quis objiciat dicens quod impossibile est non necessarium: et ita videtur impossibile esse contingens. Non valet argumentatio: quia non necessarium valde commune est, et multa habet sub ipso, scilicet et impossibile, et contingens natum, et contingens infinitum. Et argumentum procedit ac si stet pro impossibili tantum. Unde peccat secundum locum sophisticum consequentis.

**Objectio.**

**Solutio.**

### CAPUT XIII.

*De conversione propositionum affirmativarum de contingentibus.*

His ita prælibatis, dicamus de conversione propositionum affirmativarum, universalis scilicet, et particularis de contingentibus. Dico ergo quod in affirmativis, universalis scilicet affirmativa, et particulari affirmativa de contingentibus, conversio similiter se habebit in omnibus, sicut in illis de necessario. Et hoc est dicere, quod tam universalis quam particularis de contingentibus particulariter convertitur sic. Si enim detur, quod A contingit omni B, hoc est, quod omne B contingit esse A, sequitur necessario, quod aliquod A contingit esse B. Similiter si detur, quod aliquod B contingit esse A, sequitur convertendo, quod aliquod A contingit esse B. Si enim non sequitur: tunc oppositum stabit cum præmisso. Opposi-

<sup>1</sup> In II Lib. *Perihermenias*, tract. 2, cap. 5 et

tum autem ultimæ constitutionis est, quod nullum A contingit esse B. Tunc ex hac, sicut ex antecedente sequitur, quod nullum B contingit esse A, quæ non potest stare cum hac, omne B contingit esse A: et hoc quidem in consimili ostensum est prius in conversione illarum de necessario.

Ad hoc autem intelligendum notandum est, quod cum dicitur, omne B contingit esse A, contingens accipitur aut pro necessario, aut pro possibili quod est commune ut genus ad utrumque istorum. Si accipitur pro necessario: tunc quando dicitur, omne vel aliquod B contingit esse A, ergo aliquod A contingit esse B; eadem est conversio propositionis de necessario affirmativæ: et quando probatur proposicio affirmativa de contingentibus, sicut dictum est, converti in hanc, aliquod A contingit esse B, et dicitur quod detur oppositum si sic non converti dicatur: et sumit oppositum, hanc scilicet, non contingit aliquod A esse B, et inferretur ex hac dicendo: ergo non contingit aliquod B esse A; idem est ac si diceretur, non necesse est aliquod A esse B: ergo non necesse est aliquod B esse A. Et est idem ac si diceretur, si antecedens est possibile, oportet quod consequens sit possibile: et per hoc quod est possibile, erit etiam contingens: quia possibile et contingens convertuntur. Hoc autem in ante habitu capitulo ostensum est non sub conversione contingentis, sed sub conversione necessarii ad quod sequitur tale contingens.

Adhuc autem si accipiatur contingens in genere quod stat pro possibili: tunc iterum planum est, quod convertuntur tam universalis affirmativa quam particularis affirmativa de contingentibus possibili in particularem affirmativam de eodem contingentibus: et tunc cum in probatione conversionis dicitur, non contingit aliquod A esse B, ergo non contingit aliquod B esse A, idem est ac si diceretur, necesse est nullum A esse B, ergo necesse nullum B esse A; quia quod sic non contin-

git esse, non possibile est esse: et quod non possibile est esse, impossibile est esse: et quod impossibile est esse, necesse est non esse: et hoc totum ostensum est prius in universalis negativæ de necessario conversione.

Si autem accipiatur contingens pro non necessario, hoc est, pro contingentibus nato vel infinito quod se habet ad esse et ad non esse, et tali contingentibus opponitur tam necessarium quam impossibile: tunc in probatione conversionis oppositum conversionis acceptum, hæc scilicet, non contingit aliquod A esse B, potest esse verum dupli de causa, et habet duas causas suæ veritatis. Aut ergo non contingit aliquod A esse B, quia necesse est omne A esse B, vel quia necesse nullum A esse B, quarum una est universalis affirmativa de necessario, et alia universalis negativa de necessario: et conversio utriusque dictarum universalium in præcedentibus ostensa est, ubi conversio illarum propositionum quæ sunt de necessario est ostensa. Manifestum est igitur, quod in quacumque acceptance sumatur contingens, quod tenet hæc conversio, aliquod vel omne B contingit esse A: ergo aliquod A contingit esse B; et sic similis est conversio affirmativarum de contingentibus cum conversione affirmativarum de necessario: quia utraque ipsarum convertitur particulariter, sicut affirmativæ de necessario.

Sunt tamen quædam quæ objici possunt contra ea quæ de conversione ista dicta sunt quantum ad secundam acceptancem contingentibus, quæ est, quod contingens dicitur non necessarium: et in hac acceptance adhuc satis manifesta est conversio ipsa: sed dubitatur de probatione conversionis, non quantum ad universalis conversionem, quia illa bene probata est, sed quantum ad probationem qua probatur converti particularis de contingentibus in particularem: probatur enim universalis de pleno converti in particularem, sic: si contingit omne B esse A: ergo contingit aliquod A esse B. Vel si

dicatur quod non sequitur, tunc stabit oppositum cum præmisso, hoc scilicet, non contingit aliquod A esse B; hæc autem potest esse vera: vel quia necesse est nullum A esse B, vel quia necesse est omne A esse B, sicut jam ante diximus. Si autem primo modo accipitur, tunc arguitur sic, necesse est nullum A esse B: ergo necesse est nullum B esse A; et hoc non potest stare cum prima, hac scilicet, contingit omne B esse A, sicut nequit stare cum hac, contingit nullum B esse A, quia ista convertitur ad ipsam, sicut patebit inferius. Patet igitur quod convertitur universalis affirmativa de contingenti secundum quod contingens accipitur pro non necessario.

**Dubitatio.** Sed dubitari potest de conversione particularis affirmativæ, non quoad ipsam conversionis probationem: convertitur enim particularis affirmativa de contingenti sic, contingit aliquod B esse A: ergo contingit aliquod A esse B. Dico enim quod oppositum hic potest stare cum præmisso, hoc scilicet, non contingit aliquod A esse B: hoc autem non contingit pro hac causa quæ dicta est; scilicet quia necesse sit omne A esse B, vel nullum A esse B, sed quia hæc quæ dicit, necesse est omne A esse B convertitur in hanc, necesse est aliquod B esse A: et hoc non videtur esse inconveniens: hæc enim necesse est aliquod B esse A non videtur repugnare primæ, cum utraque sit particularis affirmativa.

**Solutio.** Et ad hoc dicendum, quod ratione particularitatis primæ non repugnat, sed ratione necessitatis: in necessaria enim materia tantum valet universalis, quantum particularis: quia illa de necessario ratione habitudinis terminorum dicit inhærentiam simpliciter: et in hac materia tantum valet dicere, necesse est aliquid B esse A, quantum est dicere, necesse est omne B esse A. Unde secundum rem idem est dicere stare cum prima eam quæ dicit, necesse est aliquod B esse A, et hanc stare sum ipsa, necesse est omne B esse A. Sed hæc universalis non potest stare

cum hac, contingit aliquod B esse A: si-  
cut nec ista, contingit aliquod B non esse  
A, quæ cum ipsa convertitur secundum  
oppositas qualitates. Patet igitur quod  
hæc probatio sufficiens est ad proban-  
dum, quod ambæ propositiones affirmati-  
væ, tam universalis scilicet quam particu-  
laris convertuntur particulariter: et hoc  
est quod intendimus.

Adhuc tamen quædam inferuntur in-  
stantiæ contra hanc conversionem in ea-  
dem acceptione contingentis, prout contingen-  
gens est non necessarium. In hoc enim  
modo contingit omnem hominem esse  
musicum, et contingit nullum hominem  
esse musicum, et contingit aliquem homi-  
nem esse musicum: quia etiam contingit  
aliquem hominem non esse musicum: et  
sic contingens in istis se habet ad esse et  
non ad esse. Si tamen istæ convertantur ut  
sic dicatur, contingit aliquod musicum  
esse hominem, non erit eadem acceptio  
contingentis: quia in primis accipitur con-  
tingens pro non necessario: cum autem di-  
citur, contingit musicum esse hominem,  
accipitur contingens pro necessario: quia  
cum dicitur, contingit musicum esse homi-  
nem, non potest musicum non homo esse,  
et sic musicum necesse est esse homi-  
nem: et sic videtur quod istæ proposi-  
tiones non convertantur, ita quod ea quæ  
convertitur et ea in quam convertitur, in  
eadem remaneant acceptione contingentis,  
sed cum prima stet pro contingente  
nato, secunda ad quam convertitur stabit  
pro contingenti necessario.

Ad hoc autem dicunt quidam, quod  
contingens acceptum pro non necessario  
non convertitur in eadem contingentis ac-  
ceptione, sicut jam probatum est: sed  
convertitur in contingens commune quod  
convertitur cum possibili, et sequitur ad  
necessarium, sicut sequitur universale ad  
suum particulare. Et hoc videtur velle  
Aristoteles in littera primi *Priorum*, ubi  
loquitur de hac conversione, quod scili-  
cet contingens non necessarium non sem-  
per convertitur in eadem acceptione con-  
tingenti: convertitur tamen ad contin-

**Dubitatio bona.**

**Solutio.**

gens acceptum pro possibili : et hoc videatur per hoc, quod in probatione non descendit ad modos speciales contingentis : si enim de contingenti in speciali intendisset, usque ad modos speciales descendisset, et in illis ostendisset conversiōnem.

Contingens non necessarium duplex. Scias tamen quod, sicut dictum est in ante habitis, contingens quod non est

necessarium duplex est, natum scilicet et infinitum : et infinitum quidem convertitur in eadem acceptance contingentis, sicut patet cum dicitur, contingit ambulans esse hominem, et contingit hominem esse ambulans. Contingens autem natum non convertitur in eadem contingentis acceptance, sicut patet cum dicitur, contingit hominem esse grammaticum, quia naturalem aptitudinem habet ad hoc quod sit grammaticus : et si convertatur, non erit idem contingens, sicut patet cum dicitur, contingit grammaticum esse hominem : non enim est contingens natum quod contingit esse hominem, sed contingens quod sequitur ad necessarium, quia grammaticum necesse est esse hominem. Et similiter est in istis propositionibus, contingit animal esse sanum vel vigilans, si convertantur sic, contingit sanum vel vigilans esse animal, erit contingens natum mutatum ad contingens commune quod convertitur cum possibili, quod sequeretur ad necessarium.

#### CAPUT XIV.

##### *De conversione negativarum de contingentibus.*

Consequenter agendum est de conversione negativarum propositionum de contingentibus, qualiter scilicet fiat de conversione scilicet universalis negativæ, et de conversione particularis negativæ. Dicamus igitur quod in negativis propositionibus de contingentibus quibusdam, non similiter se habet conversio ad conversiones negativarum de inesse, et ad conver-

siones earum quæ sunt de necessario. Ut autem sciatur in quibus est similis conversio ad illas de inesse, et in quibus dissimilis, oportet scire quoniam contingere multipliciter dicitur, sicut jam ante dictum est : quoddam enim sequitur ad necessarium, quoddam autem supponit non necessarium : et quamvis illud quod est genus, sit secundum se non necessarium, tamen speciem habet quæ est necessarium. Dicamus igitur quod negativæ illæ quæcumque sunt de contingentibus necessario (ideo contingere dicuntur, quia ex necessitate non insunt prædicata suis subjectis, quod est contingens quod convertitur cum necessario) itemque illæ propositiones negativæ quæcumque sunt de contingentibus communi quod est genus ad alia (hoc est quæcumque contingere dicuntur, eo quod non ex necessitate insunt, sicut illæ quæ sunt de contingente quod convertitur cum possibili, quod in genere consideratum determinatur per non ex necessitate inesse, quamvis habeat quasdam species quæ sunt de necessario non inesse) istæ, inquam, propositiones de duobus istis modis contingentibus, similiter se habent in conversione ad negativas de inesse, et ad negativas de necessario, sive sint universalés, negativæ, sive sint particulares negativæ.

Harum autem propositionum hæc sunt exempla : si quis enim dicat hominem contingere non esse equum, hoc est, contingit hominem non esse equum, dicit negativam de contingentibus quod convertitur cum eo quod est ex necessitate non inesse prædicatum subjecto, quia necesse est quod homo non sit equus. Exemplum autem alterius est, quod scilicet est contingens, eo quod non ex necessitate inest, ut si quis dicat album nulli tunicæ contingere inesse, sic proponeat, contingit nullam tunicam esse albam : horum enim primum ex necessitate non inest. Secundum vero non necesse est inesse : quia contingit nullam tunicam esse albam, eo quod non est necesse : hoc enim contingens opponitur

necessario : et ideo negatur ab ipso necessarium, et dicitur contingere per hoc quod non est necessarium non inesse.

Et attende quod hoc non est contingens natum, vel contingens infinitum, ut statim in sequentibus patebit : quia propositione universalis negativa de contingente nato vel infinito non potest converti, sicut in sequentibus istius capituli patebit : sed intelligitur de contingenti quod convertitur cum possibili quod est contingens commune sive altum, quod secundum suum genus determinari habet per non necessarium, nec aliter bene potest determinari : non enim differt a necessario nisi in hoc, quod secundum genus acceptum (sed non in specie) est non necessarium. Quamvis ergo detur exemplum de hoc contingente in hoc, quod nulli tunicæ contingit inesse album, et hoc exemplum videatur esse de contingente ad utrumlibet, tamen ad hoc non inducitur exemplum, sed potius manifestatur in specie quadam sui contingens non necessarium : cum tamen in specie non accipiatur istud contingens, sed in genere : quia aliter in eadem acceptione contingens non posset converti propositione negativa de contingenti.

Quod autem tales negativæ de istis duobus contingentibus similiter convertantur sicut negativæ de inesse, et sicut negativæ de necessario, sic probatur. Si enim contingit nulli homini equum inesse, hoc est, si hæc est vera, nullum hominem esse equum est contingens : tunc etiam conversa est vera, hæc scilicet quod nulli equo contingit esse hominem, sive hæc, nullum equum esse hominem est contingens, et sic universalis negativa de contingente quod est ex necessitate non inesse, convertitur in terminis. Similiter autem est in alio contingente, quod determinatur per non necessarium : quia si album contingit nulli tunicæ inesse, hoc est, quod nullam tunicam contingit esse album : tunc conversio fit sic, quod tunicam contingit nulli albo inesse, hoc est, quod nullum album con-

tingit esse tunicam : et hæc similiter conversio est in terminis. Probare autem non indigemus primam conversionem quæ est contingentis necessarii non inesse : quia per se manifesta est. Sed secunda quæ est de contingente non necessario, sic probatur. Dico enim quod sequitur si nullam tunicam contingit esse albam, quod contingit nullum album esse tunicam : vel detur oppositum, hoc scilicet, non contingit nullum album esse tunicam : sed hæc convertitur cum hac, necesse est aliquod album esse tunicam : sed ex hac sequitur, quod necesse est aliquam tunicam esse albam : et hæc non potest stare cum prima, hac scilicet, contingit nullam tunicam esse albam : hoc enim ostensum est prius in conversione illarum quæ sunt de necessario.

Similiter autem fit conversio in particulari negativa de hoc eodem contingente, ut si dicam, quemdam hominem contingit non esse equum, et quemdam equum contingit non esse hominem. Vel sic, quamdam tunicam contingit non esse albam, et quoddam album contingit non esse tunicam. Sed oportet quod non necessarium contingere non accipiatur pro contingente nato, nec etiam pro contingente infinito sive ad utrumlibet : quia in illis universalis negativa non convertitur in terminis, sicut patebit statim in sequentibus istius capituli. Et semper accipendum est contingens in genere quod convertitur cum possibili : et hoc est contingenter quod stat supra non esse, et non habet se ad esse : quia quod se habet ad esse et non esse, est contingens natum et contingens infinitum : illud autem contingens quod est in secundo ordine modalium, est contingens non esse tantum, et non contingens esse et non esse, et ad illud sequitur necesse, sicut cum dicitur contingens non esse, non possibile non esse, et non necesse esse : secundum hoc enim possibile vel contingens non esse, est quod non est necessarium esse, quamvis non sit contingens non esse et contingens esse.

Et sicut dictum est quod exemplum quod positum est in terminis qui sunt album tunica, qui sunt de contingente ad utrumlibet, non est propter hoc factum, quod in eis ostendatur conversio secundum contingens ad utrumlibet: sed ut daretur exemplum de non necessario: et quod conversio fuit facta in exemplo, non fuit ut ostenderetur conversio in tali contingenti fieri ratione speciei contingentis, sed ut ostenderetur in genere: nec sequitur, si nulli tunicæ contingat esse album, quod nullum album contingat tunicæ, nisi secundum possibile et contingens acceptum in genere, sicut in ante habitis dictum est: et si esset conversio secundum contingens natum vel infinitum, oporteret quod universalis negativa de contingente ad utrumlibet converteretur in terminis, quod ostendetur esse inconveniens.

Unde hæc conversio est secundum contingens, quod per nihil aliud determinatur nisi per non necessarium non inesse. Et non sequitur, est non necessarium ad non esse: ergo æqualiter se habet ad esse, et ad non esse: hoc enim non convenit contingentи in genere, ad quod sequitur et necessarium non esse et non necessarium non esse.

Quæcumque vero sunt negativæ propositiones quæ sunt de contingente quod est in pluribus partibus contradictionis, hoc est, se ad esse et ad non esse habentia, et dicuntur contingere in eo quod nata sunt magis se habentia ad unum quam ad alterum, et tamen habent causam quæ impediri potest. Et similiter illa quæ sunt æqualiter se ad esse et ad non esse habentia, sicut illæ quæ sunt de contingente infinito, quemadmodum jam ante determinavimus sive distinximus multiplicatatem contingentis, illæ universales negativæ propositiones de contingente nato vel infinito non similiter se habebunt in conversionibus sicut universales negativæ de inesse et de necessario, ita scilicet quod ut illæ in terminis convertantur: sed universalis quidem

*Removet  
objectionem.*

privativa sive negativa propositio in talibus non convertitur in terminis: particularis vero convertitur in terminis. Hoc autem quamvis fiat manifestum in sequentibus istius libri quando de contingente dicitur, tamen ut facilior sit doctrina etiam hic dicemus.

Dico igitur quod universalis negativa de contingente nato vel infinito, non convertitur in terminis: quia si convertereatur in terminis, sequeretur quod universalis affirmativa converteretur simpliciter et universaliter, quod fieri non potest, sicut in ante habitis ostensum est. Hoc autem sic probatur: si enim de contingente nato vel infinito contingit omne  $B$  esse  $A$ , contingit nullum  $B$  esse  $A$ : hoc enim probabitur in sequentibus: et si nullum  $B$  contingit esse  $A$ , si dicatur illam converti, tunc contingit nullum  $A$  esse  $B$ ; et si contingit nullum  $A$  esse  $B$ , contingit omne  $A$  esse  $B$ : ergo a primo ad ultimum si contingit omne  $B$  esse  $A$ , contingit omne  $A$  esse  $B$ , et sic convertetur affirmativa simpliciter et universaliter, quod est inconveniens: et ideo universalis negativa de tali contingenti converti non potest.

Particularis autem negativa convertitur de eodem contingente: quia si particularis convertitur de illo contingente, convertitur secundum oppositas qualitates: si enim aliquod  $B$  contingit esse  $A$ , aliquod  $B$  contingit non esse  $A$ . Particularis autem affirmativa de tali contingente convertitur in terminis, sicut et particularis negativa.

Hoc igitur est quod de contingente et de conversione propositionum de contingenti volumus dicere: quia alia quæ dici vel objici possunt, sunt plana: et per ea quæ dicta sunt (quæcumque objici possunt) facile possunt determinari: tamen omnia quæ dicta sunt, magis erunt in sequentibus manifesta quando de contingenti loquemur.

## CAPUT XV.

*De remotione erroris qui posset incidere.*

Sed quia hic diximus affirmativas et negativas ad compositionem dicti referentes affirmationem et negationem in earum propositionum quæ inductæ sunt conversione, ne putet aliquis affirmativam vel negativam esse propositionem, per hoc quod est affirmativa vel negativa esse vel dicti, sed potius per hoc quod est affirmativa vel negativa modi, ideo dicimus quod nunc quoad propositam intentionem tantum sit nobis manifestum quomodo contingere nulli aut alicui non inesse (modo affirmato et dicto universaliter vel particulariter negato) affirmativam habet figuram et speciem: et est propositio affirmativa vel negativa quæ est de modo affirmato vel negato, sicut in *Perihermenias* dictum est. Hujus autem ratio est: quia contingit in modalibus et omnibus propositionibus de inesse quæ ad hoc similiter ordinantur: quia sicut *est* vel *esse* (quibus *est* prædicatur ut adjacens prædicatum subjecto) facit affirmativam propositionem: et a quibuscumque ut adjacens per negationem removetur, facit negativam propositionem: et hic ita est omnino sive universaliter, sicut patet in exemplis, ut est bonum, est non bonum: vel est simpliciter non hoc, hoc est, non homo, vel non asinus: omnes enim illæ sunt affirmativæ: et similiter est in modalibus de modo affirmato vel negato. Hoc autem etiam melius ostendetur per sequentia.

Secundum conversiones autem propositiones de contingenti similiter se habent aliis, ut dictum est, excepto quod universalis negativa de contingente nato vel infinito non convertitur in terminis. Quamvis quidam contra hoc objicientes contrarium probare videantur hoc modo. Dicunt enim quod universalis negativa de contingente nato vel infinito convertitur, sed non in eadem acceptione conting-

tis, sed convertitur ad contingens communiter acceptum.

Objiciunt ergo secundum hunc modum Prima obje-  
ctio quo-  
rumdam. dicentes, quod id quod per se inest super-

riori, inest cuilibet suorum inferiorum.

Sed converti in terminis universalem negativam inest contingenti communi sive alto: inest ergo cuilibet suorum inferiorum: inest ergo tam contingenti nato quam infinito: et sic universalis negativa de contingente nato et de contingente infinito convertuntur in terminis.

Adhuc autem si aliqua duo convertuntur, eodem utrique addito adhuc convertuntur: sed istæ duæ convertuntur, nullum *B* est *A*, et nullum *A* est *B*, quocumque modo sumantur inesse sive contingenter sive ex necessitate: ergo eodem addito utrobique adhuc convertuntur: additur autem idem sic, nullum *B* contingit esse *A*, et nullum *A* contingit esse *B*: ergo convertuntur adhuc: et sic convertitur universalis negativa de contingenti nato et infinito: hoc enim additur utrobique.

Adhuc autem quod sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens, per hoc quod dicitur in *Prædicamentis*, quando alterum de altero dicitur ut de subjecto, quæcumque de prædicato dicuntur, omnia de subjecto dici necesse est: sed contingere non esse (simpliciter et communiter accepto contingente) sequitur ad contingens natum et infinitum, sicut genus ad speciem: ad contingere autem non esse (simpliciter accepto contingente) sequitur conversio in terminis in negativis propositionibus: ergo converti in terminis sequitur etiam ad antecedens ejus: antecedens autem contingens communis est contingens natum et contingens infinitum: ergo converti in terminis sequitur ad contingens natum et ad contingens infinitum.

Adhuc autem hoc idem probari videtur per deductionem ad impossibile. Dico ergo si contingit nullum *B* esse *A*, dico quod sequitur, quod contingit nullum *A* esse *B*: vel detur oppositum, hoc scilicet,

Secunda.

Tertia.

Quarta.

non contingit nullum A esse B, posito tamen quod contingit nullum B esse A. Sed hæc, non contingit nullum A esse B, convertitur cum hac, necesse est aliquod A esse B; et si necesse est aliquod A esse B, sequitur quod necesse est aliquod B esse A: et hæc est incompossibilis primæ quæ dixit, contingit nullum B esse A: videtur igitur quod conversio stet et sit bona.

**Solutio ad primum et tertium.** Ad hæc autem et similia per antedicta solvere non est difficile. Dicendum enim sicut prius, quod negativa de contingentia vel infinito, non convertitur in terminis, sicut dictum est. Ad id autem quod objicitur, dicendum quod per naturam contingentis communiter dicti sive alti (quæ invenitur in contingentia nata et in contingentia infinito sicut invenitur natura generis in speciebus) potest fieri conversio in contingentia nata et infinito: sed respiciendo ad propriam naturam contingentis nata et infiniti conversio fieri non potest, propter causam quæ in ante habitis de conversione universalis affirmativæ dicta est: et per hoc patet solutio ad primum et tertium.

**Ad secundum.** Ad id autem quod objicitur, si aliqua duo convertuntur, quod addito utrobique eodem adhuc convertuntur. Dicendum quod si id quod utrobique additur, ejusdem virtutis est et acceptio in utroque, tunc verum est quod dicitur. Si autem non sit unius acceptio in utroque, tunc non oportet quod convertantur. Cum autem sic dicitur, contingit nullum B esse A, contingit notat contingens natum vel infinitum: et cum convertitur, sic dicitur, contingit nullum A esse B, notatur contingens commune, quod pro possibili ponitur: et hoc manifestum fit, quando ponitur in terminis significativis: si enim dicatur sic, contingit nullum hominem esse album, notatur contingens ad utrumlibet. Si autem convertatur et dicatur sic, contingit nullum album esse hominem, notatur contingens pro possibili, quod est contingens commune: unde iste sensus est, contingit nullum album esse homi-

nem, hoc est, non necesse est aliquod album esse hominem. Diximus autem in ante habitis, quod contingens commune determinatur per non necessarium solum nullo addito,

Ad deductionem ad impossibile quam ponit, dicendum quod satis bene probat, quod contingens natum et infinitum convertuntur ad contingens commune: sed non probat quod convertantur in eadem acceptio contingens.

Ad quar-tam.

Summatim autem notandum est quod necessarium et contingens natum et contingens infinitum (quæ se habent aliquo modo ad esse) dicuntur contingere esse. Possibile autem et contingens natum, et contingens infinitum dicuntur etiam contingere non esse: sed necessarium (quod est contingens esse) non dicitur contingere non esse: hæc enim duo sunt quasi species contingentis communiter accepti. Dicitur etiam possibile esse contingere esse, et etiam possibile non esse dicitur contingere non esse, sic sumpto possibili et contingentia secundum genus.

Adhuc autem notandum quod affirmativa propositio de contingentia secundum omnem modum acceptio contingens convertitur in terminis sub eadem acceptio contingens, eo modo quo convertuntur propositiones de inesse et de necessario: negativæ autem de contingentia sumpto secundum genus, et de contingentia sumpto secundum necessarium secundum quod necesse non esse dicitur contingere non esse. Similiter et per eundem modum convertuntur sicut negativæ de inesse et de necessario. Propositiones autem de contingentia nata et infinito alter se habent in conversione, quam aliæ negativæ propositiones, de inesse scilicet et de necessario. In illis enim non convertitur particularis negativa in terminis: universalis autem negativa convertitur. Sed in propositionibus de contingentia nata et infinito est e converso: quia in his convertitur particularis negativa, et non convertitur universalis negativa.

Est autem adhuc his adjiciendum, quod contingenti nato et infinito opponitur tam necessarium quam impossibile : quia tale contingens se habet ad esse et non esse : necessarium autem tantum se habet ad esse, et impossibile tantum ad non esse : contingentи autem sumpto secundum genus, et sumpto pro necessario secundum quod necessarium esse dicitur contingere esse, opponitur tantum impossibile.

## TRACTATUS II

### DE GENERATIONE SYLLOGISMORUM IN FIGURA.

#### CAPUT I.

*De modo procedendi in hac materia.*

His vero sic prælibatis tanquam syllogismorum principiis, dicendum est jam deinceps per quæ sicut per terminos et propositiones et principia, et quando quantum ad figuras, et quo modo quantum ad modos et conjugationes fit omnis syllogismus, et postea in libro *posteriorum Analyticorum* dicemus de demonstratione, et scientia demonstrativa : quia in illa salvatur perfecte forma syllogismi : et non ita salvatur in scientia dialectica, et syllogismo dialectico probabili : minus autem salvatur in sophistico.

De syllogismo autem simpliciter prius dicendum, quia a communioribus debet incipere speculatio. Universalior autem est syllogismus simpliciter quam demonstratio : quia non convertitur consequentia a syllogismo ad demonstrationem : omnis enim demonstratio syllogismus est, sed non omnis syllogismus demonstratio. De syllogismo igitur primo dicendum est. Inter alia autem quæ de syllogismo dicenda sunt, prius dicendum est per quæ quoad terminos et propositiones fiat syllogismus : et prius dicendum erit de generatione syllogismorum, et ita descendendum erit ad alia. Ad generationem autem syllogismi requiritur ordo terminorum in propositionibus syllogismi positorum, ex quo ordine generantur syllo-

gismorum diversæ figuræ. Et cum omnis syllogismus in figura prima primam suam et formalem habeat generationem, oportet quod de tali ordine terminorum primo dicatur : et quia ordinatio primæ figuræ fit secundum naturalem rerum et terminorum situm, et taliter non ordinantur termini in secunda et tertia figuris, in primo inchoandum est de ordinatione terminorum secundum generationem primæ figuræ : et postea erit dicendum de ordinatione terminorum ad secundæ et tertiae figuræ constitutionem : deinceps autem de inventione medii erit dicendum, quia illa refertur ad syllogismi generationem. Dicendum autem etiam de syllogismorum imperfectorum reductione : quia quamdiu syllogismus est imperfectus, quæcumque requiruntur ad perfectionem ipsius, sunt aliquo modo de ipsius generatione. Postea vero sub alterius libri principio determinabimus modos speciales faciendi syllogismos, sicut ex hypothesi, et ad impossibile, et alia quæcumque videbuntur ad potestatem syllogismi sive scientiæ syllogisticæ pertinere : sic enim ordinate melius memoriter retinebitur id quod est tradendum.

Pro terminis autem utimur terminis transcendentibus : eo quod hæc ars communis est, et omni materiæ aptabilis, et nullam sibi determinat materiam specialem<sup>1</sup> : terminos autem transcendentes vocamus *a b c*, eo quod termini illi nihil secundum se significant : et ideo pro omnibus possunt poni. Nos enim non quæ-

<sup>1</sup> Hoc supra cap. 9 tract. I *Priorum Analyticorum* dixit de conversionibus.

rimus hic nisi generationem syllogismi secundum formale esse suum secundum quod syllogismus est: et ideo oportet tales terminos ponere, in quibus non significetur nisi forma syllogismi: quia si aliquid significantur determinate, non denotaretur in eis forma omnibus applicabilis. Talis igitur erit noster modus procedendi.

## CAPUT II.

*De formatione syllogismorum universali, et utilium conjugationum primæ figuræ, et quid sit figura, et quid sit figura prima.*

Loquitur ergo primo de formatione syllogismorum ex propositionibus de inesse formatorum: quia illæ sunt simpliciores quam propositiones quæ sunt cum modo, quæ dicuntur modales. Ad hoc autem sciendum, oportet scire quid figura, et quid figura prima. Sciendum autem quod figura syllogismi non est nisi possibilis ad syllogismi complexionem trium terminorum dispositio et ordo. Unde sicut terminus in hac scientia metaphorice dicitur a termino in quantitate, ita etiam figura metaphorice dicitur a figura quæ est terminus quidam in quantitate: figura enim in quantitate dicitur terminatio quanti, quod est superficies vel corpus. Sicut autem terminus in quantitate non est nisi secundum principium, vel medium, vel finem: est enim terminus ad quem est continuatio, et hoc non potest esse nisi aut ut *a quo*, et hoc est principium: aut ut *ad quod*, et hoc est finis: aut simul utraque ratione, hoc est, ut *a quo* et *ad quod*, et hoc est medium. Cum ergo transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt, non potest esse terminus in syllogistica scientia, nisi ut *a quo* est decursus syllogisticus, et hoc est major extremitas: vel *ad quod*


stat decursus syllogisticus, et hoc est minor extremitas quæ ultimo sub medio accipitur: et ulterius post ea nihil est de decursu syllogistico nisi et medium per quod decurrit ratio in decursu syllogistico. Et sic non sunt nisi tres termini in generatione figuræ quæ perfectum format syllogismum, et in omni ratione termini perfectam habent rationem terminorum. Major enim extremitas ambitu suæ communitatis extra medium est: secundum substantiam autem et intellectum et diffinitionem est intra medium, et ad medium quasi continuata. Medium autem ad se terminat fluxum majoris extremitatis, et ex se dirigit in minorem: et ideo naturali positione in prima figura extremitas major terminus major est, et medium naturali positione medium, et minor extremitas naturali positione est terminus minor.

Propter quod perfecta est hæc figura, et dicitur esse ad modum trianguli quæ

**SCOLASTICAT DU SACRE-COEUR**

**LEBRET. SASK.**

Medium.



est prima figura rectilinearum figurarum: propositiones enim secundum debitam quantitatem et qualitatem conjunctæ sunt quasi lineæ in uno termino (qui est medium) sese contingentes: et conclusio adveniens, et ex his deducta divisas a se conjungit extremitates: propter quod etiam ab Aristotele syllogismus primæ figuræ vocatur syllogismus extremita-

Quomodo termini in prima figura habent perfectam rationem terminorum.

tum<sup>1</sup>. Hæc igitur est figuræ ratio et terminorum et similitudo translationis.

**Objectio.** Si quis autem objiciat quod secundum duplarem vel multiplicem situm medii deberet prima figura in duas vel plures dividi, quia medium potest primo subjici et postea prædicari, et e contra potest primo prædicari et postea subjici : vel, ut melius dicatur, potest primo accipi major extremitas sub medio, et minor ante medium, et adhuc potest accipi secundum distantiam æqualem medium inter extrema, et secundum distantiam inæqualem : et sic septem modis disponitur medium inter extrema, ut docet Aristoteles in libro *de sensu et sensato*: et sic etiam inter extrema syllogistica multiplex medii dispositio multiplicem deberet facere figuram, ut videtur. Respondendum est quod medium rationis in decursu syllogistico non habet similitudinem ad medium in motu, qui est de extremo in extremum per medium, nisi in genere, in hoc scilicet, quod medium est quod est inter extrema : quia illud in decursu rationis sub alio accipitur, et aliud accipitur sub ipso : et ideo ulteriore in hac dispositione non potest facere figuræ multiplicatatem : propter quod hæc figura ulterius non habet figuram, sed per dispositionem terminorum in figura complexionatur in modos. Et sic termini et propositiones sunt syllogismorum materia, termini quidem materia remota, propositiones autem propinquæ, et figura forma est syllogismi remota, et modus forma syllogismi propinqua.

His autem sic determinatis, sciendum quod in tali dispositione terminorum et propositionum complexione sedecim resultant combinationes sive conjugationes secundum quantitates et qualitates propositionum provenientes. Si enim medium majori subjicitur, et de minori prædicatur: aut erunt ambæ propositiones universales, aut ambæ particulares, aut una uni-

versalis et altera particularis, hoc est duobus modis: quia aut major erit universalis et minor particularis, aut e converso major particularis, et minor universalis: quæ sunt quatuor acceptæ secundum complexionem quantitatis, quarum si per affirmationem et negationem quælibet multiplicatur in quatuor, fiunt in universo sedecim conjugationes sic. Si enim ambæ sint universales: aut erunt ambæ affirmativæ, aut ambæ negativæ, aut major affirmativa et minor negativa, aut e converso major negativa et minor affirmativa: et istæ sunt quatuor conjugationes. Si autem ambæ sunt particulares, iterum quatuor conjugationes resultabunt: quia aut erunt ambæ affirmativæ aut ambæ negativæ, aut major negativa et minor affirmativa, aut e converso major affirmativa et minor negativa: et sic fiunt octo conjugationes. Si autem una sit universalis et altera particularis, et major sit universalis et minor particularis, iterum resultant quatuor conjugationes: quia aut ambæ affirmativæ, aut ambæ negativæ, aut una negativa et altera affirmativa: et hoc erit duobus modis, scilicet quod major sit negativa et minor affirmativa, aut e converso: et sic fiunt duodecim conjugationes. Si autem minor sit universalis et major particularis, secundum eumdem quatuor resultant conjugationes secundum hoc quod vel ambæ sunt affirmativæ, vel ambæ negativæ, vel universalis affirmativa et particularis negativa, vel e converso particularis affirmativa et universalis negativa. Et sic patet quod sedecim erunt conjugationes, ex quibus quatuor erunt utilles, et duodecim inutiles.

Quando igitur tres termini in duabus propositionibus sic se habeant secundum positionem et ordinem ad invicem, ut et postremus qui est minor extremitas, et subjectum in minori propositione sit in toto medio: et medius secundum eam-

<sup>1</sup> Dicitur etiam syllogismus primæ figuræ syllogismus extremitatum: quia in eo concluduntur extrema de se invicem, quæ sunt vere

**Quid sit pri-  
ma figura.** dem positionem, sit in toto primo, qui est major extremitas: et prædicatum in prima propositione sive sit, sive non sit, hoc est, sive secundum affirmationem sive secundum negationem propositionum, necesse est in dispositione tali perfectum esse syllogismum extremitatum, hoc est, qui majorem extremitatem concludit de minori extremitate. Et hoc est in prima figura, in qua medium vere medium est, et extremitates sunt vere extremitates. In aliis autem medium et extrema non habent perfectam medii et tremorum rationem: et ideo in illis figuris non perfecte fit syllogismus extremitatum. Quid autem sit in toto esse, per antecedentia est manifestum: quia in toto esse est de omni prædicari. Ponamus enim tres terminos sic dispositos, animal, homo, risibile: animal enim in toto est medio, hoc est, homine, quia universaliter de omni homine prædicatur: et homo in toto est extremo, quia homo de omni risibili prædicatur.

**Objectio.** Et si quis objiciat quod si medium in toto sit postremo, et majus in toto sit medio, tunc ex paribus et convertibilibus nunquam fit syllogismus in prima figura, quod falsum est, cum potissima demonstrationum sit ista quæ fit ex convertibilibus: et hoc patet sic syllogizando, quod omnis homo est animal rationale mortale: omne risibile homo; ergo omne risibile animal rationale mortale. Ad hoc autem jam per dicta patet solutio: quia in toto esse est de omni parte ejus prædicari: et tunc tam ex convertibilibus, quam non convertibilibus quæ universaliter prædicantur, fit syllogismus. Dicunt tamen aliqui, quod duplex est prædicatum, scilicet prædicatum materiale et prædicatum formale: quæcumque enim prædicatum sit materialiter, semper formaliter prædicatum est in toto subjecto: et hoc modo etiam paria et convertibilia prædicata in quantum prædicata sunt, communiora sunt in suis subjectis. Prima autem responsio melior et magis ad pro-

positum secundum istius scientiæ proprietatem.

Voco autem *medium* per metaphoram superius inductam, quod et ipsum in alio est ut majori, et aliud in ipso est ut minus: contentum enim secundum ambitum prædicationis semper minus est quam continens, et totum est in continente: hoc enim in tali figura dispositionis terminorum etiam positionis ordine fit medium, quia inter extrema secundum ambitum prædicationis constitutum. *Extrema* vero voco hoc quod et ipsum in alio et aliud in ipso est, hoc est, quorum unum est in alio contentum per prædicationis ambitum sicut minus extremum est in medio, et sicut majus extremum in quo est medium secundum ambitum prædicationis.

**Quid sit  
medium in  
prima figu-  
ra, et quæ  
extrema.**

Sic autem formantur duo modi syllogismorum universalium secundum utiles conjugationes, una secundum esse affirmatum, et altera secundum esse negatum. Si enim A de omni B prædicetur, et B prædicetur de omni C, necesse est A de omni C prædicari, sic, omne B est A, omne C est B, ergo omne C est A. Et hic est modus primus confirmatus per hoc quod dicitur in prædicamentis, quando alterum de altero prædicatur ut de subjecto, quæcumque de prædicato dicuntur, eadem de subjecto dici necesse est. In ante habitis autem prius dictum est, quomodo dicimus aliquid de omni prædicari. Similiter autem formatur syllogismus secundus secundum non esse sive secundum negativam conclusionem sic: si enim A de nullo B prædicatur, et ab eo universaliter negatur major extremitas de medio, B autem prædicatur de omni C, medium scilicet de minori extremitate, sequitur quoniam A nulli C inerit, sic, nullum B est A, omne C est B, ergo nullum C est A. Et confirmatur per eamdem quæ dicta est regulam: quando enim alterum prædicatur de altero ut de subjecto, quæcumque negantur de prædicato, necesse est eadem de subjecto negari: et ideo quia medium est prædicatum consequens ad minorem extremitatem,

**Primus mo-  
dus utilis  
primæ figu-  
ræ, scilicet  
barbara.**

**Secundus  
modus uti-  
lis, scilicet  
celarent.**

necessæ est quod major extremitas quæ negatur de medio, negetur etiam de minori extremitate. Istæ ergo sunt utiles et universales conjugationes primæ figuræ.

## CAPUT III.

*De inutilibus et universalibus conjugationibus primæ figuræ.*

**Prima conjugatio inutilis.** Inutiles autem conjugationes formantur juxta istas secundum diversam affirmationis et positionis complexionem, sicut paulo ante dictum est. Si enim primum quidem sive majus extremum omni quidem inest medio, medium vero nulli inest extremo, tunc major propositio erit affirmativa et minor negativa : et ex tali conjugatione nihil sequetur, et non erit syllogismus extremitatum, hoc est, in quo major extremitas de minori concludatur : neque sequetur aliquid eo quod hæc sunt, hoc est, propter figuram et complexionem propositionum. Hujus autem signum est, quod contingit secundum talem complexionem primam sive majorem extremitatem, et omni et nulli inesse : et ideo semper oppositum contingit verificari cum opposito : si enim omni sequitur nulli cum eodem ipso verificatur, quod falsum est : et e converso si nulli sequitur omni, cum ipso verificatur : et si verificatur omni, verificatur et alicui, quod est contradictorium ad nulli : et si verificatur nulli, verificatur etiam alicui non, quod est contradictorium ad omni : propter quod nec particularis nec universalis sequitur conclusio ex talibus præmissis : cum enim nihil necessario sequitur per hæc quæ præmissa sunt, non potest fieri syllogismus, sicut patet per diffinitionem syllogismi, quæ est, quod syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliud ex necessitate accidit.

Instando autem in tali conjugatione demonstratur in terminis : termini enim in quibus sequitur omni inesse, sunt animal, homo, equus, sic, omnis homo est animal : nullus equus est homo : ergo

nullus equus est animal : et hoc falsum, quia omnis equus est animal. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, animal, homo, lapis, sic, omnis homo est animal : nullus lapis homo : ergo nullus lapis animal. Patet igitur quod hæc est inutilis conjugatio.

Similiter autem est si ambæ sint universales negativæ : in his enim sequitur etiam omni et nulli inesse : et termini in quibus sequitur omni inesse, scientia, linea, medicina, sic, nulla linea scientia : nulla medicina linea : ergo nulla medicina scientia : et hoc est falsum, quia omnis medicina scientia. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, sunt scientia, linea, unitas, sic, nulla linea scientia : nulla unitas linea : ergo nulla unitas scientia.

Universalibus igitur acceptis terminis et propositionibus, ex dictis manifestum est quando erit et quando non erit in hac figura syllogismus, et quando erit universalis conclusionis syllogismus. Manifestum est etiam quod quando est syllogismus utilis conjugationis, necessarium est quod termini se habeant sicut diximus, hoc est, quod universalis sit affirmativa vel negativa et major, minor autem sit universalis affirmativa semper : quando enim sic se habent, semper erit utilis conjugationis syllogismus, sicut patuit per antedicta.

Si autem inutilis conjugatio propter hoc est, quia in eadem dispositione et complexione sequitur omni et nulli inesse : tunc videtur primus modus esse inutilis conjugatio : quia sequitur omni et nulli inesse in eadem dispositione et complexione. Quod enim sequatur omni, patet in his terminis, omne animatum est animal : omne sensibile est animatum : ergo omne sensibile animal. Quod autem sequitur nulli inesse, patet in istis, omne æs est naturale : omnis statua est æs (et hoc ponatur) : ergo omnis statua est naturale : quod falsum est, quia nulla statua est naturale, sed potius artificiale. Sed ad hoc dicendum quod syllogismus primi

**Secunda inutilis.**

**Objectio.**

**Solutio.**

modi hujus figuræ perfectissimus est: et non sequitur nulli inesse, sed omni tantum: nos enim hic loquimur de syllogismo simplici et formali, qui abstrahitur ab omni materia et demonstrativa et dialectica et sophistica, et tantum consideratur in ipsa syllogismi simplicis forma: et cum dicitur, omnes æs est naturale, syllogismus non peccat secundum formam: sed prima cum dicitur, omne æs naturale, per se vera est, hoc est, si æs secundum quod est æs accipiatur: per accidens autem falsa est, quia in talibus materia prædicatur: et quia statua est æs, ideo non omnes æs est naturale: et quia major per accidens est falsa, ideo sequitur conclusio talis et falsa<sup>1</sup>. Tamen etiam conclusio per accidens vera est, si ponatur quod nulla statua sit nisi ex ære: tunc enim statua non per hoc quod est statua, sed per hoc quod est æs, est quid naturale.

## CAPUT IV.

*De formatione syllogismorum particulariter concludentium in prima figura secundum utiles conjugationes et inutiles.*

Syllogismi autem particulariter concludentes sic fiunt in hac figura. Si enim hic terminus qui est major extremitas se habeat ad medium universaliter, ita quod universaliter prædicetur de ipso: iste vero qui est minor extremitas, particulariter se habeat ad medium, ita quod medium particulariter prædicetur de minori extremitate: quando quidem id quod est vel ponitur ad majorem extremitatem, ita quod major propositio in qua prædicatur major extremitas sit universalis affirmativa vel negativa, et minor particularis affirmativa, sive prædicativa, quod idem est: tunc necesse est syllogismum fieri perfectum particulariter concluden-

tem. Quando autem ad minorem extremitatem ponitur universalis, et ad majorem ponitur particularis: vel etiam quando negativa ponitur ad minorem, vel quocumque alio modo disponantur propositiones quam dictum est, est inutilis conjugatio et non fit syllogismus. Dico autem majorem quidem extremitatem, in qua medium sicut subjectum in prædictato: minorem autem extremitatem, quæ est sumpta sub medio, et de qua medium prædicatur. Cujus exemplum est, quod  $\alpha$  insit omni  $b$ ,  $b$  autem medium insit alicui  $c$ , sequitur quod necesse est  $\alpha$  alicui  $c$  inesse, sic formando syllogismum: omne  $b$  est  $\alpha$ , quoddam  $c$  est  $b$ , ergo quoddam  $c$  est  $\alpha$ . Et confirmatur per dici de omni, a quo fit decursus syllogisticus: quia ex quo  $\alpha$  inest omni  $b$  universaliter, tunc oportet quod insit omni parti ejus quod est  $b$ :  $c$  autem aliquod est aliqua partium  $b$ , oportet igitur quod illi insit  $\alpha$ : per id quod in prædicamentis habitum est, quando alterum de altero ut de subjecto, quæcumque de prædictato dicuntur, omnia de subjecto dici necesse est.

Similiter formatur syllogismus particulariter et negative concludens, si ponatur universalis negativa ad majorem, et particularis affirmativa ad minorem, ut si  $\alpha$  quidem nulli  $b$  inest,  $b$  autem inest alicui  $c$ , sequitur enim quod necesse est  $\alpha$  alicui  $c$  non inesse, sic formando syllogismum: nullum  $b$  est  $\alpha$ , quoddam  $c$  est  $b$ , ergo quoddam  $c$  non est  $\alpha$ .

Et isti duo particulariter concludentes syllogismi formantur a duobus universaliter concludentibus: primus a primo, et secundus a secundo: et per idem principium confirmantur, per quod confirmantur universaliter concludentes, et hoc est per dici de omni, et dici de nullo. Jam enim determinatum est qualiter dicimus de omni dici et de nullo. Talis igitur syllogismus perfectus est, nullo indigens

<sup>1</sup> Aliqua propositio est per se vera, quæ per accidens falsificatur: et illa est doctrina Aris-

Tertius mo-  
dus utilis,  
scilicet da-  
rii.

Quartus  
modus uti-  
lis, scilicet  
ferio.

præter id quod habet et claudit in seipso. Eodem autem modo et idem fit syllogismus tam negative quam affirmative concludens, quando non particularis, sed indefinita affirmativa sive prædicativa ponitur minor propositio quæ designatur per b c. Idem enim erit syllogismus ex indefinito et ex particulari sumpto : quia indefinitum æquipolleat particulari.

Inutiles.

Inutiles autem fiunt conjugationes, quocumque alio modo termini et propositiones disponantur. Si enim ad minorem extremitatem ponatur universale, ita quod minor sit universalis sive prædicative, sive privative, et particularis ponatur ad majorem, non erit syllogismus nec prædicativæ nec negativæ conclusionis, sive indefinita sit, sive particularis quæ ponitur ad majorem. Hujus autem exemplum est, sicut si a inest alicui b vel alicui b non inest, b autem omni c inest, non fit syllogismus : nihil enim sequitur ex tali complexione, quoddam b est a, omne c b. Similiter nec ex tali, quoddam b non est a, omne b c : sequitur enim inesse omni et nulli. Termini quidem in quibus sequitur omni inesse, sunt bonum, habitus, prudentia, sic, quidam habitus bonum : omnis prudentia habitus : ergo quædam prudentia bonum : quod est verum, omnis enim prudentia bonum. Exemplum autem ubi sequitur nulli inesse, est in his terminis, bonum, habitus, indisciplina, sic, quidam habitus bonum : omnis indisciplina habitus : ergo quædam indisciplina bonum : quod non valet, quia nulla indisciplina bonum.

Rursum autem inutilis conjugatio est si minor ponatur universalis negativa, ut si b nulli c ponatur inesse, et major ponatur particularis affirmativa, ut si ponatur a alicui b inesse vel non inesse : eo quod particularis potest esse affirmativa vel negativa : vel in majori ponatur a non omni b inesse : non omne enim æquipolleat ad aliquod non : quia negatio formaliter respicit distributionem : nec sic

potest fieri syllogismus, quia sequitur omni et nulli inesse. Et termini in quibus sequitur omni inesse in tali dispositione, sunt album, equus, cygnus, sic, quoddam album equus, vel quoddam album non est equus : omnis cygnus est albus : ergo quidam cygnus equus. Et constat, quod nullus cygnus est equus. Vel sic, quidam equus albus : quidam cygnus vel nullus cygnus equus : ergo quidam cygnus non est albus ; cum constet omnem cygnum album esse. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse sunt isti, album, equus, corvus, sic, quidam equus albus : nullus corvus equus, vel quidam corvus non est equus : ergo quidam corvus non est albus, cum constet nullum corvum album esse. Idem autem est per omnia si propositio a b, quæ est major, sit indefinita : quia, sicut diximus, indefinitum æquipolleat particulari.

Similiter autem inutilis est conjugatio, quando ad majorem extremitatem sive ad majorem propositionem ponitur universalis sive sit affirmativa sive negativa, et ad minorem ponitur particulare negativum : quia minori existente negativa nihil sequitur in prima figura<sup>1</sup> : nec in tali complexione fit syllogismus, sive indefinita sive particularis negativa ponatur ad minorem extremitatem. Hujus autem exemplum est : si a quidem quod est major extremitas dicatur omni b inesse, quod est medium ; b autem dicatur non inesse, vel per æquipollentiam dicatur non omni b inesse. Causa autem hujus est : quia aliquid acceptum cui alicui medium non inest, hoc et omne et nullum, sequitur ad primum, quod est major extremitas : et sic et omni et nulli inest major extremitas minori in conclusione. Ponantur enim termini tales, animal, homo, album, sic, omnis homo est animal : quoddam album non est homo : deinde sub albo accipientur alba de quibus homo non prædicatur, nix scilicet, et cygnus : de neutro enim illorum nec

<sup>1</sup> Nota quod hæc regula vera est etiam universaliter de tertia figura, ut patet infra.

universaliter nec particulariter affirmati-  
ve prædicatur homo : et fiat primo talis  
syllogismus, omnis homo animal : cy-  
gnus non est homo : ergo quidam cygnus  
non est animal. Patet autem quod om-  
nis cygnus est animal. Deinde fiat alius  
syllogismus in eadem complexione, om-  
nis homo animal : quædam nix non est  
homo : ergo quædam nix non est animal.  
Et patet quod nulla nix est animal : propter  
quod etiam secundum talem com-  
plexionem non fit syllogismus.

Rursum si ponatur major universalis  
negativa, et minor particularis negativa,  
ut si a quidem nulli b insit, b autem  
alicui c non insit, sequitur omni et nulli  
inesse majorem extremitatem minori : et  
sint termini, inanimatum, homo, album,  
et sub albo sumantur aliqua alba de qui-  
bus homo non prædicatur, cygnus scilicet  
et nix : in tali enim dispositione complexio-  
nism inanimatum prædicatur de uno, scilicet  
nive : de altero vero nullo, scilicet  
cygno : et sic sequitur omni inesse sic,  
nullus homo inanimatum : quædam nix  
non est homo : ergo nulla nix inanimatum :  
patet enim omnem nivem esse inani-  
matam. Quod sequitur etiam nulli sic,  
nullus homo inanimatum : quidam cy-  
gnus non est homo : ergo quidam cygnus  
non est inanimatum : et patet quia nullus  
cygnus est inanimatum.

Amplius autem : quia cum dicitur quod  
alicui eorum quæ sunt accepta sub mino-  
ri extremitate non inest medium, sicut  
cum dicitur, quod alicui eorum quæ sunt  
accepta sub c, non inest b, hoc est inde-  
finitum : quia nec universali signo nec  
particulari determinatur et ideo duobus  
modis verificatur, si dicatur b alicui c  
non inesse : est enim hoc verum si nulli  
c inest b, et est iterum verum si non  
omni c inest b : sumptis autem terminis  
talibus in quibus b nulli insit c in mino-  
ri propositione, non fit syllogismus : hoc  
enim jam dictum et ostensum est prius.  
Manifestum est ergo quod in eo quod  
sic se habent termini, quod minor scilicet  
sit particularis negativa, non fit syllogis-

mus. Si enim ex tali complexione uni-  
versaliter fieret syllogismus, tunc etiam  
esset syllogismus in terminis prædicto  
modo se habentibus, quando scilicet mi-  
nor esset universalis negativa.

Similiter autem in terminis ostende-  
tur, quod non fit syllogismus si univer-  
salis propositio ponatur privativa, dum  
etiam minor sit privativa.

Nec iterum fit syllogismus si ambo in-  
tervalla (hoc est, propositiones in sig-  
ram et modum intervenientes) dicuntur  
esse particularia : quia ex utraque parti-  
culari non fit syllogismus, sive affirma-  
tivæ sint ambæ, sive negativæ : sive una  
affirmativa, et altera negativa quocum-  
que modo.

Adhuc si una propositionum sit inde-  
finita, alia vero definite particularis, vel  
ambo intervalla sint indefinita, nullo is-  
torum modorum sit syllogismus. Termi-  
ni vero communes omnium istarum inu-  
tilium conjugationum, in quibus ostendit-  
ur omni et nulli inesse, sunt animal,  
album, homo : in his sequitur animal uni-  
versaliter ad hominem. Ad nulli autem  
inesse sunt termini communes animal,  
album, lapis : animal enim sequitur nulli  
lapidi inesse.

Manifestum est igitur ex his quæ dicta  
sunt, quoniam si fit syllogismus in hac  
prima figura particularis, necesse est  
quod termini sic se habeant ut diximus :  
aliter autem habentibus terminis nullo  
modo fit syllogismus.

## CAPUT V.

### *De perfectionibus figuræ primæ.*

Palam autem ex prædictis est, quod  
omnes syllogismi qui in hac figura sunt  
perfecti, sunt nullius extra se indigentes  
ad sui perfectionem : perficiuntur enim  
omnes per dici de omni, et dici de nullo.  
Et ideo etiam in prima figura semper  
oportet majorem esse universalem : quia  
de cursus syllogisticus incipit a majori.  
Ratio autem syllogizans non decurrit nisi

*Præmissæ  
dicuntur in-  
tervalla et  
quare.*

*Quare maiorem oportet in prima figura universalem.*

ab universali ad particulare. Unde quod major esset particularis, principiis (quæ sunt dici de omni, et dici de nullo) non concordaret. Hujus tamen etiam alia causa est, quare in prima figura majorem oportet semper esse universalem, et minorem affirmativam : quia si major posset esse particularis, tunc posset contingere quod medium prædicaretur de majori extremitate : quia inferius prædicatur de superiori particulariter et affirmative et negative, ut quoddam animal est homo, et quoddam animal non est homo : et si ita esset, posset contingere quod majori propositione existente negativa, extrema essent convertibilia, vel sicut excedentia et excessa se habentia : et tunc non posset sequi conclusio negativa nisi falsa, quod est inconveniens. Termini autem in quibus hoc fit, sunt homo, animal, risibile, sic quoddam animal non est homo : omne risibile animal : ergo quoddam risibile est homo vel non est homo : cum constet omne risibile esse hominem. Posset etiam contingere quod majori existente affirmativa, erunt extrema disparata, quorum neutrum prædicaretur de altero, et tunc non posset sequi conclusio nisi falsa : et termini hujus consequentiae sunt homo, animal, asinus, sic syllogizando, quoddam animal homo : omnis asinus animal : non potest inferri conclusio affirmativa nisi falsa. Hæc est igitur causa, quod maiorem semper oportet esse universalem et minorem affirmativam in hac figura.

Perfecti sunt igitur omnes hujus figuræ syllogismi, tam universales quam particulares : et perficiuntur per ea quæ a principio istius libri dicta sunt, scilicet per dici de omni, et per dici de nullo. Et quamvis adhuc in ista figura reperiantur quinque modi indirekte concludentium, et ideo imperfectorum syllogismorum, hic nullam de illis faciemus mentionem, sed in sequentibus (ubi ponemus sylo-

gismos imperfectos) de hujusmodi etiam syllogismis faciemus mentionem.

Manifestum est etiam quoniam omnia problemata per hanc figuram ostenduntur. Ostenditur per eam omni inesse in primo modo, et ostenditur per eam nulli inesse in secundo modo, et ostenditur per eam alicui inesse per tertium modum, et ostenditur per eam alicui non inesse per quartum. Hujusmodi autem voco figuram primam, quæ in majori propositione subjicit medium, et in minori prædicat ipsum.

Nec potest esse figura quæ in majori prædicat medium, et in minori subjiciat ipsum : quia cum medium in hac figura sit inter extrema, oportet quod medium sit sub majori extremito acceptum, et minus extremitum sit acceptum sub medio : et quia majorem oportet esse universalem, essent propositiones omnes falsæ si prædicaretur medium in majori, sicut hæc, omne animal homo : et si subjiceretur in minori, iterum erunt universales falsæ : et sic non concluderetur vera conclusio et universalis : quod esset valde inconveniens in perfectissima figurarum<sup>1</sup>.

## CAPUT VI.

### *De proprietatibus secundæ figuræ.*

Quando vero tres termini ita se habent ad invicem, quod idem terminus (qui prædicatum est) huic quidem termino qui major est extremitas inest omni : huic autem, hoc est, alteri extremitati nulli inest : vel ita quod medium utriusque extremitati inest omni, ita quod de utraque universaliter prædicatur et affirmative : vel utriusque nulli inest, ita quod in utraque præmissarum negatur universaliter de utroque extremitorum, ita scilicet quod bis prædicatur medium, in majori quidem propositione de majori extremitate, in minori autem propositione de minori

<sup>1</sup> De hoc vide Averroem in digressione, cap.

12 contra Galenum.

extremitate, quocumque modo hoc fiat sive universaliter, sive particulariter, si-  
ve particulariter in una et particulariter  
in altera, et sive fiat affirmative sive  
negative, sive mixtim una existente af-  
firmativa et altera negativa, semper hu-  
jusmodi figuram voco secundam. Quam-  
vis enim in hac figura non possint esse  
ambæ affirmativæ nec ambæ negativæ ad  
constituendum modum aliquem hujus  
figuræ : tamen tam in utili conjugatione  
quam in ea quæ inutilis est, salvatur posi-  
tio terminorum in situ et ordine. Et hoc  
facit secundam figuram, de qua hic lo-  
quimur, secundum se considerando eam,  
secundum quod salvatur in terminorum  
positione absque alicujus modi constitu-  
tione.

Medium autem in hac figura dico id  
quod prædicatur de utroque extremorum,  
de majori quidem extremitate in majori,  
et de minori extremitate in minori. Extre-  
mitates vero voco in hac figura, de qui-  
bus dicitur sive prædicatur hoc ipsum  
quod est medium. Majorem vero dico in  
hac figura extremitatem, quæ secundum  
ordinem prædicabilium juxta medium  
propinquius posita est, et rationem prædi-  
cationis (qua prædicatur medium) plus  
participat ; prædicatur enim major de mi-  
nori extremitate, et sic participat ratio-  
nem medii, quod in hac figura de utra-  
que prædicatur extremitate : et quia præ-  
dicatur de aliquo, in ordine prædicabi-  
lium propinquius est ei, quod est tantum  
prædicatum : et hoc modo in hac figura  
major extremitas est, quæ juxta medium  
posita est secundum prædicabilium ordi-  
nem et situm. Minorem vero voco ex-  
tremitatem, quæ in eo ordine longius a  
medio sita est : quia non est de ordine  
prædicabilium, sed subjicibilium tantum.

In tali autem dispositione et ordine ter-  
minorum medium quidem non potest po-  
ni inter extrema, sed ponitur foras extre-  
mitates : sed ordine positionis prædicabi-  
lium et subjicibilium primus est: quia in  
tali ordine prædicabile est prius subjici-  
bili : et id quod est prædicabile tantum,

habet rationem simpliciter primi: et id  
quod est prædicabile et subjicibile, habet  
rationem medii : quod autem est subjic-  
ibile tantum, habet rationem ultimi :  
et sic patet quod in hac figura secundum  
ordinem prædicabilium extremum est po-  
sitione medium, et medium positione est  
extremum. Propter quod quoad eviden-  
tiā syllogismorum imperfectam necesse  
est esse figuram istam: unde perfectus in  
hac figura nullus erit syllogismus. Si quis  
enim consideret rationem perfecti medii  
in syllogismis, medium ex duobus est  
medium, quorum si alterum defuerit, non  
habet perfectam medii rationem. Duorum  
autem unum quod secundum ordinem  
prædicabilium et subjicibilium in linea  
prædicamentali positione sit medium.  
Alterum autem est quod sit unitivum et  
conjunctionum extremorum. Et in prima  
quidem figura utroque modo perfectum  
est medium in ratione et virtute et ope-  
ratione sive effectu medii. In ista autem  
figura medium cadit a parte potiori ra-  
tionis medii, scilicet quod non est me-  
dium extremorum secundum ordinem  
prædicabilium, sed extra ea : retinens  
tamen alteram partem, quæ est unitivum  
esse vel conjunctionum extremorum: prop-  
ter quod et imperfectæ sunt istæ figuræ,  
secunda scilicet et tertia : et imperfecti  
sunt syllogismi secundum istas figuras  
formati : possibles tamen ad formandum  
sunt syllogismi necessario concludentes  
in hac figura.

Et universalibus existentibus terminis,  
et non universalibus concludit ista figura  
universaliter, si ambæ præmissæ sunt  
universales : et concludit particulariter, si  
altera sit particularis. Hoc autem qualiter  
fiat, attendendum quod universaliter et  
particulariter et intermixtis propositioni-  
bus combinatis, et secundum affirmationem  
et negationem variatis, necessario  
resultabunt sedecim conjugationes, sicut  
in figura præcedenti : et cum ostensum  
fuerit per instantias terminorum, quod  
duodecim ex illis sunt inutiles, relinqui-  
tur quatuor utiles esse tantum. Modum

Sedecim  
sunt conju-  
gationes  
secundæ fi-  
guræ sicut  
et primeæ.

autem hujusmodi combinationis non est necesse repetere : quia idem qui fuit in figura prima quantum ad varietatem quantitatis et qualitatis in propositionibus : et nihil mutatur in eo nisi dispositio terminorum, quod mutat tantum figuram.

*Quare oportet quod major sit universalis in secunda figura.*

Sed hoc notandum quod si debeat in hac figura fieri syllogismus concludens necessario, oportet semper majorem esse universalem sive affirmativam sive negativam. Et causam hujus quidam dicunt esse : quia syllogismi hujus figuræ oriuntur a secundo modo primæ figuræ, et in illum modum isti syllogismi reducuntur, sive per conversionem universalis negativæ quæ simpliciter convertitur, sive etiam per conversionem et transpositionem. Quia ergo in secundo modo primæ figuræ major universalis est, necesse est etiam in modis secundæ figuræ ab illo originatis derivatis majorem esse universalem : et hoc bene dictum est. Posset tamen etiam dici, quod si major in hac figura posset esse particularis, contingeret aliquando nullam posse fieri conclusionem in hac figura. Si enim in hac figura major posset esse particularis, tunc posset major extremitas esse in plus medio : quia inferius particulariter prædicatur de suo superiori, et affirmative et negative : et si sic esset, non posset fieri vera negativa. Superius enim de inferiori vere negari non potest : et sic non sit conclusio negativa : affirmativa autem conclusio in hac figura fieri non potest : et sic nec concludi posset affirmative neque negative : nulla igitur fieret conclusio. Hoc autem exemplariter patet in his terminis, homo, animal, asinus : quamvis enim aliquod animal sit homo : et nullus asinus homo : tamen non est necesse quod nullus asinus sit animal, vel quod aliquis asinus non sit animal.

Proprium etiam est hujus figuræ, quod altera propositionum sit negativa. Et hujus quidem causa est: quia si essent ambæ affirmativæ, cum medium prædicetur de utroque extremorum, posset medium de

duobus disparatis prædicari, quorum tamen neutrum posset affirmari de altero, ut patet, omnis homo est animal : omnis asinus est animal : non sequitur, ergo omnis asinus homo. Posset etiam de duobus prædicari medium, quorum unum est sub altero, de quo suum superius negari non posset, ut omnis homo corpus sensibile : omne animal corpus sensibile : et sic nihil sequeretur. Attendendum tamen quod quamvis alteram præmissarum in hac figura necesse sit esse negativam, tamen indifferenter potest esse negativa vel major vel minor. Et hujus causa est, quod in hac figura medium æqualiter respicit extrema tanquam sub se posita : et ideo quantum ad conclusionem negativam syllogismi non est vis utrum negetur medium ab uno extremo, vel ab altero.

Proprium etiam est illius figuræ, quod necesse est semper conclusionem esse negativam. Et causa hujus est quod hoc est ideo quia, sicut probatum jam ante est, in hac figura necesse est alteram præmissarum esse negativam : et per negationem significatur differentia unius extremitatis ab altera, et negatio unius ab altera per medium, ideo quia medium de uno affirmatur, et de altero negatur : contingit enim medium uni extreborum, et alteri non contingit.

Est autem adhuc huic figuræ proprium, quod conclusio semper assimilatur minori propositioni in quantitate : in qualitate autem assimilatur indifferenter aliquando majori, et aliquando minori. Et hujus quidem causa est, quod idem subjectum est in hac figura minoris propositionis et conclusionis : a subjecto in propositione discernitur quantitas propositionis : et ideo minoris propositionis et conclusio- nis necesse est eamdem esse quantitatem. In hac autem figura indifferens est sive major sive minor sit negativa : conclusio autem semper negativa : et ideo in qua- litate quandoque assimilatur majori, et quandoque minori. Hæc igitur de pro- prietatibus secundæ figuræ dicta sunt.

## CAPUT VII.

*De formatione syllogismorum universalium secundæ figuræ, sive utilium sive inutilium conjugationum.*

Dicamus autem deinceps de formatione syllogismorum universalium in hac figura. Universalibus igitur existentibus terminis ad medium, ita quod medium de utraque extremitate universaliter prædicetur, secundum dici de omni et dici de nullo fit syllogismus secundum hujus figuræ modum primum, si medium huic quidem quod est majus extremum, omni inest : illi vero quod est minus extremum, nulli inest, utrumlibet sic privativum, hoc est, sive major sive minor affirmativa, dummodo altera sit universalis negativa. Aliter autem in hac figura universalis non fit syllogismus. Et hoc probatur hoc modo : et accipiamus loco terminorum literas  $m$   $n$   $x$ , ita quod  $m$  sit medium,  $n$  autem major extremitas, et  $x$  sit minor extremitas : et formetur modus primus tali complexione : prædicetur enim  $m$  de  $n$  quidem nullo, de  $x$  vero prædicetur omni esse : erit syllogismus ex majori universalis negativa et minori universalis affirmativa, sic, nullum  $n$  est  $m$  omne  $x$   $m$ , ergo nullum  $x$   $n$ . Et ostenditur evidens istius syllogismi per conversionem universalis negativæ, quæ simpliciter et in terminis convertitur : et si nullum  $n$  est  $m$ , nullum  $m$  est  $n$ , et tunc ex hac conversa fiat major proposicio, et assumatur minor jam dicti syllogismi, sic, nullum  $m$   $n$ , omne  $x$   $m$ , ergo nullum  $n$   $x$ , et iste est secundus modus primæ figuræ, qui jam in prima figura ostensus est perfectus.

Sic iterum formatur secundus hujus secundæ figuræ modus, qui constat ex majori affirmativa, minori autem negativa, sic : si enim  $m$  omni  $n$  inest : et idem  $m$  nulli  $x$  inest : tunc fit talis syllogismus : omne  $n$  est  $m$ , nullum  $x$   $m$ , ergo nullum  $x$   $n$ , convertitur enim mi-

nor quæ universalis negativa. Unde et idem si  $m$  nulli inest  $x$ , sequitur quod e converso nullum  $x$  inest  $m$  ; et tunc erit talis syllogismus transposita propositione : nullum  $m$  est  $x$ , omne  $n$   $m$ , ergo nullum  $n$   $x$ , et est iterum secundus primæ figuræ syllogismus.

Hoc autem idem est ostendere per deductionem ad impossibile : quia si dicatur non sequitur conclusio, tunc oppositum conclusionis stabit cum præmissis : et hoc non contingit, sicut facile patet cuilibet volenti sumere conclusionis oppositum, et contingentem cum altero præmissorum : et sequitur id quod stare non potest cum primo concesso. Quoniam ergo in hac figura fit syllogismus prædicto modo se habentibus terminis secundum figuram et complexionem, ex his quæ dicta sunt manifestum est. Sed fit syllogismus non perfectus : quia perfectum est cui nihil deest, ut dicit Aristoteles : hic autem ad perfectionem evidentiae aliquid addere oportet præter ea quæ sunt in syllogismi constitutione : additur enim conversio, et etiam aliquando transpositio : et quando hoc additum est, primo apparet necessarium quod est in consequentia.

Inutiles autem conjugationes in universalibus terminis et propositionibus formatæ sunt multis modis : si enim  $m$  medium de omni  $n$  prædicetur : et prædicetur etiam de omni  $x$ , ita quod ambæ præmissæ sint universales affirmativæ, non erit syllogismus secundum hanc figuram necessarium aliquid concludens : et hoc patet per instantiam probatam in terminis. Et termini quidem secundum quos sequitur omni inesse, sunt substantia, animal, homo sic, omne animal substantia : omnis homo substantia : ergo omnis homo animal. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, substantia, animal, lapis, sic, omne animal substantia : omnis lapis substantia : et tamen nullus lapis est animal. In his terminis medium est substantia, et positione primum secundum hujus secundæ figuræ proprietatem.

Inutiles.

Similiter etiam inutilis est conjugatio, et non fit syllogismus, quando ambæ sunt præmissæ negativæ, sicut quando nec de  $\text{n}$ , neque de  $\text{x}$ ,  $\text{m}$  prædicatur, sed universaliter negatur de utroque : et hoc ostenditur per instantias terminorum : sequitur enim et omni et nulli inesse. Et termini quidem in quibus sequitur omni inesse, sunt linea, animal, homo, sic, nullum animal est linea : nullus homo linea : ergo omnis homo animal : quod non sequitur ex complexione præmissarum. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, linea, animal, lapis, sic, nullum animal linea : nullus lapis linea : ergo nullus lapis animal.

Manifestum ergo est ex prædictis, quoniam si fit syllogismus ex universalibus terminis, necesse est terminos se habere ut in principio istius capituli diximus : aliter enim se habentibus terminis universalibus non fit syllogismus in quo sequitur de necessitate consequentiæ conclusio.

### CAPUT VIII.

*De formatione syllogismorum particularium secundæ figuræ secundum utiles et inutiles conjugationes.*

Particulariter vero concludens in hac figura fit syllogismus, si medium ad extremum quocumque sive majus sive minus sumatur universaliter secundum dici de omni vel de nullo, ita quod universaliter medium affirmetur vel negetur de extremo, quando ad majus quidem universaliter se habet medium vel prædicative (sive affirmativa) vel privative (sive negative) ; ad minus autem extremum habet se medium particulariter et in qualitate opposita ad majorem, ita quod si universalis et major sit affirmativa, minor sit particularis negativa : et si universalis et major sit negativa, particularis minor sit affirmativa : sic enim se habentibus terminis et propositionibus in hac figura, fit syllogismus necessario conclu-

dens conclusionem privativam sive negativam particularem.

Nam si  $\text{m}$  medium,  $\text{n}$  hoc est, majori Tertius n  
dus utili  
scilicet /  
tino. extremitati nulli inest, ita quod nullum  $\text{n}$  scilicet / est  $\text{m}$ , et illud idem  $\text{m}$  medium inest aliqui  $\text{x}$ , quod est minor extremitas, ita quod quoddam  $\text{x}$  est  $\text{m}$ , sequitur necessario quod quoddam  $\text{x}$  non est  $\text{n}$ . Hoc autem probatur per conversionem majoris quæ est universalis negativa, sic, nullum  $\text{m}$  est  $\text{n}$ , quoddam  $\text{x}$  est  $\text{m}$ , ergo quoddam  $\text{x}$  non est  $\text{n}$  : hic enim est quartus modus primæ figuræ, de quo probatum est, quod est perfectus : et cum iste modus secundæ figuræ originetur a perfecta, necesse est quod et ipse concludat necessario : talis enim syllogismus fit per primam figuram.

Rursus fit quartus hujus figuræ modus, si dicamus  $\text{m}$  medium omni  $\text{n}$  majori extremitate inesse : et idem  $\text{m}$  medium dicamus alicui  $\text{x}$  minori extremitate non inesse : et fit syllogismus necessario concludens per hunc modum : omne  $\text{n}$   $\text{m}$ , quoddam  $\text{x}$  non est  $\text{m}$ , ergo quoddam  $\text{x}$  non est  $\text{n}$ . Et probatur iste syllogismus per deductionem ad impossibile : aut enim sequitur conclusio, aut oppositum conclusionis cum aliquo præmissarum jam in priori syllogismo supposito : detur enim oppositum hujus, scilicet quod  $\text{n}$  omni  $\text{x}$  inest, ita quod omne  $\text{x}$  est  $\text{n}$  ; concessum est autem quod  $\text{m}$  prædicatur de omni  $\text{n}$ , quia dictum est, quod omne  $\text{n}$  est  $\text{m}$ , sequitur quod omne  $\text{x}$  sit  $\text{m}$ , et possum erat in minori propositione prioris syllogismi, quod aliquod  $\text{x}$  non esset  $\text{m}$ , et sic contradictoria simul essent vera, quod est inconveniens : ergo prima sequitur conclusio.

Hunc autem syllogismum per conversionem non possumus probare : quia non est in eo convertibilis propositio nisi universalis affirmativa, quæ si convertatur in particularem, erunt ambæ præmissæ particulares : et ex particularibus non potest fieri syllogismus in aliqua figura, sicut in ante habitis probatum est. Similiter autem erit syllogismus si dicatur  $\text{m}$

Quartus  
modus u  
lis, scilic  
baroco.

medium omni quidem inesse  $n$ , ita quod omne  $n$  est  $m$ , et illud idem medium quod est  $m$  non inest omni  $x$ , ita quod non omne  $x$  est  $m$ ; erit syllogismus concludens, quod non omni  $x$  inest  $n$ , qui tamen idem est qui ex universalis affirmativa, et particulari negativa. Quia non omnis et aliquis non æquipollent: unde eadem est demonstratio hujus syllogismi quæ fuit antecedentis per deductionem ad impossibile.

**Inutiles.** Quocumque autem alio modo conjungantur termini et propositiones ad invicem, erunt conjugationes inutiles. Si enim  $m$  de  $x$  quidem omni prædicetur, ita quod minor sit universalis affirmativa: et hoc idem  $m$  prædicetur de  $n$  non omni, ita quod major sit particularis negativa, vel ei æquipollens, non erit necessario concludens syllogismus ex tali conjugatione. Et probatur per instantias terminorum: sequitur enim et omni et nulli inesse. Termini quidem in quibus sequitur omni inesse, anima, substantia, corvus, sic, quædam substantia non animal: omnis corvus animal: et patet quod omnis corvus est substantia. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, sunt animal, album, corvus, sic, quoddam album non est animal: omnis corvus animal: et patet quod nullus corvus albus.

Nec iterum potest esse syllogismus necessario concludens, quando minor est universalis negativa, major autem particularis affirmativa, sicut quando  $m$  de nullo  $x$  prædicatur: et illud idem  $m$  prædicatur de aliquo  $n$ , sic, quoddam  $n$  est  $m$ , omne  $x$   $m$ ; nihil enim sequitur, quod probatur per terminos. Et termini quidem in quibus sequitur omni inesse sunt animal, substantia, lapis, sic, quædam substantia est animal: nullus lapis animal: et patet quia omnis lapis substantia. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, sunt animal, substantia, scientia, sic, quædam substantia est animal: nulla scientia animal: et patet quia nulla scientia substantia. Jam igitur di-

ctum est, quando erit et quando non erit syllogismus particulariter concludens in hac figura, quando in opposita qualitate habent se præmissæ in syllogismo qui alteram habet universalem et alteram particularem.

Quando autem ambæ præmissæ propositiones fuerint similis figuræ sive formæ in qualitate, scilicet quod sicut ambæ privativæ, aut ambæ affirmativæ, scilicet universalis et particularis, nullo modo erit de necessitate concludens syllogismus. Primo enim ponamus, quod ambæ propositiones præmissæ sint privativæ, et universale ponatur ad majorem extremitatem, ita quod major sit universalis negativa, et minor sit particularis negativa: et hoc est sic, quod  $m$  quidem nulli insit  $n$ , et idem  $m$  non insit alicui  $x$ , tunc non erit necessario concludens syllogismus: quia contingit majorem extremitatem et omni et nulli inesse minori extremitati, ita quod  $n$  et omne erit  $x$ , et nullum erit  $x$ . Et termini in quibus contingit nulli inesse, sunt nigrum, nix, animal, sic, nulla nix nigrum: quoddam animal non est nigrum: et patet quod nullum animal nix. Terminos autem in quibus sequitur omni inesse, non est sumere si minor (quæ est particularis) ponatur particulariter esse vera, ita quod  $m$  alicui insit  $x$ , et alicui non insit: hoc enim est particulariter inesse, quod est alicui inesse et alicui non: hæc enim est terminorum dispositio: nullum  $n$  est  $m$ , aliquod  $x$  non est  $m$ , sic enim non est sumere terminos omni inesse. Et hujus hæc est ratio: si enim detur quod omni insit primum postremo, ita quod omne  $x$  sit  $n$ , accipiat ergo cum prima propositione sic, nullum  $n$  est  $m$ , omne autem  $x$  est  $n$ . per hypothesim: sequitur quod nullum  $x$  est  $m$ ; quod est contra istam hypothesisim, sive quæ dixit aliquod  $x$  esse  $m$ , et aliquod  $x$  non esse  $m$ . Patet igitur quod particularis est vera, et quod non est sumere terminos omni inesse: non igitur sic contingit sumere terminos.

Et quia per terminos omni et nulli

inesse, non sufficienter potest ostendi illius conjugationis inutilitas, ut perfecte probetur inutilitas ejus. Potest ostendi ex indefinito, quod est in particulari negativo: hoc enim indefinitam et non ad unum determinatam habet causam suæ veritatis: verificatur pro universalis, si nulli inest: et verificatur pro particulari, si alter non inest. Ponatur autem universalis negativa pro minori sic, omne  $\text{n}$  est  $\text{m}$ , nullum  $\text{x}$   $\text{m}$ , sic enim jam ante probatum est quod non valet conjugatio, quia sequitur omni et nulli inesse. Cum igitur particularis negativa sequatur ad universalem negativam, et cum universalis negativa ad minorem posita sit inutilis conjugatio, erit etiam inutilis cum particulari posita ad minorem: quod enim ex inutili conjugatione sequitur et probatur, necessario est inutile.

Rursus erit inutilis conjugatio, si medium ut prædicativum particulariter ponatur ad minorem extremitatem, ita quod sit particularis affirmativa, et major sit similis qualitatis cum ea, sed dissimilis quantitatis, ita scilicet quod sit universalis affirmativa, ut dicatur  $\text{m}$  quidem omni inesse  $\text{n}$ , et idem  $\text{m}$  dicatur alicui  $\text{x}$  inesse, sic, omne  $\text{n}$  est  $\text{m}$ , aliquod  $\text{x}$   $\text{m}$ ; tali enim conjugatione posita contingit  $\text{n}$  quod est major extremitas et omni et nulli  $\text{x}$  inesse in conclusione: et ideo conjugatio est inutilis: et termini quidem in quibus sequitur nulli inesse, sunt album, cygnus, lapis, sic, omnis cygnus albus: aliquis lapis albus: patet quod nullus lapis cygnus. Terminos vero in quibus sequitur omni inesse, non erit sumere propter eamdem causam quæ in priore conjugatione dicta est: quia scilicet ponitur minor particulariter esse vera. et alicui inesse, et alicui non inesse: et ideo non potest major extremitas minori omni inesse. Sed sicut prius inutilitas istius conjugationis monstranda est ex particulari indefinito, quod cum affirmativum est, potest verificari universaliter et particulariter: hæc enim qua dicitur, quoddam  $\text{x}$  est  $\text{n}$ , et vera est si omne  $\text{x}$

est  $\text{m}$ , et vera si non omne  $\text{x}$  sed quoddam est  $\text{m}$ ; et quoddam non est  $\text{m}$  ponatur quidem universalis affirmativa loco minoris: et tunc ostensum est supra, quod sequitur omni et nulli inesse: cum igitur particularē affirmativum sequatur ad universale affirmativum: erit etiam inutilis cum particulari affirmativo posito ad minorem; et est idem probationis modus qui prius.

Adhuc autem erit inutilis conjugatio, si ponantur propositiones similis qualitatis, et dissimilis quantitatis, ita quod sint ambæ negativæ, et una universalis et altera particularis, et sit minor universalis, et major particularis, ita quod  $\text{m}$  quod est nota medii, nulli insit  $\text{x}$ , et illud idem  $\text{m}$  alicui  $\text{n}$  non insit, sic, quoddam  $\text{n}$  non est  $\text{m}$ , nullum  $\text{x}$  est  $\text{m}$ , non valet conjugatio: et est instantia terminorum in quibus sequitur omni inesse, album, animal, corvus, sic, quoddam animal album: nullus corvus albus: et patet quod omnis corvus animal. Termini in quibus sequitur nulli inesse, sunt album, lapis, corvus, sic, quidam lapis non est albus: nullus corvus albus: patet quod nullus corvus lapis.

Similiter autem inutilis est conjugatio, si ambæ prædicativæ sive affirmativæ fuerint propositiones: et sit major particularis affirmativa, minor autem universalis affirmativa: talis enim conjugatio probatur esse inutilis per instantias terminorum: eo quod sequitur majorem extremitatem minori et omni et nulli inesse. Terminis autem in quibus sequitur nulli inesse, sunt album, animal, nix, hoc modo, quoddam animal album: omnis nix alba: patet quod nulla nix animal. Terminis autem ubi sequitur omni inesse, album, animal, cygnus, sic, quoddam animal album: omnis cygnus albus: patet quod omnis cygnus animal.

Manifestum est igitur quod, quando similis figuræ sive formæ qualitatis sunt propositiones in secunda figura, et dissimilis quantitatis, ita quod hujus una præmissarum quæcumque datur, est univer-

salis, et alia particularis, sive ad majorem sive ad minorem posita, quoniam hoc modo nullus fit syllogismus necessario concludens, eo quod hæc sunt quæ sunt præmissa.

Sed nec adhuc fit syllogismus si ponatur utraque particularis vel æquivalens particulari, vel indefinitæ, sicut si dicatur  $m$  medium utriusque extremitati,  $n$  scilicet et  $x$  inesse vel non inesse. Vel particulariter dicatur, huic quidem extremitati majori vel minori inesse: illi vero minori vel majori dicatur non inesse, sicut quando propositiones sunt similis quantitatis, quia ambæ particulares, et sunt dissimilis qualitatis: et ita quod una est affirmativa, et altera negativa quæcumque. Vel si dicatur medium neutro extremito inesse omni: hoc enim æquipollit particulari. Vel dicatur indefinite utraque præmissarum: quia indefinitum et particulare æquipollent: nulla enim talium conjugationum utilis erit propter instantiam terminorum, in quibus sequitur omni et nulli inesse extrellum majus minori. Termini autem communes omnium horum quæ dicta sunt, quando ambæ sunt præmissæ particulares, vel particularibus æquivalentes, in quibus sequitur omni inesse, sunt, album, animal, homo, sic, quoddam animal album: quidam homo albus: et patet quod omnis homo est animal. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, album, animal, inanimatum, sic, quoddam animal album: quoddam inanimatum album: patet enim quod nullum inanimatum animal.

Manifestum est igitur ex prædictis, quoniam si sic se habeant termini ad invicem, ut dictum est in dispositione utilium conjugationum, fit syllogismus ex necessitate suæ inferentiæ conclusionem concludens: et e converso si debeat fieri utilis syllogismus, necesse est quod termini sic se habeant, ut dictum est.

## CAPUT IX.

*De corollariis quæ habentur ex præinductis.*

Palam autem ex præinductis est, quoniam omnes imperfecti sunt qui sunt in secunda figura syllogismi: omnes enim perficiuntur assumptis quibusdam quæ vel insunt terminis ex necessitate, sicut est conversio, et per conversionem terminorum transpositio: vel ponuntur sive conceduntur velut hypothesis, sicut in deductione ad impossibile, in qua præmissæ syllogismi ex hypothesi conceduntur, et negatur sequi conclusio: et ideo sumpto opposito conclusionis syllogizatur oppositum alterius præmissarum ante per hypothesis concessarum, sicut fit quando per impossibile syllogismum ostendimus.

Dubitatio.

Quamvis quidam dubitent dicentes et querentes causam quæ sit consequentia ista: oppositum enim non potest stare cum præmisso: ergo conclusio sequitur. Sed ad hoc solvendum, est sciendum quod quidquid repugnat alicui non repugnat ei, nisi propter oppositum illius quod inest alicui, cui aliud repugnat: nigrum enim non repugnat albo, nisi propter album quod jam inest: et asinus non repugnat homini, nisi propter humanitatem quæ jam inest: et generaliter affirmatio quæ inest, facit repugnare negationem, et contraria contrariam: et sic est in omnibus. Si ergo unum oppositorum repugnat, oportet quod alterum insit: et ideo stat consequentia: unum oppositorum repugnat: ergo reliquum stabit, et inest.

Solutio.

Manifestum est etiam, quoniam in hac figura non fit affirmativus syllogismus, hoc est, concludens conclusionem affirmativam: et hoc est ideo, quod necesse alteram præmissarum esse negativam ad medium: et ideo nec extrellum extremo potest conjungi, nisi per negationem: quia extrellum non respicit extrellum nisi per medium: et ideo omnes syllogis-

mi utilis conjugationis in hac figura sunt omnes privativi, ita quod privativas concludunt conclusiones, tam universales, hoc est, universaliter concludentes, sicut primus modus et secundus hujus figuræ, quam particulares, hoc est, particulariter concludentes, sicut modus tertius et quartus in hac figura formati. Hæc igitur de secunda figura dicta sunt.

## CAPUT X.

*De proprietatibus tertiae figuræ.*

Si autem eidem quidem subjecto quod medium est, hoc quidem extremum magis inest omni, ita quod universaliter extremum prædicatur de medio: illud vero quod est minus extremum, nulli inest medio, ita quod universaliter extremum minus removetur a medio: vel si forte ambo extrema insint omni medio, ita quod utrumque extremum de medio prædicatur universaliter: vel etiam si ambo extrema nulli insint medio, ita quod utrumque universaliter removeatur vel negetur de medio: figuram terminorum hujusmodi dispositionis et ordinis voco tertiam, in qua medium bis subjicitur, et utraque extremitas de medio prædicatur.

Determinamus hic figuram prout una et communis est ad conjugationes utiles, et ad conjugationes inutiles. Medium autem in hac figura dico metaphorice, de quo sicut de subjecto ambo extrema prædicantur: extremitates vero voco in hac figura ipsa prædicata quæ prædicantur de medio in duabus præmissis propositionibus. Majorem vero voco extremitatem, quæ longius distat a medio. Minorem vero extremitatem voco, quæ proposita est juxta medium. Ponitur autem in hac figura medium foras quidem extremitatum, ita quod ultimum est in positione terminorum et ordine. Et hoc quidem observabimus in positione litterarum quæ extrema designant et medium, sicut et modum proprium propositionis medii in

præhabitum figuris observavimus. In prima enim litteram designantem medium posuimus in medio extremitatum, et in seunda figura litteram quæ denotabat medium posuimus ante extrema: hic autem eam litteram quæ designat medium, ponemus post ambo extrema, ita quod in ordine litterarum et terminorum est ultima, et minor extremitas media, et major extremitas prima.

Cujus hæc ratio est: quia secundum ordinem prædicabilium in linea prædicamentali, in prima figura medium stat sub majori extremitate, et minor extremitas stat sub medio, et sic medium ordine prædicabilium et situ est medium. Cum autem in secunda figura medium tantum prædicetur, et in ordine prædicabilium prædicatum sit prius subjecto, erit in secunda medium ordine et positione. Eadem autem ratione cum in tertia sit medium tantum subjicibile et non prædicabile, erit secundum positionem et ordinem naturalem terminorum ultimum. Et major extremitas longius distat a situ et proprietate medii: quia ipsa nunquam subjicitur, nec in præmissis, nec in conclusione, sed semper prædicatur. Minor autem extremitas propinquior est medio et situ et convenientia proprietatis medii: quia minor extremitas aliquando subjicitur ad minus in conclusione: propter quod medium ponitur foras extremitatum, quia accipitur ut pars utriusque: quia in ordine prædicabilium id quod substans et subjicitur, pars est ejus cui substans et cui subjicitur, sicut homo pars est animalis, et animal pars animati corporis, et sic de aliis ascendendo in linea prædicamentali. Sic etiam in secunda figura medium ponitur foras extremitatum: sed quia prædicatum est, habet se ut totum ad utramque extremitatem.

Ex his autem habetur, quod medium in hac tertia figura non est positione medium, sed extremitum: et ideo non est medium nisi uniens et conjungens extrema, sicut et in secunda figura. Ex quo sequitur, quod perfectus non fit syllogis-

mus in hac figura quantum ad evidentiā conclusionis, possibilis ad perfectiōnem syllogismus erit in hac figura: potest enim reduci ad primā figurā, et unū est perfectus.

Potest autem in hac figura syllogismus et ambobus terminis ut prædicatis universaliter se habentibus ad medium, ita quod uterque de medio prædicetur universaliter: et potest iterum esse syllogismus, non ambobus terminis se universaliter habentibus ad medium, ita quod unus de medio prædicetur universaliter, et alter particulariter. Sint igitur notae terminorum et signa istae litterae p, r, s; et s quae est ultima sit medium, r vero minor extremitas, p autem sit major. Hæc igitur est dispositio tertiae figuræ.

Proprietates  
tertiae figu-  
rae. Cujus proprietates sunt duæ: una quidem, quod minorem non potest habere negativam. Et alia, quod non potest habere conclusionem universalem, sed semper particularem. Ratio autem primi, quod scilicet minorem oportet habere affirmativam, hæc est: quia medium est pars extremitatum vel in ratione partis acceptum: et ideo si minor esset negativa, nec affirmative nec negative posset aliquando concludi: posset enim contingere, quod extrema essent disparata: et tunc non posset concludi affirmative unum extrellum de alio. Posset etiam contingere quod se haberent ad invicem ut subalterna, et tunc unum extrellum de altero concludi non posset negative. Exemplum autem primi est, ut si dicamus tres terminos, animal, lapis, homo, ita quod medium sit homo, sic, omnis homo animal: nullus homo lapis, vel aliquis homo non lapis: et patet quod nullus lapis animal. Exemplum secundi est, si dicamus terminos esse, animal, asinus, homo, sic, omnis homo animal: nullus homo asinus: non potest inferri negative, ergo nullus asinus animal, quia omnis asinus animal: patet igitur quod nihil sequeretur in hac figura minori existente negativa.

Est autem hujus quod dictum est et

alia causa satis convenienter assignata, et hæc est, quod modi tertiae figuræ descendunt a modis primæ figuræ per conversionem minoris: et quia minor in primo primæ figuræ, et in tertio (qui descendit a primo) semper est affirmativa: ideo in tertia figura minorem oportet esse affirmativam.

Sed tunc objectio est: quia in modis primæ figuræ, a quibus descendunt syllogismi tertiae figuræ, minor est particularis, eo quod affirmativa universalis non convertitur nisi particulariter, descendunt syllogismi primæ figuræ particulares ab universalibus, sicut dicetur in sequentibus. Si ergo minor in syllogismis primæ figuræ est tantum particularis in tertio modo et quarto, quæritur quæ sit causa quod minor in tertia figura potest esse et universalis et particularis? Et ad hoc dicendum secundum aliquos, quod quando propositio una convertitur in aliam, utraque potest dici conversa alterius, scilicet et illa quæ convertitur, et illa in quam convertitur: et hoc modo loquendo et universalis est conversa particularis, et particularis est conversa universalis: et quia prima a qua fit descensus est universalis, et ideo etiam quod ab illo descendit, quamvis per particulare descendat, potest esse universale, sicut patet in aliis. Hujus autem causa est: quia quando convertitur universalis in particularem, virtus universalis remanet in particulari: et sic etiam ipsum particulare in virtute universalis acceptum potest reduci ad universale.

Ejus autem quod dictum est, quod hæc figura non concludit nisi particulariter, Quare ter-  
tia figura  
non conclu-  
dit nisi par-  
ticulariter. non causa est, quod medium hujus figuræ ponitur foras extremitates, et ponitur ut subjecibile, et ut pars extremitatum: et ideo per ipsum non potest differre extremitas ab extremitate nisi secundum partem: nec extremitas potest convenire cum extremitate per medium, nisi secundum partem: et ideo est, quod virtute medii non potest concludi in hac figura nisi particulariter. Adhuc autem cum in

objectio.

Solutio.

hac figura medium se habeat ad extrema sicut inferius, et sicut pars, posset contingere quod extrema se haberent ad invicem ut subalterna; et tunc posset minor extremitas in plus quam major: propter quod major non prædicaretur de ipsa nisi particulariter: et tunc instantiam haberet talis syllogismi modus. Exemplum autem est in his terminis, animal, corpus, homo, sic, omnis homo animal: omnis homo corpus: patet quod non sequitur universalis, sed particularis, quoddam corpus animal.

**Objectio  
prima.**

Objiciunt tamen aliqui contra ea quæ dicta sunt, sic dicentes, quod in qualibet figura plus possunt duæ universales conjunctæ quam universalis et particularis: sed universalis conjuncta particulari potest inferre conclusionem particularem: cum ergo plus possint duæ universales, et non sit ostendere in quo plus possunt, nisi in hoc quod inferunt universalem, videtur quod in hac tertia figura ex universalibus possit inferri conclusio universalis.

**Secunda.**

Adhuc autem particularis cum universalis particularem infert conclusionem sufficienter: cum autem ponitur universalis cum universalis, plus est in universalis quam in particulari: illud ergo plus ad conclusionem particularem videtur esse non causa ut causa: in hac ergo figura nunquam conjungenda est universalis cum universalis: et sic primus modus et secundus hujus figuræ non essent syllogismi.

**Solutio.  
Ad pri-  
mam.**

Sed ad hæc et similia non est difficile solvere. Dicendum enim quod dispositio medii causa est, quare in hac figura non est universalis conclusio. Et quod dicitur, quod plus potest universalis cum universalis quam universalis cum particulari, *Dicendum* quod hoc verum est in decursu syllogistico, sed non ad faciendum quantitatatem conclusionis quando medium stat sub extremitatibus: nec in plus potest universalis cum universalis, quam universalis cum particulari ad faciendum figuram, sed ad faciendum mo-

dum in figura plus potest universalis cum universalis, quam universalis cum particulari: quia evidentius inferunt, et immediatus reducuntur universales syllogismi in primam figuram, quam particulares syllogismi, qui habent alteram particulariem.

Ad hoc autem quod dicitur, quia id <sup>ad secundam.</sup> quod plus est in universalis quam in particulari ad inferendam conclusionem particularem, est non causa ut causa, *Dico* quod non est verum: quia facit ad evidentiam necessitatis: evidentior enim est necessitas conclusionis syllogisticae ex duabus universalibus, quam ex altera universalis et altera particulari.

Sed non refert in hac figura, utrum major sit universalis, sive particularis: semper enim infertur conclusio particularis: quod non est in aliis figuris, in quibus majorem semper oportet esse universalis: et hoc est ideo, sicut dictum est, quod medium non concludit extreum de extremo sive affirmative sive negative, nisi secundum partem: et ad hoc quod hoc facere possit, non refert sive major sit universalis, sive particularis: quia medium vel est pars, vel sicut pars utriusque extremitatis. Adhuc de proprietatibus istius figuræ, sicut jam diximus, est quod concludit tantum particulariter.

Sed tunc quæritur, cum sit figura concludens tantum particulariter sicut tertia, et sit figura concludens universaliter et particulariter sicut prima et secunda, quare non est aliqua figura concludens tantum universaliter? non enim potest esse quartum membrum, quod scilicet sit figura quæ nec universaliter nec particulariter concludat: quia hoc non esset syllogismus, et sic nec figura esset nec modus. Ad hoc autem dicendum quod habitudo medii ad extrema causa est conclusionis: et ideo ubi habitudo medii ad extrema est ut habitudo partis, ibi medium inter extrema nec ponit convenientiam nec differentiam nisi secundum partem. Ubi autem habitudo medii ad ex-

**Dubitatio**

**Solutio.**

trema est habitudo totius, sicut in secunda figura: vel habitudo medii ad extrema se habet ut pars ad unum et totum ad alterum, ut in prima: ibi potest notare et causare et universalem convenientiam et universalem differentiam: et ex uno concludit universalem affirmativam, et ex alio causat in conclusione universalem negativam: et ideo in prima figura concluditur universaliter et affirmative et negative, et in secunda figura universaliter negative. Sed quia particulare sequitur ad universale sicut consequens ad antecedens, ideo necesse est quod figura concludens universaliter, concludat etiam particulariter: et quia universalis non sequitur ad particularem, ideo non potest concludere universaliter, quae concludit particulariter.

Et ex hoc patet quod, tam in prima quam in secunda et in tertia, modi particulares descendunt et oriuntur a modis universalibus ejusdem figuræ, sicut tertius primæ figuræ descendit a primo ejusdem figuræ posita subalterna universalis pro minori: et per eundem modum quartus descendit a secundo, et sic est in omnibus aliis.

Quia autem una est figura concludens affirmative et negative, sicut prima et tertia: et est una concludens tantum negative, sicut secunda: et non est una quæ tantum affirmative, non causatur nisi ab habitudine medii: quando enim medium habet se ad extrema ut pars ad unum et totum ad alterum, potest esse causa et convenientiae et differentiae extremorum ad invicem, et sic causat tam affirmacionem quam negationem. Similiter autem quando habet se sicut pars ad utrumque extreum. Quando autem est extra extrema ut communius utroque, et ut totum ad ipsa, non potest esse causa convenientiae: quia non per hoc affirmatur unum de alio, quod sunt sub uno et eodem communi: sed causa est differentiae et negationis, quia negato superiori de aliquo, negatur unum de alio eorum quæ sub superiori ponuntur: si enim lapis non sit

animal, sequitur quod lapis non est homo: et ideo medium in secunda figura causa convenientiae affirmationis esse non potest. Hæc igitur est causa quare nulla figura concludit tantum affirmative: quamvis quædam tantum negative concludat.

## CAPUT XI.

### *De formatione syllogismorum universaliū tertiae figuræ utilium et inutilium conjugationum.*

His ita determinatis, conjugationes utilles et inutiles istius figuræ ponamus tam secundum modos universales, quam secundum modos particulares. Modi enim qui concludunt universaliter, sed qui ambas habent præmissas universales. Fit igitur universaliter syllogismus in hac tertia figura in terminis suprapositis, quos pro medio et extremis posuimus P, R, S. Quando P major extremitas, et R minor extremitas, sicut prædicata inerunt omni s ut medio, et utriusque extremitatis subjecto: et concludetur virtute medii, quod alicui R inerit P hoc modo, omne s P, omne s R, ergo aliquod R P; et est primus modus utilis conjugationis in hac tertia figura. Probatur autem iste syllogismus per reductionem in tertium modum primæ figuræ per conversionem universalis affirmativæ quæ est minor propositio, et convertitur particulariter, sic, omne s R, quoddam R S, et hæc ponatur cum majori prioris syllogismi, sic, omne s P, quoddam R S, ergo quoddam R P: et est tertius modus primæ figuræ; quia enim P inest omni s in majori propositione, et s inest alicui R per conversam minorem, sequitur quod et R necesse est alicui R inesse in tertio modo primæ figuræ: sic enim conversa minori sit syllogismus per primam figuram.

Hic autem idem modus potest demon-  
strari et per impossibile et per expositi-  
onem. Expositionem autem dico, quod sub  
universali aliquod sensibile sumatur, de

Qui sint mo-  
di univer-  
sales in ter-  
tia figura.

Primus mo-  
dus utilis  
scilicet da-  
rapti.

Quæ sit pro-  
batio per  
expositio-  
nem.

quo utraque extremitas universaliter vel particulariter prædicetur, sicut si dicam, omnis homo substantia: omnis homo animal: ergo aliquod animal substantia: et si dicatur quod non sequitur, accipio sub substantia et animali aliquod sensibile de quo prædicetur utraque extremitas, ut hunc hominem, videlicet Socratem et Platonem: quia enim ille est quoddam animal, et quædam substantia, patet quoniam aliquod animal est quædam substantia: et hoc est quod dicit Aristoteles, quod si ambo extrema omni s, hoc est, medio insunt, si sumatur aliquod eorum sensibilium et particularium quæ sunt sub s, et sic illud s huic necessario sequitur et p et r inesse, majorem scilicet et minorem extremitatem: eo quod medium utriusque extremitatum subjicitur: si enim omnis homo est animal: et omne risibile animal: necesse est quoddam risibile animal esse. Si autem insunt major et minor extremitas omni medio, et aliquod sensibile sumatur sub medio, sequitur quod huic sumpto sub medio inerunt extrema p et r, et sic sequitur quod alicui r quod est minor extremitas, inerit p major extremitas. Hic ergo est tertiae figuræ modus primus.

*Secundus  
modus uti-  
lis, scilicet  
felapton.*

Secundus autem hujus tertiae figuræ modus est, si dicatur r quidem minor extremitas omni s inesse, ita quod minor sit universalis affirmativa, et dicatur s nulli p inesse, ita quod universalis sit negativa: tunc erit de necessitate concludens syllogismus hanc conclusionem, quod p alicui r non inerit: concludit enim hic syllogismus particulariter, quod major extremitas alicui de minori extremitate non inerit. Idem enim modus erit demonstrationis qui prius dictus est, conversa r s propositione quæ minor fuit in syllogismo præcedenti: haec enim si convertitur, cum sit universalis affirmativa in præcedenti syllogismo, convertitur in particularem: et tunc erit talis syllogismus, nullum s p, omne s r: sequitur de necessitate, quoniam aliquod r non est p. Idem enim modus demonstra-

tionis est conversa r s propositione quæ minor erat in syllogismo præcedenti sic, nullum s p, aliquod r s, ergo aliquod r non est p; et hic est quartus primæ figuræ si convertatur minor, omne s r in hanc, aliquod r s, tunc enim sic syllogizatur, nullum s p, aliquod r s, ergo aliquod r non est p.

Hoc autem idem potest ostendi per impossibile sicut in priori modo, si sumatur oppositum conclusionis et ponatur cum præmissa sic, nullum s est p, omne s est r, ergo aliquod r non est p: si enim non sequitur, detur oppositum; ejus autem quod est, quoddam r non est p, est hoc, omne r est p; accipiatur ergo cum prima prioris syllogismi sic, nullum s p, et convertatur in hanc, nullum p s, omne r p, sequitur quod nullum r s, et datum fuit quod omne s r: si enim nullum s r, sequitur quod aliquod s non est r, et hæc est contradictoria. ejus quæ data est in minori propositione prioris syllogismi: et sic duplenter probatur iste syllogismus.

Aliis autem modis omnibus, universaliter se habentibus terminis, inutilis est conjugatio. Dicamus quod major sit affirmativa universalis et minor negativa universalis, ita quod s medium sic se habet ad r minorem extremitatem, quod nulli s inest r, et sic se habet ad p majorem extremitatem, quod p inest omni s, nec est syllogismus utilis conjugationis: et hoc probatur per instantiam terminorum: si enim accipientur termini, animal, equus, homo, sequitur omni inesse sic, omnis homo animal: nullus homo equus: patet quod omnis equus est animal. Si vero accipientur termini, animal, inanimatum, homo, sequitur nulli inesse sic, omnis homo animal: nullus homo inanimatum: patet quod sequitur nullum inanimatum esse animal.

Adhuc autem inutilis conjugatio est, et non erit syllogismus, si ambæ præmissæ sint universales negativæ: hoc enim generale est in omni figura, quod ex omnibus negativis nihil sequatur: et est in-

stantia terminorum: et termini in quibus sequitur omni inesse, sunt animal, equus, inanimatum, sic, nullum inanimatum animal: nullum inanimatum equus: et patet quod omnis equus animal. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse, homo, equus, inanimatum, ita quod medium sit inanimatum sic, nullum inanimatum homo: nullum inanimatum equus: et patet quod nullus equus homo.

Manifestum est igitur ex dictis, quando erit et non erit in hac figura syllogismus, si universaliter sumuntur termini et præmissæ propositiones: quando enim ambo termini sunt prædicativi, ita quod ambæ præmissæ sunt universales affirmativæ, tunc erit syllogismus, et est primus modus istius tertiae figuræ. Quando autem ambo termini erunt privativi ad medium, ita quod ambæ præmissæ sunt universales negativæ, tunc non erit syllogismus. Quando autem hic quidem est privativus, alter vero prædicativus, scilicet major quidem terminus privativus ad medium, minor autem prædicativus, erit syllogismus, quod alicui non inest extremitas major minori in conclusione. Et iste est secundus modus istius tertiae figuræ. Si autem e converso ponatur major affirmativa et minor negativa, non est conjugatio utilis ad syllogismum, sicut patet per ante dicta.

## CAPUT XII.

*De formatione particularium syllogismorum tertiarum figuræ utilium et inutilium.*

Particulares vero syllogismi in tertia figura sic formantur et secundum utiles et secundum inutiles conjugationes. Si enim unus terminorum, major scilicet, universaliter se habeat ad medium, ita quod major sit universalis: alias vero terminus, minor scilicet, ad idem medium se habeat particulariter, ita quod minor sit particularis, ita quod uterque tam major quam minor ad medium sit

prædicativus, et utraque præmissarum affirmativa: necesse est in hac figura fieri syllogismum, quamvis alteruter sive major scilicet, sive minor terminorum sit universalis, et alias particularis: in hac enim figura, ut in ante habitis diximus, major potest esse et universalis et particularis: et hoc habet proprium. Ponamus enim primo, quod in minori termino sit universalis, ita quod r minor extremitas insit omni s quod est medium: et sit minor universalis affirmativa: et p quod est major extremitas, insit alicui s, ita quod major sit particularis affirmativa, necesse est per necessitatem consequentiæ syllogisticae, quod aliquod p sit r, sive quod aliquod p insit r; et hic est tertius modus istius tertiae figuræ ex majori particulari et minori universalis ambabus affirmativis.

Et perficitur hic syllogismus ex conversione majoris, quæ est particularis affirmativa et transpositione propositionum, sic, omne s r, quoddam p s, ergo quoddam r p: et particularis affirmativa convertitur simpliciter, necesse etiam e converso quod etiam r insit alicui p.

Adhuc utilis conjugationis fit syllogismus, si fiat e converso, quod major sit universalis et minor particularis. Sicut si sic dicatur, quod r alicui s inest in minori, p vero omni s ponatur in majori: sequitur enim necessitate syllogistica, quod necesse est p alicui r inesse in conclusione: et iste est quartus modus istius figuræ.

Et idem modus demonstrationis est in isto et in priori, scilicet per conversiōnem minoris: si enim omne s sit p, et quoddam s sit r, erit quoddam r p: si ergo sic syllogizentur, omne s p, quoddam r s, sequitur per tertium primæ quod quoddam r est p. Hic autem modus etiam demonstrari potest per deductionem ad impossibile, supposita contradictoria conclusionis cum altera præmissarum, et concludendo oppositum alterius præmissarum, quod prius concessum fuerat. Potest etiam per expositionem minoris et

Tertius utilis, scilicet disamis.

Quartus utilis, scilicet datisi.

conclusionis demonstrari ad sensum : quia quandocumque proferatur particulaire sub medio sumptum et ad sensum demonstratum (cui inest major extremitas) tunc verificata erit particularis propositio.

*Quintus modus utilis, scilicet bocardus.* Adhuc autem utilis conjugationis erit syllogismus in hac figura, si unus quidem terminorum fuerit prædicativus et alter privativus, dummodo minor fuerit prædicativus : quia hoc habet proprium ista figura, quod minorem semper vult habere affirmativam : et quando sic se habent termini, tunc erit syllogismus : et est istius figuræ modus quintus : nam r minor extremitas inest omni s in minori propositione : et r quod est major extremitas, non inest alicui s in majori propositione : necessitate syllogistica sequitur quod necesse est r majorem extremitatem alicui r hoc est, minori extremitati non inesse, sic syllogizando : quoddam s non est r, omne s est r, ergo quoddam r non est r.

Et probatur hic modus per deductio nem ad impossibile : detur enim oppositum conclusionis, quod scilicet r inest omni r, datum est autem quod omni s inest r, sequitur quod omni s inerit r. Datum autem fuerat, quod non omni in majori prioris syllogismi. Hoc autem modo sciatur etiam sine deductione ad impossibile per simplicem expositionem, si sumatur aliquid eorum singularium quæ sunt sub s medio, cui non inest r major extremitas : particularis enim pro uno solo singulari verificatur.

*Inutilis.* Si autem propositiones sint dissimilis qualitatis et dissimilis quantitatis, et major fuerit terminus prædicativus ad medium, et minor privativus, erit inutilis conjugatio, et non syllogismus, ut si dicamus, quod r quidem omni s inest in majori propositione, r autem in minori propositione alicui s non inest : quia sicut diximus, minor in hac figura non potest esse negativa.

Et probatur istius conjugationis inutilitas per instantiam terminorum. Termini autem in quibus sequitur omni inesse, sunt animatum, homo, animal, sic, omne animal animatum : quoddam animal non homo : et pater quod omnis homo animatus. In quibus autem sequitur nulli inesse, non est sumere terminos si particularis sit vera particulariter : quia tunc r alicui s inest, et alicui non inest. Probatur autem deducendo ad impossibile, quod terminos ad nulli inesse non est sumere. Si enim omni s inest r, sicut dicit major propositio, r autem alicui inest s, sicut supponit minor particulariter vera propositio : tunc sequitur per tertium primæ figuræ syllogismum, quod r inest alicui r ; sed qui dicit, quod est sumere terminos in quibus sequitur nulli inesse, dicit per consequens, quod nulli r inest r ; patet ergo quod terminos nulli inesse non est sumere. Sed conjugationis hujus inutilitas ostendenda est quodam modo in prioribus ex indefinito particularis negativæ : alicui enim non inesse est indefinitum, et indefinitam habet causam suæ veritatis<sup>1</sup> : si enim nulli insit, verum est alicui non inesse : et si alicui non insit, verum est cuidam non inesse : quando autem est vera, eo quod nulli insit, ita quod minor sit universalis negativa, non erit syllogismus, ut jam ante probatum est : ergo manifestum est, quoniam omni alicui non inesse non potest esse syllogismus : quia alicui non inesse sequitur ad nulli inesse : et si daretur esse syllogismus omni nulli inesse, concluderetur statim etiam esse syllogismum omni alicui non inesse. Econtra autem negato nulli inesse, negatur alicui non inesse : et ideo non existente syllogismo omni nulli, sequitur non inesse syllogismum omni alicui non.

Si autem universalis terminus sit pri- *Sextus modus utilis, scilicet ferior.*

<sup>1</sup> De hoc vide supra, cap. 4, versus finem.

major fuerit universalis privativus, et minor terminus ad medium erit particularis et prædicativus, erit utilis conjugationis syllogismus. Si enim p major extremitas nulli insit s in majori propositione, r autem alicui insit s in minori propositione: sequitur de necessitate syllogistica, quod p non inheret alicui r. Erit enim ex isto prima figura per reductionem, quando convertitur minor propositio quæ est particularis affirmativa sic, nullum s p, quoddam r s, ergo quoddam r non est p: hic enim est quartus modus primæ figuræ: hic ergo syllogismus est istius figuræ modus sextus.

**Inutiles.**

Quando autem minor terminus erit privativus et major affirmativus, nunquam erit utilis conjugationis syllogismus: inutilitas enim talis conjugationis per instantias probatur terminorum. In his enim terminis, animal, homo, ferum, sequitur omni inesse sic, omne ferum animal: quoddam ferum non est homo: patet quod omnis homo animal. Termini autem in quibus sequitur nulli inesse in eadem complexione, sunt animal, scientia, ferum, sic, omne ferum animal: aliquod ferum non est scientia: patet quod virtute terminorum concluditur nulla scientia animal: medium autem in utrisque his terminis est ferum secundum hujus tertiae figuræ dispositionem.

*Ex puris  
negativis  
nihil sequi-  
tur in aliqua  
figura.*

Nec iterum quando ambo termini ponuntur esse privativi: quia hoc generale est in omnibus figuris, quod ex ambabus negativis nihil sequatur syllogistica: possunt enim esse ambæ negativæ in dispari quantitate, ita quod unus terminorum sit universalis, et alter particularis. Probatur autem inutilitas istius conjugationis per instantias terminorum: si enim minor sit universalis, et major particularis et ambæ negativæ, termini in quibus sequitur omni inesse, sunt animal, homo, ferrum, sic, quoddam ferrum non est animal: omne ferrum non est homo: patet quod ex habitudine terminorum sequitur quod omnis homo est animal. Termini in quibus sequitur nulli inesse, sunt

animal, scientia, ferrum, sic, quoddam ferrum non est animal: omne ferrum non est scientia: patet quod ex habitudine terminorum sequitur, nulla scientia animal.

Quando autem major est universalis et minor particularis et ambæ negativæ, termini in quibus sequitur nulli inesse, sunt corvus, nix, album, sic, nullum album corvus: quoddam album non est nix: patet quod ex habitudine terminorum sequitur: ergo nulla nix corvus. Terminos in quibus sequitur omni inesse non contingit dare si minor particulariter sit vera, ita quod alicui s inest r, et alicui non inest, eadem de causa que sæpius dicta est. Si enim dicat aliquis, quod dare contingit in tali complexione terminos ex quibus sequatur omni inesse: tunc accipitur hoc, et dicatur quod secundum hoc contingit, quod p inest omni r: sed datum erat prius quod r inest alicui s: sequitur de necessario quod p inheret alicui s, et positum fuit nulli inesse in majori propositione: ergo terminos omni inesse non contingit sumere. Sed inutilitas hujus conjugationis monstranda est ex indefinito particularis negativæ, per omnem eudem modum sicut prius, quod scilicet particularis negativa pro sensu universalis verificetur, et universalis negativa in cuius sensu particularis verificatur, loco particularis ponatur, et ex prius dictis concludatur inutilitas conjugationis.

Adhuc autem sunt inutiles conjugationes alio modo quam dictum est: neque enim utilis conjugatio esse potest, si uterque terminus, major scilicet et minor, inest alicui in medio particulariter, quia tunc ambæ præmissæ particulares: et ex particularibus virtute syllogistica nihil sequitur, sicut sæpius dictum est: unde si ve similiter ambo termini particulariter affirmativi secundum inesse, sive ambo particulariter negativi secundum non inesse: sive unus quidem particularis et affirmativus secundum inesse, alter autem particularis et negativus secundum non

inesse; sive etiam sumantur in eis qui æquipollent particulari affirmativo vel negativo, sicut si unus sumatur particularis secundum inesse alicui: alter autem in æquipollentia ad particularem sumatur negative secundum non inesse omni sive secundum non omni inesse, vel si indefinite sumpti termini in utraque propositione loco particularium ponantur: nullo istorum modorum erit conjugationis syllogismus.

Termini autem communes ad omnes istas inutiles conjugationes ex quibus sequitur omni inesse, sunt animal, homo, album, sic, quoddam album animal: quoddam album homo: patet quod habitudo termini concludit quod omnis homo animal. Termini autem in quibus sequitur non inesse, animal, inanimatum, album, sic, quoddam album animal: quoddam album inanimatum: ex habitudine terminorum sequitur nullum inanimatum esse animal. Idem est quocumque modo varientur particulares, vel indefinitæ propositiones, vel eis æquipollen tes.

Manifestum est igitur etiam in hac figura quando erit et quando non erit utilis conjugationis syllogismus. Manifestum est etiam, quoniam habentibus terminis, ut dictum est, in conjugationibus utilibus fit syllogismus concludens ex necessitate syllogisticæ consequentiæ: et e converso si sit syllogismus de necessitate concludens, necesse est quod termini sic se habeant, ut dictum est.

Manifestum est etiam, quod omnes istius figuræ syllogismi imperfecti sunt: omnes enim perficiuntur quibusdam extrinsecus assumptis præter ea quæ in ipsis continentur, sicut est conversio, et transpositio, et ad impossibile deductio, et expositio: et non perficiuntur per solum dici de omni, vel dici de nullo, sicut syllogismi primæ figuræ.

Manifestum est etiam, quod in hac figura non contingit syllogizando concludere universaliter sumptum universale,

sive universalem conclusionem neque affirmativam neque negativam.

### CAPUT XIII.

*De epilogo dictorum et de formatione duorum syllogismorum indirecte concludentium.*

Palam autem ex determinatis quando fit in omnibus figuris, hoc est, in qualibet figurarum, et quando non fit syllogismus, cum prædicativi vel privativi sunt utrius termini, major scilicet et minor. Deinde vero quod in secunda figura non fit syllogismus affirmativus, et in nulla figura syllogismus fit ex omnibus negativis. Similiter etiam quando utrius termini sunt particulares, nihil omnino fit per consequentiam syllogisticam ex tali conjugatione necessarium. Cum autem unus terminorum sit prædicativus, major scilicet, et alter privativus, minor scilicet, ita quod minor qui privativus est sic universaliter sumptus, semper fit syllogismus indirecte concludens, qui est syllogismus minoris extremitatis ad majorem: concludit autem minorem extremitatem de majori: quod est indirecte concludere. Et hujus exemplum est in duobus modis simul inductis, quorum unus habet majorem universalem affirmativam, et minorem universalem negativam: et alter habet majorem particularem affirmativam, et majorem universalem negativam: et hoc in prima figura sic: ut dicatur A quidem omni B vel alicui B inesse, sic, omne B est A, vel aliquod B est A; B autem nulli C dicitur inesse, sic, nullum C B; tunc enim fit syllogismus indirecte concludens minorem extremitatem de majori, conversis propositionibus et transpositis: sequitur enim, quod C alicui A non insit, hoc est, quod aliquod A non est C sic, nullum B C, omne A B, vel aliquod A B: sequitur quod aliquod A non est C. Similiter autem fit et in aliis figuris: quia in talibus syllogismis semper fit reductio ad

Duo modi  
indirecte  
concluden-  
tes, scilicet  
fapesmo et  
fresisomo-  
rum.

perfectos syllogismos per conversionem propositionum, et aliquando transpositionem, et per conversionem conclusionis.

Quamvis autem Boetius ponat quinque modos indirecte concludentium in prima figura, de quibus et Aristoteles facit mentionem : quia duos ponit hic, et tres alios in secundo hujus scientiae libro : tamen hic non ponuntur nisi duo qui dicti sunt : quia illi formantur juxta inutiles conjugationes primæ figuræ, in qua major est semper universalis et minor affirmativa : cuius contrarium est in illis syllogismis indirecte concludentibus, in quibus major affirmativa sive universalis sive particularis, et minor negativa : et ideo similitudinem quamdam habent cum inutilibus conjugationibus : quam similitudinem alii tres modi non habent, qui juxta utiles formantur conjugationes. Isti enim hic ponuntur ad sciendum, quod non omnis inutilis conjugatio est adeo inutilis, quod nihil vel directe vel indirecte possit concludi per eam. Istæ enim due conjugationes quando major universalis affirmativa et minor universalis negativa, et quando major particularis affirmativa et minor universalis negativa inest, inutiles sunt reputatae ; et tamen concludunt, sed indirecte,

**Dubitatio.** Quæri tamen potest, utrum isti duo modi indirecte concludentes possint esse tam in secunda et tertia figuris, sicut et in prima. Videtur enim quod non : quia in terminis invenitur instantia, sic, nullus homo est asinus : aliquod animal est asinus : ergo aliquis homo non est animal : patet quod non valet : ergo in secunda figura per talem complexionem non potest indirecte concludi. Similiter videtur instantia in tertia figura, sic, nullus homo est asinus : aliquis homo est animal : ergo aliquis asinus non est animal : patet quod non valet, quamvis indirecta conclusio secundum complexionem eamdem quæ dicta est. Ad hoc autem videtur dicendum, quod indirecte concludentes modi possunt

**Solutio.**

<sup>4</sup> Ex quo habetur quod *fapesmo* et *fresisomorum* possunt in omni figura indirecte conclu-

esse in omni figura per aliquem modum conversionis conclusionis. Sed quod hic dicitur, non est intelligendum nisi de modis in quibus minor est universalis negativa, et major vel universalis affirmativa, vel particularis affirmativa. In instantiis quæ adductæ sunt, major est universalis negativa, et minor affirmativa : et ideo non sunt ejusdem conjugationis cum his qui in omni figura possunt indirecte concludere<sup>4</sup>.

**Dubitatio.** Si autem quæritur ex quo fiunt isti modi in omni figura, an eodem modo vel diverso perficiantur in omni figura vel non ? Sed ad hoc facile patet solutio : quia cum diversæ sint figuræ, oportet quod diversæ sint reductiones ad perfectos modos primæ figuræ. In prima figura fit perfectio in conversionem utriusque propositionis, et per transpositionem earumdem : hoc enim fieri oportet propter medii dispositionem debitam et extermorum. In secunda autem figura facti isti syllogismi ad primam figuram reducuntur per conversionem minoris, hoc est, universalis negativæ, et per propositionum transpositionem. In tertia autem figura facti iidem syllogismi reducuntur per conversionem majoris, quæ est affirmativa universalis vel particularis, et per transpositionem propositionum. Et sic in tribus figuris, tribus modis diversis reducuntur : tamen ex omni figura semper reducuntur ad unum modum qui est quartus modus figuræ primæ.

Scias tamen quod isti modi non in omni figura manent indirecti : quinimo peccant contra directos primæ et tertiaræ figuræ, quia in prima figura uterque modus est indirectus, et in tertia similiter ; uterque enim modus de duobus dictis modis peccat contra modos directe concludentes in prima et tertia figura, in hoc, quod habet minorem negativam : quod non contingit in modis directe concludentibus in prima et tertia figura. Prima enim et tertia figura semper habent minorem

**Solutio.**

dere.

affirmativam in modis directe concludentibus. In secunda autem figura ille tantum peccat contra modos directe concludentes, cuius major est particularis: quia hoc non contingit in modis directe concludentibus in secunda figura. Ille vero qui habet majorem universalem affirmativam et minorem universalem negativam, per talem complexionem non peccat contra modos directos secundæ figuræ: et ideo ille modus in secunda figura primo et per se directus est, sed potest fieri indirectus per conversionem conclusionis.

Attendendum autem quod isti duo modi indirecti in omni figura in qua sunt, non possunt habere nisi conclusiones particulares et negativas. Et hoc contingit ideo quod in tali complexione, quando major est affirmativa universalis vel particularis, et minor negativa universalis, oportet contineri minorem extremitatem sub majori: et cum concluditur indirecte, tunc major extremitas subjicitur in conclusione, et minor prædicatur de majori. Unde quia minor est negativa, oportet conclusionem esse negativam: et quia minor prædicatur in conclusione de majori, oportet quod negetur inferius de suo superiori: et inferius de superiori non potest negari nisi particulariter sic, aliquod animal non est asinus: ideo de necessitate sequitur, quod conclusionem oportet esse et particularem et negativam.

Quod autem in omni figura in tali complexione termini sint sic dispositi, quod minor sit sub majori, patet in terminis in qualibet figura secundum hanc complexionem dispositis. In prima enim talis est secundum hanc complexionem dispositio, omnis vel aliquis homo animal: nullus asinus homo. In secunda vero figura sic disponuntur, aliquod animal homo: nullus asinus homo. In tertia autem sic disponuntur secundum hanc complexionem, omnis vel aliquis homo animal: nullus homo asinus. Et in om-

nibus his dispositionibus patet quod dictum est, quod scilicet major extremitas est super minori, et minor est inferior majori: et sic manifestum est, quod non potest per tales syllogismos concludi nisi particulariter et negative, quando scilicet in tali sumuntur complexione et indirecte concludentes.

Si autem aliquis quaerat, quare non sunt modi indirecte concludentes, in quibus major sit universalis negativa et minor affirmativa universalis? *Dicendum* quod talis dispositio terminorum in prima et secunda figura non peccat. In prima enim figura major potest esse universalis negativa et minor affirmativa, et similiter in secunda: et ideo tales syllogismi de necessitate in prima et secunda figura directe concludent: et similiter in tertia major potest esse universalis negativa et minor affirmativa, et directe concludet talis complexionis modus.

Quod autem in tertia figura non concluditur nisi particularis negativa, quando major est negativa, est propter hoc quod in tali dispositione terminorum major extremitas de minori non nisi particulariter potest negari, sicut aliquod animal non est homo. Hoc autem jam in ante habitis per causam determinatum est: in hac enim tertia figura minor extremitas potest aliquando continere majorem, et esse superius ad ipsam.

#### CAPUT XIV.

*De præmissis quæ dicta sunt de syllogismorum reductione.*

Ex ante determinatis iterum manifestum est, quod indefinitum pro prædicato particulari positum in omnibus tribus figuris eundem facit syllogismum, quem particulare faceret, si loco indefiniti posneretur<sup>1</sup>.

Adhuc autem ex præinductis manifestum est, quoniam omnes imperfecti syl-

<sup>1</sup> Hoc intellige remanente eadem suppositione generali in terminis.

logismi perficiuntur per primam figuram, quæ sola perfecta est in seipsa per dici de omni, et dici de nullo. Aut enim clauduntur intra primam figuram et reducuntur per ostensivam probationem, quando propositiones convertuntur vel transponuntur : aut per deductionem ad impossibile in prima figura syllogizantur. Utrinque autem in utroque probationis modo fit prima figura. Sive enim convertantur propositiones, fit prima figura : sive fiat ad impossibile deductio, iterum fit prima figura : conversio enim mutat terminorum dispositionem, et sic mutat figuram. Ad impossibile deductio sumit oppositum conclusionis cum altera præmissarum, in quadam complexione etiam iterum necesse mutari terminorum dispositionem ad dispositionem figuræ primæ : et ideo quocumque modo fiat probatio, semper fit per primam figuram : ad primam ergo figuram omnes imperfecti modi secundæ et tertiae figuræ clauduntur. In ostensive vero perfectis ideo reduco ad primam figuram, quia per conversionem et dispositionem terminorum mutatam claudebantur ad primam figuram, ut dictum est. In his autem qui per impossibile demonstrati sunt, fit clausio ad primam figuram in hoc, quod falso posito quod est conclusionis syllogizatæ oppositum et sumpto illo falso cum altera præmissarum, in qua complexione iterum mutatur terminorum dispositio, fit syllogismus deducens ad impossibile per primam figuram, sicut patet in primo modo postremæ sive tertiae figuræ. Si enim ponatur major extremitas quæ est A, et minor extremitas quæ est B omni C medio inesse, ita quod utraque præmissarum sit universalis affirmativa, scilicet omne C A, omne C B concluditur, quoniam A alicui B, inest, hoc est, quod aliquod B est A, nam si detur oppositum conclusionis quod nulli B inest A, datum est autem quod B inest omni C, hoc est, quod omne C B, sequitur quod nulli C inerit A : sic syllogizando in secundo primæ, nullum B A,

et convertitur in hanc, nullum A B, et assumatur minor prioris syllogismi, hæc scilicet, omne C B, sequitur in secundo primæ quod nullum C A : et dictum fuerat quod omne C esset A, sic ergo etiam illi qui per impossibile probantur, clauduntur intra primam figuram.

Similiter enim est in omnibus aliis syllogismis imperfectis in hoc, quod his duobus modis ad primam figuram reducuntur. Sed tamen non similiter et secundum unum modum omnes reducuntur : sed universales secundæ figuræ, qui sunt primi duo modi secundæ figuræ, constat quod per universales primæ figuræ perficiuntur, et particulares etiam : sed non similiter universales et particulares : sed universales secundæ figuræ reducuntur in universales primæ figuræ conversa negativa propositione : et non possunt reduci per impossibile : quia conclusio universalium est universalis : et si sumatur oppositum illius, erit particularis affirmativa : sed in modis universalibus particularis non potest esse præmissa : et ideo modi universales non perficiuntur per ad impossibile deductionem. Particularium autem uterque secundæ figuræ perficitur per ad impossibile deductionem, sicut in ante habitis dictum est.

Particulares autem primæ figuræ perficiuntur quidem ex seipsis et per seipso per dici de omni et dici de nullo sicut et universales : contingit tamen quantum ad majorem necessitatis evidentiam, quod etiam per secundam figuram ostenduntur per ad impossibile deductionem, sicut patet in tertio primæ figuræ, sic : si enim A quidem omni B inest, B autem alicui C, sequitur quod A alicui C inerit : et hic est tertius primæ figuræ. Si autem non sequitur, detur oppositum, scilicet quod nulli C inest A, et sumatur cum prima propositione sic, nullum C A, omne B A, sequitur in primo secundæ figuræ, quod nulli C inerit B, quæ est contradictoria minoris prius concessæ in priori syllogismo : talem enim syllogismum esse necessarium scimus per secundam figuram,

et per ea quæ de dispositione terminorum in secunda figura dicta sunt.

Similiter autem fit demonstratio in quarto primæ qui privativus dicitur syllogismus : quia negative concludit. Sic autem hoc probatur. Si enim concedatur  $A$  nulli  $B$  inesse, sic, nullum  $B$   $A$ , et  $B$  alicui  $C$  concedatur inesse, sic, quod aliquod  $C$   $B$ , sequitur in quarto primæ, quod  $A$  alicui  $C$  non inerit. Si enim non sequitur, detur oppositum, scilicet quod  $A$  inest omni  $C$ , concessum est autem prius quod  $A$  nulli  $B$  inest : concluditur per primum secundæ figuræ, quod nulli  $C$  inerit  $B$ , quod est contradictionem ad hoc quod dictum est in minori propositione prioris syllogismi, quæ dixit quod aliquod  $C$  fuit  $B$  : talis autem syllogismus est in media figura sive secunda.

Propter quod cum syllogismi qui sunt in media figura, omnes reducantur in primæ figuræ syllogismos universales, quia reducuntur in secundum primæ figuræ, sicut in ante habitis dictum est : illi vero particulares syllogismi qui sunt in prima figura, reducuntur ad eos qui sunt in media : manifestum est quod etiam particulares primæ reducuntur ad illos universales syllogismos qui sunt in prima : et sic omnes syllogismi reducuntur in duos primos primæ figuræ universales syllogismos : quamvis particulares primæ reducantur mediate, et syllogismi aliarum figurarum reducantur immediate.

**Dubitatio.** Est autem hæc quæstio, quoniam cum primæ figuræ syllogismi omnes perfecti sint, syllogismi autem secundæ figuræ omnes imperfecti, videtur secundum hoc, quod perfectum reducatur ad imperfectum : quod est contra naturæ ordinem, et etiam contra ea quæ determinata sunt : quia dictum est, quod aliarum figurarum syllogismi ad primæ figuræ syllogismos reducuntur, propter hoc quod illi soli perfecti sunt, alii autem imperfecti. Sed ad hoc dicendum est, quod primæ

figuræ syllogismi non reducuntur ad secundæ figuræ syllogismos ut in eis sit status reductionis, quia reductio non stat in imperfecto : sed ideo fit hoc, ut per illos reducantur in primæ figuræ syllogismos universales : et in illis sicut in perfectissimis stat reductio. Et quod ob*jectio*, quod perfectum non habet reduci in aliud perfectum : dictum est autem in præhabitibus, quod particulares primæ figuræ perfecti sunt sicut et universales. *Dicendum*, quod quantum ad necessitatē consequentiæ perfecti sunt particulares primæ figuræ sicut et universales per dici de omni et dici de nullo : sed quoad evidentiam necessitatis reducuntur in universales : quia procul dubio evidenter est necessitas consequentiæ in universalibus quam in particularibus : quia universalis propositio est efficacior ad inferendum quam particularis.

Qui vero sunt in tertia figura syllogismi imperfecti, quando termini universales sunt, sicut in primo modo et secundo tertiae figuræ, statim per conversionem perficiuntur per illos syllogismos universales qui sunt in prima figura, sicut in reductione eorumdem jam ante ostensum est. Si autem in tertia figura sumantur syllogismi particulares, illi perficiuntur per particulares primæ figuræ, quando perficiuntur per propositionum conversionem<sup>1</sup>. Hoc autem ideo dico, quia quidam particularium tertiae figuræ immediate per impossibile reducuntur in universales syllogismos primæ figuræ, sicut supra patuit de quinto modo tertiae figuræ : quintus enim per conversionem reduci potest. Similiter autem tertius modus tertiae figuræ immediate potest reduci in universalem primæ, accepto opposito conclusionis cum minori præcedentis syllogismi. Sed quartus modus et sextus tertiae figuræ reducuntur per conversionem primo in particulares, et per particulares reducuntur ad universa-

<sup>1</sup> Duo sunt modi particulares tertiae figuræ qui possunt per impossibile ad primum primæ

reduci immediate, scilicet *disamis* et *bocard*.

les. Tertius autem et per conversionem reducitur in particulares, et per impossibile in universales. Quintus autem per conversionem nullo modo potest reduci, sed per impossibile statim immediate reducitur ad universalem primæ.

Cum autem quidam tertiae figuræ syllogismi reducantur in particulares primæ, et particulares primæ reducantur in universales primæ, manifestum est quod etiam tertiae figuræ syllogismi, vel immediate vel immediate ad universales syllogismos primæ figuræ reducuntur. Manifestum autem ex his, quod omnes particulares syllogismi cujuscumque figuræ oriuntur ab universalibus ejusdem figuræ syllogismis : quia particulare sub universalis sumitur.

Manifestum etiam quod omnes et primæ figuræ et secundæ et tertiae reducuntur in duos universales primæ figuræ syllogismos : et sic dictum est sufficierent quomodo se habent syllogismi inesse vel non inesse, in propositionibus de inesse per consequentiam syllogisticam ostendentes : dictum est enim quomodo se habent et ad eos qui sunt ex eadem figura ad invicem, et quomodo se habent ad alios qui sunt non ex eadem, sed ex aliis figuris.

Si autem quæratur, quare tantum tres sunt figuræ et qualiter ordinantur ad in-

vincem, satis patet solutio per antedicta : dispositio enim mediæ duorum mediorum variari non potest nisi tripliciter, scilicet ut aut sit inter extrema, vel extra ipsa. Si autem est inter extrema, non potest esse nisi subjectum in prima et prædicatum in secunda : quia aliter accideret quod nihil concluderetur, sicut in ante habitis dictum est. Adhuc autem ex quo est inter extrema quæ sunt majus et minus secundum lineæ prædicamentalis ordinem, oportet quod subjectum primi sit prædicatum secundi. Si vero medium est extra et extremi habet positionem, non potest esse nisi ante vel post. Et ante quidem facit figuram secundam : post autem esse facit figuram tertiam.

Ordo autem est, quod prima præmittitur sicut principium et metrum et perfectio aliarum. Secunda autem est ante tertiam : prima quidem ratione, quia ejus medium est primum positione, tertiae autem figuræ medium est ultimum positione. Secunda autem ratione, quia duplex concludit problema, universale scilicet et particulare : cum tertia non concludat nisi particulare. Tertia etiam ratione, quia secunda figura descendit a prima figura per conversionem majoris secundi modi primæ figuræ : tertia vero figura descendit a prima per conversionem minoris ejusdem modi.

*Nota ordinem figurarum et rationem.*

## TRACTATUS III

### DE GENERATIONE SYLLOGISMORUM QUI SUNT EX PROPOSITIONIBUS MODALIBUS DE NECESSARIO ET CONTINGENTI.

#### CAPUT I.

*De cognitione syllogismorum de modo necessitatis.*

Quoniam autem diversum est inesse simpliciter, et cum modo necessitatis inesse sive ex necessitate inesse, et cum modo contingentis inesse sive contingere inesse. Simpliciter enim inesse superius et in plus est, quam ex necessitate inesse: et simpliciter inesse est inesse sine modi determinatione. Contingere autem inesse communius est, quam inesse simpliciter: omne enim quod inest, contingit inesse: et non convertitur: quia multa contingit inesse, quæ non insunt, sicut et multa insunt quæ non ex necessitate insunt: quædam autem sic se habent, quod nec ex necessitate insunt, nec etiam omnino, hoc est, simpliciter insunt: contingit tamen talia inesse. Et quoniam sic est in propositionibus, manifestum est quoniam et syllogismus factus ex his in unoquaque horum generum propositionum factus, diversus erit: et etiam non erit tantum diversus uniformiter factus in istis propositionibus, sed etiam factus in terminis, non similiter sive uniformiter se habentibus terminis. Dico autem *similiter se habentibus terminis*, sicut quando unius generis tantum sunt propositiones, sicut quod sint ambæ de inesse, vel ambæ de modo necessitatis, vel ambæ de

modo contingentis. *Non similiter* autem dico, sicut in mixtione unius generis cum alio, sicut quando una est de inesse et altera de necesse, vel una de inesse et altera de contingenti, vel una de necessario et altera de contingenti.

De possibili enim non dicimus esse diversas propositiones ab illis quæ sunt de contingenti: quia possibile convertitur cum contingente. Nec de impossibili propositiones secundum hanc intensionem diversas dicimus ab illis de necessario, quia propositio affirmativa de impossibili est negativa de necessario: quod enim impossibile est esse, necesse est non esse: et propositio negativa de impossibili, est affirmativa de necessario: quod enim impossibile est non esse, necesse est esse: et ideo possibile et impossibile non ita variant propositiones, quod alii sint syllogismi qui sint de possibili et impossibili, a syllogismis contingentis et necessarii: propter quod de talibus non loquimur syllogismis: quia illis formatis de necessario et contingenti, satis scitur formatio illorum, et non oportet de ipsis facere tractatum specialem.

Removet  
dubia.

Similiter autem verum et falsum quamvis sint modi quidam, tamen quia nihil addunt supra compositionem propositionis, non variant consequentiam: et quia non variant consequentiam, non fit ex ipsis diversæ consequentiæ syllogismus: et ideo nec de illis oportet facere tractatum specialem. Si tamen aliquid dicendum

erit in sequentibus de syllogismo qui est ex falsis, hoc erit determinandum in loco ubi de potestate syllogismi loquemur: eo quod hoc speciale dicit syllogismi potestatem, et non speciale modum generationis syllogismorum.

Adhuc autem cum multæ sint diversitates propositionum, in libro *Peripherme-nias* tactæ sunt, sicut categorica, hypothetica, una, plures, simplex, composita, et hujusmodi, nihil variationis fit ex omnibus his circa syllogismi inferentiam: et ideo non exigitur ut secundum illarum propositionum diversitatem diversa tradatur generatio syllogismorum qui simpliciter syllogismi sunt. Et si de hypotheticalis dicendum est (cum hypotheticalis syllogismus sit syllogismus quidam et non simpliciter) alibi erit hoc determinandum, et non hic ubi de simplici et formalis intendimus syllogismo. In istis enim modis qui sunt necessarium et contingens, non est tantum variatio materialis (quæ infinita est, sicut et ipsa materiae divisio, et sub arte non cadit) sed isti qui dicti sunt modi necessarii et contingentis ipsam virtutem variant inferentiæ, quæ syllogismo quantumcumque simplici substantialis est: et ideo ad diversitatem illius sequitur diversa syllogismorum generatio: et hac necessitate oportet tractare de ipsis. Categoricum enim et hypotheticalum, una, plures, composita, simplex, non faciunt nisi materiae diversitatem, quæ non cadit sub arte, sicut jam dictum est.

Dicamus ergo primo de formatione syllogismorum uniformium de necessario. Ab his ergo incipientes dicimus, quod in propositionibus de necessario, hoc est, determinatis per modum necessitatis, fere similiter se habet sicut in his quæ insunt, hoc est, de simplici sunt inesse. Cum enim aliquis syllogismus sit ex propositionibus de necessario, et aliis ex his quæ simpliciter insunt, et aliis ex his quæ sunt cum modo contingentis, ille qui est ex uniformibus propositionibus de necessario, nec in principiis imperfectiorum syllogismorum, nec in principiis ge-

nerationis syllogismorum multum varia-tur ab illis de inesse, nisi quod iste cum modo, ille autem sine modo: unde in ta-libus propositionibus quæ dicunt inesse in affirmativa vel non inesse in negativa cum modo necessario, non multum dis-similiter cum illis de inesse, et erit et non erit syllogismus. Dico autem *et erit et non erit*, propter utiles et inutiles conju-gationes. Sed ab illis qui sunt de inesse syllogismis et propositionibus distabit per differentiam, in eo quod adjacet terminis, hoc est, in modo necessitatis, qui adjacet compositioni propositionis, et mo-dificat compositionem secundum quod termini (qui sunt prædicatum et subje-ctum) relati sunt ad compositionem sic modificatam. Differt ergo in hoc, quod in hoc syllogismo de necessario, terminis adjacet modus, qui dicit ex necessitate inesse et ex necessitate non inesse.

Similiter etiam in principiis quibus perficiuntur syllogismi imperfecti, sicut conversio propositionum, non est dif-ferentia: nam universalis privativa in his quæ sunt de necessario convertitur sim-pliciter, sicut in illis de inesse. Similiter etiam in toto esse, sive de omni quæ sunt syllogismorum perfectorum principia as-signabimus eodem modo, sicut in illis quæ sunt de inesse: ergo in omnibus aliis omnium figurarum syllogismis qui uni-formis sunt generationis de necessario sive cum modo necessitatis. Eodem modo ostendetur et probabitur imperfectorum syllogismorum perfectio per conversio-nem propositionum, et ostendetur quo-niam talis vel talis sequitur conclusio ne-cessitate syllogistica. Eodem modo dico quo ostensum est istud in illis quæ sunt de inesse simplici.

Præterquam in quarto secundæ et in quinto tertiae. In media enim figura quan-do fuerit universalis affirmativa et major, particularis vero privativa minor: hoc enim est in quarto modo secundæ figuræ: et rursum in tertia quando fuerit univer-salis quidem prædicativa et minor, par-ticularis vero privativa et major: quod

Quomodo syllogismus le necessa-rio parum differet a syl-logismo de inesse. syllogismorum, nec in principiis ge-

est in quinto modo tertiae figuræ : non similiter sicut in illis de inesse erit demonstratio et reductio imperfectorum ad perfectos<sup>1</sup>. Sed in istis oportet, quod exponentes particularem negativam in utroque syllogismo faciamus demonstrationem. Dico autem *exponentes particularem negativam*, ostendentes per sensibile aliquod quod est, cui alicui sensibili utrumque particulare non inest, scilicet et illud quod est minor propositio in quarto secundæ, et illud similiter particulare negativum quod est major propositio in quinto modo figuræ tertiae : et expositione facta oportet de exposito eumdem, hoc est, in eadem figura facere syllogismum. In his enim quæ per expositionem sensibiliter demonstrantur, talis syllogismus est necessarius et de necessitate concludens. Si autem de exposito sensibiliter demonstrato est necessarius, sequitur quod etiam de illo aliquo particulariter accepto est necessarius : quia particularis etiam pro uno tantum singulari verificatur. Nam expositum, hoc est, singulare per expositionem acceptum, ipsum secundum se sumptum illud est quod est ipsum particulare, et de quo particulare prædicatur quod expositum est. Fit autem uterque syllogismus, scilicet et expositus et per expositionem probans in propria figura, quando quartus secundæ et quintus tertiae probantur per expositionem in propria et eadem figura.

**Dubitatio.** Attendendum autem circa expositionem, quod videtur in tali processu expositionis esse fallacia consequentis, hoc singulare demonstrato c de necessitate non est A, ergo aliquod c de necessitate non est A : est enim ibi processus ab inferiori cum negatione. Sed ad hoc dicendum, quod utraque affirmativa est : quia sicut in *Perihermenia* determinatum est, propositio modalis non est negativa nisi sit de modo negato : hic autem manet

modus affirmativus : et ideo processus est ab inferiori ad superius affirmando.

**Dubitatio.** Si autem quæritur, quod cum fit expositiō in dictis modis sic, ut sumatur aliquid sensibile sub subjecto cui non insit prædicatum minoris vel majoris propositionis, qualiter fiat syllogismus in eadem et propria figura, ita quod et syllogismus exponens in eadem et propria figura sint et syllogismus expositus ? Et dicendum ad hoc secundum aliquos qui dicunt ex sensibili singulari non posse fieri syllogismum, quod non debet fieri expositiō per hoc sensibile singulare, sed per aliud quod in se quidem est universale, sed universale minus quam illud universale quod exponitur, sicut patet in quarto secundæ. Si enim dicatur sic, necesse omnem hominem esse animal : necesse est quoddam album non esse animal : ergo necesse est quoddam album non esse hominem : dicunt quod in exponendo non debet descendere ad hoc album vel illud, sed ad minus commune quam sit album, sicut ad nivem, vel cygnum : et tunc in eadem figura propria dicunt esse sic syllogizandum in secundo secundæ quæ est eadem figura, quamvis non idem modus, sic, necesse est omnem hominem esse animal : necesse est nullam nivem esse animal : et ita cum nix sit aliquod album, necesse est aliquod album non esse hominem. Eodem modo, ut dicunt, facienda est expositio in quinto tertiae figuræ : et fiet syllogismus in secundo tertiae figuræ sic, necessarium est quoddam nivem non esse animal : necessarium est omnem nivem esse albam : ergo necessarium est quoddam album non esse animal : et hoc quidem multi dixerunt.

Posset tamen dici, quod expositio fit per singulare sensui demonstratum, et singulares propositiones ponentur in syllogismo exponente, cum universales et particulares ponantur in syllogismis ex-

<sup>1</sup> Hoc indicat quomodo *baroco* et *bocardo* diversimode reducuntur in illis de inesse et de

necessario.

positis<sup>1</sup>. Consequentia autem syllogismi exponentis qui in singularibus est propositionibus, non est virtute propositionum, sed virtute sensus, cuius consequentia nota est per seipsum. Et uterque istorum modorum dici potest, et uterque syllogismus exponens et expositus sunt in tertia figura, quamvis non in eodem modo. Quia sicut ex ante habitis constat, aliquando figura est ubi non est modus.

**objectio.** Est autem de his quæ dicta sunt adhuc alia dubitatio: quia si syllogismi de necessario perficiuntur sicut illi de inesse: illi autem qui sunt de inesse in quarto secundæ, et in quinto tertiae, perficiuntur per impossibile: ergo et illi qui sunt de necessario in quarto secundæ, et in quinto tertiae, reducuntur per impossibile: et sic reducuntur sicut illi de inesse: et non est instantia in istis duobus modis, ut videtur.

**Solutio.** Ad hoc autem dicendum esse videtur, quod in veritate non negandum est, quin dicti modi reduci possint per impossibile: sed hoc dicimus et intendimus, quod reduci non possunt per conversionem sicut alii modi, quia non est in eis propositio quæ converti possit nisi universalis affirmativa, quæ convertitur in particularem: et sic omnes particulares efficerentur, ex quibus nihil sequitur. Et non negatur quin possit fieri ostensio per deductionem ad impossibile: sic enim omnis syllogismus et omnis argumentatio, et etiam principia scientiarum prima possunt demonstrari<sup>2</sup>.

## CAPUT II.

*De quæstione utrum quartus secundæ et quintus tertiae possint perfici per impossibile.*

**Quod baroco et bocardo possint perfici per impossibile in illis de necessario.** Quidam de hoc dubitantes dicunt hos syllogismos qui dicti sunt, scilicet quartum secundæ, et quintum tertiae per im-

**Prima ratio.** videtur negare propositionem singularem ingredi syllogismum absolute. Solve per dicta hic. P. J.

<sup>2</sup> Et hæc est ratio quare baroco et bocardo

possibile reduci: et alii contradicentes istis dicunt hoc fieri non posse. Illi autem qui dicunt hoc fieri posse, sic hoc probare nituntur. Fiat enim quartus secundæ sic: de necessitate omne b est a, de necessitate aliquod c non est a, ergo de necessitate aliquod c non est b. Aut sequitur, aut non. Si non sequitur, oppositum conclusionis stabit cum altera præmissarum, scilicet non de necessitate aliquod c non est b, quæ æquipollet huic, contingit omne c esse b. Fiat ergo syllogismus ex ista et majori prioris syllogismi in primo modo primæ figuræ sic, de necessitate omne b est a, contingit omne c esse b, ergo contingit omne c esse a, quæ non stat cum minori præcedentis syllogismi quæ fuit ista, de necessitate aliquod c non est a.

Similiter autem videtur probari quintus tertiae, et fiat primo sic, de necessitate aliquod b non est a, de necessitate omne b est c, ergo de necessitate aliquod c non est a: aut detur oppositum, hoc scilicet, non de necessitate aliquod c non est a, quæ æquipollet huic, contingit omne c esse a: et fiat syllogismus in primo primæ figuræ ex ista et minori prioris syllogismi sic, contingit omne c esse a, necesse est omne b esse c, ergo contingit omne b esse a: quæ non potest stare cum prima, scilicet hac, de necessitate aliquod c non est a.

Forte autem dicet aliquis, quod isti syllogismi non procedunt: quia non bene fit mixtio necessarii et contingentis. Contra hoc esse videtur quod inferius dicitur, ubi docetur mixtio necessarii et contingentis, quod si major sit de necessitate, et minor de contingent, vel e contrario, dummodo major sit de necessario et affirmativa, fit syllogismus in primo primæ concludens de contingente: tales autem fuerunt ambo dicti syllogismi.

non possunt reduci per conversionem. Nota etiam quod per impossibile possunt etiam demonstrari principia scientiarum, et hoc idem repetit in capit. sequenti. P. J.

**Secunda ratio.** Adhuc autem ad idem objicitur. Cum enim dicitur, de necessitate omne *B* est *A*, contingit omne *C* esse *B*, ergo contingit omne *C* esse *A*. Ponatur minor de inesse: hoc enim fieri potest ex quo est contingens, et nihil ex hoc debet sequi impossibile: et fiat talis syllogismus, de necessitate omne *B* est *A*, omne *C* *B*, ergo de necessitate omne *C* *A*: talis enim syllogismi conjugatio utilis est in mixtione necessarii et inesse, sicut statim in sequenti ostendetur capitulo, scilicet quod majori existente de necessario, et minori de inesse, sequitur conclusio de necessario. Si autem necesse est omne *C* esse *A*, patet etiam quod contingit omne *C* esse *A*, quia contingere esse sequitur ad necesse esse. Patet igitur quod syllogismus bonus est de mixtione necessarii et contingentis. Omni eodem modo potest probari de quinto tertiae, si illa quæ est de contingenter inesse, ponatur inesse, sicut factum est in ante habito syllogismo.

**Quod illi modi non reducantur per impossibile in illo de necessario.** Qui autem dicunt, quod non possunt isti syllogismi reduci per impossibile, dicunt ad hæc, quod in sequentibus quidem docetur mixtio necessarii et contingentis. Sed ibi accipitur contingens pro non necessario, quod potest esse et non esse. In syllogismis autem qui adducti sunt, accipitur contingens pro possibili quod sequitur ad necessarium: et sic patet quod non accipitur secundum doctrinam mixtionis necessarii et contingentis: et sic talis forma argumentandi non vallet, ut videtur.

**Secunda ratio.** Adhuc propositio quæ est de contingentibus, quæ convertitur cum negativa de necessario, est de contingentibus pro possibili. Tale autem contingens abstrahit et a terminis qui simpliciter dicunt inesse, et ab his qui simpliciter dicunt non inesse: quia potest inesse et non inesse: et sic contingens accipiebatur in dictis syllogismis. Si ergo tale contingens ponatur inesse, non oportet quod fiat de necessario syllogismus: quia potest esse de

inessere ut nunc et non simpliciter: sed majori existente de necessario, et minori de inesse ut nunc, non sequitur conclusio de necessario, sicut consequenter docebitur. Patet igitur quod per tallem modum mixtionis non potest probari propositum.

Ad hæc autem dici potest, quod Aristoteles dicit<sup>1</sup>, reduci quartum secundæ et quintum tertiae per expositionem: ideo quia talis verificatio proprie probat particularem quæ probatur uno demonstrato singulari cui insit vel non insit singulare: et tamen non negatur, quin etiam possit ostendi per impossibile. Hæc enim probatio quæ est per impossibile, valde est generalis, ita quod etiam principia probabantur per eam: tamen quia talis probatio fit per mixtione necessarii et contingentis, de qua adhuc determinatum non est, ideo hic locum non habet: sed exponendo faciliter probatur, et ideo talis probatio hic ponitur et sufficit ad præsens.

Ut tamen etiam quæstioni inductæ satisciamus, qua scilicet queritur utrum isti duo modi possint reduci per impossibile, vel non? Potest dici quod per impossibile reduci possunt per mixtione necessarii et contingentis, sicut paulo ante ostensum est. Sed minor quæ est de contingentibus in tali mixtione (cum major sit de necessario) potest esse de contingentibus tripliciter, secundum quod tribus modis dicitur contingens, ut in ante habitis distinctum est: aut enim erit de contingentibus accepto pro possibili, quod est contingens secundum genus, quod indifferenter se habet ad utrumque contingens speciale, ad contingens scilicet necessarium et ad contingens non necessarium: aut erit de contingentibus non necessario quod potest esse et non esse: aut erit de contingentibus necessario.

Si sit autem de contingentibus non necessario, quod scilicet potest esse et non esse, tunc in reductione quarti modi se-

Ad argumenta probantia, quod illi modi non possint reduci per impossibile.

<sup>1</sup> Determinatio propria in hoc, et est mens

Avicennæ hic in cap. 44.

cundæ figuræ, majori existente de necessario, et minori de tali contingentí, sequitur conclusio de contingentí pro possibili, secundum quod inferius docebitur in mixtione contingentis et necessarii. Sed non potest probari per hoc quartus secundæ figuræ : quia illa propositio de contingentí quæ convertitur cum opposito conclusionis, est de contingentí accepto pro possibili, quod est ut genus : alia autem est de contingentí non necessario : et ideo talis probatio non valet, quia contingens in una acceptance debet accipi et in syllogismo probante et in syllogismo probato.

Si vero est de contingentے communi, quod ad utrumque se habet, necessarium scilicet et non necessarium. Contra hoc est : quia secundum tale contingens inutilis est conjugatio majori existente de necessario, et minori de tali contingentے, sicut infra patebit. Unutilis autem est, quia non potest inferre conclusionem de contingentے non necessario, nec potest inferre conclusionem de contingentí pro possibili. Quia non oportet quod id sequatur ad consequens quod sequitur ad antecedens : talis enim conclusio de tali contingentí sequitur majori existente de necessario, et minori existente de contingentí pro non necessario : et ad tale contingens sequitur contingens commune. Nec iterum ex tali mixtione sequitur conclusio de necessario, nisi illa de contingentí esset talis, quod ipsa posita inesse esset de inesse simpliciter et non ut nunc. Sed hoc non est contingens commune : quia non oportet quod si contingens commune ponatur inesse, quod sit de inesse simpliciter, sed potest esse de inesse ut nunc.

Si autem in prædicta mixtione contingens in minori propositione accipiatur pro contingentí necessario, ita quod ipsa posita in esse sit de inesse simpliciter : tunc sequitur conclusio de contingentí pro possibili : et etiam minori posita in esse simpliciter, sequitur conclusio de necessario : et utraque conclusio, hoc est, tam illa quæ est de necessario, quam illa quæ est de tali contingentí, destruunt

minorem propositionem quarti modi secundæ figuræ : et secundum hunc modum accipiendo illam de contingentí potest quartus modus secundæ figuræ reduci per impossibile, et non aliter. Et cum illa propositio quæ est de contingentí quod convertitur cum negativa de necessario, accipiatur de contingentí pro possibili, non verificatur talis de contingentí, nisi ponatur in terminis de inesse simpliciter in quibus accipitur contingens pro necessario.

Et ex his patere potest quomodo quartus modus secundæ perficitur per impossibile, et quomodo non. Et patet quod illa perfectio non multum est ad propositum : fit enim per mixtionem necessarii et cuiusdam contingentis. Nos autem loquimur hic de syllogismis secundum quod uniformiter constituuntur per modum necessitatis.

Similiter dicendum est de perfectione quinti tertiae figuræ. In illa enim reductione etiam fit mixtio de necessario et contingentí : sed major est de contingentí : et quia illa de contingentí accepta pro majori convertitur cum negativa de necessario, et sic est de contingentí pro possibili : et est ita de contingentí pro possibili secundum quod ipsum ut genus descendit in necessarium sicut in suam speciem, ita quod si ponatur inesse secundum quod convertitur cum negativa de necessario, erit de inesse simpliciter. Ex tali autem contingentí in majori propositione et minori de necessario sequitur ex necessitate contingens pro possibili : quod repugnat majori in quinto modo tertiae figuræ : et ita per contingens cum necessario mixtum, et ut dictum est, acceptum, perficitur quintus tertiae figuræ modus : et si poneretur illa de contingentí inesse, sequeretur conclusio de necessario, cum major sit de inesse simpliciter vel ad minus de inesse.

Si autem aliter quam dictum est accipiatur contingens in syllogismo perficiente hos duos syllogismos, non possunt perfici per impossibile : tamen hic (ad so-

lutionem quæstionis inductæ) quia multo melius perficiuntur per expositionem quam per impossibile, ideo etiam Aristoteles non perficit eos nisi per expositionem, ut prædictum est.

### CAPUT III.

#### *De mixtione necessarii et inesse in primæ figuræ universalibus syllogismis.*

Mixtio proprie non est in syllogismis, sed tantum metaphorice. Nunc autem videamus de mixtione necessarii et inesse. Sed hoc primum attentionandum est quod mixtio in syllogismis metaphorice mixtio dicitur. Propriam autem dicitur mixtio in physicis: quia in physicis mixtio dicitur miscibilium alteratorum unio ad actum alicujus medii, quod ex omnibus ex se invicem alterantibus mixtis generatur. Propter quod mixta in eo quod ex mixtione generatur, non remanent secundum actus suos similes nisi potentia<sup>1</sup>. In syllogismis autem metaphorice dicitur mixtio ordo diversarum propositionum de inesse et de modo ad unum eliciendum quod neutra illarum est, conveniens tamen cum utraque, quod est conclusio quidem quæ in prædicato convenit cum majori, et in omnibus prædicati dispositionibus, sicut est affirmativum, negativum, et hujusmodi: in subjecto autem et subjecti proprietatibus quæ sunt universale, particolare, et hujusmodi, convenit cum minori. Propter quod in mixtione syllogismorum, mixta manent sub actibus suis stantia non alterata ad aliud, quamvis unum sit aliquo modo in alio, sicut medium est in toto primo, et postremum in toto medio, sicut in præhabitis determinatum est.

Sic ergo loquentes de mixtione, dicimus quod conclusio de necessario quæ est cum modo necessitatis, non tantum sequitur ex uniformiter sumptis ambabus propositionibus de necessario, sed accidit quandoque (quando altera propositionum

est de necessario et altera de inesse) quod syllogismus fit concludens propositionem de modo necessitatis. Verum hoc non fit indifferenter quacumque præmissarum existente de necessario, sed quando illa quæ est ad majorem existentem (quæ est propositio major) est de necessario, et minor de inesse simpliciter, et non de inesse ut nunc, sequitur conclusio de necessario: cuius exemplum est, ut si A quod est major extremitas sumptum sive positum vel concessum sit omni B medio ex necessitate inesse, sic, necesse est omne B esse A, vel etiam negative sumatur, sicut in secundo primæ figuræ sic, necesse est nullum B esse A. B autem sumatur inesse c tantum, ut minor propositio sit de inesse simpliciter et non sit cum modo necessitatis: sic enim sumptis propositionibus sequitur conclusio de modo necessitatis, quod scilicet minori extremitati quæ est c inheret major extremitas quæ est A ex necessitate, vel non inheret. Et sic formantur duo universales syllogismi primæ figuræ, sic, de necessitate omne B est A, sed omne C B, ergo de necessitate omne C est A, et hic est primus primæ figuræ. Item sic, de necessitate nullum B A, omne C B, ergo de necessitate nullum C A, et hic est secundus primæ.

Probantur autem dicti syllogismi per dici de omni et dici de nullo: quando enim omni B de necessitate inest A, sicut in primo modo: vel ex necessitate omni B non inest A, sicut in secundo modo: et quando C substantialiter est sub B, et est aliquid eorum quæ sunt B, tunc manifestum est, quod sequitur, quod etiam A de necessitate insit vel non insit C, quia aliter non omni B vel nulli necessario inest A.

Istæ ergo in prima figura sunt universalium syllogismorum utiles conjugationes, quod videlicet majori affirmativa vel negativa existente de necessario, et minori affirmativa non negativa existente de inesse simpliciter et non tantum ut

<sup>1</sup> Et hoc est contra Averroem et Avicennam.

nunc, sequitur conclusio affirmativa vel negativa de necessario, hoc modo necessitatis determinata.

Si autem major propositio quæ est A B, non sit necessaria (hoc est non sit cum modo necessitatis), sed minor propositio quæ est B C sit cum modo necessitatis, ex tali mixtione non sequitur conclusio quæ sit cum modo necessitatis: et si aliquando sequi videatur, hoc non erit virtute syllogistica, sed sequetur gratia materiæ et propter habitudinem terminorum secundum determinatam materiam acceptorum: unde tunc non sequitur conclusio de modo necessitatis. Dico autem quod minor debet esse de inesse simpliciter et non de inesse ut nunc. Et voco inesse simpliciter idem quod substantia liter inesse, quod secundum rem quidem est necessarium, quamvis non sit modo necessitatis determinatum. Et tunc quidem majori existente de necessario, et minori de tali inesse, sequitur conclusio de necessario: et si sit de inesse ut nunc, non sequitur conclusio de necessario, sicut patet si ponatur in terminis: omnis homo de necessitate est animal: omne rationale homo: ergo omne rationale de necessitate animal.

Si autem e converso fiat, quod scilicet major non est de necessario, sed de inesse, et minor sit de necessario, erit inutilis conjugatio ad inferendam conclusiōnē de necessario. Hoc autem sic est, quod A B propositio quæ est major, non sit de necessario B, C autem minor propositio sit de necessario: tunc enim non erit consequens conclusio de necessario, sic, omne B A, omne C de necessitate est B; non sequitur quod omne C de necessitate sit A. Et hoc probatur dupliciter, scilicet per rationem, et in terminis. Per rationem sic: detur enim quod conclusio sit de necessario, et fiat talis syllogismus, omne B est A, omne C de necessitate est B, ergo omne C de necessitate est A. Deinde sumatur conclusio illa, et ex illa cum minori arguatur in primo tertiae, sic, omne C de necessitate est A, omne C de necessi-

*Quæ sit propositio de inesse simpliciter.*

tate est B, sequitur quod aliquod B de necessitate est A. Similiter potest argui in tertio primæ si accipiatur conversa minoris, sic, omne C de necessitate est A, aliquod B de necessitate est C, ergo aliquod B de necessitate est A. Sequitur ergo aliquid ex tali conclusione sine quo vera esse potuit major propositio, quæ est omne B A. Hæc enim vera esse potest absque eo quod necesse sit omne B esse A. Contingit enim aliquando tale esse B, cui possibile est A nulli inesse: et sic non erit verum quod B de necessitate sit A.

Hoc autem (quod conclusio talis non erit necessaria, et ideo modo necessitatis non determinanda) patere potest ex terminis in quibus est instantia, ut si ponamus, quod A quidem major extremitas sit motus secundum quod motus est in eo quod movetur et actus mobilis, B autem medium sit animal: id autem in quo est C minor extremitas sit homo; homo enim de necessitate est animal: sed animal non de necessitate movetur, nec etiam homo movetur necessario. Si ergo talis fiat syllogismus, omne animal movetur: homo de necessitate est animal: ergo homo de necessitate movetur: patet quod non sequitur, et est inutilis conjugatio. Similiter est in secundo modo primæ figuræ in quo privativa est major propositio quæ est designata per A B: quando enim illa est de necessario, et minor de inesse non ut nunc, sed de inesse simpliciter, sequitur conclusio de necessario, arguendo sic, nullum B de necessitate est A, omne B C, ergo nullum C de necessitate est A. Et si detur quod aliquod C contingit esse A, sequitur quod aliquod B contingit esse A, quod non potest stare cum majori propositione.

Si autem major sit de inesse negativa, et minor de necessario universalis affirmativa, non sequitur conclusio de necessario: et est instantia sicut prius, sic, nullus homo movetur (ponatur hoc): omne rationale de necessitate homo: ergo nullum rationale de necessitate movetur:

quod non sequitur, quia rationale moveri potest et non moveri.

Patet igitur quod natura hujus mixtionis in prima figura talis est, quod majori existente de necessario et minori de inesse, sequitur conclusio de necessario : et si e converso fiat, quod scilicet major sit de inesse et minor de necessario, est conjugatio inutilis quantum ad conclusionem de necessario. Sic igitur et tantum dictum sit de mixtione necessarii et inesse in prima figura quantum ad universales syllogismos.

#### CAPUT IV.

##### *De mixtione necessarii et inesse in primæ figuræ particularibus syllogismis.*

In particularibus autem syllogismis mixtio talis est, quod si in tertio modo primæ figuræ, (qui formatur a primo modo) major propositio quæ est universalis affirmativa, est de necessario, et minor (quæ est particularis affirmativa) de inesse simpliciter et non ut nunc, sequitur conclusio de necessario. Et si in quarto modo primæ figuræ, qui formatur a secundo ejusdem figuræ modo, major quæ est universalis negativa, est de necessario, et minor quæ est particularis affirmativa de inesse, sequitur iterum conclusio de necessario. Si autem e converso fiat, conjugatio erit inutilis quantum ad conclusionem de necessario : e converso autem fit quando major (quæ est universalis affirmativa vel negativa) fuerit de inesse, et minor quæ est particularis affirmativa, fuerit de necessario : et tunc non sequitur generaliter conclusio de necessario.

Ponamus autem primum universalem affirmativam esse de necessario, ita quod necessario A insit omni B, B autem alicui c insit solum sine modo necessitatis, et insit simpliciter et non ut nunc tantum, sequitur de necessitate conjugationis talis, quod alicui c insit A ex necessitate : cuius probatio est, quod c minor extremitas est sub B, medio substantialiter

accepta : et ideo oportet, cum A insit omni B ex necessitate, quod insit etiam ex necessitate vel omni vel alicui c, quia quando alterum de altero est ut de subjecto, quæcumque de praedicato dicuntur, omnia de subjecto dici oportet. Et hic est tertius motus primæ figuræ.

Similiter autem in quarto primæ in quo major est universalis privativa, et privativam concludit conclusionem ; et ideo dicitur privativus syllogismus. Majori enim universalis negativa existente de necessario, et minori de inesse non ut nunc sed simpliciter, sequitur conclusio de necessario. In tali enim conjugatione nihil evenit sive sequitur impossibile, sicut nec impossibile sequitur ex tali conjugatione in universalibus syllogismis istius ejusdem figuræ : et quantum ad conjugationem omnino similiter est in syllogismis privativis, secundo scilicet et quarto, sicut in affirmativis, primo scilicet et tertio : in omnibus enim his oportet maiorem esse de necessario, et minorem de inesse, si debeat sequi conclusio de necessario.

Si autem e converso fiat mixtio, erit inutilis quantum ad conclusionem de necessario generaliter inferendam : et est instantia in terminis, quæ sunt motus, animal, album, sic primo in tertio : omne animal movetur (et hoc ponatur) : quoddam album de necessitate est animal, ut cygnus : ergo quoddam album de necessitate movetur. Patet quod non sequitur. Sic autem in quarto qui negativus est syllogismus : nullum animal movetur (et hoc ponatur) : quoddam album de necessitate est animal : ergo quoddam album de necessitate non movetur. Patet quod non sequitur, quia contingenter non movetur.

Est autem hic attendendum, quod cum minor in hac mixtione sit de inesse, oportet eam esse de inesse simpliciter, et non ut nunc tantum : si enim ponatur de inesse ut nunc (quamvis major sit de necessario) non sequitur conclusio de

Quare oportet minorem esse de inesse simpliciter et non ut nunc.

necessario, sicut patet in terminis, sic, omnis homo de necessitate est animal : omne album est homo (sit ita) : ergo omne album de necessitate est animal. Patet quod non sequitur. Hujus autem causa est, quod minor extremitas essentialiter debet sumi sub medio, sicut medium in majori propositione quæ est de necessario, essentialiter stat sub majori extremo : et ideo si vel accidentaliter vel ut nunc accipitur minus sub medio, non sequitur conclusio de necessario. Accidentaliter accipitur sub homine album vel motum, ut nunc autem Socrates, vel iste demonstratus homo : substantialiter autem accipitur aliquis propter identitatem et indifferentiam cum homine : et ideo non sequitur, omnis homo de necessitate est animal : hoc album vel Socrates vel iste homo est homo : ergo hoc album vel Socrates vel iste homo de necessitate est animal. Ex quo relinquitur, quod nihil denominative dictum essentialiter accipitur sub medio, nisi sit vel convertibile cum medio, ut risibile cum homine : vel habeat se sicut superius ad ipsum, sicut cum dicitur album coloratum.

**Questio prima.**

Sed tunc ex prædictis oritur quæstio : cum enim ostensa est inutilis esse conjugatio in hac mixtione, quando minor est de necessario et major de inesse, data est instantia de inesse ut nunc, et non de inesse simpliciter. Posset ergo alicui videri quod, etiam in conjugationibus utilibus, sufficeret quod minor deberet esse de inesse ut nunc, et non de inesse simpliciter.

**Secunda.**

Adhuc autem si minor sit de inesse simpliciter, tunc minor secundum rem est necessaria, quamvis non sit modo necessitatis determinata : et tunc videtur quod totus iste tractatus de mixtione superfluous sit, quia satis scitur per uniformem generationem syllogismorum de necessario prius habitam.

**Tertia.**

Adhuc autem prius habitum est, quod ambabus existentibus de necessario sequitur conclusio de necessario : hoc autem dictum est, quod minori existente de

inesse et majori de necessario, sequitur conclusio de necessario : cum ergo illa de necessario aliquid addat super illam quæ est de inesse, et conclusio de necessario sufficienter concludatur quando altera est de inesse, videtur quod quando ambæ sunt de necessario, aliquid sit in altera propositione quod sit non causa ut causa ad conclusionem.

Ad hæc autem et similia dicendum, quod in veritate minorem in hac mixtione oportet esse de inesse simpliciter, ut dictum est, si debeat sequi conclusio de necessario. Unde bene concedendum est, quod ambæ sunt de necessario secundum rem, quamvis altera modo necessitatis non sit determinata. Ad id autem quod <sup>Ad primam.</sup> objicitur de terminis instantiarum supra, dicendum quod aliter est in conjugationibus utilibus et inutilibus. In his enim quæ utiles sunt, major est de necessario et minor de inesse. In prima vero figura major comprehendit medium et minorem extremitatem totam, et concludit essentialiter ea intra ambitum suæ communis : et ideo oportet quod minor essentialiter stet sub medio quando major est de necessario, quia aliter non teneretur ordo terminorum in figura. Et ex hoc sequitur, quod oportet minorem esse de inesse simpliciter, et non de inesse ut nunc. Quando autem e converso est, quod major est de inesse et minor de necessario : tunc minor non continetur intra maiorem, nec major constringitur a minori, et ideo potest esse de inesse ut nunc, sicut manifestum est in terminis qui paulo ante de inutili conjugatione assignati sunt.

Ad hoc autem quod objicitur de superfluitate tractatus, dicendum quod iste tractatus non superfluit : quia quamvis ibi sufficienter determinatum sit qualiter conclusio de necessario sequitur ex uniformi conjugatione propositionum de necessario : tamen quia in hac scientia doceatur syllogismus in genere applicabilis aliquo modo ad omnem materiam, et specialis modus est syllogizandi conclusio-

**Solutio.**

<sup>Ad secundam.</sup>

nem de necessario per mixtionem necessarii et inesse, alius a dicto modo qui est ex uniformibus propositionibus de necessario, oportuit de necessitate doctrinæ, quod etiam iste modus doceretur, quia aliter scientia esset incompleta.

**Ad tertiam.** Per hoc etiam patet solutio ad sequens: quia necessarium est, quod utraque sit de necessario in uniformi generatione syllogismi de necessario: et nihil est ibi quod sit non causa ut causa, sed totum causa est quantum ad illum modum syllogizandi conclusionem de necessario: sed per hoc non concluditur quin etiam aliis modis sit syllogizandi conclusionem de necessario, ad quem non requiritur, quod utraque sit de necessario, sed major tantum.

Attendendum autem, quod cum dicimus, quod sequeretur conclusio de necessario, non negamus quin etiam sequatur conclusio de inesse: quia necesse esse antecedit inesse: et quod necesse est esse, illud relinquitur esse: sed conclusio de necesse esse, sequitur primo et principaliter quando vel ambæ vel major sunt de necessario: conclusio autem de inesse sequitur ex consequenti. Similiter autem si minor sit de necessario, et major de inesse, bene sequitur conclusio de inesse. Et similiter si ambæ sint de necessario, vel ambæ de inesse, sequitur conclusio de inesse. Qualiter igitur sequatur conclusio de inesse, non oportet studere per artem, quia leve est: et quocumque modo varientur propositiones, est adhuc conjugatio utilis, quod concludat propositionem de inesse. Sed difficile est qualiter concludatur conclusio de necessario: et ad hoc ponendum studium, et doctrina artis tradenda.

**Solutio dubii quorundam.** Et ex hoc patet solutio ejus quod quæri solet a quibusdam, quare scilicet altera existente de necessario, scilicet majori: altera vero de inesse, scilicet minori:

<sup>1</sup> Sed contra: Quæcumque paëmissa fuerit negativa vel particularis, semper conclusio est negativa vel particularis: ergo conclusio in illis non sequitur determinatam præmissam.

magis sequitur conclusio de necessario quam de inesse: utraque enim sequitur, sed primo illa de necessario, et ex consequenti sequitur illa de inesse. Majorem enim propositionem (quæ et minorem sub se continet, et totius syllogistici cursus est principium) principaliter sequitur conclusio: quia prædicatum majoris prædicatum est conclusionis: et ideo in dispositionibus prædicati sequitur conclusio majorem propositionem: dispositiones autem et proprietates prædicati sunt affirmativum, negativum, esse de inesse, et esse de necessario, et hujusmodi: in subjecto autem convenit conclusio cum minori propositione, et minorrem sequitur in proprietatibus subjecti, sicut est universale particulare esse, et hujusmodi. Hoc autem in ante habitis determinatum est <sup>1</sup>.

Si autem quæritur de multiplicatione harum conjugationum utilium et inutilium, jam in præhabitibus dictum est, qualiter ex combinatione diversa universalium et particularium, et affirmativarum et negativarum resultant in omni figura sedecim conjugationes, quæ cum multiplicatae fuerint per inesse et de necessario esse, fiunt triginta duæ. Et probatur de illis non esse utiles in hac mixtione nisi quatuor: quod non est difficile ostendere ex his quæ dicta sunt. Ex his autem satis patet de natura hujus mixtionis de necessario et inesse in prima figura.

Et propter ea quæ dicta sunt, quidam dicunt hanc non esse necessariam, nullum album est nigrum: et dicunt etiam, quod si apponatur modus necessitatis, illa propositio non est vera, sic, nullum album necesse est esse nigrum: contingit enim album esse nigrum, et contingit album non esse nigrum: et horum dictum non est improbabile.

De syllogismis igitur de mixtione necessarii et inesse in prima figura hæc tan-

Respondetur, quod loquitur solum in prima figura tanquam in principalissima omnium; nam in illa solum major potest esse negativa et minor particularis. P. J.

tum dicta sint : si qua enim alia dici possunt, ex his quæ dicta sunt facile solvi possunt.

## CAPUT V.

*De mixtione necessarii et inesse in secundæ figuræ universalibus syllogismis.*

In secunda autem figura in universalibus syllogismis talis est regula mixtionum, quod scilicet si in primis duobus universalibus modis privativa universalis sit necessaria, ita quod sit de necessario, et affirmativa universalis sit de inesse non ut nunc, sed simpliciter, sequitur conclusio de necessario. Sicut enim diximus, quod in prima figura major appropriat sibi minorem, eo quod sub medio eam accipi oportet, quod quidem medium stat sub majori extremitate : et ideo cum major sit de necessario, oportet minorem esse de inesse non ut nunc, sed simpliciter : ita est etiam in syllogismis secundæ figuræ, quod negativa appropriat sibi affirmativam, quod cum negativa universalis est de necessario, quod oportet affirmativam esse de inesse, non ut nunc, sed simpliciter. Et hoc est ideo, quia duo primi universales syllogismi secundæ figuræ oriuntur et formantur a secundo primæ figuræ : et ideo sicut in prima figura major quæ est negativa universalis, appropriat sibi minorem quæ est affirmativa universalis, ita fit in secunda figura : et ideo si affirmativa universalis in secunda figura sit de inesse simpliciter, erit conclusio de necessario : si autem erit de inesse per accidens, vel de inesse ut nunc, non potest esse conclusio de necessario. Sic ergo facienda est mixtio, quod universalis privativa sit de necessario, et universalis affirmativa de inesse simpliciter. Si enim e converso fiat, quod universalis negativa sit de inesse, et universalis affirmativa de necessario, non sequitur conclusio de necessario : quia affirmativa in hac figura non potest sibi appropriare negativam ad standum pro-

inesse simpliciter : sed indifferenter erit de inesse simpliciter, et de inesse ut nunc. Accipiatur enim primus modus secundæ figuræ, et sit universalis privativa major de necessario, ita quod A nulli B insit ex necessitate. In minori autem propositione quæ est universalis affirmativa, A insit omni C simpliciter, sequitur quod B nulli C inheret de necessitate. Hoc autem ideo est, quia, in tali syllogismo, C minor extremitas est sub A, stans substantialiter, et ideo propositio minor est de inesse simpliciter, et non ut nunc.

Similiter autem in secundo modo secundæ figuræ, si ad C minorem extremitatem ponatur propositio privativa, et ad majorem ponatur affirmativa, ita quod major sit universalis affirmativa de inesse, minor autem sit universalis negativa de necessario : tunc enim iterum sequitur conclusio de necessario. Nam si accipiatur minor negativa, tunc A nulli C contingit inesse : et sic est de necessario : quia quod nulli contingit inesse, necessarium est nulli inesse. Si autem sic est quod A nulli C contingit, cum universalis negativa de necessario convertatur simpliciter, tunc sequitur quod etiam e converso nulli A poterit inesse C, et sic est necessarium non inesse. Et tunc per conversionem minoris et transpositionem propositionum constituitur prima figura : quia reducitur primus modus secundæ ad secundum primæ per simplicem conversionem minoris propositionis. Secundus autem secundæ reducitur in secundum primæ per conversionem minoris et transpositionem propositionum, et conversionem conclusionis : et sic fit syllogismus, omne B est A, nullum C est A de necessitate, ergo de necessitate nullum C est B. Fit enim prima figura per conversionem minoris et transpositionem propositionum, nullum C B, de necessitate omne A C, ergo nullum A B de necessitate. Si autem nullum A C, convertatur conclusio, et erit conclusio prima quæ est, nullum C A de necessitate : et sic probata est syllogismi conjugatio.

Si autem in syllogismis universalibus privativa universalis sit de inesse, et universalis affirmativa sit de necessario, erit conjugatio inutilis quantum ad conclusionem de necessario, et peccabit contra proprietatem istius figuræ, quæ est, quod universalis negativa sit de necessario et universalis affirmativa sit de inesse. Insit enim  $\alpha$  omni  $\beta$  ex necessitate, ita quod major sit affirmativa de necessario,  $\gamma$  autem insit nulli  $\alpha$ , ita quod minor universalis negativa de non inesse tantum: conversa igitur privativa majori ejus fit reductio ad primam figuram in secundo modo primæ figuræ. Est autem jam in ante habitis ostensum, quod quando in secundo primæ universalis negativa quæ est ad majorem extremitatem, non est necessaria, non sequitur conclusio de necessario. Et si hæc conjugatio est inutilis in prima, sequitur quod etiam inutilis est in secunda: quia secunda figura formatur a prima et reducitur in ipsam.

Amplius autem inutilitas istius conjugationis probatur etiam alio modo sic, scilicet quod aliquid sequitur conclusio nem de necessario, sine quo vera potest esse præmissa, quæ est de inesse: et sic præmissa potest esse vera sine conclusione: ergo illa conclusio non sequitur ex ipsa. Hoc autem probatur hoc modo: ponatur enim primo hæc conjugatio, de necessitate omne  $\beta$  est  $\alpha$ , nullum  $\gamma$  est  $\alpha$ , sequitur secundum hanc conjugationem (si utilis est) ergo de necessitate nullum  $\gamma$  est  $\beta$ . Sumatur igitur conversa conclusionis hujus, et conversa majoris quæ est affirmativa de necessario, et convertatur in particularem: et arguitur in quarto primæ, sic, de necessitate nullum  $\beta$  est  $\gamma$ , quæ est conversa conclusionis:  $\alpha$  est  $\beta$  necessario, quæ est conversa majoris: sequitur in quarto primæ, quod de necessitate aliquod  $\alpha$  non est  $\gamma$ : sed conversa universalis negativæ de inesse quæ est hæc, nullum  $\alpha$  est  $\gamma$ , potest esse vera sine hac particulari, de necessitate aliquod  $\alpha$  non est  $\gamma$ , ergo hæc conclusio non sequebatur ex ipsa: nihil enim in tali conjugatione

prohibet  $\alpha$  tale accipi cui omni contingit inesse  $\gamma$ , ita quod omne  $\alpha$  contingit esse  $\gamma$ . Et si sic accipiat, tunc vera erit præmissa sine tali conclusione de necessario.

Amplius hoc idem probatur tertio si aliquis sit terminos ponens, ut si  $\alpha$  dicatur esse animal,  $\beta$  autem homo,  $\gamma$  vero album, et sint propositiones sumptæ similiter quantum ad conjugationem: tunc enim contingit animal nulli albo inesse: et tunc sequitur hac positione facta, quod existente tali positione, quod nec homo inerit alicui albo: quia si nullum animal est album, sequitur quod nullus homo est albus: tamen non sequitur quod nullus homo ex necessitate sit albus, quia homo contingenter est albus. Sed tamen donec manet illa positio, quod nullum animal sit album, sequitur quod nullus homo sit albus de necessitate; sed hæc est necessitas positionis, et non simpliciter necessitas secundum ipsam rem: et formetur syllogismus in terminis instantiæ sic, omnis homo de necessitate est animal: nullum album est animal (et hoc ponatur): sequitur ergo de necessitate nullum album est homo: hoc non sequitur omni modo necessitatis, sicut dictum est: sequitur ergo in tali conjugatione conclusio de inesse, sed non sequitur conclusio de necessitate inesse simpliciter. Sic ergo probantur conjugationes utilles et inutiles universalium syllogismorum in secunda figura.

## CAPUT VI.

*De solutione eorum quæ videntur esse contra prædicta.*

Sunt tamen quidam qui nituntur pro- Prima obje-  
bare, quod superius dicta conjugatio inutilis (juxta primum modum secundæ figuræ sumpta) videri possit utilis, deducendo ad impossibile hoc modo, nullum  $\beta$  est  $\alpha$ , de necessitate omne  $\gamma$  est  $\alpha$ , ergo de necessitate nullum  $\gamma$  est  $\beta$ . Si non sequitur, detur oppositum, hoc scilicet, non

de necessitate nullum c est b, quæ æquipollent isti, contingit aliquod c esse b. Arguatur igitur ex hac et majori sic, nullum b est a, contingit aliquod c esse b, ergo contingit aliquod c non esse a. Hoc enim sequitur per mixtionem contingentis et inesse, quæ inferius docebitur: sed hoc non potest stare cum minori propositione præcedentis syllogismi.

**Secunda.** Adhuc autem illa quæ est de contingentibus quæ opponitur conclusioni, ponatur inesse, et arguatur ex utraque de inesse sic, nullum b est a, aliquod c est b, sequitur ergo aliquod c non est a: quod non potest stare cum minori prioris syllogismi.

**Solutio primæ.** Ad hæc autem et similia dicendum, si-  
cut jam ex præmissis in parte patere potest, quod illa conjugatio est inutilis quantum ad conclusionem de necessario. Ad hoc autem quod objiciunt de mixtione contingentis et inesse, dicendum quod mixtio illa contingentis et inesse inutilis est, nisi illa quæ est de inesse sit de inesse simpliciter. Hoc autem in se-  
quentibus erit manifestum. In exemplo autem syllogismi inducti nihil prohibet quin illa de inesse sit de inesse ut nunc et non simpliciter: quia, sicut diximus, in tali conjugatione illa quæ est affirmativa de necessario, non sibi potest appro-  
priare negativam, quin stet pro inesse ut nunc. Similiter ergo erit de inesse ut nunc quando jam accepta est in mixtione cum illa quæ est de contingentibus: et sic patet quod et objectio et mixtio nulla sunt.

**Aliter.** Adhuc autem dici potest, quod et verum est, quod in mixtione contingentis et inesse accipitur illa de contingentibus, secundum quod contingens ad utrumlibet potest esse et non esse: hoc autem contingens æquipollent negativæ de necessario: hic autem in syllogismo quem inducunt, accipitur pro contingentibus communis quod convertitur cum possibili: et sic

patet, quod probatio quæ hanc videtur probare conjugationem non valet.

Ad aliud dicendum quod cum ponit op-  
positum conclusionis inesse, plus accipit  
quam oppositum conclusionis: oppositum  
enim tantum fuit de contingentibus esse: et  
hoc potest esse et non esse: et ideo cum  
talem ponit de inesse, plus sumit quam  
sit in opposito conclusionis: propter quod  
non probat quod sequatur conclusio de  
necessario, sed quod sequatur conclusio  
de inesse: quia illius sumit oppositum.

**Solutio secundæ.**

## CAPUT VII.

*De formatione particularium syllogis-  
morum mixtionis necessarii et inesse  
in secunda figura.*

Similiter autem se habebit in particu-  
laribus syllogismus quantum ad conjugationes  
utiles et inutiles secundæ figuræ.  
In his syllogismis regula est mixtione:  
quando enim in particularibus syllogismis  
propositio fuerit privativa et universalis,  
tunc potest sequi conclusio de necessario:  
quando autem aliter est, tunc non potest  
sequi conclusio de necessario. Ex quo se-  
quitur, quod juxta quartum modum hu-  
jus secundæ figuræ conjugatio utilis ad  
conclusionem de necessario esse non potest:  
quia quando prædicativa universalis  
fuerit de necessario, et privativa particu-  
laris fuerit de inesse, non sequitur con-  
clusio de necessario. Hoc autem patet in  
exemplis. Sit enim primum privativa si-  
ve negativa universalis de necessario, ita  
quod a medium ex necessitate nulli con-  
tingat vel possit inesse b, ita quod ex ne-  
cessitate nullum b sit a, c autem alicui  
insit a simpliciter, ita quod quoddam c  
sit a, sequitur quod aliquod c non sit b  
de necessitate<sup>1</sup>.

Quod sic probatur: quia privativa uni-  
versalis convertitur: et si nullum b de  
necessitate est a, sequitur quod ex neces-

sario. Et ratio est, quia quæcumque erit de  
necessario in *baroco*, nulla talis potest effici  
major in prima figura, quare, etc. P. J.

<sup>1</sup> Hinc patet quomodo in *baroco* non potest  
esse conjugatio utilis ex una de inesse et alte-  
ra de necessaria quoad conclusionem de neces-

sitate nullum A est B. Syllogizetur ergo sic, ex necessitate nullum A est B, quoddam C est A, ergo ex necessitate aliquod C non est B: quare B ut prædicatum inheret alicui eorum quæ sunt C. Hic enim est quartus primæ figuræ.

Omnes autem aliae conjugationes erunt inutiles. Sit enim universalis affirmativa sive prædicativa de necessario, et prædicativum ponatur ad B, majorem scilicet extremitatem, ita quod major sit universalis et affirmativa, sicut est in quarto modo secundæ figuræ: si ergo in tali conjugatione A inest omni B ex necessitate, A autem alicui C non inest tantum, ita scilicet quod minor sit particularis negativa de inesse tantum: tunc manifestum est quod sequitur conclusio de inesse tantum, quod scilicet B non inheret alicui C, hoc est, quod aliquod C non est B. Sed non sequitur conclusio de necessario, scilicet quod ex necessitate aliquod C non sit B, hoc autem demonstratur per instantiam in terminis: et erunt iidem termini qui positi sunt in universalibus syllogismis.

Adhuc etiam utilis conjugatio non est si particularis privativa sit de necessario, quæ ad minorem ponitur extremitatem: tunc enim iterum non sequitur conclusio de necessario: et demonstratur hoc per eosdem terminos instantiæ, qui jam dicti sunt, sicut euilibet patet per seipsum. Sed sunt aliter ordinandi: hic enim homo est medium, album major, et animal minor extremitas sic: omne album est homo: de necessitate quoddam animal non est homo: ergo quoddam animal non est album ex necessitate. Patet quod non sequitur.

**Dubitatio.** Incidit tamen dubium de quarto modo de quo nunc dictum est: videtur enim esse utilis conjugatio majori universalis affirmativa de inesse, et minori particuliari negativa de necessario. Videtur enim quod debeat sequi conclusio de necessario sic, omne B est A, ex necessitate quod

dam C non est A, ergo ex necessitate quoddam C non est B. Si non sequitur: tunc cum præmissis stabit conclusionis oppositum, scilicet, non de necessitate quoddam C non est B. Ponatur ergo illa inesse: eo quod æquipollet illi, contingit omne C esse B, et si ponatur cum majori propositione, syllogizatur oppositum minoris sic: de necessitate omne B est A, omne C est B, ergo de necessitate omne C A: qui syllogismus procedit secundum mixtionem necessarii et inesse in prima figura. Ad hoc dicendum, quod cum sumit oppositum conclusionis, et ponit inesse, plus sumit quam oppositum conclusionis: sumit enim oppositum ejus quæ est de inesse: et ideo bene ostendit sequi conclusionem de inesse, sed non de necessario: et hoc jam patet per antedicta circa secundum modum istius secundæ figuræ<sup>1</sup>.

Adhuc tamen videtur posse probari circa quartum modum hujus figuræ, quod si major sit universalis affirmativa de inesse, et minor particularis negativa de necessario, quod sequitur conclusio de necessario sic, omne B est A, de necessitate quoddam C non est A, ergo de necessitate quoddam C non est B. Si enim non sequitur: tunc oppositum conclusionis stabit cum præmissis. Est autem oppositum conclusionis, non de necessitate quoddam C non est B, quæ convertitur cum ista, contingit omne C esse B, ex qua et majori potest concludi oppositum minoris per mixtionem contingentis et inesse, sic, omne B est A, contingit omne C esse B, ergo contingit omne C esse A.

Adhuc autem etiam per expositionem potest idem ostendi ut videtur. Accipiatur sub C communi aliquod particulare C sive singulare a quo universaliter removeatur A, et sit illud N, et syllogizatur sic per expositionem: omne B est A, de necessitate nullum N est A, ergo de necessitate nullum N est B: quare cum N sit aliquod C, patet quod de necessitate aliquod C non

Solutio.

Objectio  
prima.Secunda et  
bona.

<sup>1</sup> Vide similem solutionem supra in fine ca-

pituli præcedentis.

est b. Sic enim videtur cum syllogismus fiat in secundo secundæ figuræ universali negativa existente de necessario : et tunc oportet illam quæ est de inesse, esse de inesse simpliciter, sicut jam ante dictum est : et si hoc concedatur, tunc oportet inductam conjugationem esse utilem, ut videtur.

**Tertia.** Adhuc autem idem ostendi potest per illam de contingentí quæ convertitur cum opposita conclusionis, quando illa de contingentí ponitur inesse : ex illa enim et majori sequitur conclusio de inesse repugnans minori, sicut cuilibet patere potest per seipsum.

**Ad primam.** Ad hæc autem dicendum, quod illa conjugatio inutilis est quantum ad conclusionem de necessario<sup>1</sup>. Ad id autem quod contra objicitur, dicendum quod illa quæ est de inesse in tali mixtione et in tali conjugatione potest esse de inesse ut nunc et non simpliciter : quia in secunda figura nec particularis sibi appropriare potest universalem, nec affirmativa negativam : et ideo particulari existente de necessario potest universalis esse de inesse ut nunc : sed in mixtione contingentis et inesse, oportet illam de inesse accipi de inesse simpliciter, et non ut nunc : et ideo non valet probatio. Adhuc in illa mixtione contingentis et inesse accipitur contingens secundum quod se habet ad esse et non esse : sed sic non accipitur in illa quæ convertitur cum opposito conclusionis : et sic iterum probatio non valet.

**Ad secundam.** Ad secundum dicendum, quod quamvis syllogismus expositivus fiat in secundo modo secundæ figuræ, nihil tamen prohibet illam de inesse sumi de inesse ut nunc : quia prius in syllogismo qui exponitur, illa de inesse est major: unde sicut ibi non potuit particularis negativa appropriare sibi universalem affirmativam, sic nec universalis juxta illam particularem potest eam sibi appropriare : et ideo utrobique stat pro inesse ut nunc,

<sup>1</sup> Nota quod ratio hujus dicti est, quia solum illa propositione appropriat sibi aliam quæ potest esse major in prima figura. Modo particu-

et non simpliciter. Hoc autem potest patere per exemplum in terminis sic, omne album est homo (ponatur hoc), de necessitate quoddam animal non est homo : ergo quoddam album de necessitate non est animal : patet quod non sequitur. Accipiatur sub animali asinus a quo universaliter et necessario removetur homo : et fiat tunc syllogismus expositivus in secundo secundæ figuræ ; tunc enim manebit major de inesse ut nunc, et ideo est conjugatio inutilis sic, omne album est homo : de necessitate nullus asinus est homo : ergo de necessitate nullus asinus est album : patet quod non sequitur ex præmissis.

Ad aliud patet solutio per ante dicta.

Si autem queritur hic de numero et multiplicatione conjugationum utilium et inutilium, de facili invenitur hoc per ante dicta. Accipientur principia secundæ figuræ propria, et accipientur principia omni figuræ propria, scilicet quod ex particularibus nihil sequitur, nec ex ambabus negativis, et quod in secunda figura oportet conclusionem esse negativam, et quod majorem oportet esse universalem : supponatur etiam quod in mixtione necessarii et inesse in hac figura oportet universalem negativam esse de necessario. Et Combinaciones hujus figure quot sint.

Non tamen hic omnes enumeratae sunt inutiles conjugationes : quia non oportuit enumerare nisi illas quæ peccant contra propria principia istius figuræ et mix-

Removet dubium.

laris secundæ figuræ aut affirmativæ non possunt effici major in prima figura, ut constat: quare, etc. P. J.

tionis: aliae enim facile patent cuilibet consideranti in combinationibus propositionum.

### CAPUT VIII.

#### *De mixtione necessarii et inesse in tertia figura in universalibus syllogismis.*

In postrema autem figura notandum est, quod primus modus qui est ex ambabus universalibus affirmativis, formatur a tertio modo primæ figuræ, et non descendit ab illo et reducitur in illum: et ideo quidquid facit universalis affirmativa in tertio modo primæ quando est de necessario in appropriando sibi minorem ad standum pro inesse simpliciter et non ut nunc, hoc facit etiam universalis affirmativa in ista, ita quod appropriat sibi illam de inesse ut sit de inesse simpliciter et non ut nunc. Et similiter secundus modus hujus figuræ descendit a quarto primæ: et ideo sicut universalis negativa in quarto primæ quando est de necessario, appropriat sibi minorem que est de inesse, ut sit de inesse simpliciter: et ita facit in ista figura: et ideo sive illa de inesse, sive conversa ejus dicant inesse ut nunc et non simpliciter, non tenebit conjugatio mixtionis, sicut cuilibet patere potest si ponat terminos de inesse ut nunc.

Unde de proprietate hujus figuræ est, quod in modis affirmativis universalis affirmativa sit de necessario, et alia de inesse simpliciter. In modis autem negativis universalis negativa fit de necessario, et altera de inesse simpliciter. Et hoc ideo est, quia universalis affirmativa vel est major, vel potest esse major in tertio primæ: et universalis negativa vel est major, vel potest esse major in quarto primæ, ad quem reducuntur modi negativi: et ideo

hoc faciunt in hac figura, quod faciunt in eadem mixtione necessarii et inesse in prima figura<sup>1</sup>.

His ita prælibatis, dicimus quod in postrema figura terminis sive extremitatibus, majori scilicet et minori universalibus existentibus ad medium (quod utrique extremitati subjicitur, et de quo utraque extremitas prædicatur universaliter et affirmative sicut in primo modo hujus tertiae figuræ) utralibet propositio sit necessaria, hoc est, de necessario, et altera de inesse simpliciter, sequitur conclusio de necessario. Hæc est igitur regula mixtionis in modo primo.

In modo autem secundo in quo major est negativa universalis, et minor affirmativa universalis, talis est regula mixtionis, quod quando universalis negativa est de necessario, et universalis affirmativa de inesse simpliciter, et non ut nunc, sequitur conclusio negativa de necessario.

Quando autem in eodem secundo modo tertiae figuræ universalis affirmativa fuerit de necessario, cum non possit appropriare sibi universalem negativam, eo quod affirmativa non potest esse major in quarto primæ, non sequitur conclusio de necessario<sup>2</sup>: quia tunc libere illa de inesse, potest esse de inesse ut nunc vel simpliciter: et ideo tunc non sequitur conclusio de necessario. Et de utroque ponamus exemplum. Sint ergo primum utræque propositiones præmissæ prædictivæ sive affirmativæ sicut sunt in primo modo tertiae figuræ, ita quod a major extremitas, et b minor extremitas insint omni c medio: et a c major propositio sit de necessario: quoniam ergo in tali modo minor est universalis affirmativa de inesse simpliciter, ita quod b minor extremitas omni c inest, et universalis affirmativa convertitur in particularem,

capitulo præcedenti. P. J.

<sup>2</sup> Quare si major in *felapton* fuerit de necessario, et alia de inesse, non sequitur conclusio de necessario. P. J.

<sup>1</sup> Et hæc est regula generalis ad cognoscendum quando sequitur conclusio de necessario in tertia figura in mixtis ex inesse et necessario. Hoc fundamentum applica etiam ad superius dicta in secunda figura, ut ipse notavi in

oportet si omni c inest b, quod c insit alicui b; propter quod si a inest omni c ex necessitate in majori, et c inest alicui b in conversa minoris, sequitur conclusio de necessario in tertio primæ, quod scilicet ex necessitate a inest alicui b; et hoc ideo sequitur, quia b minor extremitas sub c medio est sumpta essentialiter: et ideo dicit inesse simpliciter et non ut nunc. In tali igitur reductione fit prima figura conversa minori, quæ est de inesse, et fit reductio in tertium modum primæ figuræ.

Similiter autem ostendetur, quod conclusio sequitur de necessario in eodem primo modo tertiae figuræ si minor propositio quæ est b c est de necessario, et major de inesse simpliciter et non ut nunc: tunc enim convertitur major propositio quæ est a c in particularem: ita quod si a omni c inest, quod c inest alicui a. Transponantur ergo propositiones, et fit iterum tertius modus primæ figuræ: propter quod si detur quod omni c inest b ex necessitate in minori propositione, sequitur conclusio de necessario, quod scilicet c alicui a inherit ex necessitate, sic, omne c a ex necessitate, omne c b, ergo ex necessitate quoddam b a. Convertatur enim major et fiat transpositio sic, ex necessitate omne c b, quoddam autem a c, ergo ex necessitate quoddam a b, qui est syllogismus in tertio primæ. Sic igitur mixtio fit necessarii et inesse in primo modo tertiae figuræ.

Rursus sit a c major propositio privativa, b c autem minor propositio sit affirmativa sicut in secundo modo tertiae figuræ, et universalis privativa quæ est major sit de necessario, sequitur conclusio particularis negativa de necessario, et reducitur in quartum primæ per conversionem minoris propositionis in particularem affirmativam de inesse simpliciter sic, ex necessitate a nulli c inest, c autem inest alicui b, hæc enim est conversa illius quæ dixit omne c est b, sequitur in quarto primæ quod ex necessitate a alicui b non inherit: et hoc ideo est, quia b

minor extremitas essentialiter est sub c medio: et ideo minorem oportet esse de inesse simpliciter, et non ut nunc.

Si autem in hoc secundo modo tertiae universalis prædicativa sit de necessario, et universalis negativa de inesse, non sequitur conclusio de necessario: quia cum universalis affirmativa non possit esse major in quarto primæ, in quem iste modus reducitur, non potest appropriare sibi universalem negativam ad dicendum inesse simpliciter: sed potest dicere inesse ut nunc: et ideo non sequitur conclusio de necessario. Sit enim minor propositio quæ est b c de necessario, a c autem propositio major sit de inesse, et negativa, et non de necessario. Quia igitur convertitur universalis affirmativa de necessario iu particularem, ex hac, omne b c ex necessitate, sequitur aliquod c b ex necessitate: propter quod si detur ista, quod a nulli eorum quæ sunt b inest, hoc est, quod nullum b a et c inest alicui eorum quæ sunt b ex necessitate, hoc est, quod necessario aliquod b c, sequitur quidem conclusio de inesse, quod scilicet a non inest alicui b, sed non sequitur conclusio de necessario, quod scilicet ex necessitate a non insit alicui eorum quæ sunt b. Jam enim in prima figura in quarto modo primæ figuræ ostensum est, quod quando privativa universalis non est de necessario, conclusio non erit de necessario.

Amplius hoc idem per terminos potest esse manifestum. Sit enim a major extremitas quidem bonum, id autem in quo est b minor extremitas sit animal, c autem medium sit equus; et formetur sic syllogismus: nullus equus est bonum: omnis equus de necessitate est animal: ergo quoddam animal de necessitate non est bonum. Patet quod non sequitur. Contingit enim in hac conjugatione bonum nulli equo inesse: animal vero necesse est omni equo inesse: sed non necesse est aliquod animal non esse bonum, contingenter enim omne animal est bonum.

Si autem aliquis dicat quod hoc non

sit verum, quia non est possibile quod equus vel animal non sit bonum: cum bonum quando dicitur de equo vel animali dicat bonum naturæ, et non bonum moris: et non potest esse, quod animal non sit bonum bonitate naturæ: tunc ponatur alius terminus loco boni, qui accidat et equo et animali, sicut est vigilare vel dormire: omne enim animal susceptibile est contingenter horum, scilicet vigiliæ et somni: et tunc in his terminis patet quod non sequitur conclusio de necessitate. Sic igitur dictum est quando erit et quando non erit conclusio de necessario, quando ambo termini sive extrema universaliter sunt ad medium, hoc est, universaliter prædicantur de medio sicut in primo et secundo modo tertiae figuræ.

**Objectio.** Si quis autem objiciat volens ostendere conjugationem esse utilem, quando minor est affirmativa de necessario, et major universalis negativa de inesse: et sumat oppositum conclusionis, et cum minori concludat id quod repugnat majori, sic, nullum c est A, de necessitate omne c est B, ergo de necessitate quoddam B non est A. Si non sequitur, detur oppositum, non de necessitate quoddam B non est A, hoc autem æquipollit huic, omne B contingit esse A, et hoc ponatur inesse, sic, omne B est A, ergo per conversionem quoddam A est B: et syllogizetur sic, de necessitate omne c B, quoddam A B, ergo de necessitate quoddam c est A, hoc non potest stare cum hac, nullum c A quæ fit major. Ad hæc autem et similia dicendum, sicut superius determinatum est, quod quando illam de contingentibus ponit inesse: tunc plus sumit quam sit in illa de contingentibus, et ideo bene probat quod sequitur conclusio de inesse, sed non probat quod sequatur conclusio de necessario: in omnibus enim talibus syllogismis est solutio quæ in ante habitis sæpius dicta est.

**Solutio.** Ad hæc autem et similia dicendum, sicut superius determinatum est, quod quando illam de contingentibus ponit inesse: tunc plus sumit quam sit in illa de contingentibus, et ideo bene probat quod sequitur conclusio de inesse, sed non probat quod sequatur conclusio de necessario: in omnibus enim talibus syllogismis est solutio quæ in ante habitis sæpius dicta est.

<sup>1</sup> Mihi videtur quod etiam argumentum peccet in forma, quia est ex duabus affirmativis

## CAPUT IX.

*De mixtione necessarii et inesse in particularibus syllogismis tertiae figuræ.*

In syllogismis autem particularibus hujus tertiae figuræ, quando unus terminus universaliter se habet ad medium, alter vero particulariter, si tunc prædictivus est uterque terminorum, sicut est in tertio modo tertiae figuræ in quo major est particularis affirmativa, et minor universalis affirmativa: tunc tali regula fit mixtio, ut conclusio sit de necessario, quod scilicet universalis sit de necessario: quia quamvis ipsa sit minor in modo figuræ tertiae, tamen habet potentiam ut fiat major in reductione: reducitur enim hic modus in tertium primæ, in quo major est universalis affirmativa: ideo sicut in prima, ita et hic appropriat sibi particularem, et facit quod sit de inesse simpliciter et non ut nunc: propter quod sequitur conclusio de necessario. Et quod talis sit utilis conjugatio, eadem est demonstratio, quæ prius dicta est in primo modo hujus tertiae: particulari enim affirmativa conversa et transpositis propositionibus reducitur in tertium primæ. Si enim necesse quod omni c insit B, et A est sumptum sub c essentialiter, sequitur quod necesse est B alicui A inesse. Si autem B inest alicui A, tunc per conversionem etiam A inest alicui B de necessitate: particularis enim propositio convertitur simpliciter.

Similiter autem est in quarto tertiae figuræ, qui constat ex majori universalis affirmativa et particulari affirmativa minori: et si major quæ est universalis affirmativa, est de necessario, et minor particularis affirmativa sit de inesse, sequitur conclusio de necessario, propter eamdem causam quæ sæpius dicta est: tunc enim A C propositio universalis est

in secunda figura. P. J.

de necessario, et  $\beta$   $c$  minor particularis : sequitur autem ideo conclusio de necessario, quia  $\beta$  est sub  $c$ , et ideo propositio est de inesse simpliciter.

Si autem in affirmativo syllogismo tertio hujus figuræ universalis est de inesse, et particularis de necessario, non sequitur conclusio de necessario : quia in reductione particularis non potest esse major in prima figura : et ideo non potest sibi appropriare universalem ad inesse simpliciter. Sit enim  $\beta$   $c$  propositio minor particularis et necessaria sive de necessario,  $\alpha$  autem insit omni  $c$  tantum, et sit de inesse propositio  $\alpha$   $c$  quæ est major. Si ergo convertatur  $\beta$   $c$  propositio ut prima fiat figura in tertio primæ, tunc universalis quidem propositio non est de necessario, particularis autem est de necessario. Quando autem in prima figura sic se habebant propositiones, non erat conclusio de necessario sicut in tertio primæ dictum est : propter quod etiam in his syllogismis qui sunt tertiae figuræ talis erit inutilis conjugatio : quia iste tertius secundæ descendit a tertio primæ.

Amplius autem hoc idem etiam est manifestum in terminis, in quibus est instantia talis consequentiæ. Sit enim  $\alpha$  major terminus vigilatio,  $\beta$  autem minor terminus sit bipes : id autem in quo ponitur  $c$  medium sit animal. Talibus igitur terminis positis,  $\beta$  quod est bipes, necesse est inesse alicui  $c$ , hoc est, animali ;  $\alpha$  autem quod est vigilatio contingit inesse  $c$ , hoc est, animali, et  $\alpha$  quod est vigilatio non necessario inherit  $\beta$ , hoc est, bipedi. Non enim necesse est aliquem bipedem vel dormire vel vigilare. Similiter autem et per eosdem terminos, si  $\alpha$   $c$  propositio major sit particularis et de necessario, et altera sit universalis et de inesse, quod videlicet est inutilis conjugatio quantum ad conclusionem de necessario.

In particularibus autem syllogismis negativis utilis conjugatio est juxta sextum modum tertiae figuræ quæ habet maiorem universalis negativam, et mino-

rem particularem affirmativam : unde si unus quidem terminorum in particularibus syllogismis sit prædicativus sive affirmativus, alter vero privativus sive negativus : tunc quando terminus major fuerit universalis et privativus et de necessario, sequitur conclusio de necessario. Cujus formatio et ratio est : quia si  $\alpha$  major extremitas nulli  $c$  contingit, tunc de necessitate nullum  $c$  est  $\alpha$  : si tunc  $\beta$  minor extremitas inest alicui  $c$ , tunc quoddam  $c$  est  $\beta$ , et ex his sequitur in sexto tertiae, quod necesse est  $\alpha$  alicui  $\beta$  non inesse, hoc est, quod de necessitate quoddam  $\beta$  non est  $\alpha$ .

Juxta autem hanc utilem conjugationem tres sunt inutiles, quarum duæ sunt juxta quintum tertiae, qui habet majorem particularem negativam, et minorem universalis affirmativam. Tertia autem sumitur juxta sextum de quo paulo ante dictum est. Formantur autem sic. Si enim una est affirmativa et altera negativa, et una universalis et altera particularis : si affirmativa ponatur esse de necessario, sive sit particularis sive universalis : item si particularis privativa ponatur esse de necessario, erit conjugatio inutilis, quia non sequitur conclusio de necessario : et sunt demonstrationes eadem inutiles, quas etiam in prioribus inutilibus conjugationibus diximus. Tamen manifeste probatur inutilitas harum conjugationum per terminos instantiarum. Et termini quidem in quibus est instantia, quando universalis affirmativa est de necessario, sunt vigilare, animal, homo, ita quod medium sit homo. Quando autem particularis prædicativa est de necessario, et altera de inesse, termini sunt vigilatio, animal, album : et album est medium : in talibus enim terminis animal necesse est alicui albo inesse, ita quod de necessitate aliquod album est animal ut cygnus : vigilatio contingit nulli, quia contingens est quod nullum animal vigilet : et iterum non est necesse alicui animali non inesse vigilationem : quia contingens est aliquod animal non vigilare. Termini autem quando par-

ticularis privativa ponitur esse de necessario, et altera de inesse, sunt bipes, moveri, animal: medium autem est animal.

Quod autem diximus in terminis istis, quod animal necesse est alicui albo inesse, non intelleximus de albo secundum quod significat qualitatem albedinis in subjecto, quia sic album contingit animali: sed intelleximus de aliqua substantia cui necessario inest albedo, sicut est cygnus. Tamen verum est, quod haec, aliquod album de necessitate est animal, est vera de necessitate per accidens: et sic boni sunt et declarant propositum termini inducti. Posset tamen melius instari per hos terminos, homo, album, animal, sic, nullum animal est album (et hoc ponatur) de necessitate aliquod animal est homo: et tamen non sequitur quod de necessitate aliquis homo non sit albus.

Est autem advertendum, quod juxta quintum modum tertiae non est posita mixtio utilis ad conclusionem de necessario: et si aliquis illam velit probare per oppositum conclusionis, quod est de contingentibus mixto cum necessario, penitus idem dicendum est quod dictum est in quarto secundæ figuræ<sup>1</sup>. Adhuc autem si aliquis querat de multiplicatione harum utilium et inutilium conjugationum, omnino similis est sicut et in prima et in secunda figura in mixtione necessarii et inesse.

**Corollarium.** Ex omnibus autem his quæ dicta sunt, manifestum est, quoniam quidem non est syllogismus concludens propositionem de inesse, si utræque propositiones præmissæ non sunt de inesse. Quamvis enim dixerimus, quod ex talibus concluditur

**Removet dubium.**

aliquando de inesse quando altera est de necessario: tamen sciendum quod non concluditur statim et immediate propositiō de inesse per mixtionem necessarii et inesse: sed concluditur ex consequenti, secundum quod propositiō de inesse relinquitur ex propositione de necessario immediate conclusa: sed immediate non concluditur propositiō de inesse. Propositiō autem de necessario concluditur, et per illas quæ solum sunt de necessario, et per illas quæ sunt mixtæ de necessario et inesse<sup>2</sup>.

Sed hic sciendum, quod in utrisque syllogismis tam affirmativis quam negativis necesse est alteram propositionum præmissarum similem esse conclusioni ad minus. Dico autem *similem*, ita scilicet quod si conclusio est de inesse, præmissa sit de inesse. Si autem conclusio est de necessario, necesse est alteram præmissarum vel ambas esse de necessario. Ex quo ulterius palam est, quod non erit conclusio sive de necessario sive de inesse, nisi altera ad minus propositiō sit de necessario vel de inesse.

Dictum est igitur sufficienter quantum ad propositam intentionem de necessario, quomodo fit ad syllogismum faciendum, et quam differentiam habeat ad propositionem de inesse in eo quod est particulare: quia adhuc aliquid dicendum erit de eo in mixtione contingentis et necessarii in sequentibus: sed quantum ad generationem uniformem syllogismi de necessario, et quantum ad mixtione necessarii cum his quæ sunt de inesse per omnes figuræ, satis sufficienter dictum est: si qua enim alia sunt, satis intelliguntur per ea quæ dicta sunt.

mediate ut per se intenta ab illis præmissis, sed ut defectus conclusionis de necessario, et ut deficit a conclusione de necessario quæ per se intenditur. P. J.

<sup>1</sup> Vide supra in capite 2 hujus tractatus.

<sup>2</sup> Contra: in conjugationibus inutilibus sequitur conclusio de inesse immediate, ut patet, ergo, etc. Respondetur quod non sequitur im-

# TRACTATUS IV

## DE GENERATIONE SYLLOGISMORUM DE CONTINGENTI UNIFORMI ET MIXTA.

### CAPUT I.

#### *De principiis generationis syllogismorum de contingentи.*

De contingentе autem et de generatio-  
ne syllogismorum de contingentи, post  
hæc quæ de necessario dicta sunt, secun-  
dum rationis ordinem est dicendum. Ne-  
cessarium enim est ante contingens, eo  
quod necessarium est contingentis prin-  
cipium, sicut in *Perihermenias* dictum est.  
Et iterum necessarium non variat inhæ-  
rentiam simpliciter secundum rem, sed  
secundum modum tantum: contingens  
autem variat inhærentiam secundum rem  
et secundum modum. His ergo rationi-  
bus prius ponenda fuit generatio syllo-  
gismorum de necessario, quam de con-  
tingenti. Dicemus ergo primo in hoc tra-  
ctatu hujus generationis principia, et illis  
determinatis, determinabimus conjugationes  
utiles et inutiles ad conclusionem  
de contingenti. Dicemus enim quando et  
quomodo et per quæ erit syllogismus de  
contingenti. Dico autem *quando* quoad  
figuram, et *quomodo* quantum ad mo-  
dum, et *per quæ* quantum ad terminos  
et propositiones.

Contingens  
quid. Diffinientes autem contingere et con-  
tingens dicimus, quod contingens est  
quod cum non sit necessarium, vel me-  
lius dicendo, quod cum sit non necessa-  
rium, si ponatur esse actu, nihil erit sive

nihil sequetur propter hoc impossibile.  
Dicitur tamen etiam necessarium contin-  
gere, sicut in ante habitis dictum est:  
sed hoc est contingens æquivoce dictum  
ad istud contingens, de quo loquimur in  
generatione syllogismorum de contin-  
genti, hoc modo æquivocationis quo ana-  
loga dicimus æquivoca.

Quod autem sit determinandum per  
*non necessarium*, manifestum est in or-  
dinibus modalium ex affirmationibus et  
negationibus oppositis. In tertio enim or-  
dine sunt istæ, non contingit esse, im-  
possible est esse, et necesse est non esse:  
et ideo vel eadem sunt istæ propositiones  
in æquipollentia, vel sequuntur se invi-  
cem sicut consequens ad antecedens: ex  
quo sequitur, quod etiam oppositæ his  
affirmationes, hæ scilicet quæ sunt in  
primo ordine, contingit esse, non impos-  
sibile esse, non necesse non esse, vel ea-  
dem erunt vel sequentia se invicem. Pro-  
batur enim primus ordo per tertium, eo  
quod in tertio et quarto ordine nemo un-  
quam dubitavit: et ita tertius ordo ut om-  
nibus notus sumitur ad probandum pri-  
mum: quia in primo et secundo ordine  
aliqui dubitaverunt, sicut in secundo *Pe-*  
*rihermenias* dictum est <sup>1</sup>. Quod autem  
ista consequentia sint, per hoc probatur,  
quia de omni eo quod est, oportet vel  
affirmationem vel negationem veram esse:  
et ideo si negationes se consequuntur,  
oportet quod etiam affirmations sequan-  
tur se invicem. Erit ergo secundum hoc

Probatio  
definitionis  
contingentis.

<sup>1</sup> Vide in 2 *Perihermenias*, tract. 2, cap. 3 et 4.

dupliciter dictum contingens, ita quod contingens est necessarium, et contingens est non necessarium.

His visis, sciendum quod omnes propositiones quæ sunt secundum contingere quod est non necessarium, convertuntur sibi invicem secundum consequentiam secundum oppositas qualitates affirmatio- nis et negationis: et hoc est unum principiorum quo perficiuntur syllogismi imperfecti. Dico autem converti sibi invicem secundum oppositas qualitates, non quod affirmativæ convertantur cum negativis: quia sicut in *Perihermenias* dictum est, propositiones modales affirmativæ vel negativæ dicuntur, eo quod sunt de modo affirmato vel negato: et tales affirmativæ non convertuntur cum negativis, sed potius quæcumque affirmati- vam habent figuram in modo, et in dicto differunt secundum affirmationem et negationem: et hoc modo ea quæ est, contingit esse, convertitur in illam quæ est, contingit non esse: et ea quæ est, contingit omni inesse, convertitur in eam quæ est, contingit nulli inesse, ut contra- ria in contrariam convertatur, vel convertatur ad contradictoriam in dicto, ut ea quæ est, contingit omni, convertitur in eam quæ est, contingit non omni: vel ea quæ est, contingit alicui, convertitur in hanc quæ est, contingit non alicui. Eodem autem modo est in omnibus aliis.

Hujus autem causa et ratio est, quia contingens, de quo loquimur, est contingens de quo negatur necessarium, et determinatur non necessario; et tale contingens est permixtum potentiae, et dicit esse in actu: et sequitur quod hoc quod est non necessarium, possibile est non esse. Manifestum est ergo quod id quod sic contingit esse, contingit etiam non esse. Unde si contingit A inesse B, contingit A etiam non inesse B, et si omni B contingit inesse A, contingit etiam omni B non inesse A. Similiter autem est in particula- ribus affirmationibus: hoc enim eodem

modo demonstratur sicut in universalibus: quia per hoc quod non est necessarium, sequitur quod possibile sit ad esse et ad non esse.

Hujusmodi autem propositiones, sive sint de dicto affirmato, sive sint de dicto negato, omnes sunt prædicativæ sive affirmativæ, quia modus contingentiae in eis affirmatur et non cadit sub negatione: contingere enim quod est modus secundum eamdem similitudinem ponitur in modalibus, sicut esse ponitur in his quæ sunt de inesse: et ideo sicut ab esse affirmato vel negato illa quæ est de inesse, affirmativa est vel negativa: ita modalis quæ est de contingentia, a modo affirmato vel negato est affirmativa vel negativa, quemadmo- dum dictum est prius in libro *Periher- menias* secundo<sup>1</sup>.

Determinatis autem his quæ dicta sunt, rursum adhuc ante generationem syllo- gismorum de contingentia, dicimus distin- guendo contingens quod est non neces- sarium, duobus enim modis dicitur. Uno quidem modo dicitur *contingens natum*, quod plerumque fit et ut in pluribus, ta- men deficit ab eo quod est necessarium, per hoc quod non habet causam stantem et necessariam, ut canescere hominem in senectute, vel augeri in juventute, vel mi- nui deficiente virtute nutritiva, vel om- nino sive universaliter loquendo, quod est contingens natum, eo quod innatam in subjecto habet causam: quidquid enim tale est, non continuam (per causam stantem) habet necessitatem ad esse, eo quod non semper est homo actu ens. Sed cum homo est, aut ex necessitate, aut in pluribus inest sibi canescere in senectute. Ex necessitate quidem: quia in hominis ratione quæ datur per materiam suppo- nitur causa putrescendi phlegma in capite: qua de necessitate sequitur motus alterationis ad canitiem. Quia autem causa materialis impedibilis est propter materiae inæqualitatem, ne motum talem aliquando perducat usque ad terminum

Contingens  
non nec-  
sarium d  
plex: natur  
infinitum

<sup>1</sup> Vide in secundo libro, tract. 2, cap. 2.

perfectæ canitiei, tunc convenit ut in pluribus hominem canescere, hoc est, canum esse in senectute: cum omni homini existenti conveniat ex necessitate in senectute moveri ad canitiem: quia necesse est calore remisso et non terminante humidum multum phlegmaticum quod abundat in capite, phlegma moveri et alterari ad putredinem. Et sic actualis canities est in pluribus secundum naturæ habilitatem, sed motus ad canitiem necessario est in omnibus existentibus hominibus: et sic ex necessitate et ut in pluribus inest homini canescere in senectute: et ideo est, quod cum homo est, aut ex necessitate, aut ut pluribus est canescere. Canescere enim non est prædicatum quod conveniat homini secundum rationem sumpto, sive homo actu sit apud naturam, sive non sit actu, sed tantum ratio ejus sit apud animam<sup>1</sup>.

De his in præhabitis de *Universalibus* dictum est, nec oportet hic repeteret: quia hoc non est de intentione principali. Sic ergo uno modo contingens quod non necessario determinatur, dicitur contingens natum. Alio autem modo *contingens infinitum* non necessarium dicitur contingens infinitum, quod non se habet plus ad esse quam ad non esse: et ideo dicitur contingens infinitum; quia sic et sic possibile est esse, ut animal ambulare, quod est ad utrumlibet in effectu, et animali ambulante fieri terræmotum vel coruscationem, quod est ad utrumlibet in causa, nec plus se habet ad esse quam ad non esse: tale enim contingens nihil magis natum est sic fieri, quam e contrario non fieri<sup>2</sup>.

Patet igitur ex dictis, quod tripliciter dicitur contingens, scilicet ut genus, et ut species: ut genus quidem quando est idem quod possibile et non necessarium:

<sup>1</sup> Nota in horum confirmationem quod causa defectus canitiei in homine quandoque est merito subjecti, et quandoque merito prædicti, ut dicit Joannes Grammat. hic. P. J.

<sup>2</sup> Sed contra: Dicitur etiam *contingens rarum*. Respondetur quod illud comprehenditur sub

ut species autem sicut non necessarium contingens natum: et ut non necessarium contingens infinitum. Ex his autem sumenda sunt principia perficiendi syllogismos imperfectos de contingentibus, sicut est conversio, et hujusmodi. Dicamus igitur quod utrumque speciale contingens convertitur secundum oppositas in qualitate propositiones, sed non eodem modo. Sed contingens natum (quod per causam quæ in ipso est, natum est esse, et non est natum non esse) convertitur ad negativam, quæ non est de contingentibus nato, sed est de contingentibus in genere, quod est non necessarium et convertitur cum possibili: secundum tale enim contingens continget hominem non canescere in senectute. Quia cum tale contingens habeat in se duo, scilicet potentiam ad non esse propter imperfectiōnem causæ, et variabilitatem ad esse propter habilitatem causæ: ex causa habet quod est, et ex potentia quod non: et ideo si contingit hominem canescere, contingit hominem non canescere, quæ est conversio ad oppositas qualitates. Sed cum dicitur, contingit hominem non canescere, non potest intelligi de contingentibus nato: quia oppositum ejus quod est non canescere, innatum est homini inesse. Nec potest intelligi de contingentibus infinito quod æqualiter se habet ad esse et non esse: quia non canescere plus se habet ad non esse, et canescere plus se habet ad esse. A partibus ergo sufficienter enumeratis relinquuntur, quod intelligatur de contingentibus pro possibili, quod est contingens non necessarium, et non necessario determinatum. Contingens ergo natum quando ad oppositas in qualitate propositiones convertitur, convertitur ad contingens non natum, sed ad contingens pro possibili acceptum infini-

contingenti infinito, nam cum eo convenit propter causam utriusque esse indeterminatam; et plus respexit ad istam Aristoteles quam ad non essentiam, ut dicit Joannes Grammat. P.J.

tum. Contingens (quod nihil magis sic est quam alio modo, sive non sic) convertitur in eodem modo contingentis secundum oppositas propositiones in qualitate sic, si contingit hominem ambulare, contingit hominem non ambulare: et utraque est de contingenti infinito.

Cum autem hæc propositiones ordinandæ sunt in syllogismum, syllogismus demonstrativus et disciplina demonstrativa non potest fieri de contingenti infinito, eo quod in tali contingenti ordinatum est medium in subjiciendo se uni extremitati et subjiciendo sibi alteram. Sed ex illis propositionibus quæ sunt de contingenti nato, est syllogismus et disciplina demonstrativa. Orationes et considerationes (ad quæstiones determinandas et problemata) pene omnes fiunt de contingentibus, quæ dicuntur secundum contingens natum. Dico autem *pene*: quia in talibus in quibus est contingens natum in quantum esse possunt et non esse, non demonstratur, nec de ipsis est disciplina demonstrativa, sed potius in quantum stant sub esse et referuntur ad innatam sibi causam: sic enim considerata ista contingencia convenient cum necessariis, quamvis deficiant ab ipsis in quantum non habent stantem causam: in tantum enim sunt necessitatis non continuæ.

Ex illis autem propositionibus quæ sunt de contingente infinito, possibile quidem est fieri syllogismum formalem: hic tamen non solet esse quæstio de tali contingente, quia quæstio est de aliquo determinato: illud autem contingens indeterminatum est et infinitum. Et si quæratur de ipso, quæstio non potest determinari et finiri nec ad esse nec ad non esse. Hæc autem magis in sequentibus diffinientur et determinabuntur. Nunc autem non habemus secundum propositam intentionem dicere, nisi quando et quomodo et quis erit syllogismus ex contingentibus sive ex propositionibus quæ sunt de contingenti.

## CAPUT II.

*De dici de omni et dici de nullo in propositionibus de contingenti, et de universalibus syllogismis de contingenti secundum utiles conjugationes.*

Contingere autem hoc prædicatum huic subjecto inesse dupliciter dicitur, et dupliciter accipitur. Aut enim dicitur contingere id quod actualiter inest subjecto: aut dicitur hoc contingere cui subjectum contingit inesse. Nam cum dicimus, quod A contingit ei de quo B subjectum est, significat horum duorum sensuum alterum. Significat enim A prædicatum contingere huic subjecto quod est B sub altero dictorum sensuum, ut scilicet A contingat ei quod est B, et de quo secundum actualem inhærentiam prædicatur: aut quod A contingat ei quod contingit esse B: quod enim contingit esse B non statim sequitur esse B secundum actum. Nihil autem differt secundum propositam intentionem, quod dicitur A contingere ei de quo B prædicatur, vel prædicari contingit: et si dicatur possibile esse A dici de eo quod est B, vel quod potest esse B. Quia diximus sæpius quod possibile et contingens convertuntur, et utrumque determinatur non necessario.

Manifestum est igitur ex dictis, quod dupliciter dicitur A prædicatum omni B contingere secundum dici de omni: dicitur enim A de B omni, aut secundum inesse, aut secundum contingere inesse: et quia dictum secundum contingere esse, est propositio sumpta in uniformi generatione syllogismorum de contingenti: illa autem quæ est contingere sed inesse, sumitur in mixtione contingentis et inesse, quæ non est ex propositionibus uniformibus, primum est dicendum de syllogismis uniformibus (istis videlicet, si de quo A contingit dici, B contingit dici: et de quo B contingit dici, A contingit dici) quis et qualis erit syllogismus? Sic enim utræ-

Quomodo  
contingere  
hoc huic  
inessere du-  
pliciter  
potest intel-  
ligi.

que propositiones sumuntur secundum contingere, et ambæ sunt de contingenti et major et minor. Quando autem sumuntur secundum alterum modum, scilicet quod de quo  $B$  est prædicatum, quod illud contingat esse  $A$ , tunc una propositionum est de inesse, et altera de contingenti, quod mixtam facit syllogismorum generationem. Propter quod incipiendum est ab his quæ sunt similis figuræ quantum ad modum propositionis, quemadmodum et in aliis quæ diximus: præmissus enim generationem uniformem de necessario generationi mixtæ de necessario et inesse: simile est enim ante dissimile, sicut unum ante multa. Per hoc autem quod dici de omni in contingentibus determinavimus, satis etiam est determinatum dici de nullo, quia unum convertitur ad alterum: et quod contingit omni, contingit nulli: et quod contingit esse, contingit non esse.

**Objectio.** Contra quod tamen quidam opponunt dicentes, quod esse et non esse opposita sunt secundum affirmationem et negationem, inter quæ nihil est medium: nec aliquid habent commune: et sic modus non cadit super utrumque. Sed hoc planum est solvere: quia quamvis esse et non esse opponantur sicut affirmatio et negatio, tamen contingens esse et contingens non esse non opponuntur ut affirmatio et negatio: quia utraque illarum est affirmativa: et ideo in propositione de contingenti refertur modus super extrema compositionis, et elargit ipsi potentiam essendi et potentiam non essendi, quæ non est media inter contradictoria: quia in contradictoriis negatio nihil relinquit, et nihil ponit: sed in negatione super quam cadit contingens cum dicitur, contingit non esse, relinquitur potentia ad esse.

Formemus igitur primo in prima figura uniformes de contingentii syllogismos, dicentes primo utiles conjugationes ad conclusionem de contingentii, sic quod quando  $A$  major extremitas contingit omni  $B$  medio, ita quod propositio sit, omne

$B$  contingit esse  $A$ , et  $B$  medium contingit omni  $C$  minori extremitati, ita quod omne  $C$  contingit esse  $B$ : syllogismus de contingentii erit perfectus, et sequitur conclusio de contingentii, quod scilicet  $A$  contingit omni  $C$ , hoc est, quod omne  $C$  contingit esse  $A$ : et est syllogismus in primo modo primæ figuræ. Et hoc manifestum est per diffinitionem ejus quod est dici de omni in contingentibus: sic enim diffiniimus in contingentibus dici de omni, quando prædicatum omni ei contingit, cui contingit medium sive subjectum.

Similiter autem utilis fit conjugatio ad formandum secundum modum primæ figuræ secundum conjugationem utilem ad concludendam conclusionem de contingentii, quando major est negativa universalis, et minor affirmativa universalis, quantum ad dictum de quo prædicatur modus, sic, quod dicatur  $A$  nulli  $B$  contingere,  $B$  autem contingit omni  $C$ , sequitur conclusio de contingentii, quod  $A$  nulli  $C$  contingit, sive quod contingit nullum  $C$  esse  $A$ . Et hoc probatur per dicere nullo in contingentibus: nam cum dicitur quod  $A$  non contingit ei de quo contingit  $B$ , sive quod  $A$  nulli  $B$  contingit, hoc erat per diffinitionem ejus quod est dici de nullo, nihil dimittere eorum quibus contingit  $B$  inesse, a quo non removeatur  $A$  contingere inesse: et ideo sequitur cum  $C$  sit aliquod eorum cui contingit inesse  $B$  quod nullum  $C$  contingat esse  $A$ . Isti ergo sunt duo universales syllogismi primæ figuræ de contingentii.

Inutiles autem et imperfecti sic formantur. Quando enim  $A$  contingit omni  $B$  in majori propositione, ita quod omne  $B$  contingit esse  $A$ ,  $B$  autem contingit nulli  $C$  in minori propositione, ita quod nullum  $C$  contingit esse  $B$ ; per sumptas quidem taliter propositiones nullus fit syllogismus: et hoc modo conjugatio inutilis: conversa autem  $B$   $C$  minori negativa secundum conversionem contingentis quæ est in eadem quantitate ad oppositam qualitatem, fit idem syllogismus quemadmodum et prius in primo primæ factus est,

Dici de omni in contingentibus quid.

Inutiles qui tamen possunt fieri utiles.

et sic est conjugatio ad syllogismum imperfectum. Hæc autem conversio talis est: quia cum **B** contingat nulli **C** inesse, sequitur per conversionem ad oppositam qualitatem, quod contingit **B** omni **C** inesse: hoc autem in superius dictis est determinatum: propter quod ex tali conversione sequitur, quod **B** contingit omni **C** inesse, et **A** contingit omni **B** inesse: transponantur propositiones sic, omne **B** contingit esse **A**, omne **C** contingit esse **B**, ergo omne **C** contingit esse **A**, qui est primus modus primæ figuræ.

Similiter autem est inutilis et imperfecta conjugatio si negatio universalis ponatur ad utramque extremitatem, ita quod ambæ præmissæ sint de contingentibus in universalibus propositionibus negativis. Dico autem exemplificando hoc, ut si dicamus quod **A** nulli **B** contingit, et **B** nulli **C** contingit: nam in tali conjugatione propter sumptas quidem propositiones nullus fit syllogismus: et sic conjugatio inutilis est, quia ex ambabus negativis nihil sequitur in aliqua figura. Conversis autem utrisque propositionibus sub eadem quantitate ad oppositas qualitates, erunt ambæ præmissæ de contingentibus universales affirmativæ: et tunc fit idem syllogismus qui dictus est in primo primæ figuræ, sicut cuilibet patet per se ipsum.

**Corollarium** Manifestum est igitur, quoniam negatione posita ad minorem extremitatem, ita quod minor sit negativa, vel negatione posita ad utrasque propositiones, ita quod ambæ sint negativæ: aut non erit syllogismus ex propositionibus sic sumptis: aut si sit syllogismus, ille erit imperfectus: et oportet quod per conversionem quæ est in contingentibus ad oppositas qualitates perficiatur, si debeat fieri necessarium id quod sequitur syllogistica consequentia. Sic ergo dictum est de generatione syllogismorum de uniformi combinatione propositionum de contingentibus secundum hanc acceptionem, quod contingit esse **B** contingit esse **A**: acceptione autem secunda quæ est, omne quod

est **B** contingit esse **A**, erit immixta de inesse et contingentibus syllogismorum.

Dubitatio.

Et si quis quærat quare tertia acceptio contingentis hic non determinetur, scilicet quod omne quod necesse est esse **B** contingit esse **A**, cum illa accipiatur in mixtione contingentis et necessarii? Dicendum quod satis relinquitur ex aliis in mixtione inesse et contingentibus determinatis. Illa enim quæ est de inesse in mixtione contingentis et inesse, oportet quod sit de inesse simpliciter et non ut nunc: et hæc secundum rem non differt ab illa quæ est de necessario, sed secundum modum tantum; et ideo cum quod est **B** contingit esse **A**, satis intelligitur quod est **B** vel quod necesse est esse **B** contingit esse **A**.

Attendendum quod cum illa de contingentibus nato convertitur ad oppositam qualitatem, statim patet quod affirmativa convertitur ad negativam: sed non adeo evidens est, quod negativa de tali contingentibus convertatur ad affirmativam: non enim sequitur, est non necessarium inesse: ergo contingit inesse: sed quando apponitur modus contingentiae, tunc patet quod negativa convertitur ad affirmativam, sic, contingit hominem non canescere: ergo non est necesse hominem non canescere: et si non est necesse, potest inesse oppositum: et si potest oppositum inesse, illud erit in propositione oppositæ qualitatis designatum.

Hic etiam attendendum quod secundum materiam et non secundum argumentandi formam ex superiori infertur inferius; quia cum contingens natum convertatur ad contingens sumptum pro possibili et non necessario, et infertur contingens natum ex illo, tunc fit processus a genere ad speciem affirmando: qui processus secundum formam argumenti non valet. In materia tamen quæ est de contingentibus, valet gratia terminorum: quia in illis contingens cadens super prædicatum et subjectum dicti terminos elargat, quod uterque in se includat aliquid de opposito. Talis igitur est formatio

Remove  
dubium.

universalium syllogismorum de contingenti, et talibus principiis vel perfecti sunt vel perfici possunt quando sunt imperfecti.

## CAPUT III.

*De formatione particularium syllogismorum de contingentibus.*

Si autem in hac uniformi generatione syllogismorum de contingentibus, hæc quidem propositionum præmissarum sit universalis, illa vero altera sit particularis, et ad majorem quidem extremitatem posita universali propositione sive affirmativa sive negativa, et particulari affirmativa posita ad minorem, syllogismus erit perfectus per dici de omni et dici de nullo in contingentibus. Nam si  $\alpha$  omni  $\beta$  contingit, ita quod omne quod contingit esse  $\beta$  contingit esse  $\alpha$ ,  $\beta$  autem contingit alicui  $c$ , ita quod contingit aliquod  $c$  esse  $\beta$ , sequitur ex ista conjugatione quod aliquod  $c$  contingit esse  $\alpha$ , et est syllogismus in tertio primæ. Et hunc syllogismum esse perfectum manifestum est ex diffinitione ejus quod est dici de omni in contingentibus.

Rursum si ad majorem ponatur universalis negativa, et dicatur, quod  $\alpha$  nulli  $\beta$  contingit, ita quod nullum  $\beta$  contingit esse  $\alpha$ , et ad minorem ponatur particularis affirmativa, ita quod dicatur quod aliquod  $c$  contingit esse  $\beta$ , sequitur conclusio quod syllogistica necessitate necessario sequitur, quod aliquod  $c$  contingit non esse  $\alpha$ . Demonstratio autem (quod perfectus sit syllogismus) eadem est : quia per dici de nullo est in contingentibus.

Inutiles autem et imperfectæ fiunt conjugationes, si privativa propositio de contingentibus sumatur particularis, et affirmativa ponatur de contingentibus universalis, et propositiones similiter se habeant sicut prius, sicut si dicamus quod  $\alpha$  quidem contingit omni  $\beta$ ,  $\beta$  autem contingit alicui  $c$  non inesse : tunc per sumptas qui-

dem propositiones non fit manifestus et perfectus syllogismus, quia minor in prima figura non potest esse negativa : conversa autem particulari ad oppositam qualitatem sub eadem quantitate, ita quod ponatur in particulari, quod  $\beta$  insit alicui  $c$ , hoc est, quod aliquod  $c$  sit  $\beta$ , eadem erit conclusio quæ prius in tertio primæ, quemadmodum in principio de utili conjugatione tertii dictum est : qui qualiter formandus sit ex conversa minori in oppositam qualitatem, unicuique patet per seipsum.

Si autem illa propositio quæ ad majorem extremitatem sumatur particularis in prima figura, ita quod major sit particularis, illa vero quæ est ad minorem sumatur universalis, sive utræque propositiones ponantur affirmativæ sive utræque sumantur negativæ, sive etiam sint non similis figuræ vel formæ sive qualitatibus, sed una sit affirmativa, et altera negativa, sive etiam ponantur utræque indefinitæ, sive utræque particulares, nullo modo erit syllogismus ad aliquam conclusionem : quia tales omnes conjugationes jam ostensæ sunt in prima figura simpliciter inutiles esse. In talibus enim omnibus conjugationibus nihil prohibet quandoque  $\beta$  medium transcendere A majorem extremitatem, ita quod medium non contineatur sub majori extremitate, ita quod medium et major extremitas de æquis sive paribus sive eisdem non prædicentur, sicut convenit fieri in prima figura, in qua quidquid prædicatur de majori extremitate, prædicatur etiam de medio per illud principium, quod in *Prædicamentis* ponitur, quando alterum de altero dicitur ut de subjecto, quæcumque de prædicato, etiam de subjecto dicuntur : et tunc quando medium transcendet majorem extremitatem sumatur sub medio (et sit illud  $c$ ) minor extremitas :

*Quare maiori existente particulari in prima figura nihil sequitur.*

de hac enim prædicabitur medium, et negabitur major extremitas : et tunc major extremitas non potest concludi de minori extremitate : quia huic neque omni neque nulli, neque alicui, neque alicui non,

sive non alicui contingit inesse à majorem extremitatem : et sic nullà penitus sequitur conclusio.

Et hujus causa est : quia, sicut dictum est, propositiones quæ sunt secundum contingere sive de modo contingentis, convertuntur secundum oppositas qualitates : in talibus autem conjugationibus à medium contingit pluribus inesse quam à, quod est major extremitas. Hoc autem patet in terminis, si sumatur medium aliquis terminus accidentalis, extremitates accipiuntur duo inter se disparata, contenta tamen sub medio accidentaliter, sicut animal, album, tunica.

Amplius autem hoc non tantum ex ratione inducta, sed etiam ex terminis est manifestum in omnibus inductis conjugationibus. Sic enim, ut dictum est, se habentibus propositionibus contingit primum postremo sive majorem extremitatem contingit minori inesse, et ex necessitate omni, et ex necessitate nulli. Terminii autem communes ad omnes inductas conjugationes, in quibus sequitur omni ex necessitate inesse, sunt animal, album, homo : et patet formatio syllogismi unicuique per seipsum, sic, quoddam album contingit esse animal : quemdam hominem contingit esse album : et tamen ex terminis sequitur, quod omnem hominem necesse est esse animal. Terminii vero communes, in quibus sequitur nulli ex necessitate inesse, sunt animal, album, vestis: et patet formatio, quoddam album contingit esse animal : quemdam vestem contingit esse albam : sequitur ex terminis, quod necesse est nullam vestem esse animal.

Sic igitur manifestum est, quod hoc modo se habentibus terminis, nullus ad aliquam conclusionem fit syllogismus : omnis enim syllogismus aut est conclusionis de inesse, aut est conclusionis de necessario, vel est conclusionis de contingenti. Manifestum est autem quod talis syllogismus non potest esse conclusionis de inesse, vel conclusionis de necessario : quia si sit affirmativus de inesse

vel de necessario, ille interimitur privativo, hoc est, per hoc quod negativa opposita conclusio stat cum præmissis : et syllogismus privativus concludens negativam interimitur et annihilatur affirmativo sive ex hoc quod affirmativa de inesse vel de necessario stat cum præmissis : et sic nec affirmativa nec negativa de inesse vel de necessario sequitur conclusio. Si ergo aliqua sequitur conclusio, relinquatur quod sequatur conclusio de contingenti : sed hoc est impossibile : ostensum est enim jam in terminis, quod sic se habentibus terminis primum necesse est et omni postremo ex necessitate inesse, et ex necessitate nulli inesse : et ex hoc sequitur, quod non erit syllogismus concludens conclusionem de contingenti. Quia tale contingens de quo hic loquimur, est contingens non necessarium, quod opponitur et necessario et impossibili, sicut a principio istius tractatus contingens diffinatum est : et quia stat cum præmissis affirmativa de necessario, non potest sequi negativa de contingenti : et quia cum eisdem præmissis stat negativa de necessario, non potest sequi affirmativa de contingenti : et sic nulla penitus sequi potest conclusio taliter se habentibus terminis.

Epilogando ergo dicimus, quod jam manifestum est, quoniam cum universali sumpti sunt ambo termini in propositionibus de contingenti, semper fit syllogismus in prima figura, sive sint sumpti prædicative ambo, sive privative : verum ex ambabus prædicativis perfectus fit syllogismus, ex ambabus autem privativis fit imperfectus. Oportet autem in ista generatione syllogismorum sumere contingens non necessarium, sed secundum dictam in principio istius tractatus diffinitionem, pro eo scilicet quod nec necessarium est nec impossibile. Et quia multoties latet in qua acceptione sumatur contingens, hoc aliquando facit difficultatem in his quæ dicta sunt.

Corolla.  
rium.

## CAPUT IV.

*De solutione dubiorum quæ sunt circa istam generationem uniformem in contingenti.*

**Habilitation.**

Est autem dubium in hac uniformi generatione syllogismorum de contingenti hic determinato; qualiter sumendi sunt termini in majori propositione, et qualiter in minori? et hoc est querere pro quo supponat b quod est medium, et pro quo supponat a quod est major extremitas, et pro quo supponat c quod est minor extremitas? omnis enim terminus aut est substantialis, aut accidentalis. Dico autem terminum substantialis, qui substantialiam significat: accidentalem autem, qui significat accidens concreтивe sive denominative. Cum enim major propositione constet ex duobus terminis, subjecto scilicet quod est medium, et prædicato quod est major extremitas in prima figura: aut isti termini ex quibus constat major propositione, sunt ambo substantiales, aut ambo accidentales; aut unus substantialis et alter accidentalis. Si sunt ambo substantiales, videtur esse non posse: quia propositione talis non est de contingenti, sed vel de necessario vel de impossibili. De necessario si medium accipiat sub majori sic, omnem hominem contingit esse animal: non enim contingit, sed necessarium est hominem esse animal. De impossibili si disparati sumantur termini, sicut contingit hominem esse asinum: haec enim de impossibili est, et non de contingenti. Si autem debeat sumi in duobus accidentalibus: tunc sic accipitur, omne grammaticum contingit esse album, et videtur esse falsum: quia tunc sic syllogizabitur, omne grammaticum contingit esse album: sed omne nigrum contingit esse grammaticum: ergo omne nigrum contingit esse album:

quod falsum esse videtur. Si autem est ex uno substantiali et altero accidentali: aut ergo subjectum est substantialis et prædicatum accidentale, aut e converso subjectum est accidentale et prædicatum substantialis. Si subjectum debeat esse substantialis et prædicatum accidentale, tunc talis erit, omnem hominem contingit esse album, et hoc non videtur: quia si assumatur sic, omne nigrum contingit esse hominem, sequitur quod omne nigrum contingit esse album: quod falsum esse videtur. Si autem secundo modo debeat accipi termini: tunc sic accipientur, contingit omne album esse animal: et tunc assumatur minor sic, omnem hominem contingit esse album: sequitur quod contingit omnem hominem esse animal: vel sic, omne album contingit esse hominem: omnem asinum contingit esse album: ergo omnem asinum contingit esse hominem: quod falsum est, cum una istarum sit de necessario et altera de impossibili: contingens autem de quo hic loquimur, est quod nec necessarium est, nec impossibile.

Ad solutionem ergo hujus quæstionis generaliter sciendum est, quod in uniformi generatione syllogismorum de contingenti debet sumi subjectum, non quod est, sed quod contingit, sicut etiam in præhabitis dictum est: cum dicitur, omne b contingit esse a, debet sumi non quod est b, sed quod contingit esse b contingit esse a. Ex quo sequitur, quod quandocumque in uniformi generatione de contingenti subjectum majoris propositionis est terminus accidentalis, et prædicatum est terminus substantialis, tunc propositione est falsa<sup>1</sup>: quia tunc est sensus, omne quod contingit esse b contingit esse a, hoc enim falsum est, si in terminis ponatur sic, omne album contingit esse animal, hoc est, omne quod contingit esse album, contingit esse animal: haec enim falsa est: quia etsi ponatur quod

Pro solutione notandum.

<sup>1</sup> Notanda est haec regula quam limitat Auctor in fine hujus capituli ad propositionem uni-

versalem, nam de particulari non est vera regula. Jammy.

omne quod est album sit animal, tamen multa contingit esse alba, sicut *agnum*, et *lapidem*, et *vestem*, quorum nullum contingit esse animal. In ista ergo generatione non debet medium esse terminus accidentalis, cum major extremitas sit terminus substantialis.

*Ad formam dubitationis.*

Sciendum ergo quod major propositio in hac generatione duplice accipi potest, scilicet aut ex utroque termino accidentalium, aut ex subjecto substantiali et prædicato accidentalium<sup>1</sup>. Ad id autem quod objicitur contra hoc, quando uterque est terminus accidentalis, dicendum quod cum dicit, omne grammaticum contingit esse album, hæc est vera: quia sensus est, omne quod contingit esse grammaticum, contingit esse album. Cum autem assumitur minor dicens, omne nigrum contingit esse grammaticum, hæc est distinguenda ex eo quod iste terminus, nigrum, potest stare primo pro qualitate, et secundo pro substantia, aut e converso. Si primo modo accipiatur, falsa est. Si autem secundo modo, tunc est vera. Et in eodem sensu in quo minor est vera, est etiam conclusio vera, hæc scilicet, omne nigrum contingit esse album: et in eo sensu in quo minor est falsa, est etiam conclusio falsa: quia conclusio distinguenda est sicut minor propositio. Ad id autem quod objicitur contra hoc, quod subjectum sit terminus substantialis, et prædicatum terminus accidentalis, eadem est responsio: quia cum dicitur, contingit omnem hominem esse album: et contingit omne nigrum esse hominem: ergo contingit omne nigrum esse album: distinguenda est conclusio, sicut prius.

Sed adhuc determinandum, utrum sub eadem acceptione contingentis accipienda sit etiam minor universalis affirmativa,

vel non. Hoc enim videtur, quia aliter in syllogismo æquivocaretur contingens: et sic argumentatio deficeret, ita quod non valeret processus. Sed ad hoc dicendum, quod minor (propter hoc quod non continet aliam sub se accipiemad in syllogismo ad quam referatur, sicut major continet sub se minorem in prima figura) accipitur indifferenter in utraque acceptione, sive sic, omne quod est c contingit esse A, sive quod contingit esse c contingit esse A, et in quocumque istorum sensuum est vera: et non æquivocabitur propter hoc, sicut non æquivocatur terminus in propositione positus, quæ duas causas habet veritatis. Sic igitur dicendum est de acceptione contingentis in uniformi generatione syllogismorum de contingentibus.

Sciendum etiam quod cum contingens tripliciter dicatur, scilicet necessarium, et non necessarium, et contingens altum quod pro possibili ponitur, satis determinatum est de contingentibus secundum omnes illas intentiones: quia contingens necessarium determinatum est, ubi de necessario est determinatum de contingentibus quod ponitur pro non necessario secundum generationem uniformem syllogismorum et mixtam per tres figuras determinatur hic in isto tractatu. Contingens autem pro possibili (sicut in ante habitis dictum est) genus est ad utrumque istorum, et non est nisi in speciebus suis: et ideo etiam de generatione syllogismorum de illo contingentibus extra species suas non est determinandum.

Adhuc autem hic notandum est, circa id quod diximus, quod quidam modi in hac syllogizatione de contingentibus dicuntur imperfecti quamvis sint primæ figuræ, quæ perfectissima est, et per aliam perfici

<sup>1</sup> Contra: ista est falsa, contingit omnem albedinem esse colorem, quia de necessitate albedo est color: et tamen uterque est terminus accidentalis. Respondetur quod termini non sunt accidentales, quia per terminos accidentales intelligimus terminos concretos, ut dicit Auctor in principio capituli.

Sed contra: ista non est vera, contingit omne album esse coloratum, quia imo est necesse esse omne album, etc. Respondetur, quod ultra hoc quod sint termini concreti accidentales, requiritur quod etiam ibi non sit essentialis inhaerentia prædicati ad subjectum qualiter non est in proposito. *Jammy.*

non potest: non enim sunt imperfecti quantum ad figuram, sed sunt imperfecti quantum ad modum primæ figuræ: quia minor est negativa: quod in modis primæ figuræ esse non potest: et ideo conversione indigent in oppositam qualitatem, ut habeant et modum et evidentiam necessitatis.

**Objectio.** Adhuc autem sciendum quod in terminis instantiarum quos induximus in conjugationibus particularium syllogismorum, album posuimus pro medio, quod est majoris propositionis subjectum: cum tamen dixerimus quod terminus accidentalis in majori propositione non possit esse subjectum, ita quod terminus substantialis sit prædicatum, nisi propositione major sit falsa. Hoc enim verum est in propositione universalí affirmativa, et non est verum in particulari affirmativa: et ideo in particulari terminus accidentalis potest esse subjectum<sup>1</sup>.

**Molutio.** Si autem quæritur quare potest minor de contingentí in prima figura esse negativa, cum in his quæ sunt de inesse vel de necessario in prima figura negativa esse non possit? Sed ad hoc leve est solvere: hoc enim ideo est, quia convertitur affirmativa in negativam, et e converso, et utraque quantum ad aliquid potentiae est in altera: et ideo per utramque in hac figura syllogizari potest. De numero autem et sufficientia conjugationum utilium et inutilium in ante habitis in simili satis dictum est.

## CAPUT V.

### *De mixtione contingentis et inesse in primæ figuræ modis universalibus.*

In mixtione autem contingentis et inesse primo ponendæ sunt regulæ secundum quas fit ipsa mixtio. Dicamus igitur si secundum mixtionem contingentis et inesse una quidem præmissarum sumatur

de inesse, altera vero sumatur secundum contingere, hoc est, de modo contingentis: tunc in tali propositionum dispositione, quando illa propositio quæ est ad majorem extremitatem (et est major) significaverit per modum contingentis apposatum, hoc est, significaverit in expressione vocis et orationis compositionem et inhærentiam secundum contingere, et quæ ad minorem est extremitatem, significat inesse non ut nunc sed simpliciter, perfecti erunt omnes syllogismi per dici de omni et dici de nullo ex ipsis sumptis propositionibus concludentes conclusionem de contingentí, quod est contingens infinitum, secundum dictam in præhabitis determinationem contingentis.

Quando autem illa propositio quæ est minor (ideo quia est ad minorem extremitatem) est de contingentí superius diffinito, et major de inesse, erunt quidem syllogismi, sed omnes erunt imperfecti, et erunt negativi concludentes negativas de contingentí conclusiones: sed hoc contingens non erit infinitum sicut prius, et sicut determinatum est contingens in ante habitis: sed hoc erit contingens in secundo ordine modalium, super quod cadit necessarium: erit enim conclusio- nis concludentis id quod est nulli vel non omni ex necessitate inesse. Cujus probatio est: quia si dixerimus, quod aliquod prædicatum ut A nulli aut non omni inest subjecto sicut B, et hoc ex necessitate, ita ut dicamus, ex necessitate nullum vel non omne B est A, tunc quia contingens est necessarium, oportet etiam concede re, quod contingat nullum vel non omne B esse A, quia tale contingens sequitur ad necessarium: hoc autem contingens est commune quod est contingens pro possibili, et non nisi super non esse. Quamvis autem dixerimus quod illud contingens sequitur in negativis modis, tamen sciendum est quod idem in affir-

<sup>1</sup> Limitationem habet hæc regula quando subjectum est terminus accidentalis et prædi-

catum terminus substantialis, tunc enim propositio est falsa.

mativis in quibus minor est de contingentibus. Hoc autem patebit in consequentiis. Istae igitur sunt duæ regulæ, quibus fit mixtio contingentis et inesse ad inferendam conclusionem de contingentibus.

**Dubitatio.** Est autem quæstio circa regulas inducendas : quia in mixtione necessarii et inesse non fuit utilis conjugatio ad inferendam conclusionem de necessario, nisi majori existente de necessario. Quæritur ergo, quare in ista mixtione utilis est ad inferendam conclusionem de contingentibus, et majori existente de contingentibus, et minori de inesse : et e converso minori existente de contingentibus, et majori de inesse.

**Solutio.** Sed hoc ideo est, quia necessarium dicitur uno modo, et contingens dicitur multipliciter. Et ideo ad conclusionem de necessario (quod semper uno modo est) conjugatio utilis est quando major est de necessario : et hoc non potest inferri quando minor (quæ minoris virtutis est in inferendo) fuerit de necessario, et major de inesse. Et similiter esset de contingentibus si uno modo diceretur, et esset semper uno modo : propter quod minori existente de contingentibus infertur aliquod contingens, quamvis non uno modo sit acceptum in conclusione et in præmissa.

**Dubitatio.** Sed tunc iterum quæritur, quare majori existente de contingentibus et minori de inesse sequitur conclusio de contingentibus ad utrumlibet : minori autem existente de contingentibus non sequitur conclusio de contingentibus ad utrumlibet, sed de contingentibus pro possibili ? Et dicendum ad hoc,

quod quando major est de contingentibus in mixtione contingentis et inesse, tunc major est de contingentibus secundum illam acceptiōnem contingentis quæ dicta est, scilicet omne quod est b contingit esse a, et non de illa quæ est, omne quod contingit esse b contingit esse a, sicut in ante habitis dictum est. Et ideo major appropriat sibi minorem sub se acceptam, et tota virtus inferendi consistit in majori propositione secundum dici de omni, in contingentibus : propter quod necesse est conclusionem esse similem majori in ac-

ceptione contingentis. Quando autem minor est de contingentibus et major de inesse, tunc minor non potest sibi appropriare majorem, eo quod sic non fit debita dispositio secundum dici de omni vel dici de nullo : propter quod nec secundum virtutem majoris nec secundum virtutem minoris potest inferri conclusio. Quia enim non habet ordinem secundum dici de omni vel de nullo, ideo non potest inferri conclusio de inesse ad similitudinem majoris : et quia in prima figura majoris est tota virtus consequentiæ, ideo non potest fieri conclusio de contingentibus ad utrumlibet ad similitudinem minoris. Sequitur ergo in tali dispositione terminorum medium, quod nec de inesse est, nec de contingentibus ad utrumlibet : et hoc medium est contingens commune, quod contingens pro possibili positum.

Sic autem prælibatis duabus mixtiorum regulis ipsas conjugationes universali syllogismorum ponamus, et primo in syllogismis perfectis. Dicamus igitur quod in conjugationibus talibus prima est secundum modum affirmativum. Secunda secundum modum negativum per dici de nullo perfectum. Ponamus enim conjugationem secundum primum modum primæ figuræ sic, quod contingat a omni b una de contingentibus et altera de inesse, ita quod contingat omne b esse a, b autem in minori propositione ponatur inesse c simpliciter : sequitur quod omne c contingat esse a : et ideo est, quia secundum proprietatem primæ figuræ b est sub a et c sub b : et ideo quod contingit omni b nullo excepto, necesse est quod contingat omni c, quia c accipitur sub b. Propterea etiam propositio minor erit de inesse simpliciter, et non ut nunc, et est perfectus syllogismus secundum dici de omni in contingentibus. Similiter autem est in secundo modo primæ figuræ cum privativa est a b, major propositio b, c autem minor propositio est affirmativa, et major quidem est de contingentibus, minor autem de inesse simpliciter : tunc enim perfectus per dici de nullo erit syllogismus, concludens quoniam a contingit

Modi universales utilles in prima figura ex

tingenti et altera de inesse.

nulli c inesse, sic, nullum b contingit esse A, omne c b, ergo nullum c contingit esse A. Manifestum est ergo ex dictis, quod in universalibus syllogismis quando ea quæ est de contingentibus ponitur ad maiorem, et ea quæ est de inesse ponitur ad minorem, secundum hanc mixtionem perfecti sunt syllogismi per dici de omni vel dici de nullo in contingentibus.

**Prima obiectio.**

Si autem quis objiciat dicens quod instantia videtur inveniri in terminis contra conjugationes illas, sic, contingit omnem hominem esse album : omne nigrum est homo : non sequitur conclusio de contingentibus ad utrumlibet : sequitur enim quod contingit omne nigrum esse album : quod non est contingens, sed impossibile, ut videtur.

**Secunda.**

Adhuc instatur sic, contingit omne movens esse animal : omnis homo est movens (et hoc ponatur), non sequitur : ergo contingit omnem hominem esse animal : quia hoc est necessarium : videtur ergo quod non semper sit verum, quod majori existente de contingentibus ad utrumlibet et minori de inesse, sequatur conclusio de contingentibus ad utrumlibet.

**Ad primam.**

Hoc autem multipliciter potest solvi : potest enim dici quod minor debet esse de inesse simpliciter, et non de inesse ut nunc : eo quod minor extremitas debet substantialiter contineri sub medio. In dictis autem instantiis minor est de inesse ut nunc. Potest etiam minor distingui ex hoc, quod nigrum potest principaliter dicere quale, et secundario substantiam qualis, vel e converso : vel sic, omne quod est nigrum, vel omne quod contingit esse nigrum. Et primo quidem modo potest esse vera minor, scilicet pro eo quod est nigrum : secundo autem modo falsa. Et sic etiam conclusio distinguitur, et in sensu in quo est vera minor, est et conclusio vera : et in sensu in quo est falsa, est etiam conclusio falsa. Sed prima solutio est melior et magis concordans dictis Aristotelis.

**Alior.**

Ad secundam instantiam dicendum, quod major et minor sunt incompossibili-

les : quia si minor sit vera, major non potest esse vera : iste enim est sensus majoris, omne quod est movens, contingit esse animal : quod non potest esse verum cum hoc quod dicitur, omnis homo movens : et sic deficit conjugatio propter terminorum inutilitatem, et propositionum incompossibilitatem. Patet igitur quod dictæ instantiæ non impedient perfectorum et universalium syllogismorum in hac mixtione conjugationem, quin utiles sint ad inferendam conclusionem de contingentibus ad utrumlibet, si major sit de contingentibus et minor de inesse.

## CAPUT VI.

*De his quæ antecedere debent conjugationes modorum imperfectorum.*

Quando autem propositiones præmissæ contrarium modo sunt se habentes, ita scilicet quod major sit de inesse et minor de contingentibus, tunc quidem erunt syllogismi, sed non oportet per dici de omni vel dici de nullo, sed per impossibile utilitatem talium conjugationum demonstrare. Ex quo statim est manifestum, quoniam tales syllogismi sunt imperfecti : quia ex his quæ sunt in sumptis propositionibus, non possunt demonstrari : sed oportet alia ad demonstrandum assumere, sicut oppositum conclusionis et hujusmodi.

Ad hoc autem quod demonstrari possint hujusmodi conjugationes, oportet nos præmittere et ostendere, quod si antecedens ad aliquid est necessarium, erit consequens ad illud necessarium : et cum antecedens est possibile, erit consequens ad illud possibile : sicut si dicam, quod A sit antecedens, et B consequens : tunc enim si necesse est esse A, erit necesse esse B, et cum possibile est esse A, erit possibile esse B per necessitatem consequentiae. Hoc autem probatur per ad impossibile deductionem. Sic enim se habentibus terminis, scilicet ut antecedens est consequens sit id in quo est A antece-

Quod si antecedens est possibile, etiam consequens est possibile.

**Ad secundam.**

Ad secundam instantiam dicendum,

dens possibile : dico ergo quod  $\beta$  consequens erit possibile : vel detur oppositum, quod scilicet  $\beta$  non sit possibile, quando  $\alpha$  est possibile. Si ergo  $\beta$  non est possibile, sequitur ab æquipollenti quod  $\beta$  erit impossibile, cum tamen sit consequens ad  $\alpha$ . Sed id quod est possibile, est hoc quod cum possibile sit fieri, aliquando fiet : impossibile vero, quod cum sit impossibile, non fiet unquam : sequitur quod cum  $\alpha$  sit possibile, et  $\beta$  impossibile, quod  $\alpha$  aliquando sit præter  $\beta$ , si enim fieri contingit : tunc etiam esse contingit  $\alpha$  præter  $\beta$ , quod enim fit quando jam factum est, tunc est in actu : oportet enim hic accipere possibile non ante actum tantum (secundum quod possibile dicimus, quod potest fieri quod possibile est in generatione sive in fieri dictum). Sed oportet etiam accipere in actu quando jam est, et quando jam verum est quod est, et quando jam habet esse in actu, et quocumque alio modo etiam in complexis sicut in propositionibus aliter dicitur possibile. In omnibus enim similiter se habebit : et similiter etiam est impossibile et ante fieri sive generationem, et in actu postquam est in actu. In omnibus enim sequitur id quod dictum est. Aut si consequens erit impossibile quando antecedens est possibile, sequitur quod antecedens sit sine consequente : et cum antecedens sit aliquid consequentis et sub ipso, sequitur quod aliquid semper erit et non erit, et erit idem possibile et impossibile, quod stare non potest. Stabit igitur quod dictum est, quod si antecedens est possibile, consequens est possibile.

Amplius autem inter ea quæ mixtione syllogismorum imperfectorum præmittenda sunt, secundum est hoc quod cum dicimus cum est  $\alpha$  antecedens, quod sit ante  $\beta$  consequens, non oportet opinari, quod ibi dicamus  $\alpha$  tanquam unum aliquid sit ex quo syllogistice sequatur  $\beta$  consequens : nihil enim sequitur syllogistice ex uno et unico aliquo existente, sed ex duabus ad minus propositionibus et

*Ex uno nihil  
sequitur  
syllogistice.*

tribus terminis : unde a ponitur non pro uno, sed pro duabus propositionibus antecedentibus, et  $\beta$  ponitur pro conclusione : et tunc antecedens sunt duæ propositiones inferentes conclusionem, quando sic se habent in mixtione contingentis et inesse sicut dictum est secundum syllogismum contingentem conclusionem concludentem. In tali enim consequentia sic ut consequens dicitur de  $\beta$  sicut de antecedente,  $\beta$  autem per eumdem modum ut consequens dicitur de  $\alpha$  ut antecedente, sequitur per necessitatem syllogisticae quod etiam  $\alpha$  dicatur de  $\beta$  in conclusione per id quod in *Prædicamentis* dictum est, quando alterum de altero ut de subjecto dicitur, omnia quæ de praedicato dicuntur, dici de subjecto necesse est. Et si utrumque in antecedente possibile est præmissorum, erit etiam possibilis conclusio. Quemadmodum accidit in necessariis, si quis ponat propositiones esse  $\alpha$ , et  $\beta$  ponat esse conclusionem. In talibus enim accidit sive sequitur, cum  $\alpha$  sit propositiones necessariæ, et  $\beta$  conclusionem esse necessariam : sic etiam sequitur quod possibile in propositionibus sequitur possibile in conclusione.

Ex his autem sic prælibatis quasi collarium sequitur tertium, scilicet quod manifestum est ex illis, hoc scilicet quoniam ex falso et non impossibili posito in præmissis, etiam id quod in conclusione accidit sive sequitur erit falsum et non impossibile, quando sequitur propter positionem præmissarum, ita quod sequatur ex præmissis, ut si  $\alpha$  propositiones sit falsum et non impossibile (et cum sit  $\alpha$ , sequitur esse  $\beta$ ) sequitur quod  $\beta$  conclusio erit falsum et non impossibile : quoniam enim jam ostensum est quod cum est  $\alpha$  est  $\beta$ , et cum possibile est  $\alpha$  possibile erit  $\beta$ : positum autem est quod sit possibile, sequitur quod et  $\beta$  erit possibile. Si enim detur oppositum quod scilicet  $\beta$  sit impossibile, cum  $\alpha$  positum sit esse possibile, sequitur quod simul idem erit possibile idem et impossibile, quod paulo ante improbatum est.

Quomodo  
ex falso pos-  
sibili non  
potest esse  
nisi falsum  
et non im-  
possibile.

**Objectio**

Hæc autem est sententia Aristotelis de verbo in verbum, et nihil potest contrariari, licet quidam objiciant de enthymematibus et habitudinibus localibus et de maximis, in quibus ex uno videtur aliquid sequi, et non ex duobus. Sed hoc facile solvit, ita quod dicatur quod ex uno secundum vocis expressionem bene sequitur conclusio; sed oportet quod duæ propositiones sint tam in mente proponentis quam in mente accipientis, quarum subiectetur altera in enthymemate et in localibus argumentis. Non enim probatur vel accipitur extrellum in esse extremo, nisi per medium. Medium autem per hoc quod refertur ad utrumque extrellum, duas facit dimensiones, quasi duo intervalla, quæ sunt duæ propositiones: et sic patet veritas ejus quod dictum est.

**Motio.**

non est A: per minorem autem positam inesse dicitur et ponitur omne c esse B, quod quidem falsum est sed non est impossible: quia contingens erat, sicut dictum est in primo syllogismo. Ex his autem duabus sic sumptis sequitur, quod A non contingit omni B inesse: quod non potest stare cum majori in qua dictum est, quod omni B inest A. Hic enim syllogismus deductionis scilicet ad impossibile fit per tertiam figuram: est enim quintus tertiae per mixtionem necessarii et inesse, habens majorem particularē de necessario, et minorem universalem de inesse: patet igitur quod sequitur primæ conjugationis conclusio, quod scilicet omni c contingat A inesse: quia dato opposito conclusionis sequetur oppositum majoris datæ: quod est falsum et impossibile, cum in minori quæ fuit de contingenti, non fuerit positum nisi falsum et possibile: et ex possibili non debet sequi impossibile, sicut nuper determinatum est.

## CAPUT VII.

*De conjugationibus universalium syllogismorum imperfectis, et de perfectione earum.*

His autem, sicut dictum est, præmissis, conjugationes imperfectas universalium syllogismorum ponamus, et ostendamus qualiter sunt utiles, et qualiter perfici habent: imperfectas autem dicimus, in quibus major est de inesse affirmativa vel negativa, et minor de contingenti. Dicamus igitur primo ubi major est de inesse affirmativa et minor de contingenti affirmativa, quia illa sumitur juxta primum modum primæ figuræ. Insit enim A major extremitas omni B medio, B autem medium contingat omni c minori extremitati, necesse est igitur A contingere omni c in conclusione, sic formato syllogismo, omne B A, omne c contingit esse B, ergo omne c contingit esse A. Aut detur oppositum conclusionis, sic, non contingit omne c esse A. Accipiatur ergo illa cum minori quæ fuit de contingenti, sed posita inesse sic, non contingit omne c esse A, hoc est, de necessitate aliquod c

Potest autem hoc idem ostendi per primam figuram, si minor quæ est de contingenti ponatur de inesse, et syllogizetur per propositiones de inesse sic: ponatur enim minor de inesse, ita quod B insit c, sic, omne c B, ergo omne c A, et ex his accipiatur conclusio de contingenti: quia si omne B est A, tunc A contingit omni B inesse: quia si non contingenteret inesse, tunc sequeretur quod non inesset A ipsi B: et fiat tunc talis syllogismus, omne B contingit esse A, omne c B, ergo omne c contingit esse A: sed positum erat in opposito conclusionis primi syllogismi, non contingit omni c inesse A, patet igitur quod utilis est talis conjugatio.

Sed in hac mixtione contingentis et inesse oportet scire, quod accipiendum est inesse simpliciter quod non determinetur secundum hoc tempus ut nunc, siue in hoc tempore: sed simpliciter insit et semper secundum terminorum cohærentiam et habitudinem: quia per hujusmodi propositiones quæ sic sunt de inesse simpliciter, facimus syllogismos in hac mixtione: quoniam si sumatur major

in hac mixtione de inesse ut nunc, non erit syllogismus, sed deficiet propter terminorum inutilitatem: hoc autem in terminis manifestum, qui sunt homo, movens, equus: nihil enim fortasse prohibet, si ita ponatur omni moventi hominem inesse: sicut si ponatur quod omne quod movetur sit homo, et nihil moveatur nisi homo. Movens autem contingit omni equo, ita quod omnem equum contingit moveri. Et tamen non sequitur quod omnem equum contingat esse hominem: quinimo de necessitate nullus equus est homo.

Amplius ex eadem dispositione propositionum sequitur, quod conclusio sit affirmativa universalis de necessario si tales accipiuntur termini, animal, movens, homo, ita quod primus sit animal sive major extremitas: medium autem sit movens: et minor extremitas sive postremum sit homo: sic enim propositiones similiter se habebunt in modo et figura ut prius: et non sequitur conclusio de contingentibus, sed de necessario: quia ex necessitate homo est animal, et non contingenter: et formatur sic syllogismus: omne movens animal: omnem hominem contingit esse moventem: ergo omnem hominem contingit esse animal: sic enim major est accepta de inesse ut nunc, et non simpliciter: quia igitur sic accepta majori de inesse ut nunc, sequitur universalis negativa de necessario, non potest sequi aliqua conclusio affirmativa de contingentibus: et quia sequitur affirmativa de necessario, non potest sequi aliqua de contingentibus negativa.

**Prima obiectio.** Circa hæc autem quæ dicta sunt, occurrit dubitatio de conjugationibus imperfectis: videntur enim omnes esse sophisticæ, et per consequens inutiles: quia cum major propositio sit de inesse simpliciter sive sit affirmativa sive negativa, prædicatum convenit his quæ actu stant sub subjecto quod est medium. In minori autem propositione illud idem medium est prædicatum, et per modum contingentis ampliatur ad standum pro pluribus

quam stet in ea quæ fuit de inesse simpliciter. Ergo medium pro pluribus stat in minori quam in majori. In omnibus igitur hujusmodi conjugationibus incidit fallacia figuræ dictionis, vel fallacia consequentis.

Adhuc autem ex præmissis habitum est, quod alteri præmissarum debet assimilari conclusio: sed hic non est hoc modo: quia minor est de contingentibus ad utrumlibet, conclusio autem est de contingentibus pro possibili, et sic conclusio nec assimilatur majori, nec minori: et sic videtur quod inutilis sit conjugatio.

Ad hæc autem non est difficile solvere **Ad primam** si præmissa ad memoriam revocentur: quando enim major est de inesse simpliciter, medium quod est subjectum majoris stat pro omnibus quæ actu vel habitudine sunt sub ipso, et de omnibus his possibiliter prædicatur prædicatum: de quibus enim possibiliter prædicatur homo, de omnibus ipsis possibiliter prædicatur animal, etiamsi actu non stent sub homine: quia prædicati oprædicati de subjecto est propter cohaerentiam terminorum, et ad ampliora medium in minori per modum contingentis ampliari non potest, quia æqualis est suppositio in utroque: propter quod fallacia non incidit, nec secundum figuram dictionis, neque secundum consequens.

Ad aliud dicendum quod conclusio est **Ad secundam** de contingentibus sicut altera præmissarum, vel est de inesse sicut reliqua: nec oportet propter conjugationem, conclusionem ulterius alteri præmissarum assimilari. Qualiter autem ex talibus consequatur conclusio de inesse et conclusio assimilatur illi quæ est de inesse, patebit infra.

Adhuc autem dubitatur de perfectione hujusmodi syllogismorum imperfectorum: in præhabitis enim primus modus istius mixtionis qui est ex utraque affirmativa perfectus est deducendo ad impossibile circa quintum tertie mixtum de necessario et inesse. In præhabitis autem ubi determinatum est de mixtione necessarii et

**Objectio alia.**

inessere, nulla conjugatio utilis inventa est de illa mixtione circa quintum tertiae. Igitur deductio ad impossibile facta est per inutilem conjugationem: non enim aliqua utilis conjugatio posita est in mixtione necessarii et inesse circa quartum secundae, vel circa quintum tertiae. Videtur igitur quod probatio non valeat. Et similiter probata est inutilitas conjugationis negativae per deductionem ad impossibile, et factus est syllogismus juxta tertium tertiae majori particulari existente de necessario, et minori universali de inesse: quae conjugatio reputata est inutilis in præhabitibus.

**Evasio.** Si forte aliquis dicat ad hæc, quod tales conjugationes in præhabitibus reputatae sunt inutiles, quia simpliciter inutiles: sunt enim inutiles quotiescumque illa de inesse est de inesse ut nunc: hic autem reputantur utiles, quia hic sumitur illa de inesse pro inesse simpliciter: et sic quoad hoc reputantur hic utiles, propter terminorum in hac materia electionem. Contra hoc autem esse videtur, quod in syllogismo mixto de necessario et inesse, minor quæ est de inesse accepta est a minori primi syllogismi, quæ est de contingenti ad utrumlibet posito in esse: quando autem tale contingens ponitur inesse, non potest illa propositio esse nisi de inesse ut nunc: et ideo quamvis forte in mixtione superius determinata quando illa de inesse fuerit de inesse simpliciter, sit utilis talis conjugatio: tamen in proposito non valet, quia hic illa de inesse erit de inesse ut nunc.

**Alia evasio.** Si forte aliquis dicat quod contingens ad utrumlibet duplex est, natum scilicet et infinitum, et dicit quod in talibus conjugationibus in quibus major est de inesse simpliciter et minor de contingenti, minor est de contingenti nato: ideo quia major de inesse simpliciter appropriat sibi minorem: et cum major sit de inesse simpliciter, non potest minor esse de contingenti infinito: relinquitur ergo quod sit de contingenti nato: contingens autem natum positum inesse dicit inesse

simpliciter, per hoc quod causam habet in subjecto: et sic adhuc stabit, quod in syllogismo ad impossibile illa quæ est de inesse, dicit inesse simpliciter, et non ut nunc. Sed contra hoc iterum videtur: <sup>Impugnatio ejus.</sup> quia secundum ea quæ in præcedentibus dicta sunt, nulla propositio potest sibi appropriare aliam nisi quæ vel major in syllogismo perfecto primæ figuræ secundum dici de omni vel dici de nullo, vel potest esse major in syllogismo perfecto per reductionem. Major autem de inesse in istis conjugationibus, nec major est in syllogismo perfecto, nec potest fieri major per reductionem. Ergo non potest appropriare sibi minorem de contingenti, ut secundum ejus exigentiam stet pro contingenti nato. Stabit ergo indifferenter sive pro contingenti nato, sive pro infinito: et sic nulla est dicta solutio. Adhuc autem etiam in terminis manifestum est, quod in tali conjugatione aliquando sequitur conclusio de contingenti nato et pro possibili, et aliquando sequitur conclusio de contingenti infinito: ponantur enim termini, coloratum, album, homo: et formetur syllogismus sic, omne album coloratum: omnem hominem contingit esse album: ergo omnem hominem contingit esse coloratum, quod est contingens non necessarium, et contingens natum. Si autem sic ponantur termini, motum, ambulans, homo: et formetur syllogismus sic, omne ambulans movere: omnem hominem contingit ambulare: ergo omnem hominem contingit moveri: patet quod conclusio est de contingenti infinito, et sic patet quod minor a majori non appropriatur, ut stet secundum exigentiam majoris: et hoc videtur esse concedendum.

In syllogismo autem deducente ad impossibile, ex opposito conclusionis et minori posita inesse concluditur conclusio de inesse, quæ non potest stare cum majori primi syllogismi. Quamvis ergo tales conjugationes inutiles sint ad conclusionem de necessario sicut præhabitum est: sunt tamen utiles ad conclusionem de

inesse : et sic concluditur conclusio de inesse, quæ non stat cum majori propositione de inesse. Et per hoc patet solutio ad omnia quæ inducta sunt.

*Notandum  
quorundam  
et eorum  
impugnatio.*

Adhuc autem notandum est quod in secunda perfectione istarum conjugationum, quæ fit per primam figuram, ut superius dictum est, quidam dicunt quod major quæ est de inesse ponenda in modum contingentis, ut sic ex duabus affirmativis de contingenti sit modus perfectus istius mixtionis. Et hoc non potest esse verum : quia in modo perfecto istius mixtionis quando ambæ præmissæ sunt de contingenti, oportet majorem esse de contingenti ad utrumlibet : et illa quæ est de inesse simpliciter, non potest modificari per contingens ad utrumlibet : non ergo hæc conjugatio sic potest perfici ut dicunt. Adhuc autem in conjugatione in qua utraque est de contingenti, concluditur contingens ad utrumlibet, ut in ante habitis dictum est. In modorum autem istorum imperfectorum perfectione oportet concludere contingens pro possibili, ut jam ante dictum est. Et ideo modi isti perfici non possunt illo modo, quod major quæ est de inesse, modificetur per modum contingentis. Hoc autem verum esse videtur.

Et ideo dicendum quod isti modi non dicuntur perfici nisi per positionem minoris (quæ de contingenti est) inesse, ut sic ex duabus de inesse conclusio de inesse sequatur, ex qua ulterius concludenda est illa de contingenti, sicut supra isti modi perfecti sunt.

### CAPUT VIII.

#### *De conjugationibus imperfectis universalium negativorum syllogismorum.*

Sunt adhuc conjugationes imperfectæ universalium et negativorum syllogismorum. Sit enim propositio major universalis negativa de inesse A B, ita quod sumatur in majori A nulli B inesse. Minor autem sumatur de contingenti universalis

affirmativa, ita quod B contingat omni c inesse. His igitur terminis et propositiobus sic dispositis, sequetur necessitate consequentiae syllogisticæ, quod A contingat nulli c inesse. Si enim non sequitur, detur oppositum, hoc scilicet, non contingit A nulli c inesse : tunc necesse est aliquid A esse c, et ponatur minor quæ est de contingenti inesse, sic, omne c B, et syllogizetur in tertio tertiae, ubi major est particularis affirmativa de necessario, et minor universalis affirmativa de inesse, sic, quoddam c necesse est esse A, omne c B, ergo quoddam B necesse est esse A, quæ non stat cum majori prius et concessa, quæ est, nullum B est A. Cum ergo hoc sit impossibile, quia secundum hoc contradictoriae essent simul verae, patet quod sequitur prior conclusio quæ est, nullum c contingit esse A ; quia posito falso possibili, quando minor ponebatur de inesse sequitur falsum et impossibile, quod scilicet contradictoriae sint verae : hoc autem non contingit, sicut in ante habitis ostensum, ubi probatum est quod si antecedens est possibile, et consequens est possibile.

Hic autem syllogismus non est concludens conclusionem de contingenti secundum superius dictam contingentis diffinitionem, sed est contingentis pro possibili, cui solum opponitur impossibile et non necessarium : et hoc contingens communis est ad necessarium et non necessarium. Hoc autem sic probatur : concludit enim syllogismus ita contingere A nulli c inesse sub hoc sensu, quod nulli c insit A ex necessitate : sub hoc enim sensu accipitur contradictio conclusionis, hæc scilicet, non contingit nullum c esse A, quæ convertitur cum hac, necesse est aliquid c esse A, ergo pro hypothesi sive propositione data et concessa in syllogismo ad impossibile, accipitur contingens non ad utrumlibet, sed pro possibili : ergo etiam in conclusione priori cujus oppositum sumitur, contingens stat pro possibili : quia aliter non esset contradictio : syllogismus autem deducens ad impossi-

bile est oppositæ contradictionis, et ex opposito conclusionis, et minori posita inesse syllogizat oppositum majoris in tertio modo tertiae figuræ, sicut dictum est.

Amplius autem hoc idem probatur si ista conjugatio ponatur in terminis diversis ex quibus aliquando sequitur necessarium et aliquando contingens ad utrumlibet: ponantur termini sic, quod a quidem major extremitas sit corvus, b autem medium sit intelligens, et c minor extremitas sit homo. Sic ergo positis terminis constat, quod nulli b inest a, quia nullum intelligens est corvus; b autem contingit omni c, quia omni homini inest intelligere secundum actum contingentis: et sequitur quod a ex necessitate nulli inest c: prior ergo conclusio non fuit de contingenti ad utrumlibet, sed de contingenti pro possibili, cui non opponitur necessarium, sed potius negativa de contingenti ponit affirmativam de necessario<sup>1</sup>.

Adhuc autem non semper sequitur conclusio de necessario: ponantur enim termini sic, quod a major extremitas sit movens, b autem medium sit scientia, c vero minor extremitas sit homo. Sic ergo sumptis terminis, a quidem nulli b inerit, quia nulla scientia est movens; b autem omni c contingit, quia omnem hominem contingit esse scientem; et sequitur conclusio non de necessario, sed de contingente ad utrumlibet, haec scilicet, quod contingit nullum hominem moveri. Mori enim nullum hominem non est necessarium.

Manifestum est ergo quod haec conclusio non est de eo quod est nulli ex necessitate inesse: quia non est necesse nullum hominem moveri. Patet igitur quod aliquando sequitur conclusio de contingenti pro necessario, aliquando autem de contingenti pro non necessario: istis autem nihil est commune, nisi contingens

pro possibili: semper ergo sequitur conclusio de contingenti pro possibili.

Si autem termini ultimi alicui non videntur satis convenientes, eo quod oportet majorem non esse de inesse ut nunc, et oportet medium variari per concretum et abstractum, sumantur melius termini in quibus major sit de inesse simpliciter, et in quibus medium non oportet variari, sic, nullum sedens est ambulans: contingit omnem hominem sedere: ergo contingit nullum hominem esse ambulans.

Sunt etiam conjugationes imperfectorum syllogismorum, in quibus minor est negativa, et sunt duæ, quarum prima est, quod privativum universale ponatur ad minorem extremitatem, et significet contingens, ita quod sit de modo contingenti, et major sit universalis de inesse simpliciter, quamvis in tali conjugatione ex ipsis sic sumptis propositionibus nullus erit syllogismus, eo quod minor in prima figura non potest esse negativa: tamen minori quæ est de contingenti in oppositam conversa qualitatem, erit syllogismus in primo primæ, sicut et in prioribus conjugationibus de quibus jam ante habitum est. Insit enim a omni b in majori propositione, b autem contingat nulli c in minori; sic ergo se habentibus terminis et propositionibus nihil sequitur syllogistica necessitate. Si autem ad oppositam qualitatem convertatur minor quæ est de contingenti b c propositio, scilicet ita quod sumatur b contingere omni c, fiet syllogismus in primo modo primæ figuræ, sicut in priori conjugatione: ita tamen, quod similiter se habeant termini, quod scilicet major sit de inesse affirmativa, et minor affirmativa de contingenti, et non transponantur, nec aliter convertantur, sed stent ut prius.

Secunda autem conjugatio quando ambo intervalla sive propositiones sunt pri-

<sup>1</sup> Nota modum probandi, quod sequitur conclusio de contingenti pro possibili quando ma-

jor est de inesse et minor de contingenti in prima figura. *Jammy.*

vativæ, sicut si A dicatur universaliter non inesse B, B autem dicatur universaliter contingere non inesse C; sic enim per ea quæ sumpta sunt in terminis et propositionibus nullo modo fit syllogismus propter causam superius assignatam: conversa autem minori propositione quæ est de contingentii ad oppositam qualitatem, erit syllogismus in secundo modo primæ figuræ<sup>1</sup>. Si enim sumatur in prima propositione A nulli B inesse, et in minori sumatur B contingere nulli C; per hæc quidem sic sumpta nihil sequitur necessitate syllogistica. Si autem convertatur minor ad oppositam qualitatem, ita quod sumatur B omni C contingere: quod quidem verum est, eo quod in terminis contingentibus minor sumenda est, et propositio major quæ est A B similiter se habeat in ordine et situ sicut prius: tunc sicut in priori conjugatione erit syllogismus in secundo modo primæ figuræ.

Sunt etiam inutiles conjugationes juxta conjugationes universales imperfectas, et sunt duæ: si enim minor propositio sit de inesse, et universalis negativa, ita quod B dicatur nulli C inesse, et non accipiatur de contingentii, ita quod non dicatur B nulli C contingere inesse, nullo modo fit syllogismus habens syllogisticam consequiam et necessitatem, sive major propositio quæ est A B sit universalis privativa, sive universalis affirmativa: termini autem communes ad instantiam, quod non inferatur semper conclusio de contingentii sive major sit affirmativa, sive negativa, sunt communes. Quod enim conclusio sequatur de necesse inesse, termini sunt album, animal, nix, sic, omne vel nullum animal album (et hoc ponatur): nulla nix animal: et tamen omnis nix alba de necessitate. Terminii autem ad non contingere inesse sive ex necessitate non inesse, sunt album, animal, pix, sic, omne vel nullum animal album: nulla pix

animal: ergo nulla pix alba, quod est necessarium et non contingit.

Manifestum est igitur ex his quæ dicta Conclusio. sunt, quod cum universales sunt ambo termini in præmissis, et una quidem propositionum sumitur de inesse, et altera de contingentii, quando quidem illa propositio quæ ponitur ad minorem extremitatem, et cum minor sumitur de contingentii, semper fit syllogismus. Sed aliquando quidem ex ipsis sumptis propositionibus fit syllogismus: aliquando autem conversa minori propositione, ut dictum est, ad oppositam qualitatem.

#### CAPUT IX.

*An conclusio de inesse sequi possit ex conjugationibus syllogismorum imperfectorum.*

Quærendum autem utrum conclusio de inesse sequi possit ex conjugationibus syllogismorum imperfectorum. Hoc enim videtur per eumdem modum probandi qui dictus est, sic, omne B est A, contingit omne C esse B, concludatur, ergo omne C est A. Si non sequitur, detur oppositum, aliquod C non est A, et accipiatur minor posita inesse sic, omne C est B, sequitur ex opposito conclusionis dato et minori posita inesse in quinto modo tertiae figuræ, quod aliquod B non est A, quæ est opposita majoris, istius scilicet, omne B est A.

Similiter autem videtur esse in modo negativo sic, nullum B est A, contingit omne C esse B, concludatur, ergo nullum C est A. Si non sequitur, detur oppositum, aliquod C est A, et ponatur minor inesse sic, aliquod C est A, omne C est B, sequitur in tertio tertiae, quod aliquod B est A, et datum fuit quod nullum B est A, et sic videtur quod istæ conjugationes possunt in conclusione de inesse<sup>2</sup>.

sunt applicari ad probandum quod ex majori de inesse et minori de contingentii sequatur conclusio de inesse, licet ibi adducantur ad alium propositum. J.

<sup>1</sup> Ex quo patet quod ex ambabus præmissis negativis quandoque sequitur conclusio. J.

<sup>2</sup> Nota quod infra, in cap. 45, in prima dubitatione, tanguntur duo argumenta quæ pos-

**b oppositum.** Quod si concedatur, videtur contrarium in terminis: ponatur enim quod nullus homo moveatur, et syllogizetur sic in modo affirmativo: omne ambulans est movens: contingit omnem hominem ambulare: sequitur per conclusionem de inesse, ergo omnis homo movetur. Patet quod ambæ præmissæ sunt veræ, et tamen conclusio est falsa.

**bulletio quædam et responsio ad rationem ente oppositam.** Similiter autem est de modo negativo, sic, nullum album est nigrum: contingit omnem hominem esse album: sequitur per conclusionem de inesse, quod nullus homo est niger: quod non est verum, si ponatur, omnis homo est niger: et sic iterum conclusio erit falsa, et ambæ præmissæ sunt veræ. Videtur igitur quod ex istis conjugationibus non potest sequi conclusio de inesse, et hoc est concedendum.

Dicendum autem ad instantias quæ inducuntur, quod cum datur oppositum conclusionis quæ est de inesse, erit illius conclusionis oppositum de inesse, et illud stat cum utraque præmissarum: quia cum b sit sub A, sicut medium est sub majori extremitate in prima figura, quamvis omne b sit A, possibile tamen est quod b medium contingenter insit omni c minori scilicet extremitati: et sic hæc erit vera, omne c contingit esse b, et sic oppositum conclusionis verificatur cum illa de contingenti quæ est minor: possibile est enim quod aliquod c non sit A, et tamen omne c contingat esse b. Sed non est possibile quod verificetur oppositum conclusionis cum minori posita inesse: accipiat enim oppositum conclusionis, quod est, aliquod c non est A, cum minori posita inesse, scilicet, omne c est b: sic non verificatur cum ipsa oppositum conclusionis, quia cum omne b sit A, et omne c b, sequitur quod omne c A, cuius opposita minori positæ inesse repugnat: quia per primam relinquitur cum c sit sub b quod aliquod c sit A, vel quod omne c sit A, cum quo non potest stare oppositum conclusionis: et tamen stat cum ipsa minori quæ est de contingenti:

quia istæ simul possunt esse veræ, aliquod c non est A, et omne c contingit esse b, quamvis b sit sub A et c sit sub b, et ideo minor non debet poni inesse: quia statim ut ponitur inesse, erit incompossibilis opposito conclusionis: et ex ista incompossibilitate sequitur prædictum inconveniens.

Eodem modo dicendum est in modo negativo: quia non debet admitti, quod minor de contingenti ponatur inesse: quia oppositum conclusionis compossibile est illi quæ est de contingente, et non est compossibile illi quæ est de inesse, quæ sumitur ab illa quæ est de contingente. Ex majori enim habetur quod nullum c sit A, propter hoc quod c est sub b, et in majori ponitur nullum b esse A, cum hoc autem non stat quod aliquod c sit A, quia ista sunt contradictoria: tamen simul stare possunt istæ, aliquod c est A, et quod omne c contingit esse b, et ita si minor ponatur inesse, erit incompossibilis opposito conclusionis, et ex illa incompossibilitate causatur inconveniens quod inductum est.

Si forte aliquis contra hoc objiciens dicat, quod falso et non impossibili posito quod accidit est falsum et non impossibile: cum autem minor quæ est de contingenti ponitur inesse, non erit impossibile: et ideo ex illo non potest sequi impossibile: sequitur autem falsum: patet igitur quod inducta solutio non videtur esse sufficiens.

Adhuc autem si inducta solutio est sufficiens, tunc videtur quod non valet probatio, qua probatur quod in his modis sequitur contingens pro possibili: oppositum enim conclusionis incompossibile est minori positæ inesse. Verbi gratia si in modo affirmativo ponatur omne b esse A, erunt incompossibilia hæc duo, aliquod c de necessitate non est A, et omne c est b, quia b est sub A et c sub b, quorum primum est oppositum conclusionis de contingenti, et secundum est minor posita inesse.

Similiter etiam est in modo negativo.

Objectio prima.

Secunda ob-  
jectio et ap-  
parens.

Si enim nullum  $b$  est  $a$ , sicut dicitur in majori negativa, ista duo sunt incompossibilia, necesse est aliquod  $c$  esse  $a$  et omne  $c$  est  $b$ , quia  $b$  est sub  $a$  et  $c$  sub  $b$ : primum autem est oppositum conclusioonis de contingentii, et secundum est minor posita inesse: propter quod si inducta solutio est bona, non videntur valere hujusmodi probationes, quae tamen sunt probationes Aristotelis in libro *Priorum* in loco ubi de talibus determinat conjugationibus.

*Ad primam bona solutionem.* Videtur autem ad hæc dicendum quod probatio bona est, quia probatur quod in his modis sequitur contingens pro possibili in conclusione. Ad id ergo quod objicitur, quod falso et non impossibili posito, quod accidit est falsum et non impossibile, Dicendum quod si aliquod absolute possibile ponatur, non sequitur ex hoc aliquod impossibile: sed multa sunt quæ absolute sumpta sunt possibilia, quæ tamen aliis juncta et comparata, sunt incompossibilia, ut me sedere est possibile, et possibile est me stare: hæc tamen simul juncta sunt incompossibilia: et sic est in proposito, sicut ostensum est.

*Ad secundam solutionem notandam.* Ad secundum autem dicendum, quod aliter est de opposito conclusionis de contingentii, et aliter de opposito conclusionis de inesse. Ostensum est enim, quia oppositum conclusionis de inesse, compossible quidem est minori quæ est de contingentii, sed est incompossible minori positæ inesse. Oppositum autem conclusionis de contingentii est incompossible utrique, et minori scilicet quæ est de contingentii, et minori positæ inesse. Si enim omne  $b$  est  $a$ , sicut proponitur in majori in modo affirmativo, sic, est  $b$  sub  $a$  sumptum, et  $c$  sub  $b$ ; et ideo tune hæc impossibilia sunt, de necessitate aliquod  $c$  non est  $a$ , et omne  $c$  contingit esse  $a$ , quia si aliquod  $c$  de necessitate non est  $a$ , tunc sequitur quod aliquod est  $c$  quod impossibile est esse  $b$ , et ita non contingit omne  $c$  esse  $b$ , et ita non contingit  $c$  esse  $b$ , si necesse est aliquod  $c$  non esse  $a$ .

Similiter autem est de modo negativo: quia si detur, quod nullum  $b$  est  $a$ , sicut propositum est in secundo modo primæ figuræ, tunc incompossibilia sunt hæc duo, de necessitate aliquod  $c$  est  $a$ , et contingit omne  $c$  esse  $b$ : quia si necesse est aliquod  $c$  esse  $a$ , cum suppositum sit nullum  $b$  esse  $a$ , aliquod est  $c$  quod non poterit esse  $b$ ; hoc autem ex hoc patet, quia major negativa est de inesse simpliciter et non ut nunc: et ideo hæc duo necessario opponuntur ad invicem, et ideo simul stare non possunt, quod omne  $c$  contingit esse  $b$ , et quod necesse sit aliquod  $c$  esse  $a$ : propter quod manifestum est quod oppositum conclusionis de contingentii est incompossible minori.

Et ideo quamvis minor ponatur inesse, et adhuc sint incompossibilia, non tamen causatur incompossibilitas illa per positionem minoris inesse: et ideo bene potest esse probatio ad conclusionem de contingentii pro possibili, quando accepto opposito conclusionis de contingentii, minor ponitur inesse: quia ex hoc non causatur aliquod inconveniens, quod prius non fuit. Accepto autem opposito conclusionis de inesse, non debet poni minor inesse, quia per positionem illam causatur inconveniens quod non erat prius. Nec tamen sequitur impossibile ex minori posita inesse simpliciter et absolute, sed potius ex relatione ejus sive comparatione ejus ad oppositum conclusionis, quod est eidem incompossible. Ex his autem manifestum est, quod in prædictis conjugationibus sequitur conclusio de contingentii secundum inductas probationes: et per easdem probationes non potest haberi, quod sequitur conclusio de inesse.

## CAPUT X.

*Quid sit inesse simpliciter.*

Est autem adhuc determinandum quid sit inesse simpliciter, propter hoc quod in præhabitis mixtionibus dictum est, quod oportet majorem esse de inesse sim-

**Dubitatio,** pliciter. Cum enim quædam per se insint, et quædam per accidens: illa autem quæ insunt per accidens, videntur inesse ut nunc, per se autem inhærentia videntur inesse simpliciter. Si autem sic sit, tunc aut solum illa dicuntur inesse simpliciter quæ insunt secundum primum modum dicendi per se, aut illa quæ dicuntur inhærentia in secundo modo dicendi per se, aut utroque modo. Si dicuntur inesse simpliciter, quæ sunt in primo modo dicendi per se, tunc hæc non est de inesse simpliciter, homo est grammaticus, quia prædicatum non cadit in diffinitione subjecti: hoc tamen falsum est, quia ista est de inesse simpliciter, homo est grammaticus. Si autem dicuntur inesse simpliciter, quæ sunt inhærentia in secundo modo dicendi per se, tunc hæc propositio non est de inesse simpliciter, homo est animal, quia subjectum non cadit in diffinitione prædicati: hoc autem iterum falsum est. Si autem de inesse simpliciter sunt in utroque modo dicendi per se, tunc hæc non erit de inesse simpliciter, grammaticum est animal, quia nec prædicatum cadit in diffinitione subjecti, nec e converso subjectum in diffinitione prædicati: et hoc iterum est falsum.

**Motu du-**  
**bil et decla-**  
**ratio quid**  
**ut proposi-**  
**tio de inesse**  
**simpliciter.**

Ad hæc autem et similia dicendum quod *illa insunt simpliciter*, quæ sunt in uno trium modorum, scilicet aut in primo modo dicendi per se, aut in secundo, aut ut proxima reducta ad alterum istorum modorum, sicut est contingens natum in quo prædicatum causam habet in subjecto<sup>1</sup>. Et ideo est juxta secundum modum dicendi per se: et ideo quando propositio de contingentи nato ponitur inesse, ipsa est de inesse simpliciter et non ut nunc. Ad hoc autem quod objicitur de hac, animal est grammaticum; vel grammaticum est animal, Dicendum quod illa est de inesse simpliciter: quia animal quamvis non secundum se cadat

<sup>1</sup> *Contingens natum* est prædicatum juxta secundum modum dicendi per se.

<sup>2</sup> Animal cadit in diffinitione grammatici per

in diffinitione grammatici, tamen cadit in suo proximo inferiori (in quo est actu et intellectu) in diffinitione grammatici, hoc est, in homine in quo actu et intellectu est animal<sup>2</sup>.

Sciendum tamen est, quod aliter sumenda est illa de inesse simpliciter in mixtione necessarii et inesse ad conclusionem de necessario, et aliter accipitur in mixtione contingentis et inesse respectu conclusionis de contingentи. In mixtione enim necessarii et inesse oportet illam de inesse esse de necessario secundum rem, quamvis sit de inesse, eo quod non est modificata: et ideo non potest illa de inesse accipi ab illa quæ est de contingentи nato, sed oportet sumi ab illa quæ est de necessario, sicut in exemplo, omne grammaticum de necessitate est sciens: omnis homo est grammaticus: ergo omnis homo de necessitate est sciens. Patet quod non valet: quia illa de inesse transumitur ab illa quæ est de contingentи nato.

Attendendum etiam est quod in his modis qui sunt conjugationum imperfectarum tam in modo affirmativo, qui sumuntur juxta primum modum primæ figuræ, quam in modo negativo, qui sumuntur juxta secundum modum primæ figuræ, debet major esse de inesse simpliciter et non ut nunc: hoc enim constat in affirmativo per ea quæ dicta sunt: et per eamdem rationem qua probatur de affirmativo, manifestum est quod similiter debet esse in modo negativo.

## CAPUT XI.

*Qualiter isti modi imperfecti inferunt conclusionem de contingentи pro possibili.*

Adhuc autem ad intellectum eorum quæ ante dicta sunt, oportet scire quod in his conjugationibus syllogismorum, si-

hominem, id est, quia homo cadit in ejus diffinitione, in quo homine actu et intellectu includitur animal.

ut in modo negativo est conclusio de contingentи pro possibili : ita per eumdem modum conclusio quae est de contingentи in modo affirmativo, est de contingentи pro possibili. Et hoc probatur ex dispositione terminorum sicut in modo negativo : ex aliqua enim dispositione terminorum sequitur conclusio de necessario, et ex aliqua sequitur conclusio de contingentи ad utrumlibet : et cum nihil sit commune illis duobus, oportet quod contingens quod semper sequitur in tali modo, sit contingentи pro possibili, quod solum commune est ad illa duo : hoc enim in modo affirmativo invenitur sicut in negativo. Accipiantur enim termini, in quibus postremum de necessitate insit omni medio, sic, omne album coloratum : contingit omnem hominem esse album : patet quod de necessitate est omnis homo coloratus : unde si inferatur, ergo contingit omnem hominem esse coloratum, erit contingens pro necessario, et quod sequitur ad necessarium. Si autem termini accipiantur, in quibus primum de necessitate inest omni medio, sic, omne ambulans movetur : contingit omnem hominem ambulare : ergo contingit omnem hominem moveri : patet quod conclusio est ad utrumlibet : et hoc est concedendum.

Tamen sciendum quod hoc plus apparet in modis affirmativis quam in modis negativis. In modis enim affirmativis medium et major extremitas ad invicem se habent ut inferius et superius. Patet autem per se : quia regulariter verum est quod inferius et superius uni alicui possunt inesse necessario, et alicui ambo contingenter : si enim album insit, necessario inest coloratum : aliquando autem ambo possunt inesse contingenter, sicut ambulans et movens insunt homini. Et sic per se patet quod in modis affirmativis aliquando sequitur contingens necessarium, et aliquando contingens non necessarium : et sic semper sequitur contingens pro possibili. In modis autem negativis medium et major extremitas se

habent ad invicem sicut opposita vel disparata : et in illis regulariter verum est quod si unum oppositorum contingenter inest, reliquum contingenter removetur ab eodem : et ideo ubi major est de tali contingentи, videtur semper sequi conclusio de contingentи ad utrumlibet. Et quia non est ita manifestum quod sequatur conclusio de contingentи pro possibili in modis negativis sicut in modis affirmativis, ideo de modo negativo oportuit hoc probari, et in modo affirmativo tanquam per se manifestum relinquere sine probatione : et ideo in præmissis non est hoc probatum de modo affirmativo.

Adhuc tamen dubium est de istis modis conjugationum imperfectorum syllogismorum : quia videtur quod conjugationes inutiles sunt ad inferendam conclusionem de contingentи pro possibili : omnis enim conjugatio inutilis est quae non ex dispositione syllogistica formali et ex consequentia syllogistica, sed ex materia talium vel talium terminorum concludit. Cujus probatio : quia terminorum dispositio in figura et modus in combinatione propositionum eodem modo se habent, quando sequitur conclusio de necessario, et quando sequitur conclusio de non necessario, et quando sequitur contingens pro possibili, et sunt eadem, et sic quoad hoc conclusio deberet esse eadem. Quando ergo non eadem, sed quandoque sic, quandoque aliter, hoc est per naturam et habitudinem materiale terminorum ad invicem : talis autem argumentatio in forma non valet. Videtur ergo quod tales conjugationes inutiles sint.

Adhuc hactenus reputata est inutilis Secunda ratio. conjugatio quae habet instantiam in terminis : quia quando sequitur conclusio de necessario, non potest sequi aliqua conclusio de contingentи ad utrumlibet : et quando sequitur conclusio de contingentи ad utrumlibet, non potest sequi aliqua de necessario : et sic nulla sequitur. Termini autem ad conclusionem de necessario, sicut diximus, sunt coloratum, album, homo. Termini autem ad conclu-

Removet  
dubium.

Quod ex  
majori de  
inesse et  
minoris de  
contingenti  
non sequat-  
ur conclusio  
de con-  
tingenti pro  
possibili.  
Prima ratio.

sionem de contingentibus ad utrumlibet, sunt movens, ambulans, homo : et formantur syllogismi, sicut supra formati sunt.

**In oppositum ratio.** Adhuc nihil est in genere quod non sit in aliqua specie: ergo nihil est contingens commune ad necessarium et ad non necessarium, nisi sit aut in contingentibus necessario, aut in contingentibus non necessario: et sic nulla est conclusio de contingentibus pro possibili in communi ad utrumque istorum, quae distincta sit a conclusionibus specialibus, quae sunt de contingentibus pro necessario, et de contingentibus pro non necessario.

**In oppositum ratio.** Si autem hoc concedatur, videtur objici in contrarium: quia in omnibus et ubique infertur genus ex speciebus; constat autem ex præhabitis, quod in talibus conjugationibus sequitur conclusio de contingentibus pro necessario, et quod sequitur conclusio de contingentibus pro non necessario, quae sunt species contingentibus pro possibili: ergo oportet quod sequatur conclusio de contingentibus pro possibili.

**Secunda ratio.** Adhuc autem sicut contingere inesse commune est ad necessario inesse, et ad possibile inesse et non inesse: similiter inesse commune est ad inesse simpliciter, et ad inesse ut nunc. Sed duabus propositionibus sic sumptis, quod una sit de inesse simpliciter, et altera de inesse ut nunc, conjugationem dicimus utilem ad conclusionem de inesse in communi, quamvis in aliquibus terminis sequatur conclusio de inesse simpliciter, et in aliquibus conclusio de inesse ut nunc. Ergo similiter erit conjugatio utilis ad contingens in communi pro possibili, quamvis in aliquibus terminis sequatur in dictis conjugationibus contingens pro necessario, et aliquibus contingens pro non necessario.

**Responsio ad dubium.** Et hoc videtur esse concedendum: quamvis enim dictæ conjugationes inutilles sint ad contingens pro necessario tantum, et ad contingens pro non necessario tantum: tamen utiles sunt ad contingens sumptum in communi pro possibili: si-

cut quando duæ propositiones sumuntur de inesse, quarum una est de inesse simpliciter, et altera de inesse ut nunc: quamvis talis conjugatio inutilis sit quantum ad conclusionem de inesse simpliciter, et similiter quantum ad conclusionem de inesse ut nunc: est tamen utilis ad conclusionem de inesse in communi sumpto.

Ad objecta autem in contrarium, dicendum quod revera contingens in communi sequitur ex forma illarum conjugationum: contingens autem pro necessario in speciali et pro non necessario in speciali, sequitur gratia terminorum sub tali forma acceptorum: et sic conjugatio formaliter concludit contingens pro possibili. Gratia autem materiæ sequitur contingens in speciali quod est hoc vel illud.

Et quamvis satis probatum est quod dicta conjugatio inutilis sit ad concludendum hoc vel illud in speciali, tamen ex hoc non sequitur quin utilis sit ad concludendum contingens in communi, sicut dictum est in propositionibus sumptis de inesse.

Et patet jam solutio ad hoc quod objicitur quod nihil est in genere quod non sit in aliqua specie: et ejus quod potest objici quod e quocumque removetur omnes species alicujus generis, ab illo removetur genus: hoc enim verum esset si in toto removerentur species ab aliquo: hoc autem non fit, quia utrumque istorum gratia terminorum sequitur divisim: sed gratia formæ est consequentia ad conclusionem contingentis pro possibili. His autem sic intellectis satis sufficienter dictum est de conjugationibus imperfectis syllogismorum universalium istius mixtionis.

## CAPUT XII.

*De formatiane particularium syllogismorum perfectorum et imperfectorum conjugationum utilium et inutilium mixtionis contingentis et inesse.*

In particularibus autem modis, tertio scilicet et quarto, quorum tertius habet primæ figuræ.

Modi particulares perfecti in hac mixtione.

majorem universalem affirmativam et minorem particularem affirmativam, et quartus majorem universalem habet negativam et minorem particularem affirmativam : in talibus syllogismis particularibus in ista mixtione, quando unum intervallorum sumitur universale, et aliud particulare : et quando id quod est ad majorem universalem ponitur et de contingenti sive sit affirmativum sicut in tertio, sive negativum sicut in quarto : et id quod ad minorem extremitatem sit particulare affirmativum de inesse simpliciter, erit syllogismus perfectus per dici de omni vel dici de nullo : sicut etiam perfectus est, quando ambo termini et ambæ propositiones sunt universales, sicut jam ante dictum est. Quod autem perfectus sit talis syllogismus particulariter concludens, demonstratur eodem modo per dici de omni et dici de nullo in contingentibus, sicut et prius in universalibus syllogismis demonstratum est.

*Modi particulares imperfecti, qui tamen possunt perfici.*

Quando autem universalis quidem ad majorem extremitatem et sit de inesse et non de contingenti : alterum autem intervallorum sit particulare quod est ad minorem, et sit de contingenti sive affirmativæ sive negativæ ponantur utræque propositiones, sive una affirmativa ponatur, et altera negativa : in omnibus talibus conjugationibus erit syllogismus imperfectus, qui indiget reductione qua perficiatur : ita quod aliqui per impossibile perficiuntur, quidam autem per conversionem contingentis secundum oppositas qualitates, et quidam utroque modo : et illa est melior perfectio, sicut etiam factum est in prædictis universalibus syllogismis.

Erit autem in talibus syllogismus per conversionem tunc quando universalis quidem ad majorem posita extremitatem significaverit inesse, sicut in affirmativa, vel non inesse, sicut in negativa. Particularis autem cum fuerit privativa, sumet contingens, hoc est, fit de modo contingenti, cuius exemplum est, ut si  $\alpha$  quidem omni  $\beta$  inest sicut in tertio, vel non

inest sicut in quarto primæ figuræ,  $\beta$  autem alicui  $c$  contingit non inesse ; conversa enim  $\beta$   $c$  minori propositione secundum conversionem ejus quod est contingere ad oppositam, scilicet qualitatem, fit syllogismus vel in tertio primæ, vel in quarto primæ.

Quando autem illa propositio quæ est particulariter posita, sumit non inesse (sicut particularis negativa sumit non inesse, quando non est de contingenti), tunc non erit syllogismus ad inferendam conclusionem de contingenti. Et probatur per terminos instantiarum : et sunt termini ad inesse, album, animal, nix : ad non esse autem termini sunt album, animal, pix, sicut patet. Si enim sic syllogizetur, omne animal contingit esse album : nulla nix est animal : non sequitur conclusio de contingenti, ergo omnis nix contingenter est alba. Similiter est in aliis terminis : omne animal contingenter est album : nulla pix est animal : ergo nullam picem contingit esse albam : non sequitur, quia de necessitate nulla pix est animal. In talibus autem ubi minor est negativa de inesse, per indefinitum est sumenda demonstratio : quia duas causas habet suæ veritatis talis propositio : et si-  
*utiles quoniam possunt perfici.*

Si autem universale quidem sive universalis propositio ponatur ad minorem propositionem, particulare autem pona-  
*utiles quoniam possunt perfici.*

tur ad majorem, ita quod major sit particularis sive particulare, vel universale sit privativum sive affirmativum, sive de contingenti sive de inesse : quodcumque aliquis voluerit, nullo modo erit syllogismus : quia semper inutilis erit conjugatio ad inferendam conclusionem de contingenti.

Similiter autem non erit syllogismus,

quando particulares vel indefinitæ sunt ambæ præmissæ propositiones : quia ex particularibus et indefinitis nihil sequitur secundum totam dispositionem syllogismorum : sive sumantur secundum contingere, sive sumantur ambæ de inesse, sive etiam permutatim, ita quod una sit particularis, et alia indefinita : nullo enim tali modo fit syllogismus : sed omnes conjugationes tales sunt inutiles. Hoc autem habet eamdem demonstrationem per terminos instantiarum, sicut in prioribus. Termini communes in omnibus his conjugationibus ad inesse quidem ex necessitate, sunt animal, album, homo : quia albo contingenter inest animal : et album homini contingenter inest : et tamen homo de necessitate est animal. Ad non inesse autem termini quidem sunt animal, album, tunica : quia animal contingenter inest vel non inest albo et album tunicæ : et tamen de necessitate animal non inest alicui tunicæ.

Manifestum est igitur ex omnibus inductis, quoniam universalis posita ad maiorem extremitatem, ita quod major sit universalis affirmativa vel negativa, semper fit syllogismus in hac mixtione concludens conclusionem de contingentibus. Posito autem de contingentibus intervallu quod est ad minorem extremitatem et particulae, nunquam fit syllogismus, ut patet per ante dicta.

Si autem quaeritur de numero istarum conjugationum, satis patet responsio per ante dicta in aliis.

Quomodo imperfeci syllogismi hujus mixtionis diversimode perficiuntur.

Manifestum est etiam quod perfecti sunt syllogismi in hac figura, qui statim per dici de omni et dici de nullo probantur, quae sunt in ipsis sumptis propositionibus. Imperfecti autem syllogismi necessario perficiuntur vel per deductionem ad impossibile, vel per conversionem secundum quod convertitur contingens ad oppositam qualitatem, vel per utrumque istorum. In particularibus syllogismis

quando minor fuerit affirmativa et de contingentibus, fit probatio sive perfectio per deductionem ad impossibile : sed in eisdem particularibus syllogismis, quando minor fuerit negativa de contingentibus, fit perfectio et per conversionem minoris ad oppositam qualitatem, et ulterius per deductionem ad impossibile, sicut constat per ea quæ in ante habitis determinata sunt.

### CAPUT XIII.

*De regulis mixtionis necessarii et contingentis in prima figura, et de conjugationibus utilibus et inutilibus universaliū syllogismorum istius mixtione.*

Post hæc autem de mixtione necessarii et contingentis dicendum est. Ponamus autem primo regulas secundum quas istam oportet fieri mixtione, quæ sunt quinque numero diversis deservientes, quæ in ista attendi debent mixtione. Prima regula in mixtione necessarii et contingentis.

Prima igitur regula quæ communis est hæc est, quod quando altera propositionum fuerit de necessario, sive sit ex necessitate inesse, sicut in affirmativa, sive fuerit de eo quod est ex necessitate non inesse sicut in negativa, et altera propositionum fuerit de contingentibus, poterit esse syllogismus et perfectus hoc modo se habentibus terminis : et hæc est regula prima.

Regula autem secunda est, quod minori existente de necessario, et majori de contingentibus, perfectus erit syllogismus : et hoc intelligendum est quod minor sit affirmativa et major universalis : et hæc regula deservit modis perfectis.

Tertia regula est quæ deservit modis affirmativis, et est hæc, quod conclusio erit de contingentibus et non et de inesse, si prædicativi sint ambo termini et propositiones, sive universaliter, sive non universaliter ponantur ambo termini<sup>1</sup>.

ad minorem.

<sup>1</sup> Sive universaliter, scilicet quantum ad ambas præmissas, sive non universaliter, scilicet

**Quarta.** Quarta autem deservit modis negativis, et hæc est, quod quando alter quidem terminus fuerit affirmativus, alter vero privativus, dummodo affirmativus fuerit de necessario, sequitur conclusio de contingenti, et non sequitur conclusio de inesse. Quando autem privativus fuerit de necessario, sequitur conclusio de contingenti et de eo quod est non inesse, siue universales sint termini, sive non universales.

**Quinta.** Quinta autem regula est, quod in omnibus his conjugationibus mixtionum contingere quod sequitur in conclusione, eodem modo accipiendum est sicut in præcedenti mixtione, ita scilicet, quod in modis perfectis sequitur contingens secundum superius inductam determinacionem.

In modis autem imperfectis sequitur contingens pro possibili. Modi enim imperfecti negativi non concludunt contingens non esse, quod est idem cum necesse non esse, sed quod est idem cum non necesse esse: et tale est idem quod contingens pro possibili. Illius enim quod est ex necessitate non inesse conclusio, non erit syllogismus in modis imperfectis. Aliud est enim ex necessitate non inesse, aliud non ex necessitate inesse: quia in uno negatur modus et affirmatur dictum, in altero autem affirmatur modus et dictum negatur.

Quoniam igitur affirmativis existentibus utrisque terminis, ita quod utraque præmissarum sit affirmativa, et major de necessario, minor autem de contingenti, non sequitur conclusio de necessario. Manifestum est ex his quæ statim dicentur. Ponamus enim primo conjugationem ex affirmativis hujus mixtionis, ita quod major sit de necessario, et minor de contingenti, ita quod de necessitate insit  $\alpha$  omni  $b$ ,  $b$  autem contingat omni  $c$  in minori propositione: in tali enim dispositione terminorum universalium et affirmativorum erit concludens syllogismus imperfectus, quoniam  $\alpha$  contingit omni  $c$  inesse: et non sequitur conclusio de

necessario. Perficitur autem hic syllogismus per deductionem ad impossibile ex opposito conclusionis et minori posita inesse: concludit enim aliquid quod potest stare cum majori. Potest etiam perfici per solam positionem minoris inesse, sicut in præcedenti mixtione in modis imperfectis dictum est.

Rursum autem ponamus aliam ex affirmativis universalibus conjugationem ad perfectum syllogismum: tunc iterum patebit, quod non concluditur conclusio de necessario. Sit enim major de contingenti et minor de necessario, ita quod  $\alpha$  contingat omni  $b$  inesse,  $b$  autem omni  $c$  insit ex necessitate: erit utique syllogismus concludens in primo primæ, quoniam  $\alpha$  contingit omni  $c$  inesse: et hæc est conclusio de contingenti et non de necessario: nec etiam sequitur conclusio de inesse, quæ concludat quoniam  $\alpha$  insit omni  $c$ , sed quod contingit inesse. Accipitur enim illa de contingenti secundum illam conceptionem contingentis, quod omne quod est  $\alpha$  contingit esse  $b$ , et non secundum illam, quod omne quod contingit esse  $\alpha$  contingit esse  $b$ : est autem hic syllogismus perfectus per dici de omni in contingentibus.

Similiter autem fiunt conjugationes utilies in syllogismis universalibus negativis. Si propositiones præmissæ in qualitate non sint similis formæ vel figuræ, sed una affirmativa, et altera negativa, eo quod ex ambabus negativis nihil sequitur, ponamus primo majorem esse de necessario et negativam, et minorem affirmativam et universalem de contingenti, ita quod in majori  $\alpha$  ex necessitate nulli  $b$  contingat inesse,  $b$  autem contingat omni  $c$  inesse. Sequitur igitur conclusio de inesse, hæc scilicet, quod ex necessitate syllogisticæ consequentiæ  $\alpha$  nulli  $c$  inest. Est autem syllogismus imperfectus et perficitur per deductionem ad impossibile. Formetur enim sic syllogismus, de necessitate nullum  $b$  est  $\alpha$ , omne  $c$  contingit esse  $b$ , ergo nullum  $c$  est  $\alpha$ . Si non sequitur, detur oppositum sive con-

tradictorium sive contrarium. Et si detur contradictriorum : tunc ex illa et conversa majoris concluditur oppositum minoris, sic, de necessitate nullum A est B, aliquod C est A, ergo de necessitate aliquod C non est B : quod est oppositum minoris per syllogismum mixtum ex necessario et inesse in quarto primæ. Si autem detur conclusionis contraria, destruetur minor per syllogismum factum in secundo secundæ figuræ, sicut cuilibet per seipsum patere potest : cum enim concluditur quod necesse est A nulli C inesse, accipiendo oppositum contradictorie vel contrarie, accipitur quod vel omni vel alicui C inest A : positum autem in majori propositione erat quod A nulli B contingit inesse : quoniam igitur major negativa convertitur in terminis, si nulli B contingit inesse A, sequitur quod etiam nulli A contingit inesse B : positum est autem in opposito conclusionis quod A aut omni C inest, aut alicui : sequitur ergo, quod aut nulli aut non omni C contingit inesse B, quod destruit minorem in qua positum fuit quod omne C est B, quando minor de contingentibus posita fuit inesse.

Manifestum est igitur quod in tali conjugatione sequitur conclusio de inesse. Et ex hoc ulterius manifestum est, quod sequitur etiam conclusio de contingentibus : quia contingens et affirmative et negative sequitur ad inesse : si enim C est A, sequitur quod C contingit esse A, et si C non est A, sequitur quod C contingit non esse A. Et sic patet quod utraque conclusio sequitur, et de non inesse et de contingere non inesse : sed de non inesse sequitur immediate, de contingere autem non inesse sequitur mediate.

Sunt autem in hac mixtione adhuc conjugationes utiles et inutiles circa syllogismos universaliter concludentes, habentes majorem negativam de contingentibus, et minorem affirmativam de necessario. Sit enim rursus talis terminorum dispositio, quod affirmativa minor

sit de necessario, major autem negativa sit de contingentibus, sic quod A quidem contingat nulli B inesse in majori, B autem insit omni C ex necessitate in minori : ex tali enim conjugatione syllogismus erit perfectus per dici de nullo in contingentibus : sed iste syllogismus non erit ad concludendum conclusionem de inesse, sed erit perfectus ad conclusionem de contingentibus, hoc est, ejus quod est contingere non inesse : sic enim sumpta est propositione major, quae est ad majorem extremitatem, cui maxime in compositione et pertinentibus ad compositionem assimilatur conclusio. Et istum syllogismum non contingit ducere ad impossibile, si accipiatur conclusio de inesse : illa enim est haec, nullum C est A : opposita autem hujus est haec, aliquod C est A, in ea enim ponitur A non nulli C inesse : positum est autem in majori propositione A contingit nulli B inesse. Ex his autem duabus simul junctis nihil sequitur impossibile quod destruat minorem : et sic ad impossibile non est ducere. De hoc tamen in sequentibus plura erunt dicenda<sup>1</sup>.

Alia autem adhuc est utilis ad imperfectum syllogismum conjugatio, quando privativa est quae ad minorem ponitur extremitatem, et cum minor propositione significaverit per modum contingentibus contingere : perficitur enim talis syllogismus per conversionem minoris ad oppositam qualitatem, quemadmodum in prioribus dictum est, quod contingens converti habet.

Quando autem minor quidem fuerit negativa et non est de contingentibus, non erit utilis ad syllogismum conjugatio, quia tunc minor erit vere negativa : quod non potest esse in prima figura. Dico autem vere negativa : quia illa quae est de contingentibus, non est vere negativa, cum potentialiter in se habeat oppositam qualitatem. Similiter autem ad syllogismum inutilis conjugatio est, quando utraque et major et minor est negativa, et minor

Imperfecta combinatio

Inutiles.

Inutilis conjugationes.

<sup>1</sup> Vive infra caput 46.

non fuerit de contingentibus: quia si est de contingentibus, tunc convertitur ad oppositam qualitatem, et tunc erit syllogismus in secundo primæ figuræ. Inutilitas autem istarum conjugationum ostenditur per instantiam terminorum: et termini concludentes de necessitate inesse, sint album, animal, nix: quamvis enim album contingat omni animali: animal autem de necessitate nulli insit nivi: tamen omnis nix de necessitate est alba. Termini autem de necessitate nulli inesse, sint album, animal, pix: de necessitate enim nulla pix est alba. Isti igitur sunt universales istius mixtionis syllogismi secundum sententiam Aristotelis in *Prioribus*, et sunt in eis aliquæ dubitationes.

#### CAPUT XIV.

##### *De solutione duorum quæ sunt circa conjugationes perfectorum syllogismorum istius mixtionis.*

Prima dubitatio.

Est autem dubitatio prima, quod cum contingens non habeat nisi duas acceptiones, sicut in præhabitibus dictum est, scilicet omne quod contingit esse A contingit esse B, et omne quod est A contingit esse B, et secundum primam acceptiōnem deserviat uniformi generationi syllogismorum de contingentibus, et secundum secundam deserviat mixtione de contingentibus et inesse, et non sit tertia acceptio contingentis, videbitur quod nulla est in qua possit accipi in mixtione contingentis et necessarii. Et sic videtur quod omnis conjugatio ubi major est de contingentibus, et minor de necessario, sit inutilis ad syllogismum istius mixtionis generandum: quia talis mixtio videtur per dici de omni in contingentibus non posse regulari.

Secunda et apparenſ.

Idem videtur per hoc, quod in prima figura (cum medium positione sit medium in affirmativis syllogismis) oportet accipere medium sub majori, et minus oportet accipi sub medio: sed necessarium et contingens secundum superius deter-

minatam acceptiōnem opponuntur et mutuo se destruunt: unum ergo sub alio accipi non potest: sequitur quod in tali mixtione non potest esse syllogismus affirmativus et universalis, ut videtur.

Ad hæc autem non est difficile solvere, <sup>Ad primam.</sup> si ea quæ habita sunt, ad memoriam revocentur. Si enim in hac mixtione major sit de contingentibus, et minor de necessario, syllogismus regulabitur per dici de omni in contingentibus, secundum illam acceptiōnem contingentis quæ dicit, omne quod est B contingit esse A, sicut et mixtio contingentis et inesse: quia per hoc quod dicitur, omne quod est B significatur minor propositio accepta secundum actualem inhærentiam prædicati cum subjecto. Sub tali autem actuali inhærentia sumitur tam illa quæ est de inesse, quam illa de necessario: et sic uno et eodem modo regulari possunt per dici de omni.

Sic etiam considerando contingens <sup>Ad secundam.</sup> secundum, quod contingens et necessarium in eisdem accepta terminis opponuntur, et mutuo se expellunt: quia si necesse est hominem esse animal, tunc non contingit hominem esse animal: et si contingit hominem esse album, tunc hominem esse album non est necesse: et sic unum non potest sumi sub altero propter oppositionem quam habent. Si autem contingens et necessarium simpliciter considerentur secundum se ipsa, adhuc dupliciter considerari possunt: aut enim considerantur secundum modum enunciandi circa compositionem et modificandi compositionem, et sic iterum a se invicem distinguntur et separantur: aut accipiuntur secundum terminos diversos in quibus sunt, et sic nihil prohibet necessarium accipi sub contingenti, quia sæpe contingit hoc modo, quod termini in quibus est contingens, et termini in quibus est necessarium, se habent ad invicem sicut totum et pars. Cujus exemplum est: contingit omnem hominem esse album: omnis autem homo de necessitate est animal: et hoc modo: fit conjugatio perfecta ex sumptione necessarii sub contingenti.

**Dubitatio bona.**

Est autem adhuc dubium : cum enim in hac mixtione necessarium et contingens æqualiter se habeant ad generationem hujus syllogismi, videtur quod æqualiter debent se habere conjugationes ad generationem perfecti syllogismi, ea scilicet quæ habet majorem de contingentibus et minorem de necessario, et ea quæ e converso habet majorem de necessario et minorem de contingentibus : et hoc non est verum : quia prima est ad syllogismum perfectum, secunda autem ad syllogismum imperfectum. Rationem autem hujus non est difficile assignare : dici enim de omni in necessariis et in illis de inesse vult minorem in prima figura semper habere affirmativam et secundum actualem inhærentiam prædicati cum subjecto. Quando ergo major est de contingentibus (quod est secundum actualem inhærentiam, sicut diximus in acceptione contingentis, sic, omne quod est in contingit esse a) et minor accipitur de necessario vel de inesse secundum actualem inhærentiam, fit per dici de omni perfectus decursus syllogisticus a primo per medium usque ad extremum : et ideo conjugatio talis est ad syllogismum perfectum. Quando autem major est de necessario et minor de contingentibus, per contingens ampliatur inhærentia ad potentialem inhærentiam : et tunc non potest esse decursus perfectus per dici de omni : et ideo conjugatio in qua major est de necessario et minor de contingentibus, est ad syllogismum imperfectum.

**Dubitatio.**

Si quis autem quærat quare in modis perfectis istius mixtionis concluditur contingens ad utrumlibet, quod est contingens secundum superius datam determinationem contingentis, modi imperfecti autem non possunt concludere nisi contingens pro possibili? Videtur enim quod tam perfecti quam imperfecti deberent concludere contingens dictum secundum unum et eundem modum. Hujus autem causa est, quod in modo perfecto properter dici de omni minor propositio est quasi dispositio naturalis majoris propo-

**Solutio.**

sitionis : contrahit enim minor majorem secundum regulam quæ est data de dici de omni : et ideo per minorem fit contractio majoris ad id quod est vera pars ejus. Et ideo cum major sit de contingentibus secundum dictam contingentis determinationem, et minor sit vera pars ejus, oportet conclusionem similem esse majori, quod sit de tali de quo est major : hoc autem est contingens ad utrumlibet. Quando autem e converso est, quod major de necessario et minor de contingentibus, non fit dispositio terminorum secundum dici de omni : et ideo major non potest facere sibi similem conclusionem. Minor etiam propositio non habet principaliter virtutem inferentiæ in syllogismo, et ideo nec illa poterit facere conclusionem sibi similem : et ideo oportet quod sequatur aliquid medium inter necessarium et contingens ad utrumlibet : et hoc non est nisi contingens pro possibili, quod in aliis terminis est de necessario, in aliis autem de non necessario.

Si autem aliquis quærat quare syllogismi perfecti hujus mixtionis non possunt concludere conclusionem de inesse vel de necessario sicut concludunt conclusionem de contingentibus? Dicendum quod causa hujus est, quod quando major est de contingentibus, ex modo ipso contingentiae significatur quod prædicatum refertur ad subjectum secundum potentialem inhærentiam, et non actualem habet prædicationem major extremitas de omnibus quæ continentur sub medio quod est subjectum propositionis majoris : conclusio autem de inesse et de necessario notat actualem inhærentiam prædicati de omnibus quæ continentur sub subjecto : et ideo in tali conjugatione nec potest sequi conclusio de inesse, nec conclusio de necessario.

Sicut autem dictum est de natura modorum perfectorum istius mixtionis, qui perficiuntur per dici de omni, eodem modo dicendum est de modis perfectis syllogismorum negativorum universalium qui perficiuntur per dici de nullo. Et sic

**Dubitatio bona.****Solutio satisfaciens.**

per hæc quæ dicta sunt, potest sciri natura syllogismorum perfectorum universali tam affirmativorum quam negativorum istius mixtionis.

## CAPUT XV.

*De solutione dubitationum quæ sunt circa conjugationes imperfectas istius mixtionis.*

Dubitatio. Ex majori negativa de universalium syllogismorum istius mixtionis multi dubitaverunt. De his enim dictum est, quod quæ habent majorem negativam de necessario et minorem affirmativam de contingentibus, possunt concludere conclusionem de inesse. Contra hoc autem quidam objiciunt: in mixtione contingentis et inesse majori existente negativa de inesse, et minori de contingentibus, non potest, ut videtur, conclusio sequi de inesse. Hoc enim videtur hac ratione cum major sit convenientia illius de inesse ad illam de inesse quam illius de necessario ad illam de inesse. Si ergo illa de necessario potest in conclusionem de inesse quando conjungitur cum illa de contingentibus, multo fortius illa de inesse cum alia de contingentibus potest in talem quæ est inesse conclusionem.

Adhuc in mixtione contingentis et inesse quando major est de inesse, ipsa major est de inesse simpliciter: propter quod secundum rem virtutem habet propositionis de necessario: propter quod videatur quod si negativa de necessario poterit in conclusionem de inesse, quod et negativa de inesse in mixtione contingentis et inesse possit in conclusionem de inesse.

Adhuc formetur sic syllogismus: nullum b est a, contingit omne c esse b, ergo nullum c est a. Si non sequitur, detur oppositum, hoc scilicet, aliquod c est a

quæ accipiatur cum minori posita inesse, sequitur oppositum majoris, sic, aliquod c est a, omne c est b, ergo aliquod b est a per tertium modum tertiae figuræ: nullum autem b esse a, et aliquod b esse a sunt opposita contradictorie<sup>4</sup>.

Ulterius autem videtur quod majori existente negativa de necessario, non sequitur conclusio de inesse: quod patet in terminis, sic, de necessitate nullum album est nigrum: contingit omnem hominem esse album: non tamen sequitur quod nullus homo sit niger, nisi hoc ita esse ponatur. Patet autem quod præmissæ sunt veræ, et conclusio est falsa. Similiter autem est hic, de necessitate nullus lapis est homo: contingit omne motum esse lapidem: non tamen sequitur quod nullum motum sit homo (rebus se habentibus ut nunc), ita quod per positionem non accipiatur nullum movens esse hominem.

Adhuc autem ulterius objicitur: quia si ex tali conjugatione sequitur conclusio de inesse: aut ergo sequitur conclusio de inesse simpliciter tantum, aut de inesse ut nunc tantum, quia inesse non potest pluribus modis variari. Si sequitur conclusio de inesse simpliciter, patet quod non est verum: quia in terminis nuper inductis conclusio est de inesse ut nunc: et similiter est invenire in multis aliis terminis. Si autem sequitur conclusio de inesse ut nunc, videtur iterum falsum in his terminis, de necessitate nullum album est intelligentia: contingit omnem hominem esse album: ergo nullus homo intelligentia: haec enim conclusio est de inesse simpliciter. Propter quod cum neque sequatur generaliter conclusio de inesse simpliciter, neque de inesse ut nunc, non videtur quod sequatur aliqua conclusio de inesse.

Adhuc autem saepius jam in præmissis habitum est, quod oportet alteram præmissarum esse similem conclusioni:

<sup>4</sup> Hoc argumentum non solvit Auctor, quia supra in cap. 9 hujus tract. ad plenum satis-

fecit: ideo recurre ad dicta ibi.

cum autem altera præmissarum est de necessario et altera de contingenti, neutra præmissarum similis est conclusio de inesse : ergo ex tali conjugatione conclusio de inesse non sequitur.

*Solutio dubitationis, et responsio ad primas rationes.*

Ad hæc autem dicendum est, quod majori existente negativa de inesse, et minori de contingenti affirmativa, non sequitur conclusio de inesse virtute præmissarum : sequitur tamen cum majori existente negativa de necessario conclusio de inesse. Et causa hujus est hæc : quia in propositione negativa de inesse actualiter removet prædicatum ab omnibus his quæ actualiter sunt sub subjecto sive sub medio quod primæ propositionis est subjectum. Non autem removetur ab his quæ contingunt esse sub subjecto, ut cum dico, nullum album est nigrum, iste est sensus, nihil quod est album est nigrum : et non iste, nihil quod contingit esse album est nigrum : et propter hoc cum negativa de inesse est major, et minor de contingenti affirmativa, non sequitur actualis remotio majoris extremitatis ab his quæ contingenter sumuntur sub medio per minorem propositionem : sed sequitur remotio potentialis unius ab alio : et ideo non sequitur conclusio de inesse quæ actu removet majorem extremitatem de minori, sed conclusio de contingentи sequitur. Dico autem quod conclusio de inesse non sequitur virtute præmissarum.

Aliter autem est in propositione negativa de necessario : propter enim necessariam remotionem prædicati a subjecto, et sub modo necessitatis in ipsa removetur prædicatum a subjecto, et ab omnibus quæ sunt sub subjecto contenta, et ab his quæ contingit esse sub subjecto. Et ideo tali propositione posita pro majo-

ri, et minori accepta de contingentи, sequitur actualis remotio majoris extremitatis a minori, ab his quæ contingenter sumuntur sub medio per minorem propositionem : et ideo sequitur conclusio negativa de inesse. Patet igitur ratio quare majori existente negativa de inesse non sequitur conclusio de inesse, et propter quod sequitur conclusio de inesse cum major est negativa de necessario.

Ad ea autem quæ contra hæc inducuntur, dicendum ad primum, quod quamvis propositio de inesse simili sit conclusio de inesse quam propositio de necessario, non tamen sequitur quod majoris virtutis sit ad inferendam conclusionem de inesse, quam propositio de necessario : quia propositio de inesse non dicit tantam virtutem inherentiam, quam dicit propositio de necessario. Et maxime non sequitur hoc in conjugationibus imperfectis, in quibus major est de inesse vel de necessario : et si aliquando locum habet hoc, hoc erit in conjugationibus perfectis in quibus major est causa consequientiae totius<sup>1</sup>.

Ad id autem quod secundo inducitur, dicendum quod propositio de inesse simpliciter secundum quod hujusmodi non est necessaria, neque virtutem habet necessariae propositionis : propositio enim de inesse simpliciter non plus exigit, nisi quod rationes terminorum quo cumque modo cohærent vel secundum modum dicendi per se, vel secundum modum aliquem reducibilem ad modum dicendi per se, vel hoc modo discohærent in propositione negativa. Propositio autem de necessario et hoc exigit et addit, quod termini propositionum ad invicem habeant cohærentiam causalem vel discohærentiam. Hoc autem ex hoc patet :

*Differentia inter propositionem de inesse simpliciter et propositionem de necessario veram.*

<sup>1</sup> Ad argumenta tacta in primo medio vult dicere quod non valet ista consequentia in modis imperfectis : major est de inesse vel de necessario : ergo conclusio erit de inesse vel de necessario. Instantiae patent in mixtionibus de quibus in arguento, in quarum una sequitur conclusio de contingentи, in altera vero

sequitur conclusio de inesse et contingentи. Sed si aliquando valet ista consequentia, hoc erit in conjugationibus perfectis, in quibus major est causa consequientiae totius, ut patet quando major est de necessario et minor de inesse : tunc enim sequitur conclusio de necessario. P. J.

quia quando contingens natum ponitur inesse, est propositio de inesse per se : non tamen est necessaria, nec potest modificari per modum necessitatis : et ideo non sequitur quod si propositio de necessario potest in conclusionem de inesse simpliciter, quod propositio de inesse simpliciter possit etiam in conclusionem de inesse : quia propositio de inesse simpliciter non totam habet virtutem illius quæ est de necessario.

*Ad alias rationes.*

Ad ea autem quæ inducuntur ad secundam partem istius quæstionis, Dicendum ad primum, quod hæc propositio est falsa, de necessitate nullum album est nigrum : ad hoc enim quod vera esset, oporteret prædicatum removeri ab omnibus his et quæ actu et quæ potentia sunt alba, sive sub subjecto sub hoc sensu, nihil quod potest esse album, de necessitate est nigrum, vel potest esse nigrum : hoc autem falsum est. Similiter autem est de hac, nullum album est nigrum : quamvis enim hæc vera sit simpliciter, non tamen est necessaria.

Ad aliam quæ inducitur instantiam, distinguendum est : cum enim dicitur, contingit omne movens esse lapidem : aut enim dicitur, quod omne quod contingit esse movens, contingit esse lapidem : et sic falsa est, et conclusio quæ sequitur est falsa. Aut accipitur sub hoc sensu, omne quod est movens contingit esse lapidem, et sic est vera, si ponatur quod nihil movetur nisi lapis : et hoc modo ipsa existente vera, necesse est conclusionem esse veram, scilicet quod nullum movens sit homo : et sic prout minor propositio est vera, et ipsa conclusio est vera. Posset tamen forte melius dici, quod utraque instantia est sophistica : quia in utraque minor propositio accipitur de contingentibus infinito, cum deberet esse de contingentibus nato per existentiam majoris quæ est de necessario.

Ad aliud dicendum quod conclusio quæ sequitur est de inesse simpliciter : et

instantia quæ adducitur est sophistica : quia minor est de contingentibus infinito, cum deberet esse de contingentibus nato.

Ad hoc autem quod objicitur de similitudine conclusionis ad præmissas, Dicendum quod propositio de inesse simpliciter et propositio de necessario in hoc similes sunt, quod utraque est de inesse secundum cohærentiam actualem terminorum propositionis, hoc est, prædicati ad subjectum.

*Si autem aliquis quærat dicens, cum ex istis conjugationibus sequatur duplex conclusio, scilicet de inesse et de contingentibus, quæ illarum sequatur principaliter et primo ? Dicendum quod primo et principaliter sequitur conclusio de non inesse.*

*Dubitatio.*

*Et hujus est duplex ratio. Una quidem et principalis, quia cum major sit de necessario non inesse, removetur in ea prædicatum ab omnibus quæ sunt vel possunt esse sub medio : et sic sequitur ratione majoris (ex qua est virtus consequentiæ) conclusio de inesse. Alia ratio est : quia secundum ordinem naturalem propositionum de inesse et de contingentibus, propositio de inesse antecedit propositionem de contingentibus. Propterea in præhabitis probatum est, quod conclusio de contingentibus sequitur per hoc : quia conclusio de inesse sequebatur, ex qua ulterius concluditur illa de contingentibus.*

*Solutio.*

*Adhuc autem si aliquis quærat dicens, quod ex quo istæ conjugationes possunt in conclusionem de inesse, et in conclusionem de contingentibus, utrum etiam possint in conclusionem de necessario ? Videtur enim probari posse, quod sic : quia cum major est de necessario in qua est virtus consequentiæ, et major sit virtus necessarii ad necessarium, quam necessarii ad inesse, videtur magis posse in conclusionem de necessario, quam in conclusionem de inesse : et potest in illam de inesse : ergo multo magis potest in illam de necessario.*

*Adhuc hæc conclusio, nullum c est A,*

*Aliter.*

<sup>1</sup> Vide supra in cap. 43.

aut est vera sub hoc sensu, quod nullum c necesse est esse A, aut sub hoc sensu, quod contingit aliquod c esse A. Si primo modo, habetur propositum. Si secundo modo, tunc ex conclusione et minori conjunctis destruitur major in tertia figura syllogizando per uniformem generationem syllogismorum de contingenti, sic, contingit aliquod c esse A, contingit omne c esse B, ergo contingit aliquod B esse A, quæ est opposita majoris.

**Solutio.** Ad hæc autem et similia dicendum, quod non sequitur conclusio de necessario ex tali conjugatione, ita quod ad illam conclusionem inferendam ordinetur utilitas conjugationis: in aliquibus tamen terminis ex habitudine terminorum poterit esse conclusio necessaria. Et ratio hujus est: quia major removet prædicatum ab omnibus his quæ sunt vel esse possunt sub medio: et ideo quia sequitur remotio actualis majoris extremitatis a contentis sub medio, ideo sequitur conclusio de inesse primo et principaliter, quæ conclusio de inesse in aliquibus terminis est vera simpliciter et necessaria, et in aliquibus vera simpliciter et non necessaria: et per hoc patet solutio ad primum.

Ad hoc autem quod ulterius quæritur, utrum hæc, nullum c est A sit vera ideo quia nullum c esse A sit necesse, aut ideo quia contingit aliquod c esse A, Dicendum quod aliquando est vera ideo quia nullum c necesse est esse A, et aliquando ideo quia contingit aliquod c esse A. In quibusdam enim terminis sequitur unum, et in aliquibus alterum: et ideo neutrum istorum sequitur primo: sed commune utrisque sequitur simpliciter ex tali conjugatione: commune autem non est nisi conclusio de inesse quæ simpliciter est vera: et ideo illa sola sequitur virtute conjugationis.

## CAPUT XVI.

*De consequentia conjugationum imperfectarum in quibus major est affirmativa de necessario.*

Circa conjugationes imperfectas in quibus major est affirmativa de necessario, adhuc restant quædam dubitabilia: ex his enim dictum est, quod solum sequitur conclusio de contingenti: cum tamen videatur posse probari quod sequitur etiam conclusio de necessario, et etiam conclusio de inesse. Quod enim sequatur conclusio de necessario, videtur probari sic. Majori enim existente affirmativa de necessario, et minori de contingenti, ponatur minor quæ est de contingenti inesse: et tunc patet per hoc quod in ante habitis de mixtione necessarii et inesse dictum est, quod sequitur conclusio de necessario: quia majori existente de necessario, et minori de inesse sequitur conclusio de necessario. Et per eamdem etiam rationem ostendi potest, quod in modis perfectis sequitur conclusio de inesse, si major in talibus modis quæ est de contingenti, ponatur inesse.

Et proculdubio hoc videtur esse verum, si concedatur, quod minor quæ est de contingenti, ponatur inesse: tunc enim pro certo sequitur conclusio de necessario, et etiam de inesse similis majori propositioni. Sed non sequitur conclusio de necessario vel de inesse quamdiu minor manet de contingenti. Unde per posititionem minoris inesse, generatur alia conjugatio, ex qua sequitur conclusio quæ quamdiu manet de contingenti, non sequebatur. Causa autem propter quam non sequitur conclusio de necessario vel de inesse, quamdiu manet minor de contingenti, hæc est, quia universalis affirmativa de necessario affirmat prædicatum quod est major extremitas, non nisi de his quæ actu sunt sub medio, quod est subjectum majoris propositionis, et non de his quæ contingit esse sub subjecto:

Dubitatio.

*Solutio ad dubitacionem et notanda.*

hæc enim propositio, omnis homo de necessitate est animal, non dicit quod quidquid potest esse homo, est animal: sed dicit quod quidquid est homo, est animal: et ideo tali propositione pro majori posita et minori de contingenti, non sequitur actualis affirmativa de his quæ contingenter sunt sub medio: et ideo non sequitur conclusio de necessario affirmativa neque de inesse, nisi sumatur illa de contingenti in sensu compositionis: quia in utraque actualiter affirmatur prædicatum de subjecto. Dico autem sub sensu compositionis sumptam, in qua modus refertur ad totum, sicut cum dico, contingit omnem hominem esse animal, hoc est, omnem hominem esse animal est contingens: sic enim in utraque, hoc est, tam in illa quæ est de necessario quam in illa quæ est de contingenti, actualiter affirmatur prædicatum de subjecto.

Notandum tamen quod affirmativa de necessario secundum sensum compositionis sumpta aliter se habet quam in syllogismis: quia sumpta in sensu compositionis termini in ea sumpti supponunt simpliciter, sed secundum hunc sensum non sumuntur propositiones de necessario quando ex eis fit syllogismus. Et ex his potest esse manifestum propter quid majori existente de necessario affirmativa, non sequitur conclusio de inesse, sicut sequitur conclusio de inesse majori existente negativa de necessario. In negativa enim de necessario removetur prædicatum actualiter de his quæ actu et quæ potentia sunt sub subjecto. In affirmativa autem tantum affirmatur actualiter de his quæ actu sunt sub subjecto. Et hoc facit negatio quæ plus tollit quam ponit affirmatio<sup>1</sup>.

Potest autem adhuc esse dubium, utrum ex tali conjugatione sequatur conclusio

de inesse. Videtur autem quod sic: quia sicut se habet negativum de inesse ad negativum de necessario, ita se habet affirmativum de inesse ad affirmativum de necessario: propter quod cum negativum de necessario possit in negativum de inesse, videtur quod affirmativum de necessario possit in affirmativum de inesse.

Adhuc fiat hoc modo syllogismus: de necessitate omne b est a, contingit omne c esse b, ergo omne c est a. Aut sequitur, aut non. Si sequitur, habetur propositum. Si non, detur oppositum: oppositum autem est, aliquod c non est a. Ex hac autem et minori posita inesse destruitur major per quintum modum tertiae figuræ. Sic etiam potest dari instantia in terminis notis, de necessitate omne grammaticum est sciens: contingit omnem hominem esse grammaticum: non tamen sequitur quod omnis homo est sciens: possumus enim ponere, quod omnis homo sit ignorans.

Ad primum autem istorum dicendum est, quod diversa est virtus negativæ de necessario et affirmativæ de necessario: et ideo potest ex negativa sequi illa de inesse, quamvis non sequatur ex affirmativa. Hoc autem patet ex prædictis.

Ad aliud dicendum quod dandum est oppositum conclusionis: sed minor quæ est de contingenti, non est ponenda inesse: quia oppositum conclusionis de inesse, est compossibile minori de contingenti: sed incompossibile est eidem positæ inesse: et ideo si ponatur minor inesse, jam nova fit repugnantia quæ prius non erat: et ideo sequitur impossibile.

Si autem objiciatur, quod secundum hoc male probat Aristoteles in *Prioribus*, ubi probat conclusionem de contingenti ex ista conjugatione, quando ponit illam de contingenti inesse. Dicendum quod oppositum conclusionis de contingenti

<sup>1</sup> Nota ergo quare majori existente affirmativa de necessario et minori de contingenti non sequitur conclusio de inesse, sed bene quando major est negativa de necessario. Negatio enim se extendit etiam ad non entia: cuius signum,

pro possibili non solum est incompossibile minori positæ inesse, sed etiam ipsi minori dum est de contingenti : quia cum omne c ex necessitate sit *a*, incompossibles sunt hæ duæ, aliquid c ex necessitate non est *a*, et contingit omne c esse *b*, sicut patet ex dictis immediate in mixtione præcedenti de contingenti et inesse. Potuit itaque Aristoteles probando consequentiam conclusionis de contingenti bene ponere minorem inesse : eadem enim est incompossibilitas oppositi conclusionis et minoris ante positionem ejus inesse, et postquam inesse posita est, et non fit nova incompossibilitas.

**Objectio.** Si quis autem objiciat quod posito possibili non accidit impossibile, Dicendum quod hoc verum est absolute, sicut etiam in præhabitibus dictum est : si enim consideretur absolute possibile secundum quod tale est, nihil ex eo sequitur impossibile : sed ex positione possibilis (cum comparatione ad aliquid cui hoc impossibile est) potest accidere impossibile.

**Dubitatio apparenſ.** Adhuc autem in hac conjugatione videtur dubium de probatione quæ facta est secundum sententiam Aristotelis qua probatur, quod conclusio de inesse sequitur : hæc enim probatio nulla esse videatur : fit enim in illa probatione mixtio necessarii et inesse : cum tamen illa de inesse possit esse de inesse ut nunc. Cujus probatio est : quia si major sit negativa de necessario, et minor sit affirmativa vel negativa de contingenti, sequitur duplex conclusio, una de inesse et altera de contingenti pro possibili : sed si conclusio de contingenti pro possibili ponatur inesse, aliquando erit de inesse ut nunc, et aliquando de inesse simpliciter : cum ergo accipitur oppositum conclusionis talis cum conversa majoris, accipit propositionem quæ potest esse de inesse ut nunc : et hoc modo syllogismus mixtus de necessario et inesse ut nunc, nihil valet et nihil probat, ut videtur. Sed ad hoc dicendum quod probatio est bona, et mixtio necessarii et inesse non est de

inesse ut nunc : quia sicut inesse continet sub se inesse simpliciter et inesse ut nunc, sic contingens in ante habitis per non necessarium determinatum continet sub se et contingens natum et contingens infinitum. Unde sicut in mixtione necessarii et inesse major quæ est de necessario, appropriat sibi minorem ad standum pro inesse simpliciter, sic in mixtione necessarii et contingentis major quæ est de necessario, appropriat sibi minorem quæ est de contingenti ad standum pro contingentи nato. Minori autem sic existente de contingentи nato, oportet conclusionem concludi de inesse simpliciter in modo negativo : et ideo oppositum talis conclusionis assimilatur conversæ majoris : et tunc bona est mixtio de necessario et inesse simpliciter secundum hunc modum. Hoc autem probatur per exemplum hoc modo, de necessitate nullum musicum est lignum : contingit omnem hominem esse musicum : ergo nullus homo est lignum.

Ex dictis ergo patet quod in modis hujus mixtione necessarii et contingentis minor accipi debet de contingentи nato.

Secundum autem ea quæ dicta sunt oritur quæstio : quia cum major de inesse (in mixtione contingentis et inesse) sit de inesse simpliciter, videtur quod exigat major de inesse simpliciter minorem esse de contingentи nato, cum major de necessario in mixtione contingentis et necessarii sic exigat minorem esse de contingentи nato, Dicendum ad hoc quod hoc non oportet : major enim de inesse non appropriat aliquam sibi minorem nisi ad sumendum sub ipsa, sed non ad sic vel sic sumendum. Major autem de necessario appropriat sibi minorem ad hoc quod sit de inesse simpliciter : et ideo illa de necessario appropriat sibi minorem de contingentи, ut sit de contingentи nato : quia illa posita inesse erit de inesse simpliciter. Hanc autem appropriationem non potest facere major quæ est de inesse tantum.

**Objectio.**

**Solutio.**

Si autem aliquis objiciens dicat quod **objectio.**

**Solutio.** tam in modis affirmativis quam in modis negativis illa quæ est de inesse, sumitur de inesse simpliciter: videtur ergo quod in utrisque modis deberet sequi conclusio quæ sit de inesse simpliciter, vel conclusio de inesse ad minus. Dicendum est ad

hoc quod argumentum non valet: quia acceptio minoris de contingenti nato non est causa quare sequitur conclusio de inesse, sed potius virtus propositionis negativæ, sicut paulo ante dictum est. Quod autem minor in talibus syllogismis efficitur de inesse simpliciter, hoc facit minor quæ est de contingenti nato. Causa ergo propter quam sequitur conclusio de inesse, deficit in modis affirmativis: et ideo non valet argumentum inductum. Causa autem hujus in modis negativis patere potest hoc modo. Si enim impossibile est aliquod b esse a, cum b insit c secundum causam ei innatam, oportet quod minor sit de contingenti nato: patet quod non poterit c esse a in conclusione: et ideo erit conclusio negativa de inesse simpliciter, sicut patet in superius positis terminis, lignum, musicum, homo. In his enim major extremitas impossibiliter se habet ad medium: medium autem ad minus secundum contingens natum. Si autem in affirmativo syllogismo omne b de necessitate sit a, quamvis b contingat inesse omni c secundum causam innatam et sit de contingenti nato, non oportet quod a (quod in prima figura est supra b) insit c actualiter, sicut patere potest in his terminis, sciens, musicum, homo, in quibus majus ad medium se habet ex necessitate, medium autem ad minus secundum contingens natum. Hæc tamen omnia plenius patent per virtutem negativæ diversam ab affirmativa, quando utraque fuerit de necessario.

**Dubitatio.** Sed ex his quæ dicta sunt oritur dubitatio: prius enim dictum est quod in ista mixtione contingentis et inesse major propositio de inesse sive affirmative sive negative tantum prædicatur de his quæ actu sunt sub subjecto: cum tamen dictum sit quod subjectum majoris, quod est

ad conclusionem probandum, stat in majori in qua est subjectum propositionis de inesse simpliciter sicut in minori in qua est prædicatum de contingenter inesse: aliter enim videbatur fieri fallacia figuræ dictionis.

Sed ad hoc dicendum quod termini propositionis de inesse simpliciter possunt considerari secundum habitudinem naturalem eorum ad invicem circumscripto esse actuali: et sic in ipsis est ampliatio: quidquid enim potest esse sub altero illorum, potest esse reliquum, vel removeri a reliquo. Dictum autem est subjectum ampliari secundum ipsius naturam in majori de inesse ad habitudinem comparatam ad prædicatum secundum ipsius naturam circumscripto esse actuali et accidentalis. Vel possunt termini de inesse simpliciter taliter se habere ut sub esse actuali, ita ut componantur et dividantur per esse actuale: et sub ista consideratione non cadit ampliatio super eos: et sic dictum est hic prædicatum actualiter affirmari vel negari de his tantum quæ actu continentur sub subjecto.

**Solutio.**

Adhuc autem dubitatur de hoc quod dictum est, quod scilicet minorem de contingenti affirmativam non sequitur conclusio de inesse: et si aliquis dicat quod sequitur, non contingit illum ducere ad impossibile, cum tamen dicat falsum. Sed ad hoc dicendum quod bene potest improbari falsum quod dictum est ex concessis: tamen non est ducere illud ad impossibile: quia si accipiatur conclusio de inesse quam dicit sequi, et combinetur cum majori propositione ad destruendam minorem (sic, contingit nullum b esse a, nullum c est b,) fit inutilis conjugatio in mixtione contingentis et inesse in secundo figuræ primæ: in illa enim non fit syllogismus nisi universalis affirmativa sit de inesse simpliciter: hoc autem modo non est hic, quod patet: quia ex quo contingens quod sequitur in modo perfecto istius mixtionis est contingens primo in hoc tractatu determinatum, quod scilicet est contingens infinitum, quod ali-

**Dubitatio.**

**Solutio.**

quando vel æqualiter poterit esse: patet quod talis conclusio posita inesse potest esse de inesse ut nunc, et non oportet quod sit de inesse simpliciter: et ideo fit inutilis conjugatio ex acceptance ejus et combinatione cum illa de contingent. Si autem accipiatur oppositum conclusionis quæ est de inesse cum minori ad destruendum majorem (sic, nullum c est A, necesse est omne c esse B) fiet inutilis conjugatio in mixtione necessarii et inesse in secundo tertiae: ibi enim non fit syllogismus nisi universali negativa existente de necessario. Et sic patet quod quamvis dicatur sequi conclusio de inesse in dicta conjugatione, non erit tamen sic dicentem ducere ad impossibile.

Si autem quæritur de sufficientia modorum istius mixtionis, Dicendum est quod multiplicantur hic sicut in aliis: sed ad discernendas utiles ab inutilibus supponenda propria principia istius mixtionis, et sunt duo, scilicet quod major sit universalis, et quod minor non sit negativa de necessario: tunc enim patebit hic, quod duodecim sunt utiles conjugationes, et triginta duo inutiles, sicut in præcedenti mixtione et in aliis. Ratio autem quare illud supponendum sit, et ratio sufficientiae conjugationum et inutilium, patet ex prædeterminatis in aliis mixtionibus.

### CAPUT XVII.

#### *De formatione particularium syllogismorum in prima figura mixtionis necessarii et contingentis.*

Eodem autem modo sicut dictum est de universalibus hujus mixtionis syllogismis, sic etiam se habebit in perfectione et imperfectione conjugationum, et utilitate et inutilitate conjugationum ordinatarum ad particulares syllogismos. Inter particulares primo dicamus de his conjugationibus quæ habent propositionem de necessario negativam: hæ enim quatuor sunt: aut enim minor particularis

est de necessario, aut major universalis. Si quidem minor particularis sit de necessario, sic fiunt duæ conjugationes: potest enim major de contingenti esse affirmativa vel negativa: sed quia ambæ istæ conjugationes sunt inutiles, ipsas omittamus. Si autem major est de necessario, et minor de contingent, sic fiunt iterum duæ conjugationes: quia minor erit aut affirmativa de contingent, aut negativa de contingent, et ambæ sunt utiles et possunt in duplicem conclusionem, sicut patebit. Ponamus ergo primo illam quæ habet majorem universalem de necessario, et minorem particularem de contingent, quæ est quartus modus primæ figuræ, et ostendamus quod illa concludit conclusionem de inesse, sic, si dicamus A nulli B contingere inesse, ita quod de necessitate nullum B sit A, B autem alicui c contingat inesse, ita quod aliquod c contingat esse B, sequitur necessitate syllogistica quod aliquod c non est A. Hoc autem probatur deducendo ad impossibile ex opposito conclusionis et conversa majoris de necessario sic: sumatur enim oppositum conclusionis de inesse quod est, omne c est A, et sumatur conversa majoris quæ est hæc, nullum A de necessitate est B, sic, nullum A de necessitate est B, omne c A, sequitur quod nullum c de necessitate est B, quæ est opposita minoris per syllogismum mixtionis necessarii et inesse in secundo primæ figuræ. Similiter si omni c inest A, et A nulli B contingit inesse, sequitur quod nulli c contingit inesse B, quod est oppositum minoris: quia in minori positum fuit quod alicui B contingit inesse A. Alia autem conjugatio quæ habet minorem negativam de contingent, intelligi potest per istam: quia similem isti habet potestatem et similiter perficitur, nisi in hoc solo quod oportet minorem converti ad oppositam qualitatem: tunc enim est syllogismus in quarto primæ, sicut et ille de quo dictum est.

Similiter autem quatuor sunt illæ quæ habent propositionem affirmativam de

necessario. Si enim minor particularis est de necessario, fiunt duæ conjugationes: si autem major et universalis, fiunt aliæ duæ. Variantur enim per affirmativum et negativum: et omnes istæ conjugationes sunt inutiles respectu conclusionis de inesse. Et duæ illarum conjugationum perfectæ sunt, illæ scilicet quæ habent majorem de contingenti affirmativam vel negativam, et concludunt contingens secundum superius dictam determinacionem, quod est contingens ad utrumlibet. Aliæ autem duæ sunt imperfectæ, scilicet ubi minor est de contingenti affirmativa vel negativa, et concludunt contingens pro possibili. Quod autem omnes istæ conjugationes inutiles sint ad conclusionem de inesse, similiter ostenditur sicut ostensum est in universalibus syllogismis. Ex quo patet quod quando particularis affirmativa de necessario est in syllogismo privativo (sicut est quartus primæ, in quo minor est particularis affirmativa, quæ est *b c* propositio), aut quando universalis affirmativa major est in syllogismo affirmativo (sicut est tertius primæ, in quo *a b* propositio major est affirmativa) non est syllogismus concludens conclusionem de inesse: et hoc eodem modo demonstratur, sicut in universalibus syllogismis (in similibus conjugationibus) est demonstratum.

Conjugationes autem particulares habentes minorem universalem, similiter variantur in octo conjugationes, quarum quatuor habent minorem negativam de necessario: quæ ambæ sunt inutiles sicut per instantiam terminorum ostendi potest. Si enim universale quidem ponatur ad minorem extremitatem sive affirmativum sive negativum et sit de contingenti, particolare autem ad majorem et sit de necessario, non erit conjugatio hujus mixtionis. Termini autem ex quibus sequitur ex necessitate omni inesse, sunt animal, album, homo: et si forte isti termini non ad omnes dictas conjugationes sufficiunt ad ex necessitate inesse, ponatur loco ejus, quod est homo, sensibile,

prout convertitur cum animali: et tunc sufficiunt: et formatio syllogismorum facilis est cuilibet: animal enim major extremitas contingenter se habet ad medium quod est album: ex necessitate autem se habet ad minorem extremitatem quæ est homo vel sensibile. Termini autem ad non contingere inesse sive ex necessitate non inesse, sunt animal, album, tunica, in quibus major extremitas se habet ad medium sicut prius, ad minorem autem se habet per impossibile, et per nulli ex necessitate inesse.

Quando autem universalis propositio est de necessario, et particularis est contingens, et universalis est privativa, est inutilis conjugatio: et probatur per instantiam terminorum. Et termini quidem omni ex necessitate inesse, sunt animal, album, corvus, sicut cuilibet patet ex predictis. Ad nulli autem ex necessitate inesse, termini sunt animal, album, pix.

Si autem universalis affirmativa de necessario et particularis de contingenti, est iterum inutilis conjugatio: et probatur per terminorum instantiam et sunt termini ad de necessitate omni inesse, animal, album, cygnus, sicut per se patet. Termini autem ad contingentre sive de necessitate nulli inesse, sunt animal, album, pix.

Adhuc autem nec erit utilis conjugatio hujus mixtionis, quando ambæ indefinitæ vel particulares sunt propositiones: termini autem communes instantiam ferenter contra has conjugationes ad ex necessitate inesse omni, animal, album, homo. Ad nulli autem ex necessitate inesse termini, animal, album, inanimatum. In talibus et animal alicui albo sicut cygno, et album necessarium est inesse alicui inanimato ut nivi, et alicui inanimato non contingit inesse: et in contingenti est similiter, quod alicui contingenter inest, et alicui non, propter quod ad omnes hujusmodi conjugationes ostendendas inutiles esse, predicti termini sunt utiles.

Si autem mixtio jam determinata com-

paretur mixtioni præcedenti, quæ fuit mixtio contingentis et inesse, invenietur quod convenientia istius mixtionis et illius in hoc est, quod tot et similes sunt conjugationes utiles et inutiles in ista et in illa. Differentia autem inter eas est, quod majori existente negativa de inesse, non sequebatur nisi conclusio de contingentibus: majori autem existente negativa de necessario, sequitur duplex conclusio: una scilicet negativa de inesse, alia negativa de contingentibus. Et sunt omnes istæ conjugationes imperfectæ in quibus major est de necessario, vel de inesse, et perficiuntur per figuræ quæ prædictæ sunt, ita quod habentes minorem affirmativam de contingentibus quædam perficiuntur per primam figuram, quædam autem per secundam, et quædam per tertiam, sicut patet per ante dicta. Habentes autem minorem negativam de contingentibus, perficiuntur per conversionem illius ad oppositam qualitatem, et ultiore reductionem ad impossibile.

Manifestum est ergo ex his quæ dicta sunt, quoniam quando similiter se habent termini, major scilicet et minor in mixtione necessarii et contingentis, et in mixtione contingentis et inesse secundum conjugationes utiles et imperfectas, et fit secundum conjugationes utiles, et non fit secundum conjugationes inutiles syllogismus. In mixtione autem necessarii et contingentis quando privativa est de necessario, fit conclusio et secundum contingere non inesse, et secundum non inesse: quod non fit quando illa de inesse est negativa: et in hoc differunt.

Palam autem ulterius ex dictis est, quod omnes tales syllogismi imperfecti sunt, et quod perficiuntur per prædictas figuræ, sicut ante perfecti sunt per prædicta a nobis.

## CAPUT XVIII.

*Quia non potest esse generatio uniformis de contingentibus in secunda figura.*

Acturi autem de generatione uniformi syllogismorum de contingentibus in secunda figura inutilium et utilium conjugationum, primo ponendæ sunt regulæ per quas regulantur hujusmodi syllogismi, si fieri possunt in secunda figura. Prima regula est, quod in secunda sive in media figura, quando utræque propositiones præmissæ sunt contingentibus sive de contingentibus ad utrumlibet qualitercumque continentur ad modum aliquem constituendum, non fit syllogismus in secunda figura.

Secunda vero regula per quam regulari habent syllogismi contingentibus et inesse, sive in mixtione contingentis et inesse, in secunda figura est hæc, quod in secunda figura fit mixtio contingentis et inesse, si una propositionum fuerit affirmativa et altera negativa: et si illa propositio quæ est de inesse, fuerit universalis affirmativa, non erit syllogismus in secunda figura. Si autem illa de inesse fuerit universalis negativa, erit syllogismus in secunda figura ex mixtione contingentis et inesse.

Tertia regula est secundum quam regulatur mixtio contingentis et necessarii in secunda figura, et est hæc, quod eodem modo est in mixtione contingentis et necessarii in secunda figura sicut est in mixtione contingentis et inesse in secunda figura, quod scilicet universalis negativa existente de necessario, fit syllogismus, sed non fit syllogismus, universalis affirmativa existente de necessario.

His autem ita positis, adhuc addendum est quod contingens quod concluditur in conclusionibus syllogismorum secundæ figuræ oportet accipere eodem modo, quemadmodum et in prioribus est acceptum, hoc est, quod in tota ista generatio-

Prima regula.

Secunda.

Tertia.

ne syllogismorum de contingentis secundum mixtiones contingentis et inesse et necessarii et contingentis, non concluditur nisi contingens pro possibili. Si enim syllogismus talis vel talis mixtionis reducatur in primam figuram, erit in prima figura major universalis negativa, vel de inesse, vel de necessario: propter quod sicut talis conjugatio in prima figura non concludit nisi contingens pro possibili, sic nec in secunda figura universales syllogismi, de quibus hic loquimur, non possunt concludere nisi contingens pro possibili.

Has autem regulas verificabimus hoc modo, quibus verificatis satis patet generatio syllogismorum uniformium et mixtorum in secunda figura. Ad verificacionem ergo primæ præponimus istam rationem: quoniam si perfici debeat syllogismus secundæ figuræ, oportet quod aut per conversionem propositionis de contingentis perficiatur, aut per deductionem ad impossibile. Sed neutro istorum modorum potest perfici syllogismus secundæ figuræ, qui est ex utraque de contingentibus. Ergo utraque existente de contingentibus in secunda figura non erit syllogismus.

Ostendamus autem primo quod non potest perfici per conversionem, ita scilicet quod universalis negativa convertatur in terminis secundum idem genus contingentis: sed bene convertitur in terminis in contingens commune, quod est contingens pro possibili, sicut a principio istius libri determinatum est: nullo modo tamen convertitur illa negativa de contingentibus ad utrumlibet secundum idem genus contingentis. Quod autem non convertatur de contingentibus ad utrumlibet universalis negativa, supponamus ex prius habitis, quia convertitur illa de tali contingenti in oppositam qualitatem. Dicamus igitur hoc supposito, quod in contingere non convertitur universalis privativa, ut si dicamus, quod A contingit nulli B, quod nullum B contingit esse A, non est necesse per consequentiam conversionis, quod e converso B contingat

nulli A, hoc est, quod nullum A contingat esse C: hoc autem ostenditur deducendo ad impossibile. Faciamus ergo istam consequentiam conversionis sic, nullum B contingit esse A, ergo nullum A contingit esse B: si enim sequitur hoc, detur haec, nullum B contingit esse A; quoniam ergo jam ostensum est quod in contingentibus convertuntur affirmaciones negationibus, ita quod contraria in contrariam, et contrajacentes sibi per contradictionem in suas contrajacentes convertuntur, ita quod sint affirmati modi, et contrarie vel contradictorie in dicto sive propositione quæ modificatur: tunc ex hoc sequitur si nullum A contingit esse B, quod omne A contingit esse B, sed hoc est falsum: non enim sequitur, si aliquod prædicatum alicui subjecto omni sive universaliter contingit inesse, quod etiam e converso subjectum illud omni prædicato per conversionem contingat inesse: quare si contingit nullum A esse B, non sequitur quod contingat nullum B esse A: si enim hoc detur, sequitur quod contingit omne A esse B, quod falsum est: quia universalis affirmativa non convertitur simpliciter in terminis. Hoc autem sequitur ex hoc, quod ponitur universalis negativa converti in terminis in contingentibus. Ergo talis hypothesis est impossibilis.

Hoc autem idem per instantiam in terminis ostenditur sic: quia nihil prohibet in quibusdam terminis A quidem prædicatum nulli B contingere: et tamen B subjectum alicui quod est sub A prædicato de necessitate non inesse: sit enim B homo, et A album: contingit enim album omni homini non inesse, sive nulli homini inesse: quia contingit nullum hominem esse album; quod probatur per hoc, quia contingit omnem hominem esse album propter conversionem in oppositam qualitatem: non tamen contingit nullum album esse hominem: quia quedam alba necesse est non esse hominem sicut cygnum, et nivem, et margaritam, et hujusmodi. Quod autem necessarium est

non esse, non potest esse contingens esse vel non esse; quia necessarium et tale contingens opposita sunt.

Hoc autem idem etiam per signum ostendi potest: quia si universalis negativa convertitur in terminis, quando est de contingentibus, signum esset quod talis conversio ostendi posset per deductionem ad impossibile, sicut aliae conversiones ostenduntur. Si autem ostendi posset hoc per impossibile, oporteret quod sic ostenderetur: contingit nullum *B* esse *A*, ergo contingit nullum *A* esse *B*; si non sequitur, tunc stabit oppositum cum præmissa: oppositum autem est, non contingit nullum *A* esse *B*: hæc autem convertitur cum ista, necesse aliquod *A* esse *B*. Si autem necesse est aliquod *A* esse *B*, necesse est aliquod *B* esse *A*, et hæc non potest stare cum prima, hac scilicet, contingit nullum *B* esse *A*: sic ergo si convertitur, deberet ostendi per impossibile: sed patet quod convertens propositionem universalem negativam de contingentibus, per impossibile conversionem illam non ostendet, ita quod ostendendo assumat quod est oppositum convertentis, scilicet quod dicat falsum esse quod *B* contingat nulli *A*, et verum esse oppositum hujus, scilicet quod *B* non contingit nulli *A*, eo quod ista duo sunt affirmatio et negatio oppositæ. Si autem hoc detur, quod non contingit *B* nulli *A*, tunc verum erit quod ex necessitate alicui *A* oportet inesse *B*, quia æquipollent istæ duæ, et una convertitur cum alia: et si detur quod aliquod *A* de necessitate est *B*, tunc per conversionem particularis sequitur, quod etiam aliquod *B* necesse est esse *A*: hoc autem est impossibile, quia non stat cum prima, quæ dicit quod contingit nullum *B* esse *A*. Est ergo hoc impossibile: unde si per impossibile ostendatur ista conversio, sicut dictum est, oportet quod ostendatur: et non sequitur impossibile: quia non sequitur quod si *A* non contingit nulli *B*, ita quod non contingit nullum *B* esse *A*, quod propter hoc necesse sit alicui *B* inesse *A*.

Hujus autem causa est, quod cum dicitur nullum *B* contingit esse *A*, hæc negativa de contingentibus duas habet causas veritatis: nam non contingere nulli dupliciter dicitur: hoc quidem in uno sensu est verum si ex necessitate alicui inest: et hic sensus est ex oppositione contingentis et necessarii: aliud autem dicitur alicui non contingere, si ex necessitate alicui non inest, ita quod impossibile sit inesse. Patet igitur quod sic ducens ad impossibile procedit a propositione quæ duas habet causas veritatis ad unam illarum causarum: et sic peccat secundum fallaciam consequentis. Hoc autem sic declaratur: quia igitur manifestum est istam propositionem, non contingit nullum *A* esse *B*, quæ est opposita convertentis, verificari pro hoc sensu, necesse est aliquod *A* esse *B*, ideo iste sensus supponatur: et ostendamus quoniam adhuc et alium sensum habet suæ veritatis, scilicet quod necesse est aliquod *A* non esse *B*. Hoc autem ostenditur per simile in negatione universalis affirmativæ de contingentibus: etiam hoc non sequitur, si *B* alicui eorum quæ sunt *A* non inest ex necessitate, quod propter hoc *B* contingit omni *A* inesse: sicut non sequitur quod id quod alicui inest ex necessitate, quod propter hoc omni illi contingit inesse. Sicut ergo hæc negativa, non contingit omne *A* esse *B*, verificatur pro ista, necesse est aliquod *A* esse *B*; sequitur enim, si necesse est aliquod *A* esse *B*, non contingit omne *A* esse *B*: sic etiam hæc negativa, non contingit nullum *A* esse *B*, verificatur pro ista, necesse est aliquod *A* non esse *B*, et ita sequitur, si necesse est aliquod *A* non esse *B*, quod non contingit nullum *A* non esse *B*. Patet igitur quod inducta propositio duas habet causas suæ veritatis.

Adhuc autem (ut melius hoc declaretur) ostendamus, quod negatio universalis affirmativæ de contingentibus sequitur ad particularem affirmativam de necessario, sic non contingit omni inesse, sequitur ad necesse inesse alicui, et verifi-

catur pro illa negativa de contingentí, et non convertitur. Si ergo sic arguatur, non contingit omne  $\alpha$  esse  $\beta$ , ergo necesse est aliquod  $\alpha$  non esse  $\beta$ , illud non sequitur: quia poterit esse vera, si necesse est aliquod  $\alpha$  esse  $\beta$ : cum igitur ista negativa de contingentí, non contingit omne  $\alpha$  esse  $\beta$ , habeat duas causas veritatis, scilicet vel quia necesse est aliquod  $\alpha$  non esse  $\beta$ , vel quia necesse est aliquod  $\alpha$  non esse  $\beta$ , et quod huic affirmativæ, contingit omne  $\alpha$  esse  $\beta$ , opponatur utraque dictarum, scilicet et illa, necesse est aliquod  $\alpha$  esse  $\beta$ , et necesse est aliquod  $\alpha$  non esse  $\beta$ , patet per se: et si hæc affirmativa habet istas duas sibi oppositas, sua negatio, hæc scilicet, non contingit nullum  $\alpha$  esse  $\beta$ , verificarí potest secundum utramque istarum: et hæc est solutio argumenti.

Si ergo aliquis putet, quoniam non contingit  $\beta$  omni  $\alpha$  inesse: et ex hoc sumat, quoniam  $\beta$  ex necessitate non inest  $\alpha$ , falsum sumit, quia omni  $\beta$  inest  $\alpha$ . Sed propter hoc quod quibusdam non ex necessitate inest, ideo dicimus et concedimus quod non omni  $\beta$  contingit  $\alpha$  inesse. Et ex hoc concluditur quod illi propositioni quæ est contingere omni inesse, opponitur et illa, quæ est ex necessitate alicui inesse, et illa quæ est ex necessitate alicui non inesse, et eadem duæ opponuntur illi quæ dicit quod nullum  $\beta$  contingit esse  $\alpha$ .

Palam ergo est ex his quæ dicta sunt, quod ad sic contingens, vel non contingens (secundum quod a principio istius tractatus diffinitum est, quod est contingens ad utrumlibet) duo sunt opposita pro quibus verificarí potest, scilicet ex necessitate alicui inesse, et ex necessitate alicui non inesse; hæc enim propositione, non contingit nullum  $\alpha$  esse  $\beta$ , potest verificarí pro hoc sensu: quia necesse est aliquod  $\alpha$  esse  $\beta$ , vel pro hoc, necesse est aliquod  $\alpha$  non esse  $\beta$ , et tunc non est dandum quod verificetur pro primo, sed pro secundo: et si hoc sumatur, nihil sequitur vel accidit impossibile. Sequitur

ergo quod non fit syllogismus ex propositionibus de contingere: et patet quod non potest ostendi per conversionem: quia non convertitur privativa de contingentí: patet ergo quod talis syllogismus non perficitur per conversionem.

Hoc autem ostendo, probatur etiam quod non perficitur per deductionem ad impossibile. Disponantur enim propositiones in primo modo secundæ figuræ, sic: ponatur enim  $\alpha$  nulli  $\beta$  contingere, sic, nullum  $\beta$  contingit esse  $\alpha$ , et hæc sit major: et ponatur  $\alpha$  contingere omni  $\beta$  sic, omne  $\beta$  contingit esse  $\alpha$ , et hæc sit minor: in tali autem dispositione non erit syllogismus qui perficiatur per conversionem: quia jam dictum est quod propositio negativa in eodem genere contingentis non convertitur. Sed nec per impossibile potest probari vel perfici: quia si accipiatur opposita conclusionis pro contrarieitate quæ est, omne  $\beta$  contingit esse  $\alpha$ , nihil accidit falsum: quia accepta contraria conclusionis cum majori syllogizatur per primam figuram ex uniformibus de contingentí, quod contingit nullum  $\beta$  esse  $\alpha$ , quæ non repugnat minori: quia  $\alpha$  contingit et omni et nulli  $\beta$  inesse: et si contingit omni, contingit nulli, et e contrario. Similiter autem si contradictoria conclusionis accipiatur cum minori, non destruetur major, propter eamdem causam. Sic ergo patet quod diximus, quod nec per conversionem, nec per impossibile potest demonstrari.

Hoc autem adhuc et alia probatur ratione: omnino enim sive universaliter loquendo, si erit syllogismus in secunda figura ex uniformibus de contingentí universalis, palam est quoniam ille syllogismus est contingentis conclusionis: eo quod ambæ propositiones præmissæ sunt de contingentí, et neutra sumpta est de inesse. Oportet autem conclusionem in aliquo similem esse præmissis, ut saepius dictum est. Hic autem contingentis syllogismus, aut est affirmativus ut affirmativam habeat conclusionem, aut negativus ut habeat conclusionem negativam. Sed

Alia probatio, quod et ambabus contingentiis sequitur in secunda figura.

neutram istarum potest concludere, sicut patet per instantiam in terminis factam. Si enim ponatur quod concludat universalem affirmativam de contingenti, ostendetur per terminos quod non necesse conclusionem esse de contingenti, et quod id quod conclusum est non contingit inesse, sed inesse est necessarium omni. Similiter autem si dicatur vel ponatur, quod est privativus concludens universalem negativam de contingenti, sic ostendetur per terminos, quod illa non est de contingenti semper, sed de necessario nulli inesse.

Sit enim  $a$  album,  $b$  autem homo : id autem in quo  $c$  equus sit. Patet ex habitudine terminorum, quod  $a$  quod est album et est medium, contingit huic quidem majori extremo omni inesse. Illi vero minori extremo contingit idem album nulli inesse, sic, omnem hominem contingit esse album ; nullum equum contingit esse album ; et non sequitur : ergo omnem hominem contingit esse equum, vel nullum hominem contingit esse equum : majus enim extremum, neque contingit inesse minori, neque non inesse : quia necesse est non inesse ; tale autem contingens de quo loquimur, opponit necessario. Quod enim non sit possibile inesse affirmative, manifestum est ex hoc quod de necessitate nullus equus est homo. Adhuc autem manifestum est, quod non est possibile majus minori contingere non inesse ex hoc, quod necesse est nullum equum esse hominem. Dicitum est autem quod necessarium non est contingens, sed opponitur illi. Patet igitur quod non fit syllogismus de uniformiter contingentibus in secunda figura : quia enim sequitur universalis affirmativa de necessario, ideo non potest sequi aliqua negativa de contingenti : et quia sequitur universalis negativa de necessario, non potest sequi aliqua affirmativa de contingentibus universalis vel particularis.

Similiter autem ostendetur in secundo modo secundæ figuræ si e converso ponatur universalis privativa, ita ut sit mi-

nor in syllogismo, et major sit universalis affirmativa : et si affirmativa vel negativa ponatur utraque de contingenti, quod non fit syllogismus, et per eosdem terminos erit demonstratio per instantiam.

Adhuc autem similiter ostendetur in particularibus syllogismis, quando una quidem fuerit universalis et alia particularis, et utraque de contingenti : et quando utraque præmissæ sumuntur particulares, vel indefinitæ, vel quolibet modo alio, possunt permutari propositiones ad modos secundæ figuræ constituendos : semper enim et in omnibus per eosdem terminos instantiarum erit demonstratio, quod non fit syllogismus ex uniformiter contingentibus præmissis. Manifestum est ergo generaliter, quoniam utrisque propositionibus præmissis sumptis de contingentibus non fit in secunda figura syllogismus, nec universalis, nec particularis.

~~SCOLASTICAT DU SACRE-COEUR  
LEBRET, SASK~~

#### CAPUT XIX.

*Quare ex utraque de contingentibus non fit syllogismus in secunda figura.*

Quæreret autem fortasse aliquis, propter dubitatio-  
quid non potest fieri syllogismus ex utraque de contingentibus in secunda figura, cum tamen secunda figura descendat a prima : et scimus jam per prædicta, quod in prima figura fit syllogismus ex utraque de contingentibus. Sed hujus causa satis patet : cum enim in his quæ sunt de contingentibus ad utrumlibet negativæ convertantur affirmativis, et ex affirmativis non possit syllogizari in secunda figura, patet quod ex contingentibus syllogizari non potest. Et si secunda figura descendit a prima, hoc fit per conversionem propositionis negativæ : jam autem probatum est, quod negativa de contingentibus converti non potest : et ideo quoad syllogismum de contingentibus secunda figura a prima non descendit.

Solutio nota-  
tanda.

Attendendum autem quod in contingentibus negativæ convertuntur affirmativis, et e converso: et ideo in contingentibus nulla est simpliciter negativa: quia semper remanet in ea potentia ad affirmativam. In secunda autem figura oportet alteram propositionem esse simpliciter negativam ad hoc quod fiat syllogismus: et ideo quia negativa convertitur affirmativæ in secunda figura syllogismus ex contingentibus fieri non potest.

**Objectio.** Si autem contra hoc objiciens dicat, quod secundum hoc in secunda figura non posset fieri syllogismus ex negativa de necessario, et ex negativa de contingentи pro possibili: quia illæ non sunt vere negativæ: quod tamen falsum est: ex talibus enim fit in secunda figura syllogismus.

**Solutio.** Sed ad hoc potest dici, quod negativa de necessario, et negativa de contingentи pro possibili, negativæ sunt cuiusdam compositionis, et quoad illam sunt simpliciter negativæ, quamvis non negent principalem compositionem propositionis modificatae: et sic sunt quodammodo vere negativæ. Potentia autem et virtute non sunt vere negativæ: quod per hoc patet, quia negativa de necessario convertitur cum negativa de contingentи, ut si necesse est non esse, non contingit esse: quamvis sic non eodem modo sint negativæ: quia una est negativa dicti, et altera est negativa modi, ut si contingit non esse, non necesse est esse, et est contingens pro possibili. Sic autem non est in contingentи ad utrumlibet, cuius negativa semper virtute est affirmativa: et ideo ex illis syllogizari potest in secunda figura: ex istis autem quæ sunt de contingentи ad utrumlibet, non potest in secunda figura fieri syllogismus.

Est autem hic notandum quod quamvis universalis negativa et universalis affirmativa in contingentи convertantur ad invicem, tamen universalis negativa non eodem modo convertitur in affirmativam, sicut e converso affirmativa convertitur ad negativam: quia universalis negativa

convertitur in terminis, et hoc modo non convertitur universalis affirmativa ad quam convertitur negativa: sed e converso quando affirmativa quæ convertitur particulariter, convertitur ad negativam: illam etiam converti particulariter nihil est inconveniens: si enim nullus homo est albus, quoddam album non est homo: et ideo quamvis negativa convertatur ad affirmativam, non tamen in terminis convertitur ad eam. Sed e converso quando affirmativa convertitur ad negativam, nihil inconveniens est etiam in terminis converti ad ipsam, eo modo quo universalis affirmativa convertitur particulariter, ut dictum est.

Notandum etiam quod cum fit talis consequentia, necesse est aliquod A esse B, ergo non contingit omne A esse B. Similiter necesse est aliquod A non esse B, ergo non contingit nullum A esse B: istæ consequentiae sunt immediatæ, quia cum contingens ad utrumlibet et necessarium sint opposita, sequitur immediate, si necesse est aliquod A esse B, non contingit aliquod A esse B, et si non contingit aliquod A esse B, non contingit omne A esse B: ergo a primo ad ultimum si necesse est aliquod A esse B, non contingit omne A esse B. Similiter est ex parte universalis negativæ: quia si necesse est aliquod A non esse B, non contingit aliquod A non esse B, et si non contingit aliquod A non esse B, non contingit nullum A esse B a destructione consequentis: ergo a primo ad ultimum si necesse est aliquod A esse B, non contingit nullum A esse B propter oppositionem necessarii et contingentis.

**Dubitatio.** Est etiam hic notandum quod in præhabitis dictum est, quod syllogismus uniformis ex contingentи in secunda figura non potest probari per deductionem ad impossibile. Deducendo enim ad impossibile sumpta est contraria conclusionis hujus, nullum c contingit esse B, hæc, contingit omne c esse B, hæc autem non videtur esse opposita cum istæ duæ propositiones, nullum c contingit esse B, et omne c con-

**Solutio.** tingit esse  $B$ , in contingentibus convertantur ad invicem. Adhuc autem in deductione ad impossibile sumpta est contraria, cum contradictoria potius videatur esse sumenda. Sed ad hoc dicendum quod sumendo contrariam conclusionis debet supponi, quod conclusio sit de contingentи pro possibili: quia aliud contingens non concluditur in secunda figura: et hoc modo non convertuntur ad invicem hae, nullum  $C$  contingit esse  $B$ , et omne  $C$  contingit esse  $B$ . Quia autem contraria sumpta est et non contradictoria, ideo est quia etiam sumpta contradictoria, hac scilicet, aliquod  $C$  contingit esse  $B$ , cum altera præmissarum majori vel minori non syllogizatur aliquod inconveniens contra reliquam: et ideo non oportet sumi contradictoria, quia intelligitur per contrariam sicut consequens in antecedente: et quod non sequitur ad contrariam, non sequitur ad contradictoriam, quia quod non sequitur ad universalem, non sequitur ad particularem.

Notandum tamen est quod quamvis secundum proprietatem secundæ figuræ non possit esse conclusio nisi de contingentи pro possibili: tamen si respiciatur virtus præmissarum, quæ ambæ sunt de contingentи ad utrumlibet, non potest sequi conclusio nisi de contingentи ad utrumlibet: et ideo dicit Aristoteles quod si aliqua conclusio ex tali conjugatione sequeretur, illa esset de contingentи ad utrumlibet, cum tamen nulla sequatur, ut dictum est. Hoc autem ex hoc patet, quia etiamsi accipiatur conclusio de contingentи ad utrumlibet, non contingit propter hoc ducere ad inconveniens: hæc enim negativa, non contingit nullum  $C$  esse  $B$ , duplē causam habet veritatis, scilicet vel quia necesse est aliquod  $C$  esse  $B$ , vel quia necesse est aliquod  $C$  non esse  $B$ ; et si accipiatur altera istarum cum majori, fiet mixtio contingentis et necessarii in prima figura, quæ mixtio non interimit minorem præcedentis syllogismi. Si autem altera prædictarum accipiatur cum minori, fiet mixtio contingentis et neces-

sarii in tertia figura, quæ non interimit majorem. Adhuc autem quamvis forte ex altera illarum et altera præmissarum concludi posset oppositum alterius præmissæ, ex hoc tamen non ostenderetur conjugatio esse utilis: oppositum enim conclusionis sequitur ad utrumque prædictorum, et non e converso: et non est verum, si aliquid sequatur ad antecedens, quod ipsum etiam sequatur ad consequens. Et ideo patet quod ex duabus de contingentи semper est inutilis conjugatio in hac secunda figura.

## CAPUT XX.

*De mixtione contingentis et inesse in secunda figura.*

In mixtione contingentis et inesse in secunda figura talis primo supponenda est regula, quod si altera quidem propositionum præmissarum fuerit de inesse simpliciter, et altera de contingentи, si affirmativa quidem fuerit de inesse, et privativa fuerit de contingentи, nunquam fit syllogismus hujus mixtionis in secunda figura, sive universaliter, sive particulariter sumantur termini sive propositiones. Hoc autem demonstratur per eosdem terminos, qui in præmissis adducti sunt, scilicet album, homo, equus.

Quando autem affirmativa significat contingere et sit de contingentи, et negativa de inesse simpliciter, semper erit syllogismus. Hujus autem ratio et causa Ratio regulæ. est: quia quamvis syllogismi secundæ figuræ descendant a prima per conversiōnem propositionis, et quamvis talis mixtio quæ est ex affirmativa de inesse positā, et negativa de contingentи accepta, sit utilis in prima figura: tamen quia isti syllogismi hujus mixtionis non descendunt a perfectis conjugationibus primæ figuræ, sed a quadam imperfecta conjugatione, quæ in hac mixtione in prima figura posita est, quæ habet majorem negativam de inesse et minorem affirmativam de contingentи: ideo oportet quod omnes

istæ utiles conjugationes habeant majorem de inesse negativam, et minorem affirmativam de contingentibus: quia aliter non haberent propositionem quæ possit esse major in prima figura dictæ conjugationis imperfectæ, ad quam habent immediate reduci. Hæc igitur causa est, quod oportet habere majorem negativam de inesse.

**Objectio.** Si autem aliquis quærat quare non descendat aliquis syllogismus hujus mixtionis in secunda figura a modo imperfecto qui habet affirmativam de inesse: talis modus in prima figura jam in ante habitus positus est, sicut et ille qui habet ma-

**Solutio.** jorem negativam de inesse. Sed hoc facile solvitur: hæc enim figura secunda non habet nisi syllogismos negativos: modus imperfectus primæ figuræ qui habet illam quæ est affirmativa de inesse, est modus affirmativus: et ideo ab illo modo non possunt descendere syllogismi hujus secundæ figuræ.

**Dubitatio.** Si autem quæratur, quare syllogismi isti non descendunt a conjugationibus perfectis? Dicendum est quod modus perfectus in prima figura in hac mixtione contingentis et inesse habet majorem de contingentibus: syllogismi autem secundæ figuræ descendunt a syllogismis primæ figuræ per conversionem majoris: propter quod cum universalis negativa (quæ major est) sit de contingentibus in modis perfectis: et universalis negativa de contingentibus non possit converti, non potest ab illo modo descendere aliquis hujus figuræ syllogismus in hac mixtione. Patet igitur ex dictis quod omnes syllogismi hujus secundæ figuræ istius mixtionis descendunt a syllogismo primæ figuræ, qui est universalis negativæ in secundo modo primæ figuræ ejusdem mixtionis: ille enim habet majorem negativam de inesse.

**Modi universales utiles ex una de contingentibus et alijs tera de inesse in secunda figura.** His autem sic determinatis, ponamus utiles et universales per hanc mixtione conjugationes: et primo ponamus mixtionem juxta primum modum habentem

majorem universalem negativam de inesse, et minorem universalem affirmativam de contingentibus, sic, sumatur *a* (quod est medium) *b* quidem (quod est major extremitas) nulli inesse simpliciter, ut hæc sit vera, nullum *b* est *a*, et sumatur in minori affirmativa, quod *a* contingit omni*c*, ita quod hæc est vera, omne *c* contingit esse *a*, perficitur autem hic syllogismus concludens, quod nullum *a* contingit esse *b* per conversionem majoris propositionis, ut convertatur in hanc, nullum *a* est *b*, omne *c* contingit esse *a*, ergo nullum *c* contingit esse *b*, qui est secundus primæ figuræ.

Similiter autem est in formatione secundi, quando scilicet ad *c* minorem extremitatem ponitur privativa universalis, sic, omne *b* contingit esse *a*, nullum *c* est *a*, ergo nullum *c* contingit esse *b*. Sed hic syllogismus perficitur per conversionem minoris, et per transpositionem propositionum, et per conversionem conclusionis in terminis<sup>1</sup>. Hæc enim converti poterit in terminis: quia est de contingentibus pro possibili, sicut saepius dictum est: et his duobus modis fiunt utiles conjugationes concludentes ex ipsis sumptis propositionibus.

Sunt autem utiles, sed non ex sumptis propositionibus, habentes utramque præmissarum negativam. Si enim utræque præmissæ sint negativæ, et una de inesse, et altera de contingentibus: tunc enim per ea quæ sumpta sunt, non potest fieri syllogismus, quia ex utraque negativa non fit syllogismus: quando autem convertitur illa quæ est de contingentibus sive major sive minor secundum conversionem ejus quod est contingere, hoc est, in oppositam qualitatem, et per conversionem illius de inesse in terminis, fit syllogismus sicut prius: et fiunt hic duo modi universales sicut prius, sicut cuilibet patere potest per seipsum.

Est autem dubium de istis utilibus conjugationibus: videntur enim habere in-

Dubita-

<sup>1</sup> Vide supra in cap. 18.

**Solutio.** stantiam in terminis ad conclusionem de contingentia, sic, nullum animal est album (et hoc ponatur), omnem equum contingit esse album : et patet quod non sequitur, contingit nullum equum esse animal. Ad hæc autem et similia dicendum, quod omnes instantiae sunt sophisticæ, in quibus propositio de inesse accipitur de inesse ut nunc : oportet enim negativam semper esse de inesse simpliciter.

Si autem adhuc quæritur ratio hujus, Dicendum quod illi syllogismi descendunt a conjugatione imperfecta quæ habet majorem de inesse negativam : et ideo oportet quod etiam in ista sit illa de inesse negativa, quæ vel sit major vel possit esse major in syllogismo primæ figuræ, ad quem syllogismi universales primæ figuræ reducuntur: et sicut ibi propositio de inesse est de inesse simpliciter, ita oportet quod sit de inesse simpliciter etiam hic.

**Dubitatio.** Adhuc autem si aliquis hic opponat sicut in præcedentibus, quod sequitur conclusio de inesse, ponendo minorem inesse cum opposito conclusionis, Dicendum sicut in præcedentibus, quod non potest minor ponere inesse : quia per positionem ejus inesse fit incompossibilitas, eo quod major est de inesse simpliciter : oppositum enim conclusionis incompossibile efficitur minori per positionem ejus inesse.

**Solutio.** Inutiles autem conjugationes in hac mixtione in hac secunda figura sunt istæ. Prima quidem, si utræque præmissæ ponantur prædicativæ, et una de contingentia, et altera de inesse, sive major fuerit de inesse et minor de contingentia, sive e converso : tunc enim non erit syllogismus : et probatur per instantiam terminorum ad conclusionem de contingentia. Et termini quidem ad inesse ex necessitate, sunt sanitas, animal, homo, sic, omne animal contingit esse sanum : omnis homo est sanus : sit ita : nec tamen sequitur, omnem hominem contingit esse animal. Idem est si minor sit de contingentia. Termini autem ad non inesse ex

necessitate, sunt sanitas, equus, homo, sic, omnem equum contingit esse sanum : omnis homo est sanus (et hoc ponatur), non tamen sequitur, quod omnem equum contingit esse hominem : quia equus de necessitate non est homo.

**Dubitatio.** Dubium tamen est de hujusmodi conjugationibus inutilibus : videtur enim quod conjugatio in qua minor est de inesse universalis et affirmativa, sit utilis : talis enim conjugatio videtur esse utilis, contingit nullum b esse a, omne c est a, ergo contingit nullum c esse b, et accipiatur in conclusione contingens pro possibili. Accipiatur enim oppositum conclusionis cum majori posita inesse, et sequitur oppositum minoris, sic, nullum b est a, aliquod c de necessitate est b, ergo aliquod c non est a ; sequitur enim ad minus conclusio de inesse : sed hæc conclusio est contradictoria minoris. Similiter autem ostendit videtur talis conjugatio utilis esse respectu conclusionis de inesse, sic, contingit nullum b esse a, omne c est a, ergo nullum c est b. Si dicitur quod non sequitur, detur oppositum et ponatur major inesse sic, nullum b est a, aliquod c est b, ergo aliquod c non est a quæ est contradictoria minoris. Similiter autem est omnino de omnibus inutilibus conjugationibus, et universalibus et particularibus conclusionibus habentibus universalem negativam de contingentia et illam de inesse affirmativam.

**Solutio.** Ad hæc autem dicendum est, quod istæ conjugationes inutiles sunt respectu utriusque conclusionis : et quando petitur oppositum utriusque conclusionis, dandum est : quia stabit cum præmissis : sed non est admittenda positio majoris inesse : et hujus hæc est ratio : cum enim minor sit vera de inesse, et non est possibilis ut fiat major in prima figura : per reductionem potest esse de inesse ut nunc : quo existente oppositum utriusque conclusionis est compossibile majori ante positionem ejus de inesse : sed post positionem ejusdem inesse non est compossibile : et ideo cum opposito conclusionis

non debet admitti positio majoris inesse. Cujus exemplum est: quia contingit nullum hominem esse album: omne animal est album (et hoc ponatur), neque tamen sequitur conclusio de inesse, neque conclusio de contingenti. Minor enim existente vera compossibilis sunt, et oppositum conclusionis de inesse, scilicet aliquod animal est homo: et contingit nullum hominem esse album. Similiter compossibilis sunt major et oppositum conclusionis de contingenti, scilicet aliquod animal de necessitate est homo: et contingit nullum hominem esse album. Sed minori existente vera, non potest stare oppositum conclusionis cum majori posita inesse: et ideo non potest major posse inesse. Hæc autem omnia per ea quæ dicta sunt, sufficienter patere possunt cuilibet in istis consideranti, quia hoc non est difficile.

## CAPUT XXI.

*De formatione particularium syllogismorum mixtionis contingentis et inesse in secunda figura.*

Modi particulares utilles in secunda figura perfecti et imperfecti.

Eodem autem modo, sicut dictum est, in universalibus hujus mixtionis syllogismis in secunda figura, sic etiam est in particularibus syllogismis ejusdem mixtionis. Quando enim in tertio vel quarto propositio affirmativa erit de inesse sive universalis, sive particularis sit, nullus erit syllogismus ad conclusionem de contingenti, vel de inesse. Hoc autem per eosdem terminos instantiarum demonstratur, quibus et prius in universalibus syllogismis demonstratum est, qui sunt ad inesse quidem omni, sanitas, animal, homo: non inesse autem contingenter, sanitas, equus, homo, et facile est formare syllogismos.

Quando autem fuerit illa de inesse negativa: tunc poterit esse syllogismus per conversionem in terminis factam illius de inesse quæ in tertio est major et universalis, minor autem particularis affir-

mativa de contingenti, sicut scitur per ordines modorum in figuris.

Rursum si ambo quidem intervalla sive propositiones fuerint negativæ, ita quod major sit universalis negativa de inesse, minor autem particularis de contingenti et negativa: tunc quidem ex ipsis sumptis propositionibus nullus fit syllogismus: conversa autem propositione quæ est de contingenti ad oppositam qualitatem, erit et conversione illius de inesse in terminis facta.

Si autem particularis negativa fuerit de inesse, quocumque modo reliqua propositio se habeat, nullo modo erit syllogismus, sive altera sit universalis affirmativa sive sit universalis negativa. Adhuc autem nec tunc erit syllogismus, quando utræque præmissæ ponuntur esse indefinitæ, vel utræque sumuntur particulares. Et in omnibus istis conjugationibus demonstratur inutilitas per eosdem terminos, qui prius inducti sunt.

Modi inutilles in eadem figura.

Hic tamen dubium esse videtur de quarto istius secundæ figuræ, qui est ex universali affirmativa majori, et negativa particulari minori, in quo secundum ea quæ dicta sunt non potest esse utilis conjugatio in hac mixtione: videtur enim quod majori affirmativa universalis existente de contingenti, minori autem particulari negativa existente de inesse, fit utilis conjugatio hoc modo, contingit omne b esse a, quoddam c non est a, ergo quoddam c contingit non esse b; et ostendatur per expositionem: si enim quoddam c non est a, sicut dicit minor propositio, accipiat illud, et sit tale a quo universaliter removetur a, et fiat sic syllogismus, contingit omne b esse a, nullum c est a, ergo contingit nullum c esse b: iste syllogismus est utilis, ut videtur: et est in secundo modo hujus figuræ secundum mixtionem contingentis et inesse: fit enim hic syllogismus secundum principia superius data ad hanc mixtionem.

Dubitatio.

Ad hoc dicendum est quod in ista mixtione oportet illam de inesse esse de inesse simpliciter, et non ut nunc tantum. In

Solutio.

syllogismo autem expositorio potest illa de inesse esse de inesse ut nunc : et ideo non valet probatio. Quod autem in exposito syllogismo non oporteat illam de inesse esse de inesse simpliciter, ex hoc ostenditur quod accipitur sub particulari negativa posita in priori syllogismo, quæ potuit esse de inesse ut nunc, et non potuit appropriari per conjunctam, ut staret pro inesse simpliciter.

**Regula.** Ad sufficientiam autem harum conjugationum oportet scire, quod in hac mixtione sicut in aliis de necessitate triginta duæ sunt conjugationes. Oportet autem in hac figura generaliter in omnibus syllogismis majorem esse universalem : cuius causa in præhabitum ostensa est. Specialiter etiam oportet quod in hac mixtione illa de inesse sit universalis negativa, sicut prædictum est.

Ex his autem facile manifestum est, quod octo conjugationes sunt, quæ habent utramque particularem. Et similiter octo quæ habent majorem particularem et minorem universalem. De illis autem octo quæ habent utramque universalem quatuor sunt utiles, de quibus habitum est, et quatuor sunt inutiles. De illis vero quæ habent majorem universalem et minorem particularem, quæ etiam octo sunt, duæ sunt utiles, de quibus dictum est, et sex sunt inutiles. Et sic patet quod non nisi sex sunt hic utiles conjugationes, quatuor scilicet universales, et duæ particulares : et hoc sufficit de mixtione inesse et contingentis in hac secunda figura. Dicendum ergo de mixtione necessarii et contingentis in secunda figura.

**Numerus utilium conjugationum.**

cessarii in secunda figura hoc observandum, quod si una propositionum præmissarum significat ex necessitate, ita quod modificata est modo necessitatis : alia vero significat contingere, ita quod est de modo contingentis, quando quidem in universalibus syllogismis, primo scilicet et secundo, universalis negativa est de necessario, erit syllogismus duplicitis conclusionis : non enim solum sequitur conclusio negativa de contingenti, scilicet quia contingit non inesse : sed etiam sequitur conclusio negativa de inesse, scilicet quia non inest major extremitas minori.

Si autem affirmativa fuerit de necessario, et negativa de contingenti, non erit syllogismus utilis conjugationis ad conclusionem de contingenti vel de inesse.

Oportet ergo majorem vel illam quæ potest fieri major in reductione, esse negativam et de necessario<sup>1</sup>. Hujus autem causa eadem est quæ fuit in immediate præcedenti mixtione, hujusmodi scilicet, quod omnes modi istius mixtionis originantur ab illo modo imperfecto mixtionis necessarii et contingentis in prima figura, quæ habet majorem universalem negativam de necessario : et quia oriuntur ab illo, oportet quod etiam hic vel major vel quæ potest esse major, sit universalis negativa de necessario<sup>2</sup>.

Si autem quæritur quare non descendunt a modis perfectis ejusdem mixtionis in prima figura? Dicendum est quod omnes syllogismi istius figuræ descendunt a modis primæ figuræ et maxime secundo primæ per conversionem majoris simpliciter. In modis autem perfectis mixtionis necessarii et contingentis primæ figuræ, non est convertibilis major cum sit de contingentis : et ideo modi istius a modis perfectis primæ figuræ descendere non possunt.

Si autem quæritur quare non descendunt a modis imperfectis primæ figuræ hujus mixtionis habentibus majorem affermationem præmissæ essent ejusdem qualitatis, etc.

Dubitatio.

Solutio, cui similem posuit supra in c. 20.

## CAPUT XXII.

*De principio quo regulatur mixtio contingentis et necessarii in secunda figura, et formatione utilium conjugationum ad universales hujus mixtionis syllogismos.*

In mixtione autem contingentis et ne-

<sup>1</sup> Ratio hujus regulæ est, quia negativa de contingentis includit affirmativam : et sic illæ

Dubitatio.

<sup>2</sup> Cf. Joannem Grammat.

**Solutio.** firmativam de necessario? Dicendum quod omnes syllogismi secundæ figuræ sunt negativi. Adhuc autem major universalis affirmativa de necessario simpliciter converti non potest. Et ideo cum modi istius mixtionis in secunda figura descendant a modis ejusdem mixtionis in prima figura, et affirmativa universalis simpliciter converti non possit, nec negative concludere, ideo ab illis modis imperfectis quæ habent majorem affirmativam de necessario istius secundæ figuræ mixtionis necessarii et contingentis descendere non possunt. Hæc igitur est causa, quare in secunda figura mixtionis necessarii et contingentis oportet habere majorem universalem negativam de necessario.

Secundum vero ea quæ dicta sunt formetur primus syllogismus hujus mixtionis in secunda figura, ita quod ponatur A medium nulli B inesse ex necessitate: et sumatur sic propositio, de necessitate nullum B est A, et ponatur A omni B contingere, ita quod hæc sit minor, contingit omne c esse A, sequitur conclusio de contingentibus, quod contingit nullum c esse B. Et probatur utilitas conjugationis ad conclusionem de contingentibus per conversionem majoris simpliciter et in terminis: tunc enim convertitur illa quæ dicit, de necessitate nullum B est A in hanc, de necessitate nullum A est B, et sumitur minor, contingit omne c esse A, et syllogizatur in secundo primæ ejusdem mixtionis, quod nullum c contingit esse B.

Ex hoc eodem probatur quod sequitur conclusio de non inesse. Resumatur enim syllogismus sic, de necessitate nullum B est A, contingit omne c esse A, et concludatur: ergo nullum c est B. Si non sequitur, tunc stabit oppositum conclusionis cum præmissis: est autem hæc opposita hujus, scilicet aliquid c est B, et accipiatur cum majori sic, de necessitate nullum B est A, aliquid c est B, sequitur per mixtionem necessarii et inesse, quod aliquid c non est A de necessitate: quod non potest stare cum minori quæ dicit, con-

tingit omne c esse A. B enim alicui non contingit A, et necesse omne B non esse A æquipollent.

In hac autem consequentia aliqui dubitaverunt: probatur enim conclusio de inesse sequi per mixtionem necessarii et inesse, cum illa quæ est de inesse et opposita conclusioni, possit esse de inesse ut nunc. Propositio enim de inesse in modis hujus mixtionis sequitur contingens pro possibili: quod positum inesse aliquando significat inesse ut nunc, et aliquando inesse simpliciter. In syllogismo ergo probante accipit illam quæ potest esse de inesse ut nunc: et sic videtur non valere consequentia. Ad quod dicendum per antedicta, quod sicut in mixtione necessarii et contingentis in prima figura quando major est de necessario et minor de contingentibus, major appropriat sibi minorem ut sit de contingentibus nato, ita facit hic: quia ista mixtio descendit ab illa: et sicut ibi oportet esse conclusionem de inesse simpliciter, ita et hic: unde de universalis negativa de necessario (quæ est in potentia ut fiat major in prima figura in reductione syllogismi) habet potestatem appropriandi sibi minorem de contingentibus, ut stet pro contingentibus nato: et ideo oportet quod conclusio de inesse sit de inesse simpliciter sicut in prima figura: et ideo accepto conclusionis opposito cum majori de necessario, bona fit mixtio necessarii et inesse. Et hujus exemplum est in terminis, sic, de necessitate nullum lignum est musicum: contingit omnem hominem esse musicum: ergo nullus homo est lignum.

Sed tamen notandum est hic quod quando fuerit universalis affirmativa de necessario, non potest appropriare sibi minorem de contingentibus ut significet contingens natum: et hoc est ideo, quia nec major est, nec major esse potest in reductione ad primam figuram: et ideo cum illam conclusio de inesse non sequatur, nec potest ostendi per inductam mixtionem necessarii et inesse: quia in tali conjugatione tam ipsa conclusio quam

Dubitatio

Solutio.

sua opposita, potest esse de inesse ut nunc. Sic ergo probatum est quod in primo modo secundæ figuræ in quo universalis negativa est de necessario, et major et minor universalis affirmativa de contingentí, sequitur duplex conclusio.

In secundo autem modo istius secundæ figuræ hujus mixtionis, est etiam utilis conjugatio ad duplum conclusionem, quando scilicet privativa propositio universalis ponitur ad c minorem scilicet extremitatem: sed haec perficitur per hoc, quod minor convertitur, et quod transponuntur propositiones: et ideo etiam oportet convertere conclusionem: hoc enim fieri potest cum sit de contingentí pro possibili.

**Objectio.** Sunt autem quidam qui nituntur ferre instantiam contra hanc secundam et utilim conjugationem, et etiam contra primam sic, contingit omne animal quiescere: de necessitate nullum vigilans quiescit: non tamen sequitur, quod contingit nullum vigilans esse animal: quia omne vigilans de necessitate est animal.

**Solutio.** Et dicendum ad hoc quod minor falsa est: quia universalis negativa de necessario removet prædicatum et ab his quæ sunt et quæ possunt esse sub subjecto, sicut in ante habitis determinatum est. Unde sensus minoris est, de necessitate nihil quod est vel potest esse vigilans quiescit, et patet quod haec est falsa. Patet igitur quod istæ duæ conjugationes utiles sunt ad duas concludendum conclusiones.

### CAPUT XXIII.

#### *De inutilibus conjugationibus hujus mixtionis sumptis circa universales syllogismos secundæ figuræ.*

Rursum autem circa inutiles conjugationes hujus mixtionis in modis universalibus secundæ figuræ, sciendum est quod si prædicativa universalis sive affirmativa in primo vel secundo modo hujus mixtionis sit de necessario, altera propositio quæ est universalis negativa

sit de contingentí, ita scilicet quod a nulli b contingat inesse, et a insit omni c ex necessitate: sic enim habentibus se terminis, nullus erit alicujus conclusionis penitus syllogismus: sequitur enim conclusio non de contingentí vel de inesse, sed potius, quod b major extremitas de necessitate non insit c minori extremitati. Et hoc patet in terminis: sit enim a medium album: in quo autem ponitur b major extremitas, sit homo: in quo autem est c sit cygnus: tunc enim patet quod album quod est medium, cygno quidem quod est minor extremitas, inest ex necessitate: sed album contingit nulli homini inesse, et homo nulli cygno inest ex necessitate. Ex quo patet quod talis conjugatio inutilis est ad conclusionem de contingentí. Dictum est enim in ante habitis, quod contingens non est necessarium, sed potius non necessario determinatum.

Neque etiam sequitur conclusio de necessario: quia conclusio de necessario non sequitur nisi vel quando utraque præmissarum est de necessario, vel quando negativa universalis est de necessario, et altera de inesse simpliciter: et ideo quamvis negativa universalis de necessario stare possit, non tamen sequitur ex præmissis. Patet etiam cum necessarium repugnet contingenti ad utrumlibet, quando sequitur conclusio de necessario non inesse, sicut cum dicitur, nullus cygnus est homo, quod neque sequitur affirmativa neque negativa de contingentí, cum necessarium et contingens opponantur. Dico autem contingens ad utrumlibet. Et ex eodem patet quod neque sequitur affirmativa de inesse, neque affirmativa de necessario, neque affirmativa de possibili, et sic nulla sequitur affirmativa.

Amplius autem hoc idem ostenditur per hoc, quod talibus propositionibus sic positis, quod universalis affirmativa sit de necessario, et universalis negativa de contingentí, possibile est invenire terminos in quibus possibile est b inesse c, hoc est, majorem minori extremitati: in tali-

bus enim terminis stabit affirmativa de inesse conclusio. In tali enim dispositione nihil prohibet quod c sit sub b, sive quod minor extremitas sit sumpta sub majori extremitate, et quod tamen a quod est medium, contingat omni b inesse contingenter, et quod idem a medium insit c majori extremitati de necessitate, sicut patet in his terminis, si c minor extremitas ponatur esse vigilans, b autem major extremitas ponatur esse animal, in quo autem a quod est medium ponatur esse motus sive motum. Nam patet quod vigilanti ex necessitate inest motus: quia vigilia secundum actum non est aliud nisi motus caloris et sensuum ad exterius ab intimis: animali autem omni contingit inesse motum: et tamen sequitur quod omne vigilans de necessitate est animal, sic, contingit nullum animal moveri: omne vigilans de necessitate movetur: ergo omne vigilans de necessitate est animal. Quod enim contingat nullum animal moveri, ex hoc patet, quia contingit omne animal moveri, et convertitur contingens in oppositam qualitatem: ergo sit contingit omne, contingit et nullum. Ex hoc autem quod sequitur conclusio de necessario, manifestum est quod non sequitur conclusio negativa de non inesse: quia sic se habentibus terminis sequitur conclusio de necesse inesse et ad necesse inesse sequitur inesse: et sic non potest stare conclusio de non inesse. Neque etiam sequitur conclusio dictionum sive affirmationum istis negationibus quæ sunt contingenter inesse vel inesse simpliciter, hoc est, sine modo, sicut paulo ante dictum est: et sic nulla sequitur conclusio neque negativa neque affirmativa.

*Apparens objectio.* Hoc autem quod hic dictum est (quod minori existente sub majori extremitate potest medium contingenter inesse majori et ex necessitate minori) habet calumniam secundum quosdam: quia si medium contingenter se habet ad maiorem extremitatem, et universaliter prædicatur de ipsa, sic, contingit omne b esse a, contingenter se habebit a ad omne b,

sed c est aliquod eorum quæ sunt b, ergo etiam contingenter se habebit ad c. Et ad hoc dicendum est quod hoc sequeretur, si c essentialiter sub b contineretur: nunc autem accidentaliter continetur sub ipso, et est pars accidentalis ipsius: et hoc patet in ipsis terminis: vigilans enim est sub animali sicut pars accidentalis et non sicut essentialis: et ideo nihil prohibet motum contingere omni animali et nulli: et tamen ex necessitate inesse omni vigilanti.

Solutio.

Sicut autem ostendimus inutilem esse conjugationem sumptam juxta modum primum secundæ figuræ, similiter ostendetur inutilis esse conjugatio sumpta juxta modum secundum ejusdem figuræ, quando e converso a primo modo posita affirmativa universalis de necessario, scilicet quod major est universalis affirmativa de necessario, et minor universalis negativa de contingenti. Si in qualitate similis figuræ sive formæ sint propositiones, adhuc erunt inutiles conjugationes et utiles juxta utrumque modum, primum scilicet et secundum sumptæ. Accipiamus autem primo utilem juxta primum modum: sint enim primo ambæ præmissæ privativæ sive negativæ: ex enim fit syllogismus quando minor quæ est de contingenti, convertitur secundum contingere in oppositam qualitatem, et fit syllogismus per omnia sicut in *Prioribus* dictum est. Et eodem modo perficitur et reducitur, et concludit duas conclusiones, de non inesse scilicet, et de non contingere inesse. Sumatur enim juxta primum modum a b ex necessitate non inesse, ita, ex necessitate nullum b est a, et sumatur in minori, quod a nulli c contingit, hoc est, contingenter non inest, sic, contingit nullum c esse a, sequitur quod nullum c contingit esse b. Cujus probatio est, quod conversis propositionibus, majori quidem simpliciter in terminis, et minori ad oppositam qualitatem, tunc in conversa prima b nulli inest a ex necessitate, sic, ex necessitate nullum a est b, et conversa minori ad oppositam qualita-

tem, sic, omne c contingit esse A: sequitur in secundo primæ, quod nullum c contingit esse B, et omnino perficitur sicut prius hujus mixtionis syllogismus.

Alia autem conjugatio utilis est sumpta juxta modum secundum, quando scilicet privativa de necessario ponitur ad c minorem extremitatem, sic, nullum B contingit esse A, de necessitate nullum c est A, ergo contingit nullum c esse B: convertatur enim major in oppositam qualitatem, et minor convertatur simpliciter in terminis, et convertatur conclusio quæ est de contingentí pro possibili, et transponantur propositiones, erit iterum prima figura in secundo primæ: perficitur ergo sicut secundus hujus mixtionis modus, de quo in præcedenti capitulo dictum est.

Inutiles autem conjugationes ex similibus in qualitate propositionibus factæ sunt. Prima quidem, si ambæ præmissæ ponantur esse prædicativæ sive affirmativæ: tunc enim non erit hujus mixtionis ad aliquam conclusionem syllogismus. Manifestum enim quod affirmativis utrisque propositionibus existentibis, non erit syllogismus ejus conclusionis, quæ est de non inesse: nec etiam ejus conclusio, quæ est ex necessitate non inesse: quia tales conclusiones ex affirmativis ambabus non sequuntur. Unde manifestum est quod non erit talis conclusio: quia in tali conjugatione nulla sumpta est privativa propositio, neque in eo quod est inesse sumptæ sunt privativæ, neque etiam in eo quod est ex necessitate inesse privativæ aliquæ sumptæ sunt. Adhuc neque sequitur conclusio ejus quod est contingere non inesse: sic enim se habentibus terminis, patet quod B major extremitas ex necessitate non inerit c minori extremitati. Ponatur enim A medium esse album: in quod autem B major extremitas dicatur esse cygnus: in quo c minor extremitas ponatur esse homo, sic, omnis cygnus de necessitate est albus: omnem hominem contingit esse album, quia contingit et nullum: et patet quod sequitur conclusio de necesse non inesse,

scilicet quod nullus cygnus est homo. Cum autem stet ista conclusio universalis negativa de necessario, quæ repugnat tam affirmativæ quam negativæ de contingentí, repugnat etiam affirmativæ de inesse et affirmativæ de necessario. Patet igitur quod nulla sequitur affirmativa dictæ negativæ de necessario repugnans: et sic nulla sequitur affirmativa quæ sit opposita ad illam. Omnes autem prius inductæ conclusiones sunt oppositarum affirmationum ad negativam de necessario quæ inducta est. In illa enim negativa ostensum est B majorem extremitatem ex necessitate non inesse c minori extremitati.

Est autem hic attendendum quod cum ponuntur termini ad instantiam consequiæ syllogisticæ, animal, vigilans, motus, conclusio quæ stat, de necessitate debet intelligi de inesse; et ponatur exemplum ut dicatur, quod cum his præmissis contingit nullum animal moveri, de necessitate omne vigilans movetur, stat ista de inesse, omne vigilans est animal, et non ista de necessario, de necessitate omne vigilans est animal: quia illa de necessario non potest accipi vera, cum sua conversa sit falsa, hæc scilicet, quoddam animal de necessitate vigilat: non ergo hæc, omne vigilans est animal, est accipienda de necessario, sed de inesse: sic enim potest accipi vera, et non aliter, ut videtur. Adhuc autem si omne vigilans de necessitate movetur: et omne vigilans de necessitate est animal: ergo aliquod animal de necessitate moveatur, per primum tertiae figuræ; sed hoc non potest stare cum majori, scilicet hac, omne animal contingit moveri: si ergo non potest stare conclusio de necessario, stabit illa de inesse.

Adhuc probatur quod ex tali conjugatione sequitur conclusio de contingentí pro possibili negativa, sic, si contingit nullum B esse A, et omne c de necessitate sit A, sequitur quod omne c contingit non esse B: si enim dicatur quod non sequitur, tunc detur oppositum, hæc scilicet, non omne c

contingit non esse **B**, hæc autem æquipollit ei quod est, necesse est aliquod c' esse **B**, ex qua et minori sequitur oppositum majoris, sic, de necessitate omne c' est **A**, de necessitate aliquod c' est **B**, ergo de necessitate aliquod **B** est **A**, et sic patet quod sequitur conclusio de contingentii pro possibili negativa. Ergo termini inducti non debent concludere talem negativam: et sic oportet quod intendatur conclusio de inesse: quia si intenderetur in prædictis terminis conclusio de necessario non inesse, excluderetur sequi conclusio negativa de contingentii pro possibili: oportet igitur quod in terminis inductis intendatur conclusio de inesse et non de necessario.

Si autem concedatur, in contrarium esse videtur (sicut ex dictis terminis patet) quod non sit omnino alicujus conclusionis affirmativa syllogismus. Conclusio ergo talis debet sequi ex dictis terminis, quæ excludat consequentiam cujuslibet conclusionis: oportet igitur quod excludatur etiam consequentia conclusionis negativæ de contingentii pro possibili: sed non excludit illam negativum de contingentii pro possibili, nisi dicta conclusio sit affirmativa de necessario: negativa enim de contingentii pro possibili, neque repugnat negativæ de necessario, neque affirmativa de inesse, sed soli affirmativa de necessario: et sic videtur quod dicta conclusio debet esse affirmativa de necessario et universalis. Sed ad hoc dicendum videtur, sicut dictum est, quod dicta conclusio debet esse de inesse et non de necessario: quia aliter concluderetur sequi conclusio negativa de contingentii pro possibili, sicut jam paulo ante probatum est.

**Dubitatio.** Sed tunc dubitari potest, utrum cum talibus præmissis possit stare conclusio de inesse affirmativa. Videtur enim quod non ex illa conclusione et minori propositione sequitur oppositum majoris, sic, de necessitate omne c' est **A**, omne c' est **B**, ergo de necessitate aliquod **B** est **A**: istud sequi videtur per mixtionem necessa-

rii et inesse in primo tertiae. Ad hoc autem dicendum quod illa de inesse quæ assumitur, poterit esse de inesse ut nunc: hoc autem non potest sumi in dicta mixtione si debeat concludi conclusio de necessario, sicut satis patet ex his quæ in præcedentibus dicta sunt.

Solutio.

Adhuc tamen restat dubitatio de terminis inductis: quia hæc conclusio, omne vigilans est animal, est de inesse simpliciter: propter quod si accipiatur cum minori, sequetur oppositum majoris, sic, de necessitate omne vigilans est movens: omne vigilans est animal: ergo de necessitate aliquod animal est movens: male ergo positi videntur esse termini: quia potest (conclusio de inesse) esse de inesse simpliciter in terminis illis, et non de inesse ut nunc tantum. Ad hoc autem dixerunt aliqui, quod non est vis in terminis positis: quia non intenditur per terminos positos, nisi quod aliqua conclusio de inesse stare possit cum præmissis. Posset tamen, ut videtur, melius dici, quod in mixtione necessarii et inesse in tertia figura, illa quæ est de necessario appropriat sibi conversam illius de inesse, si accipiatur prædicatum essentialiter sub subjecto, sicut infra patebit, ubi de illa mixtione tractabitur: oportet ergo quod in tali mixtione accipiatur illa de inesse, quod sit de inesse simpliciter, et non quod qualitercumque termini se habeant ad invicem, sed quod essentialiter se ad invicem habeant, et unus sit essentialiter sub altero: sed hæc propositio, omne vigilans est animal, non sic se habet: et ideo nec sua conversa utilis est ad tam mixtionem: et sic patet quod deficit syllogismus mixtus quem adducit ad destruendam majorem, ex parte illius de inesse, quæ si convertitur, non erit in prima figura major extremitas essentialiter sub medio: non enim est animal essentialiter sub medio: nec etiam e converso, maxime si vigilans secundum actum accipiatur.

Dubitatio.

Quorum-dam solutio.

Aliter.

Aliter tamen adhuc dubium est circa istas conjugationes inutiles. Videtur enim

Dubitatio.

quod majori existente affirmativa de necessario sit utilis conjugatio ad conclusionem de contingentis pro possibili negativam, et ad conclusionem negativam de necessario : ad conclusionem enim de contingentis sic formetur syllogismus, de necessitate omne b est a, contingit nullum c esse a, ergo contingit nullum c esse b, cuius contradictoria aequipollit isti, necesse est aliquod c esse b, cum sit de contingentis pro possibili : ex hac autem et majori sequitur oppositum minoris ex utraque de necessario in prima figura, sic, de necessitate omne b est a, necesse est aliquod c esse b, ergo necesse est aliquod c esse a, quod cum minori stare non potest. Adhuc autem etiam videtur sequi negativa de inesse sic, nullum c est b : si enim haec non sequitur ex praedicta conjugatione, detur oppositum ex quo et majori sequitur oppositum minoris per mixtionem necessarii et inesse in prima figura, sic, de necessitate omne b est a, aliquod c est b, ergo de necessitate aliquod c est a : et similis est objectio de omnibus illis quae habent majorem affirmativam de necessario. Adhuc etiam opponitur de illis quae habent minorem affirmativam de necessario, sic, contingit nullum b esse a, necesse est omne c esse a, ergo contingit nullum c esse b, et est contingens pro possibili in conclusione : ex opposito enim conclusionis et minori sequitur oppositum majoris per utramque de necessario in tertia figura, sic, de necessitate omne c est a, de necessitate aliquod c est b, ergo de necessitate aliquod b est a. Similiter etiam potest ostendi, quod sequitur negativa de inesse per mixtionem necessarii et inesse in tertia figura, sic, de necessitate omne c est a, aliquod c est b, quae est opposita conclusionis de inesse : ergo de necessitate aliquod b est a, quae est opposita majoris. Et est similis oppositio de omnibus conjugationibus quae habent minorem affirmativam de necessario.

**Solutio.** Ad omnia autem hujusmodi dici potest, quod negativa de contingentis pro

possibili sequitur habitudinem rerum, sicut ante ostensum est in praecedentibus: et ita cum dicitur in contingentibus sequi conclusionem universalem in tertia figura, et affirmativam in secunda, hoc non est nisi gratia terminorum et non gratia formae syllogisticæ: quia non sequitur talis conclusio virtute præmissarum sic in dictis conjugationibus dispositarum, et sub tali figura, ex quo utraque est affirmativa, quod repugnat proprietati secundæ figuræ. Unde respiciendo tales conjugationes a proprietate figuræ procul dubio debent reputari inutiles. Nunquam enim gratia formæ syllogisticæ ex utraque affirmativa immediate sequitur negativa. Et ideo per tales terminos positos ad instantiam non excluditur, quod non sequatur conclusio de contingentis pro possibili, sed respiciendo ad consequentiam rerum sequitur talis conclusio. Ponuntur tamen tales conjugationes inutiles : quia ex forma syllogizandi et proprietate figuræ non possunt in tam conclusionem : et hoc modo ubique concluditur in his mixtionibus.

Ad hoc autem quod videtur probari sequi conclusionem de inesse, Dicendum quod hoc non est verum, et dicendum quod syllogismus mixtus ducens ad impossibile non valet : quia illa de inesse, quam assumit, poterit esse de inesse ut nunc : sequitur enim conclusio de contingentis pro possibili, quae posita inesse aliquando erit de inesse ut nunc, et aliquando de inesse simpliciter : et ita oppositum illius quod assumitur in syllogismo mixto, poterit esse de inesse ut nunc : contingens autem quod sequitur in conclusione in modis habentibus universalem negativam de necessario, si ponatur inesse, semper exigit quod conclusio sit de inesse simpliciter : et causa hujus est assignata in praecedentibus.

## CAPUT XXIV.

*De particularibus syllogismis mixtionis necessarii et contingentis in secunda figura.*

His autem habitis, ponendæ sunt utiles et inutiles conjugationes istius mixtionis in particularibus secundæ figuræ syllogismis. Dicamus igitur primo, quod similiter se habet in particularibus syllogismis sicut in universalibus : quando enim in particulari syllogismo privativa fuerit et universalis et de necessario, et particularis de contingentи affirmativa, semper erit syllogismus, sicut in tertio modo secundæ figuræ : et sequetur duplex conclusio, scilicet et ejus quod est contingere non inesse, et ejus quod est non inesse. In illis enim conjugationibus eadem est demonstratio quea prius, scilicet per conversionem majoris simpliciter.

Quando autem universalis affirmativa fuerit de necessario, sicut in quarto secundæ, nunquam erit hujus mixtionis utilis conjugatio ad syllogismum, quæ sit vel de contingentи vel de inesse concludens. Inutilitas autem hujus conjugationis eodem modo probationis ostendetur, et per eosdem terminos instantiarum, quo ostensa fuit inutilitas ejusdem conjugationis in syllogismis universalibus, in quibus universalis affirmativa est de necessario et universalis negativa de contingentи.

Nec adhuc erit utilis conjugatio, quando utræque propositiones præmissæ et universalis et particularis fuerint affirmativæ : inutilitas enim etiam hujus conjugationis demonstratur per eosdem terminos instantiarum, qui in universalibus syllogismis in similibus conjugationibus adducti sunt. Istæ igitur sunt inutiles conjugationes simpliciter.

Est autem alia adhuc conjugatio ex opere istius sumpta, quando scilicet utræque propositiones fuerint privativæ : uni-

versalis autem propositio sit de necessario, et negativa quæ significet non inesse simpliciter et de necessitate : tunc enim per easdem propositiones quæ sumptæ et positæ sunt non fit syllogismus, quia ex ambabus negativis nihil sequitur in aliqua figura. Sed quando convertitur propositio minor particularis quæ est de contingentи secundum modum contingentis ad oppositam qualitatem, hoc est, in affirmativam, tunc fit syllogismus, sicut in tertio modo istius mixtionis dictum est, quod fit syllogismus in secunda figura.

Si autem utræque præmissæ vel indefinitæ vel particulares ponantur, et una de necessario, et altera de contingentи, non potest esse syllogismus sicut et in nulla alia figura vel mixtione.

Epilogando ergo dicimus, quod manifestum ex prædictis est, quoniam quando ponitur in secunda figura in hac mixtione universalis privativa de necessario, et altera de contingentи, semper fit syllogismus et in universalibus et in particularibus ad duplē conclusionem : non enim solum sequitur conclusio ejus quod est contingere non inesse, sed etiam sequitur conclusio ejus quod est non inesse simpliciter. Si autem affirmativa in hac mixtione ponatur de necessario, et altera de contingentи negativa, nunquam fit syllogismus neque in universalibus, neque in particularibus syllogismis.

Palam etiam est, quod tam in necessariis propositionibus, hoc est, quando propositiones sumuntur de necessario, et in his quæ insunt, hoc est, quando propositiones sumuntur de inesse simpliciter, eodem modo fit et non fit syllogismus : quia propositiones de necessario similiiter convertuntur cum illis de inesse, et similiiter ordinantur ad mixtionem contingentis.

Palam est etiam quod omnes istius mixtionis in secunda figura syllogismi sunt imperfecti, et palam est, quia per prædictas figuræ per reductionem ad primam figuram perficiuntur : quamvis enim in probatione syllogismi aliquando

syllogizetur in secunda, et aliquando in tertia, tamen finalis perfectio est in reductione ad primam figuram.

**Dubitatio.** Hic tamen dubitatio est de quarto modo secundae figuræ, in quo secundum ea quæ dicta sunt non videtur hujus mixtionis esse utilis conjugatio. Quartus enim habet majorem universalem affirmativam, et minorem particularem negativam, et non potest esse utilis conjugatio universalis affirmativa existente de necessario, et particulari existente de contingentí, nec e converso, sicut per antedicta manifestum est. Contra hoc autem objicitur, sit quod major sit de contingentí et minor de necessario, sic, contingit omne b esse a, necesse est quoddam c non esse a, ergo quoddam c non est b: ex opposito enim conclusionis et majori sequitur oppositum minoris in prima figura per mixtionem contingentis et inesse, sic, contingit omne b esse a, omne c est b, ergo contingit omne c esse a. Ad hoc autem dici potest, quod syllogismus mixtus nullus est: quia oppositum conclusionis de inesse quod assumit, potest esse de inesse ut nunc: in mixtione autem contingentis et inesse debet esse de inesse simpliciter.

**Solutio.** Sed tunc oritur objectio de contingentí pro possibili: contingens enim pro possibili videtur sequi sic, quod ex opposito conclusionis et majoris videtur sequi oppositum minoris in prima figura per mixtionem contingentis et necessarii, sic, contingit omne b esse a, necesse est omne c esse b, hæc enim æquipollit opposito conclusionis: ergo contingit omne c esse a, de contingentí ad utrumlibet: et est modus perfectus, et major est de contingentí tali. Adhuc autem ostenditur idem per expositionem: quia si quoddam c de necessitate non est a, sit illud f et tunc erit verum dicere, quod de necessitate

<sup>1</sup> Hæc solutio est ambigua. Contra: tunc modi probandi quibus sæpe utitur Aristoteles nulli essent. Præterea, tunc a pari *baroco* et *bocard* in illis de inesse essent modi imperfecti, quia non possunt reduci per conversionem; imo essent inutiles. Et ideo ego dicerem ad primum, quod illa conclusio illata universalis affirmativa

nullum f est a: syllogizetur ergo sic, contingit omne b esse a, de necessitate nullum f est a: ergo contingit nullum f esse b: hoc enim sequi videtur in secundo secundæ per utilem istius mixtionis conjugationem: sed si contingit nullum f esse b, et f est aliquod c, ergo contingit aliquod c non esse b: et est conclusio negativa de contingentí pro possibili: et ex hoc videtur, quod regula illa falsa sit quæ dicit, quod si universalis negativa non fuerit de necessario, est inutilis conjugatio. Et dicendum videtur, quod ista conclusio sequitur. Sed tamen non reputantur utiles conjugationes, nisi quæ descendunt a primo modo secundæ figuræ, in quo est major universalis negativa: et non reputantur utiles illæ particulares conjugationes quæ descendunt a secundo secundæ, ubi est major universalis affirmativa, et minor est universalis negativa, a qua descendit quartus secundæ figuræ. Et hujus causa est secundum quosdam, quod hic non debent reputari utiles conjugationes quæ per conversionem non possunt reduci in primam figuram, quia debitam non habent originem: non possunt autem reduci in primam figuram per conversionem, nisi quæ habent majorem universalem negativam de necessario: et ideo illæ solæ reputantur utiles<sup>1</sup>.

Si autem quæritur de sufficientia harum conjugationum, dicendum quod a principio supponendum, quod in hac mixtione major debet esse universalis negativa: et tunc patet quod tantum sex sunt conjugationes utiles hic in hac mixtione, quatuor scilicet universales, et duæ particulares, et sex inutiles, sicut in mixtione præcedenti quæ fuit de contingentí et inesse.

de contingentí non contradicit particulari negativæ de necessario quæ fuit minor in primo syllogismo. Sed tamen contradicit illi et suæ subcontrariæ sumptis sub disjunctione. Ad secundum dicendum quod argumentum non plus concludit ut est secundus secundæ, et non in quantum quartus ejusdem. P. J.

## CAPUT XXV.

*De uniformi generatione syllogismorum  
de contingentis in tertia figura.*

**Prima regula.** In postrema autem figura ante generationem sive formationem uniformem et mixtam syllogismorum de contingentis, ponendæ sunt regulæ, et principia secundum quæ regulanda est generatio syllogismorum. Et sunt tres quarum prima est ad regulandam uniformem generationem de contingentis, et est hæc, quod quando in tertia figura utræque propositiones sunt de contingentis, erit conclusio de contingentis.

**Secunda.** Secunda est qua regulantur syllogismi mixti de contingentis et inesse, et est hæc quando una propositionum est de contingentis et altera de inesse, sequitur conclusio de contingentis: sed hoc est verum, quando major fuerit de contingentis et minor de inesse: tunc enim in hac mixtione sequitur in tertia figura conclusio de contingentis.

**Tertia.** Tertia autem regulatur mixtio contingentis et necessarii, et est hæc, quod quando altera propositionum ponitur esse de necessario et altera de contingentis, si major propositio est de contingentis et reliqua de necessario sit affirmativa, non sequitur conclusio de inesse, neque sequitur conclusio de necessario, sed tantum de contingentis. Si autem illa de necessario fuerit universalis negativa, sequitur duplex conclusio, scilicet de inesse, et de contingentis pro possibili.

Sed notandum quod contingens quod concluditur in his conclusionibus, accipiendum sicut in præcedentibus, hoc est, quod in syllogismis hujus generationis (qui post suam reductionem fiunt modi perfecti primæ figuræ) concluditur contingens a principio determinatum, quod est contingens ad utrumlibet. In illis autem qui reducuntur ad modos imperfectorum, concluditur contingens pro possibili:

sic enim factum est in mixtione præcedenti.

His autem sic præmissis, conjugationes utiles ponamus in tertia figura ad generationem uniformem syllogismorum de contingentis, sic quod primum sit utilis et universalis conjugatio de utraque affirmativa de contingentis sic, quod c sit medium quod subjicitur, a autem major extremitas et b minor: sumatur enim et a et b contingere omni c inesse, sic, omne c contingit esse a et omne c contingit esse b, tunc enim ille syllogismus concludit, quoddam b contingit esse a, et perficitur per conversionem minoris in terminis, sic, omne c contingit esse a, quoddam b contingit esse c, ergo quoddam b contingit esse a. Hic enim est syllogismus in tertio primæ figuræ de contingentis: quoniam enim convertitur universalis affirmativa in particularem in terminis. Dictum est autem quod b contingit omni c in minori propositione: tunc per conversam etiam c contingit alicui b, et ideo si a quidem contingit omni c in majori, c autem contingit alicui b in conversa minoris, sequitur in tertio primæ quod a contingit alicui b: hæc igitur est conjugatio juxta primum modum sumpta.

Ponamus autem conjugationem juxta secundum modum sumptam, qui habet majorem universalem negativam et minorem universalem affirmativam concludentem particularem negativam, sic quod si a quidem contingit nulli c inesse, ita quod hæc sit vera, nullum c contingit esse a, b autem contingit omni c inesse, ita quod in minori, hæc est vera, omne c contingit esse b: sequitur necessitate syllogistica quod a contingat alicui b non inesse: et iste est secundus tertiae: erit enim in perfectione hujus syllogismi rursus prima figura per conversionem minoris propositionis in terminis, sic, nullum c contingit esse a, quoddam b contingit esse c, quoddam b contingit non esse a: hic est enim quartus primæ figuræ.

Tertiam autem ponemus conjugationem ex utrisque negativis præmissis. Si

enim utræque privativæ propositiones præmissæ ponantur, tunc ex his quidem quæ sumpta sunt non erit necessarium aliquid sequi necessitate syllogistica : sed conversis propositionibus primo quidem in oppositam qualitatem, et deinde conversa minori in terminis, erit syllogismus, quemadmodum in prioribus de primo primæ dictum est. Si enim major extremitas  $\alpha$  et  $\beta$  minor contingent  $c$  nulli inesse : si transmutatur sive convertitur contingens non inesse in contingens inesse, hoc est, in oppositam qualitatem, rursum est prima figura per conversionem minoris in particularem, et in terminis, sic, nullum  $c$  contingit esse  $\alpha$  et omne  $c$  contingit esse  $\alpha$ , nullum  $c$  contingit esse  $\beta$  et omne  $c$  contingit esse  $\beta$ , et hæc convertatur, quoddam  $\beta$  contingit esse  $c$ , tunc rursum erit prima figura in tertio primæ figuræ, quemadmodum in prioribus dictum est.

Removet  
dubium.

Hic autem omittimus quartam conjugationem, quæ habet majorem affirmativam et minorem negativam, et utramque de contingenti, de qua quidam dubitant, utrum sit utilis vel inutilis : et statim patere potest cuilibet quod sit utilis, quia per conversionem minoris in oppositam qualitatem et postea per conversionem in terminis factam melius reducitur in tertium modum primæ figuræ, sicut patet per ante dicta : et ideo etiam ommittitur, quia ex illis nota potest esse cuilibet. Si enim quando utræque sunt privativæ contingat  $\alpha$  et  $\beta$  non inesse  $c$ , ita quod nullum  $c$  contingit esse  $\alpha$ , et nullum  $c$  contingit esse  $\beta$ , tunc transmutatur, hoc est, convertitur in minori primo contingens non inesse in contingens inesse, per conversionem ad oppositam qualitatem : et postea conversa in oppositam qualitatem convertitur in terminis : et tunc rursum erit prima figura, et syllogizatur in quarto primæ, et concluditur de contingenti secundum generationem uniformem syllogismorum de contingenti : et hoc quidem modo duo formantur syllogismi universales.

Formationes autem particularium syllogismorum hujus mixtionis in tertia figura fiunt per hunc modum : et primo quidem ponamus eas quæ sunt ex propositionibus affirmativis in majori scilicet et minori sive universalis sive particulari, eodem modo se habentibus terminis in quantitate sicut in illis de inesse quoad uniformem generationem syllogismorum de inesse. Et hoc, sicut diximus, verum est quoad quantitatem propositionum : quia fit syllogismus majori vel minori existente vel universalis vel particulari, sicut in illis de inesse, et sic similiter illis de inesse, et fit et non fit syllogismus. Quoad hoc ponatur primo conjugatio in qua major est universalis affirmativa et minor particularis affirmativa, sic : detur enim quod in majori contingat  $\alpha$  omni  $c$ , et in minori contingat  $\beta$  alicui  $c$ , sic, omne  $c$  contingit esse  $\alpha$ , quoddam  $c$  contingit esse  $\beta$ , tunc enim necessario erit rursum prima figura minori particulari propositione conversa in terminis. Si enim  $\alpha$  omni  $c$  contingit in majori propositione,  $c$  autem contingit alicui  $\beta$  in conversa minoris, sequitur quod  $\alpha$  contingit alicui  $\beta$  in conclusione per tertium primæ.

Et quia tertius modus figuræ tertiae habet majorem particularem, in reductione post conversionem particularis quæ est major, oportet transponere propositiones, ut universalis fiat major et in tertio primæ : et hoc quando major est particularis et minor est universalis, sicut si ad  $\beta c$ , ponatur universalis ( $\beta c$  enim minor est) sic, contingit quoddam  $c$  esse  $\alpha$ , contingit omne  $c$  esse  $\beta$ , tunc oportet convertere majorem et transponere propositiones.

Aliæ autem sunt conjugationes ex dissimilibus propositionibus, altera scilicet affirmativa, et altera negativa : et in taliibus quidem si major sit negativa et minor affirmativa, ut si  $\alpha c$  quidem major proposition sit negativa,  $\beta c$  autem proposition minor sit affirmativa, erit utilis conjugatio per conversionem majoris in terminis. Tamen hæ conjugationes quatuor

sunt, quarum duæ habent majorem negativam universalem scilicet vel particularem et minorem affirmativam : quæ intelliguntur per regulas inductas. Et omnium istarum facile patet perfectio : affirmativa enim quando major fuerit, convertenda est in terminis tantum. Si autem fuerit universalis negativa, primo convertenda est ad oppositam qualitatem, et postea in terminis. Si autem major sit particularis, convertendæ sœpe dicto modo et propositiones sunt transponendæ.

Si autem utræque propositiones ponantur esse privativæ, tunc iterum sunt duæ conjugationes : una quidem in qua major universalis et in reliqua minor est universalis : et tunc quamvis per ea quidem quæ sumpta sunt non fiat syllogismus, eo quod ex ambabus negativis nihil sequitur : conversis tamen propositionibus, ut in prioribus dictum est, fit syllogismus, ita scilicet ut quando major est universalis, perficiatur per duplēm minoris conversionem, scilicet in oppositam qualitatem primo, et postea in terminis. Illa autem in qua minor est universalis, perficitur per duplēm conversionem majoris, primo ad oppositam qualitatem, et postea in terminis, et per transpositionem propositionum.

Sunt autem et inutiles conjugationes quatuor, quando scilicet utræque præmissæ sumuntur particulares indefinitæ, vel ambæ affirmativæ, vel ambæ negativæ, vel major negativa et minor affirmativa, vel e converso : et omnes sunt inutiles, et ex eis non erit syllogismus. Et inutilitas earum ostenditur in terminis in quibus sequitur, quod necesse est A majorem extremitatem et omni et nulli B minori scilicet extremitati inesse. Termini autem ad necesse inesse omni, sunt animal, homo, album : medium autem est album. Termini autem in quibus sequitur de necessitate nulli inesse, equus, homo, album : et medium est album.

**Objectio.** Istæ tamen omnes conjugationes quas utiles diximus et universales et particulares instantiam videntur habere in termi-

nis, sic, contingit omne movens esse hominem : contingit omne movens esse equum : non tamen contingit aliquem hominem esse equum. Et similiter in particularibus videtur esse instantia, sic, contingit aliquod movens esse hominem : contingit omne movens esse equum : non tamen contingit aliquem equum esse hominem. Ad hæc dicendum quod quando major est universalis in hac figura in ista generatione syllogismorum, illa etiam post reductionem fit major in prima figura : propter quod sicut major in prima figura in uniformi generatione syllogismorum de contingentia accipitur secundum istam acceptiōnem contingentis, omne quod contingit esse B contingit esse A, ita etiam major in hac figura in ista generatione est accipienda : et ideo si vera debeat esse propositio major, non potest subjici terminus accidentalis et prædicari substancialis : sic enim erit propositio falsa, ut in ante habitis determinatum est. Unde hæc falsa est, omne movens contingit esse hominem : quia sēnsus est, omne quod contingit esse movens, contingit esse hominem. Similiter autem quando major est particularis : quia illa quæ in syllogismo primo est minor, fit major post reductionem : et ideo idem observandum est in ista quod in illa : et ex hoc patet quod sophistice accipiuntur termini ad instantiam inducti.

Communis etiam quæstio est hic de sufficientia conjugationum utilium et inutilium istius generationis in hac tertia figura. Sed ad hoc sciendum, supponendum est hic quod si altera propositionum sit universalis, semper fit syllogismus. Hic enim et fit syllogismus ex ambabus negativis et ex minori negativa : omnes enim negativæ hic æquipollent affirmativis. Hoc autem supposito, patet quod duodecim fiunt conjugationes utiles, scilicet quatuor universales (scilicet vel ambæ affirmativæ, vel ambæ negativæ, vel major affirmativa et minor negativa, vel e converso) et quatuor per eamdem multiplicationem in quibus major est univer-

Solutio.

Dubitatio de  
sufficientia  
conjugatio-  
num hujus  
figuræ.

Solutio.

salis et minor particularis, et quatuor in quibus est e converso major particularis et minor universalis. Quatuor autem in quibus utraque est particularis, manent inutiles : et sic omnes sunt sedecim conjugationes.

## CAPUT XXVI.

*De mixtione contingentis et inesse in tertia figura.*

De mixtione autem contingentis et inesse tractantes, resumamus primo principium sive regulam secundum quam fit hæc mixtio, dicentes quod si altera propositionum in tertia figura significat quod sit de inesse, et reliqua de contingenti, sequitur conclusio de contingenti, et non sequitur conclusio de inesse. Syllogismus autem erit in ista mixtione, quando eodem modo se habent termini sicut in præcedenti generatione syllogismorum de contingenti. Dico autem eodem modo se habentibus terminis quoad hoc, quod sicut in præcedenti generatione uniformi fit aliquando syllogismus ex utraque affirmativa, et aliquando ex utraque negativa, aliquando autem ex altera negativa et altera affirmativa : ita fit et hic in mixtione contingentis et inesse.

Ad hanc ergo regulam demus conjugationes primo universales, et inter universales primo ponamus affirmativas duas, quarum prima habet majorem de inesse et minorem de contingenti, secunda autem e converso. Sint enim primum ambæ præmissæ prædicativæ universales, ita quod in majori quæ est de inesse, **A** insit omni **c** medio : et in minori quæ est de contingenti, **B** contingat inesse omni **c** sic, omne **c** **A**, omne **c** contingit esse **B**, tunc enim conversa **B** **C** minori propositione in terminis fit prima figura, et sequitur conclusio de contingenti, scilicet quod contingit **A** alicui **B** inesse, sic, omne **c** **A**, quoddam **B** contingit esse **c**, ergo quoddam **B** contingit esse **A**, qui est syllogismus in tertio primæ. Jam enim di-

ctum est in præcedentibus, quod cum altera propositionum in prima figura significabat contingere, ita quod fuerit de contingenti, quod sequebatur conclusio de contingenti.

Similiter autem est utilis conjugatio minori existente de inesse, et majori de contingenti : quia si **B** **C** propositio minor significet inesse, **A** **C** autem propositio major significet contingere : et ista sicut prior perficitur et reducitur in tertium primæ per conversionem minoris in terminis.

Secundo ponamus conjugationes utiles universales negativas. Primum autem ponamus eas quæ habent minorem affirmativam et majorem negativam, quæ etiam duæ sunt, secundum quod major potest esse de inesse, et minor de contingenti, aut e converso. Si enim **A** **C** propositio major sit privativa, **B** **C** autem propositio minor sit prædicativa, et alterutra harum propositionum significet de inesse, hoc est, quæcumque earum sive major sive minor, et altera sit de contingenti : ex utraque enim conjugatione sequitur conclusio de contingentii per conversionem minoris duplum, scilicet in oppositam qualitatem, et postea in terminis reducuntur ad primam figuram, reducuntur enim in quartum primæ : ostensum est enim quod si in prima figura altera propositionum significat contingere, sequitur conclusio de contingenti. Aliæ etiam duæ sunt, quæ habent majorem de contingentii affirmativam vel negativam, et minorem de inesse negativam, quæ abjiciendæ sunt : quia manifestum est de eis, quod sunt inutiles, eo quod habeant minorem vere negativam : quod nec in prima figura, nec in tertia fieri potest, ita quod sit utilis conjugatio.

Si autem ponatur propositio quæ est de contingentii privativa, et ad minorem extremitatem, ita quod minor sit negativa de contingentii, quæ non est vere negativa, quia cum affirmativa convertitur : vel si utraque ponatur privativa, scilicet et major quæ est de inesse et minor quæ

est de contingentibus, tunc quidem in illis duabus conjugationibus per sumptas propositiones (eo quod minor est negativa aliquo modo, quod primæ et tertiae figuris non congruit) non erit syllogismus per sumptos terminos. Conversis autem propositionibus primo ad oppositam qualitatem, et postea ulterius in terminis conversa minori, erit syllogismus quemadmodum in primo hujus figuræ, qui reducitur in tertium figuræ primæ, sicut in prioribus syllogismis dictum est.

**Objectio.** Si forte feratur instantia contra utiles conjugationes quæ positæ sunt, sic omne movens est homo (ponatur): contingit omne movens esse equum: non tamen contingit aliquem hominem esse equum. Similiter autem et per eosdem terminos potest ferri instantia ad modos negativos, et universales et particulares. Dicendum autem ad hoc, quod non valet instantia: quia instantia illa de inesse est de inesse ut nunc, et debet esse de inesse simpliciter. Cujus ratio est: quia in eadem mixtione in prima figura a qua ista tertia figura descendit et in quam reducitur, illa de inesse est de inesse simpliciter et non ut nunc.

**Dubitatio.** Si autem ulterius quæritur, utrum illæ conjugationes utiles possunt in conclusionem de inesse sicut possunt in conclusionem de contingentibus? Dicendum quod

**Solutio quorundam.** non: quamvis hoc quidam probare videantur sic, omne c est A, contingit omne c esse B, ergo aliquod B est A; aut detur oppositum et ponatur minor quæ est de contingentibus inesse, sic, nullum B est A, omne c est B, sequitur quod nullum c sit A, quæ est contraria majoris, et non verificatur cum ipsa. Et dicendum quod

**Aliter.** hæc probatio non valet: quando enim datur oppositum tantum, tunc nullum sequitur inconveniens: sed cum minor ponitur inesse, non est admittendum, quia ex hoc causatur inconveniens quod prius non erat: si enim major sit vera et de inesse simpliciter, tunc compossibilita sunt oppositum conclusionis de inesse et minor: postea autem quando minor poni-

tur inesse, efficiuntur incompossibilis: et jam superius dictum est, quod in tali casu ubi hoc accidit, non est ponenda inesse illa de contingentibus. Posset tamen ista ostensio sufficere ad hoc quod sequatur conclusio de contingentibus: quia oppositum conclusionis de contingentibus statim repugnat minori, et per positionem ejus inesse non fit nova incompossibilitas quæ prius non erat: et ideo procedendo ad ostendendam sequi conclusionem de contingentibus, probatio aliquid valere videtur. Similis autem isti est et objectio et similis solutio circa modos negativos.

His habitis, ponamus istius mixtionis conjugationes particulares, quæ procul dubio sunt octo. Si enim utraque fuerit affirmativa, quatuor erunt conjugationes: quia major potest esse universalis et minor particularis, aut e converso: et major potest esse de inesse et minor de contingentibus, aut e converso. Et utraque istarum perficitur per conversionem minoris quando major est universalis: tunc enim duæ sunt, eo quod major potest esse de inesse, et minor de contingentibus, aut e converso.

Quando autem major fuerit particularis et minor universalis, aut major est de inesse et minor de contingentibus, aut e converso: et sic iterum sunt duæ, quæ perficiuntur per conversionem majoris, et per transpositionem propositionum. Adhuc autem si universalis sit privativa major, et minor sit particularis affirmativa, per eamdem divisionem fiunt iterum duæ per esse majorem de inesse, minorem autem de contingentibus, vel e converso, quarum illa utilis est quæ habet majorem de contingentibus: quæ ambæ perficiuntur per conversionem minoris. Si autem e converso fuerit, scilicet quod major sit particularis affirmativa, et minor universalis negativa, et illæ per eumdem modum divisionis iterum fiunt duæ conjugationes, quarum illa utilis est quæ habet minorem de contingentibus, et perficitur per conversionem majoris et transpositionem propositionum: illa vero inutilis quæ habet mi-

norem de inesse et affirmativam, quia illa habet minorem vere negativam, quod huic tertiae figuræ non congruit. Adhuc autem si universalis sit affirmativa et particularis negativa, quatuor fiunt conjugationes: aut enim major est universalis et minor particularis, aut e converso. Si major est universalis: aut major est de inesse et minor de contingenti, aut e converso. Et si major est universalis de inesse et minor de contingenti, est utilis conjugatio: aut e converso major est de contingenti et minor de inesse, et est inutilis conjugatio. Si autem major sit particularis et minor universalis: aut major est de inesse et minor de contingenti, et talis conjugatio est inutilis. Si vero sit e converso major de contingenti et minor de inesse, est conjugatio utilis. Sic ergo multiplicantur istæ particulares conjugationes, quarum causam Aristoteles (cujus sententiam hic sequimur) non ponit nisi ultimam. Dicit enim Aristoteles in formatione particularium syllogismorum, quod si propositionum præmissarum una sit particularis et altera universalis, quando utræque propositiones sunt affirmativæ: aut quando universalis quidem est privativa et particularis affirmativa, sicut est in sexto hujus tertiae: idem modus per tales conjugationes erit syllogismorum: quia per conversionem unam vel duas omnes tales reducuntur et clauduntur per primam figuram: propter quod manifestum dicit esse, quod in talibus erit syllogismus ejus quod est contingere, hoc est, quod sequitur conclusio de contingenti, et non sequitur conclusio ejus quod est de inesse.

In conjugatione tamen in qua universalis est affirmativa et minor, et particularis negativa et major, sicut est in quinto tertiae, oportet quod utilitas conjugationis ostendatur per impossibile: formetur enim sic syllogismus, quod in minori sit universalis affirmativa de inesse, ita quod b minor extremitas insit omni c quod est medium, sic, omne c est b, et major sit particularis negativa de contin-

genti, ita quod a major extremitas contingat alicui c non inesse: tunc enim necessitate syllogistica contingit a alicui b non inesse in conclusione: si enim non sequitur, detur oppositum: hoc autem est secundum veritatem, non contingit aliquid b non esse a, hoc autem æquipollit huic, necesse est omne b esse a. Fiat ergo mixtio necessarii et inesse ex hac et minori ad destruendum majorem, sic, necesse est omne b esse a, omne c est b, ergo necesse est omne c esse a, hoc enim sequitur: quia minor est de inesse simpliciter, et est syllogismus hujus mixtionis in primo primæ. Si enim omni b inest a ex necessitate, sicut dicit illa quæ æquipollit opposito conclusionis, b autem omni c positum est inesse in minori, sequitur quod a omni c ex necessitate inerit, quæ est majori opposita. Positum est enim in majori prioris syllogismi, quod a contingit alicui c non inesse.

Inutiles autem conjugationes et particulares sunt, quando in hac mixtione ambæ præmissæ sumuntur particulares vel indefinitæ: ex talibus enim nunquam fit syllogismus. Inutilitas autem harum conjugationum demonstratur per eosdem instantiæ terminos, qui positi sunt paulo ante ad inutiles conjugationes demonstrandas in universalibus syllogismis. Intelligendum tamen quod adhuc sunt quatuor conjugationes habentes utramque negativam: sed quia omnes inutiles sunt præter unam, ideo eas ponere non oportet. Cum enim utraque sit negativa: aut major est universalis et minor particularis, aut e converso. Si major est universalis: aut ergo major est de inesse et minor de contingenti, et est utilis conjugatio: aut e converso, et est inutilis. Adhuc si major est particularis et minor universalis: aut major est de inesse et minor de contingenti, aut e converso, et semper est inutilis conjugatio. Nunquam enim in hac mixtione in tertia figura est utilis conjugatio quando illa de inesse est negativa particularis, propter hoc quod

in reductione efficitur minor vere negativa, quod esse non potest in prima et tercia figuris.

**Dubitatio prima.**

Dubitatur fuit autem hic a quibusdam de istis conjugationibus, quæ habent maiorem particularem de inesse et minorem universalem affirmativam de contingentí, quæ dictæ sunt inutiles: videntur enim istæ esse utiles ad conclusionem de contingentí, sic, aliquid c non est A, contingit omne c esse B, ergo contingit aliquid B non esse A: exponatur enim c per aliquid quod sub ipso est a quo universaliter removetur A, et sit illud N, et fiat talis syllogismus, nullum N est A, contingit omne N esse B, ergo contingit aliquid B non esse A, et videtur hoc sequi: quia hæc est utilis istius mixtionis conjugationis in secundo modo secundæ figuræ.

**Secunda.** Adhuc autem idem ostendi potest per deductionem ad impossibile. Sic enim ex opposito conclusionis et minori posita inesse sequitur oppositum majoris in primo primæ per propositiones quæ omnes sunt de inesse.

**Responsio prima.**

Ad hæc autem et similia dicendum, quod nec sequitur conclusio de inesse, nec de contingentí. Ad syllogismum autem expositivum dicendum, quod est inutilis syllogismus expositivus: ideo quia universalis negativa accepta sub particulari potest esse de inesse ut nunc, sicut et ipsa particularis: et ideo facit inutilem syllogismum, quia post reductionem in primam figuram, nec potest fieri major neque minor in hac mixtione: non enim habet aliquid unde cogatur ad hoc quod sit de inesse simpliciter, sed remanet de inesse ut nunc.

**Ad secundam.**

Ad hoc autem quod dedit ad impossibile, Dicendum sicut in præcedentibus, scilicet quod oppositum conclusionis tam de inesse quam de contingentí stare potest cum minori, ex quo major est de inesse ut nunc: sed cum minor ponitur inesse, ipsa incompossibilis efficitur utriusque istarum: et ideo non est ponenda minor inesse, si aliæ conceduntur.

Ad habendam autem sufficientiam con-

jugationum hic positarum, supponendum est quantum ad omnes conjugationes utilles, quod altera propositionum sit universalis. Specialiter autem quantum ad modos negativos supponendum est, quod illa de inesse sit universalis negativa et major. Et dico modos negativos solum illos in quibus illa de inesse negativa est. Quibus suppositis manifestum est, quod ex utraque existente universalí sex fiunt conjugationes utiles, et due inutiles. Adhuc autem majori existente particulari et minori universalí fiunt quatuor utiles, et quatuor inutiles. Si autem utraque sit particularis, omnes erunt inutiles. Ex quibus omnibus facile est colligere, quod sexdecim sunt hujus utiles conjugationes, et sexdecim inutiles: quæ sunt tringinta due conjugationes sicut in aliis.

Si autem quæritur causa secundæ suppositionis, scilicet quare in modis negativis in quibus illa de inesse est negativa, oportet quod sit universalis et major? Et dicendum est ad hoc, quod omnes conjugationes hujus mixtionis in hac figura descendunt a modis particularibus hujus mixtionis in prima figura, minori conversa, sicut in ante habitis dictum est: ita quod illæ quæ habent illam de inesse affirmativam, descendunt ab illis quæ in prima figura eamdem habent affirmativam. Illæ autem quæ habent illam de inesse negativam, descendunt ab his quæ in prima figura habent eamdem negativam in eadem mixtione. Constat autem quod modi hujus mixtionis in prima figura habentes illam quæ est de inesse negativam, habent eamdem universalē et majorem: propter quod oportet quod similiter sit hic. Ad idem etiam facit, quod negativi syllogismi hujus figuræ reducuntur in negativos primæ figuræ ejusdem mixtionis, et sunt qui habent majorem negativam de inesse et universalē: propter quod oportet quod observetur hic quod isti habeant illam propositionem de inesse quæ possit esse major in prima figura in syllogismis ad quos reducuntur. Non autem pos-

sunt eam habere minorem: eo quod minor in tertia figura non potest esse simpliciter negativa, sicut nec in prima. Relinquitur igitur quod habeant eam majorem: oportet igitur quod in modis negativis universalis de inesse negativa sit et major, et hæc est causa suppositionis.

## CAPUT XXVII

*De mixtione necessarii et contingentis in tertia figura ad syllogismos universales.*

In mixtione autem necessarii et contingentis in tertia figura oportet primum resumere regulam secundum quam hæc debet fieri mixtio, deinde modos hujus figuræ secundum illam mixtionem ad regulam verificare. Regula igitur hæc est, quod si una quidem propositionum fuerit de necessario, et altera de contingenti, et prædicativæ sive affirmativæ fuerint propositiones, semper erit syllogismus ejus quod est contingere, hoc est, conclusio de contingenti. Si autem in una propositionum ad unum terminum fuerit affirmativus, et ad alterum terminum sive extreum fuerit negativus sive privativus: si ille fuerit de necessario qui est affirmativus (ita quod propositio affirmativa fuerit de necessario) sequitur conclusio negativa de contingenti, ejus scilicet quod est contingere non inesse. Si autem privativus terminus sive privativa propositio sit de necessario, et affirmativa de contingenti, sequitur duplex conclusio, scilicet et de contingentis negativa, et negativa de inesse: et hoc est quod dicitur, quod sequitur conclusio ejus quod est contingere non inesse, et ejus quod est ex necessitate non inesse: quia nunquam sequitur conclusio de necessario, sicut nec in aliis figuris in hac mixtione sequitur conclusio de necessario.

Hac regula sic posita, modos hujus mixtionis in tertia verificemus figura, et primo primum, qui constat ex duabus universalibus affirmativis: sint enim primum

prædicativi ambo termini, ita quod in majori A (quod est major extremitas) insit omni c medio ex necessitate, b autem (quod est minor extremitas) contingat inesse omni c, ita quod major sit universalis affirmativa de necessario, et minor sit universalis affirmativa de contingenti, sic, ex necessitate omne c est A, contingit omne c esse b, sequitur conclusio affirmativa de contingentis quod A contingit alicui b inesse. Et perficitur hic syllogismus per conversionem minoris in terminis factam, et fit talis syllogismus in tertio primæ: quia cum A omni c inest ex necessitate (sicut dicitur in majori), et contingit quoddam b esse c (sicut dicit conversa minoris), sequitur in tertio primæ quod A contingens erit inesse alicui b, et non sequitur conclusio de inesse, scilicet hæc, quod A inerit alicui b sine modo contingentis: et hoc quidem est veritas.

Sunt tamen qui nituntur probare, quod Prima obje-  
in isto modo sequitur etiam conclusio de  
tio.  
inessere, et non tantum de contingentis, sic,  
de necessitate omne c est A, contingit  
omne c esse b, ergo aliquod b est A. Si  
non sequitur, detur oppositum, hoc scilicet,  
nullum b est A, ex quo et minori  
sequitur oppositum majoris per mixtio-  
nem contingentis et inesse in prima figu-  
ra, sic, nullum b est A, contingit omne c  
esse b, ergo contingit nullum c esse A,  
quod non stat cum majori, quæ dicit  
quod de necessitate omne c est A.

Sic etiam quidam probare nituntur, Secunda.  
quod sequitur conclusio de necessario,  
sic, omne c de necessitate est A, contingit  
omne c esse b, ergo aliquod b de neces-  
sitate est A: aut detur oppositum, hoc  
scilicet, non de necessitate aliquod b  
est A quæ æquipollit isti, contingit  
nullum b esse A, ex qua et minori se-  
quitur oppositum majoris in prima fi-  
gura ex utraque de contingentis, sic,  
contingit nullum b esse A, contingit omne  
c esse b, ergo contingit nullum c esse A.

Dicendum autem ad hæc, quod neutra Ad primam.

istarum conclusionum sequitur : cum enim datur oppositum conclusionis de inesse, illud potest esse de inesse ut nunc : et quando propositio de inesse miscetur cum propositione de contingenti, oportet quod propositio de inesse sit de inesse simpliciter : et ideo mixtio quam inducit non valet. Quod autem oppositum conclusionis possit esse de inesse ut nunc, ex hoc probatur : quia ex tali conjugatione (qualis est inducta) sequitur contingens pro possibili, quod si ponatur inesse, aliquando erit de inesse ut nunc, et aliquando de inesse simpliciter.

*Ad secundam.*

Ad id autem quod inducitur ad hoc quod sequatur conclusio de necessario, Dicendum quod in uniformi generatione syllogismorum de contingenti in prima figura, oportet quod accipiatur contingens superius determinatum, hoc est, ad utrumlibet. Major autem in syllogismo deducente ad impossibile fuit oppositum conclusionis de contingente pro possibili : et ideo et ipsa est de contingenti pro possibili. Non valet talis processus : quia si aliquid sequitur ad antecedens, non propter hoc oportet quod sequatur ad consequens : unde quamvis sequatur conclusio de contingenti superius determinato : conclusio dico syllogismi ad impossibile ducentis : non tamen sequitur ex contingenti pro possibili. Sicut autem sequitur conclusio de contingenti et non de inesse, quoniam ambæ sunt affirmativæ et universales, et major de necessario et minor de contingenti : ita sequitur conclusio de contingenti et non de inesse in primo tertiae figuræ, quando fuerit major de contingenti et minor de necessario, scilicet quando b c minor propositio fuerit de necessario, et a c de contingenti quæ est major propositio.

*Objectio.*

Quamvis contra hoc iterum objiciatur, et videatur probari, quod sequatur conclusio de inesse, sic, contingit omne c esse a, necesse est omne c esse b, ergo aliquod b est a : aut detur oppositum, hoc scilicet, nullum b est a, et accipiatur cum

majori, sic, nullum b est a, contingit omne c esse a, patet quod sequitur oppositum minoris per mixtionem contingens et inesse in secunda figura. Patet autem solutio ad hoc sicut prius : quia illa de inesse (quæ est oppositum conclusionis de inesse) potest esse de inesse ut nunc : et ideo mixtio non valet.

*Solutio.*

Hæc autem objectio de conclusione de inesse et conclusione de necessario, fere contra omnes istius figuræ et mixtionis modos fieri posset : sed in omnibus est una et eadem solutio.

Accedamus igitur ad secundum modum istius figuræ ponendum : ille enim est de majori universalis negativa et minori universalis affirmativa, ita quod dissimiles in qualitate sunt propositiones. Rursum ergo dicamus quod si unum quidem terminorum ad medium aliquis ponat privativum majorem, illud vero quod est minor terminus ponat quis affirmativum, et de necessario, ita quod a quidem contingat nulli c inesse in majori de contingenti, b autem omni c insit ex necessitate in minori sumpta de necessario : tunc rursum erit prima figura per conversiōnem minoris in terminis factam. Et hoc

*Major propositio in fluit in totam syllogismi consequentiam.*

ideo, quia privativa propositio quæ major est, significat contingere : et propter ea cum prima propositio influat in totam syllogismi consequentiam, oportet quod conclusio sit de contingenti negativa. Cujus causa est, quia quando in prima figura (ad quam ista reducitur) propositiones istius mixtionis hoc modo se habebant, sequebatur conclusio de contingenti: et ideo oportet quod hic similiiter fiat.

Si autem e converso dictæ conjugationis, privativa propositio major universalis negativa sit de necessario, et alia minor sit universalis affirmativa de contingenti, sequetur duplex conclusio negativa, scilicet de contingenti, et de inesse : quoniam majorem extremitatem contingit alicui minori extremitati non inesse, et quoniam non inest, quæ est conclusio negativa de inesse : ponatur enim a nulli

inesse c ex necessitate, sic, de necessitate nullum c est A, et ponatur in minori quod B contingit omni c, sic, contingit omne c esse B, erit syllogismus, quod aliquid B et contingit non esse A, et quod aliquod B non est A, et perficitur conversa in terminis B c minori propositione : et syllogizabitur in quarto primæ, in quo major propositio universalis privativa est de necessario. Quando autem sic se habebant propositiones in quarto primæ, dictum est in mixtione ista in prima figura quod sequebatur duplex conclusio, scilicet quod A contingebat non inesse alicui c, et alia de inesse, quod A non inerat alicui c ; propter quod et hic sequitur conclusio de contingentibus et de inesse, quod scilicet A non insit alicui B.

Quando autem id quod est privativum et universale ponitur ad minorem extremitatem, ita quod sit de contingentibus, sic quod minor sit universalis negativa de contingentibus, et major universalis de necessario : tunc sequitur conclusio de contingere non inesse, et perficitur per duplum conversionem minoris, primam quidem in oppositam qualitatem, secundam autem in terminis : et syllogizatur in tertio primæ figuræ secundum eamdem mixtionem, sicut cuilibet patere potest.

Quando autem minor fuerit universalis negativa de necessario, et major universalis de contingentibus : tunc non erit syllogismus, eo quod sequitur in terminis instantiæ et ex necessitate omni inesse, et ex necessitate nulli inesse : propter quod universalis affirmativa vel negativa de contingentibus conclusio sequi potest. Terminii autem ad omni de necessitate inesse, sunt somnus, equus dormiens, homo : ita quod dormiens equus sit unus terminus, qui est minor extremitas in terminis ad omni ex necessitate inesse. In terminis autem ad nihil inesse, minor extremitas est equus vigilans : et termini sunt somnus, equus vigilans, homo. Medium autem homo, et somnus major extremitas : contingit omnem hominem dormire, vel omni homini somnum inesse : de-

necessitate nullus homo est equus : et tamen non sequitur quod contingat dormientem equum dormire, quia necesse est quod omnis equus dormiens dormiat. Adhuc contingit omnem hominem dormire : necesse est nullum hominem esse equum vigilantem : et tamen non sequitur quod contingit equum vigilantem dormire, quia necesse est quod nullus equus vigilans dormiat. Sic igitur probatur quod est inutilis conjugatio.

### CAPUT XXVIII.

*De mixtione necessarii et contingentis in tertia figura ad syllogismos particulares.*

Similiter autem se habebit secundum regulam superius inductam in particularibus syllogismis, in quibus unus terminorum se habet universaliter ad medium, alter autem particulariter. In tali enim conjugatione si utriusque termini ad medium (universalis scilicet et particularis) sint prædicativi sive affirmativi, sicut in tertio et quarto hujus figuræ, sequitur conclusio ejus quod est contingere inesse, et non sequitur conclusio ejus quod est inesse in tali particulari syllogismo.

Similiter autem quando dissimilis qualitatis sunt præmissæ propositiones, una scilicet affirmativa et altera negativa : tunc quando unum sumitur privativum, et alterum negativum, et illa quæ est affirmativa sumitur de necessario, sicut est in quarto tertiae, iterum sequitur conclusio de contingentibus, et non de inesse.

\*Quando autem id quod sumitur de necessario sit privativum et de necessario et universale et majus (sicut in sexto tertiae), tunc sequitur duplex conclusio, scilicet de contingentibus non inesse, et de non inesse : et de hoc quidem idem modus est demonstrationis, qui in simili conjugatione paulo ante habitus, quando universales sunt termini in utraque præmissarum : oportet enim omnes tertiae figuræ syllogismos perfici per primam figu-

ram : et propter hoc quod in hac mixtione sequitur in illis qui sunt particulares primæ figuræ, necesse est quod sequatur etiam in istis, quia isti ab illis descendunt et reducuntur in illos.

Quando autem universalis privativa ponitur ad minorem extremitatem, ita quod minor est universalis negativa, et sumitur de contingentibus, erit syllogismus per duplum conversionem minoris ad oppositam qualitatem, et in terminis, sicut ante dictum est.

Si autem minor fuerit de necessario, non erit syllogismus alicujus conclusioonis : et inutilitas istius conjugationis ostendetur eodem modo, sicut est ostensa in simili conjugatione in universalibus syllogismis, et per eosdem terminos ad inesse omni, et ad inesse nulli, qui sunt somnus, dormiens equus, homo : et **somnus, equus** vigilans, homo : et eodem modo, ut prius **formetur** instantiæ syllogismus, nisi quod loco unius universalis propositionis ponitur particularis ejusdem modi propositio.

Manifestum est ergo quando et quomodo erit syllogismus in hac figura tertia, et quando erit syllogismus ejus conclusionis, quæ est contingere, et quando erit cum hac etiam ejus conclusionis quæ est de inesse. Palam etiam ex dictis est, quod omnes istius mixtionis in tertia figura sunt syllogismi imperfecti, et quod perficiuntur per primam figuram, quando vel per conversionem propositionum, vel per impossibile reducuntur ad ipsam.

Potest autem hic esse dubium de modo quinto hujus tertiae figuræ in hac mixtione, qualiter sit hæc utilis conjugatio, quando illa quæ est de necessario est particularis et negativa : æquales enim sunt conjugationes in mixtione contingentis et inesse, et in mixtione contingentis et necessarii in prima figura, et similiter in secunda, sicut præhabitum est : propter quod cum tertia figura descendat a prima sicut et secunda, videtur quod etiam debent æquari in tertia figura. Sed in mixtione contingentis et inesse in tertia figura

non fuit utilis conjugatio circa quintum modum, illa de inesse existente particuli negativa. Ergo nec in mixtione necessarii et contingentis in eodem quinto modo poterit esse utilis talis conjugatio, particulari existente negativa de necessario. Ad hoc autem dicendum est, quod istæ duæ mixtiones in prima figura æquales sunt quoad conjugationes : in secunda autem et tertia non sunt æquales quoad hoc. In secunda enim figura fit inutilis conjugatio juxta quartum modum in mixtione contingentis et inesse, quando illa de inesse est particularis negativa : fit tamen in eodem modo syllogismus in mixtione contingentis et necessarii, illa de necessario existente particulari negativa : et utrumque istorum in præcedentibus est determinatum. Quod autem et Aristoteles dixit (et nos in ante habitis exposuimus) in secunda figura tot esse syllogismos in una mixtione quot sunt in alia, intelligendum est de illis qui per conversionem **majoris** reducuntur in primam figuram. Similiter etiam dicitur hic, quod in tertia figura in mixtione contingentis et inesse non est utilis conjugatio in quinto modo (illa de inesse existente particulari negativa, sicut prius ostensum est) fit tamen utilis conjugatio in eodem modo in mixtione contingentis et necessarii, illa de necessario existenti particulari negativa.

Sed tunc potest quæri, quare magis in his mixtionibus fit utilis conjugatio in quarto secundæ et in quinto tertiae, particulari existente negativa de necessario, quam ipsa existente de inesse ? et hoc est quærere, quare magis mixtio contingentis et necessarii utilis est in istis duobus modis (illa de necessario existente particulari negativa) quam mixtio contingentis et inesse, illa de inesse existente particulari negativa ? Et ad hoc iterum dicendum est quod responsio patet : quia mixtio contingentis et inesse nusquam tenet, nisi illa de inesse sit de inesse simpliciter et non ut nunc, particularis autem negativa de inesse, eo quod non pot-

Solutio.

Objectio.

Solutio.

est fieri major in prima figura per reductionem, talis est quod non ei appropriatur, quod sit de inesse simpliciter : sed potest esse de inesse ut nunc : et ideo in mixtione contingentis et inesse non fit utilis conjugatio in dictis modis. Aliter autem est in propositione de necessario. Hæc enim et ex natura et ex modo habet inhærentiam quæ simpliciter est et essentialis inhærentia, et habet intellectum propositionis de inesse simpliciter : et ideo in mixtione necessarii et contingentis in dictis modis fit utilis conjugatio, sicut etiam fieret in mixtione contingentis et inesse, si illa de inesse diceret inesse simpliciter.

**Dubitatio.** Est autem communis adhuc quæstio de sufficientia conjugationum in ista mixtione positarum. Ad quam habendam duo oportet hic supponere : unum quidem, quod altera propositio sit universalis : aliud autem, quod minor non sit negativa de necessario. Quibus suppositis, patet quod utraque existente universali duæ erunt conjugationes inutiles, et sex utiles. Adhuc si major sit particularis et minor universalis, sex erunt utiles, et duæ inutiles. Utraque autem existente particulari, erunt omnes inutiles. Ex quo manifestum est, quod hic sunt novem conjugationes utiles et novem inutiles. Ratio autem suppositionum facile patet ex his quæ dicta sunt.

### CAPUT XXIX.

*Breviter colligitur harum mixtionum utilitas.*

Nota recapitulatio-  
nem omnium mix-  
tionum pul-  
chram et  
utiliem.

In summa autem breviter potest harum mixtionum colligi utilitas sic dicendo, quod triplex est in omni figura mixtio, scilicet necessarii et inesse, contingentis et inesse, et contingentis et necessarii. Prima autem inter has mixtiones (quæ est necessarii et inesse) non concludit propositionem sive conclusionem de necessario in figura prima, nisi majori existente de necessario et minori de ines-

se : nec in secunda et tertia, nisi universalis negativa existente de necessario : nec in affirmativis modis tertiae figuræ, nisi universalis existente de necessario : nec in negativis tertiae nisi universalis negativa existente de necessario. Et in his omnibus observandum est, quod illa de inesse sit de inesse simpliciter, ita quod in syllogismo primæ figuræ sit medium sub majori extremitate simpliciter et essentialiter, et minor extremitas eodem modo sit sub medio.

Secunda vero mixtio (quæ est contingentis et inesse) inutilis est in prima figura, nisi major sit universalis, et minor non sit negativa de inesse. In secunda vero figura etiam inutilis est, nisi universalis negativa sit de inesse, et sic major sit universalis. In tertia vero figura etiam inutilis est, nisi altera propositio-  
num sit universalis, et nisi in modis negativis sit major de inesse universalis. Ista autem mixtio in omni figura non concludit, nisi contingens : in prima ta-  
men figura majori existente de contingenti concludit contingens ad utrumlibet, eadem autem majori existente de inesse concludit contingens pro possibili. In se-  
cunda autem figura non concludit nisi contingens pro possibili. In tertia vero figura concludit contingens ad utrumlibet in modis illis qui post reductionem ha-  
bent majorem de contingentibus : in aliis modis qui post reductionem habent ma-  
jorem de inesse, concludit contingens pro possibili. Et patet ex prædictis, quod in neutra istarum mixtionum utilis est conjugatio, quæ sumitur juxta quartum secundæ, et juxta quintum tertiae.

Tertia autem mixtio quæ est contingentis et necessarii inutilis est in prima figura, nisi major sit universalis, et minor non sit negativa de necessario. In secunda autem figura etiam inutilis est, nisi universalis negativa sit de necessario et major universalis : et hoc intelligendum est de modis qui per conversionem perficiuntur. In tertia autem figura inutilis est, nisi altera sit universalis, et mi-

nor non sit negativa de necessario. Illa autem mixtio in figura prima ubi major est de contingenti, concludit contingens prius determinatum, quod est contingens ad utrumlibet: ubi vero major est de necessario et affirmativa, concludit contingens pro possibili: ubi autem major est de necessario et negativa, concludit contingens pro possibili, et etiam conclusio nem de inesse. Sunt tamen ibi modi utiles juxta quartum modum sumpti qui possunt in conclusionem de contingentis pro possibili, quos non ponit Aristoteles in *Prioribus*, sicut in ante habitis ostensum est. In tertia vero figura in modis qui post reductionem habent majorem de contingentibus, concluditur contingens prius determinatum quod est ad utrumlibet. In illis autem qui post reductionem habent majorem affirmativam de necessario, concluditur contingens pro possibili, et etiam conclusio de inesse. Praeter istos modos sunt quidam modi utiles juxta quintum modum tertiae sumpti, qui

non reducuntur per conversionem, qui concludunt contingens pro possibili, illi scilicet qui habent particularem negati vam de necessario.

Ex his autem patet quod mixtio contingentis et inesse, et mixtio contingentis et necessarii in prima figura differunt tantum in hoc, quod majori existente negativa de inesse, solum sequitur conclusio de contingentibus: majori autem existente negativa de necessario, sequitur duplex conclusio, scilicet de contingentibus, et de inesse. In secunda autem figura et tertia habent eamdem differentiam: et praeter hoc habent aliam, scilicet, quod in mixtione contingentis et inesse non est utilis conjugatio in quarto secundæ et quinto tertiae, particulari existente negativa et de inesse: in mixtione autem contingentis et necessarii utrobique est utilis conjugatio, particulari negativa existente de necessario. Hæc igitur de mixtionibus dicta sint.

Corolla  
rium

# TRACTATUS V

## DE SUFFICIENTIA FIGURARUM TRIUM HABITARUM.

### CAPUT I.

*Quod omnis syllogismus est secundum aliquam trium figurarum.*

In generatione sive formatione syllogismorum quædam sunt principia supposita quoad figuram, et quædam quantum ad modum in figura. Quantum ad figuram quidem sicut illud, quod omnis syllogismus est in aliqua trium figurarum, et quod fit figura ex dispositione trium terminorum, et quod omnis syllogismus fit ex duabus propositionibus et una conculsione: quæ perfecte ostendi et declarari non poterant, nisi omnibus syllogismis in figura et modis formati. Quia igitur syllogismi omnes secundum diversitates figurarum positi sunt, consequenter nunc illa principia declaranda sunt, et quantum ad formalia, et quantum ad materialia principia generalia syllogismorum. Et formalia quæ sunt de figura, et formalia quantum ad modum, in hoc tractatu sunt declaranda: et ad hoc specialem oportet inducere tractatum.

Dicamus igitur, quoniam omnes qui in dictis figuris sunt syllogismi, perficiuntur per eos syllogismos universales duos qui sunt in prima figura, universalem scilicet affirmativam primum, et universalem negativam secundum, palam est ex predictis in tractatu præcedenti. Quoniam autem omnis syllogismus semper sic se habebit, quod sit in aliquo modo trium figurarum, hoc nunc in hoc tracta-

tu erit manifestum, postquam ostensum fuerit quod omnis syllogismus est et fit per aliquam trium figurarum.

Ad hoc autem ostendendum, primo proponimus hanc propositionem a finali causa omnis syllogismi sumptam, scilicet quod necesse est omnem syllogismum in conclusione demonstrare alterum duorum, scilicet aut inesse aliquod prædicatum alicui subjecto, sicut syllogismus affirmativus, aut non inesse aliquod prædicatum alicui subjecto, sicut syllogismus negativus: et hoc aut universaliter, aut particulariter: universaliter quidem quando concludit universaliter, particulariter autem quando concludit particulariter.

Adhuc accipiendo partes dividentes formaliter syllogismum in species, dicimus quod necesse est omnem syllogismum esse vel ostensivum, vel ex hypothesi. Si enim disputatur ad rem declarandam, necesse est ostensivum esse. Si autem disputatur ad positionem aliquam datam, necesse est syllogismum esse ex hypothesi. Unde ejus syllogismi qui est ex hypothesi pars essentialis et species est ille syllogismus qui est ad impossibile. Syllogismus enim ad impossibile, datum ex hypothesi, sumit conclusionis oppositum, et ex illo et altera præmissarum syllogizat oppositum alterius præmissarum. Unde quoad illam conclusionem quam infert ex opposito conclusionis, est ipse ex hypothesi, quamvis quantum ad primam conclusionem quam probat et probare intendit, sit ostensivus.

Primo ergo dicamus de syllogismis ostensivis, probantes quod omnis syllogis-

*Divisio formalis syllogismi in species.*

mus ostensivus est in aliqua trium figurarum. His enim ostensis quod sint in aliqua trium figurarum, manifestum erit quod hi qui ad impossibile sunt, etiam sunt in aliqua trium figurarum : et omnino sive universaliter erit hoc manifestum de syllogismis qui sunt ex hypothesi. Ad probandum ergo quod omnis syllogismus ostensivus est in aliqua trium figurarum, primo sumimus hanc propositionem, quod si in syllogismi conclusione oporteat A prædicatum de B subiecto syllogizare secundum esse affirmativum, vel non esse negativum, necesse est ad hoc probandum sumere aliquid de aliquo in propositionibus : quia complexum (sicut in principio hujus scientiae ostensum est) non probatur nisi per complexum aliquid de aliquo enuntians affirmative vel negative : aut ergo sumetur idem quod concluditur, sic quod ad probandum A de B sumatur A de B sic, B est A, ergo B est A, et sic erit sumere id quod est in principio, et peccatum erit in argumentatione tali : quia idem per seipsum non potest probari : quia sic idem esset notius et ignotius seipso, quod esse non potest. Si autem non idem erit assumendum, hoc iterum potest esse duobus modis : aut enim accipitur aliquid quod est communicans cum A et B, aut non. Si est non communicans utriusque extremo quod est in conclusione, erit sicut si sumatur sub uno extremorum, sicut si dicam, quod sumitur A de C quod sub A continetur. Si autem sic sumatur C quod C de nullo prædicetur, eo quod nihil accipiatur sub ipso C de quo A sumptum est, sicut fit in prima figura : nec iterum aliquid communius illo sumatur de C quod sub A sumptum est, sicut fit in tertia figura : nec etiam sumatur alterum aliquid prædicatum de A sicut fit in secunda figura, in qua unum prædicatum ad duo refertur subjecta, nullus erit syllogismus : quia medium sumptum ad extrema in nullo communicat extremis : quia nec est prædicatum unius et alterius subjectum, nec subjectum amborum, nec

Complexum  
non proba-  
tur nisi per  
comple-  
xum.

utriusque prædicatum : et ideo in nulla complexione et terminorum dispositione communicat cum ipsis : incomunicans autem ex incomunicante concludi non potest. Dico autem incomunicans secundum dispositionem et complexionem enuntiantis aliquid de aliquo, vel aliquid dividi ab aliquo : secundum hoc enim etiam differentia et opposita communicant. In eo enim quod unum prædicatum de uno sumitur subiecto, nihil accidit sive sequitur ex necessitate syllogistica, sicut in ante habitis ostensum est : quia si concluditur aliquid de aliquo, oportet quod concludatur per aliquid, quod sit utriusque communicans : oportet igitur assumere etiam alteram propositionem, ut in una medium se habeat ad unum extre- morum, et in altera ad alterum extre- morum.

Si igitur hoc modo sumatur A extremum de alio aliquo cui insit ut prædicatum : aut sumatur aliud prædicatum de A quod quidem sit C, et si de C (quod est prædicatum de A) sumatur alterum prædicatum : tunc nihil prohibet fieri syllogismum ad aliquid cui communicat C ; sed ille syllogismus non erit ad A probandum de B, quia C non communicat cum B neque sicut subjectum ipsius, neque sicut prædicatum : et ideo de B nihil potest probari per C sic sumptum, per ea quae sic sumpta sunt, cum in nullo sint communicantia.

Adhuc autem si ad probandum A de B sumatur C cui inest A, et sumatur C inesse alteri quam B, et illud alteri : et A sumatur iterum inesse alteri quam B, et sit illud E, et illud iterum alteri ut F, et sic procedatur semper, ita quod sumptum sub A non referatur aliquo modo ad B nec aliquo modo copuletur ad B, id quod sumptum est sub A nec hoc modo erit syllogismus ad B de quo probatur A.

Omnino enim et universaliter dicimus, quoniam nullus unquam erit syllogismus unius de alio quod subjicitur vel prædicitur de ipso, si non sumatur aliquid medium quod communicando utriusque

extremorum non se habeat ad utrumque extremorum, vel ut prædicatum de uno et subjectum alteri, vel prædicatum de utroque, vel ut subjectum utriusque. Oportet igitur quod quoquo modo prædicatiōibus (sive secundum aliquem modum prædicandi) se habeat ad utrumque extremorum. Cujus probatio est ex fine et ratione syllogismi. Syllogismus simpliciter, hoc est, absolute et in sua communitate sumptus, est ex propositionibus enuntiantibus aliquid de aliquo. Syllogismus autem hic et ille qui est ad probandum hoc determinatum prædicatum de hoc determinato subjecto, est ex propositionibus determinatis, quæ sunt ad probandum et enuntiandum hoc de hoc determinate. Syllogismus autem qui est hujus extremi ad hoc extremum, est ex propositionibus determinatis habentibus medium, quod est habitudo hujus ad hoc. Est autem impossibile sumere propositionem quæ probet de **B** **A**, sumendo talem in qua nihil prædicetur, neque negetur de **B**. Aut rursum dicendo, quod impossibile sumere propositionem talem, quæ sit probans **A** de **B**, ita quod sumatur talis in qua nulla sit habitudo communitatis ad **A** et ad **B**, ita quod ad utrumque talis propositio (quæ nihil communitatis habet cum **A** et **B**) sumatur, et si utriusque istorum sumuntur propria in quibus cum altera non communicat, neque secundum affirmationem, neque secundum negationem. Propter quod oportet quod tale sumatur medium ad extrema, quod copulet et uniat ea secundum prædicatiōnes, sive secundum aliquem modum prædicatiōnis : quia etiam in negativis aliquis est modus prædicatiōnis, si debeat esse hujus extremi ad hoc alterum extremum syllogismus.

Sic ergo necesse est sumere medium quod ad utraque extrema se habeat in aliqua communitate sive communicatiōne. Si autem sic se habeat habitudo me-

dii ad extrema, statim probatur numerus figurarum. Communicationem enim medii fieri ad extrema ambo non contingit nisi tripliciter<sup>1</sup>. Aut sic communicat medium, sicut sit **A** majus extremum prædicatum de **C** medio, et **C** medium sit prædicatum de **B** minori extremo : et sic est prima figura. Aut **C** medium prædicatum est de utrisque extremis, sicut in secunda figura. Aut utraque extrema sunt prædictata de **C** medio, sicut in tertia figura. Hæ medii communicationes cum extremis sunt tres dictæ figuræ, secundum quas determinatae sunt syllogismorum generationes. Et causa hujus est : quia prædicatiōnis et enuntiationis modo non potest communicare medium cum extremis pluribus modis. In enuntiatione enim hujus de hoc non est habitudo nisi subjectionis vel prædicatiōnis : unde communicatio mediæ ad extrema non est nisi per alteram istarum habitudinum, vel per utramque. Si autem per alteram est : aut est per subjectionem, aut per prædicatiōnem. Et si est per utramque, non potest esse per utramque ad utrumque. Oportet ergo quod per unum modum se habeat ad unum, et per alterum modum ad alterum. Non autem potest ad majus se habere nisi modo subjectionis, quia aliter primum non esset primum : nec ad minus se potest habere nisi prædicando, quia aliter postremum non esset postremum.

Si autem aliquis dicat, quod inter **A** et **B** sunt plura media copulantia **A** et **B**, Dicendum quod non obstat hoc : quia quoad subjectionem et prædicatiōnem idem modulus est in pluribus et in uno : omnia enim illa subjiciuntur majori, et prædicanter de minori. Unde eadem ratio est in pluribus et in uno quoad figuram quæ consequitur talem vel talem terminorum dispositionem.

Manifestum est igitur quod omnes ostensivi syllogismi per tres figurās (quæ

Objectio.  
Solutio.

non sunt nisi tres figuræ syllogisticæ.

<sup>1</sup> Medium non potest communicare cum extremis in syllogismo nisi tribus modis : et ideo

Removet dubium. dictæ sunt) terminantur. Nec est hic petitio ejus quod in principio est, quando figuram probamus per terminorum habitudinem et dispositionem : quia figura quamvis sit forma consequens terminorum dispositionem, non tamen est ipsa dispositio, sed potius terminorum dispositio causa efficiens est figuræ. Adhuc autem quamvis figura sit de primis principiis syllogismorum, et ideo videatur figura probari non posse, quia non est prius aliquid per quod videatur posse probari : tamen figura non est ita prima, quod non habeat aliquid prius ea, et per illud figura probari potest<sup>1</sup>.

Removet dubium. Et quamvis syllogismus (per quem figura probatur) sit in aliqua figura, tamen per ipsum figura probatur : quia ille syllogismus (per quem fit probatio) est ut rationis instrumentum generale ad omnia, et non est syllogismus ut in arte vel scientia constitutus : sicut et fabri instrumentum est malleus, quo et malleus et alia fabricantur. Sic ergo patet quod omnes syllogismi ostensivi per dictas tres figuras terminentur.

## CAPUT II.

*Hic declaratur quod syllogismus ex hypothesi sit in aliqua trium figurarum.*

Sicut autem jam ostensum est omnem syllogismum ostensivum in aliqua esse trium figurarum, ita ostenditur omnem syllogismum ad impossibile, et omnem qui est ex hypothesi, esse secundum aliquam trium figurarum. Quoniam autem syllogismus qui est ad impossibile, sit in aliqua trium figurarum, palam erit per hæc quæ statim dicentur. Omnes enim syllogismi qui probant per impossibile quod ex hypothesi sequitur conclusionem quam intendunt, falsum quidem syllogizant ex dato opposito conclusionis cum altero præmissorum. Id autem quod ex

principio syllogizatum est, hoc est, conclusio quam syllogizant antequam accipiatur ejusdem conclusionis, hoc demonstrant ex hypothesi : quando enim ex hypothesi inconveniens syllogizatum est, tunc redeunt dicentes, quod ex quo non stat oppositum datum ex hypothesi, oportet quod stet primo syllogizata conclusio. Hujus exemplum est, quod dicamus esse syllogizatum, quoniam diameter est asimeter lateri sive costæ quadrati sive incommensurabilis : et dicat respondens quod non est asimeter, et detur quod est simeter sive non incommensurabilis : et ex hoc dato syllogizemus quod sit simeter : quia abundantia in numeris (quæ sunt imparia) sunt æqualia perfectis sive paribus : numerus enim impar abundat unitate in una parte super aliam : quia in duo æqualia dividi non potest. Perfectus autem dicitur par numerus : quia ex æqualibus perfecta discretione constituitur. Cum autem hoc inconveniens sequatur ex hac hypothesi data, quod diameter est simeter, tunc demonstrant syllogizantes, quod diameter est asimeter, ex hoc quod falsum accidit sive sequebatur propter contradictionem quam dedit respondens in opposito primæ conclusionis : hoc enim secundum superius determinata fuit ad impossibile syllogizare, ostendere aliquid sequi impossibile propter priorem datam hypothesim in opposito primæ conclusionis.

Quare n  
pmerus i  
ar dica  
abundan  
et par p  
fectus.

Propter quod cum in deductione ad impossibile falsi alicujus fiat syllogismus ex data hypothesi in opposito conclusionis et illius falsi, talis syllogismus sit ostensivus : in talibus syllogismis qui ad impossibile deducunt, et quod a principio in primo syllogismo monstratur ex hypothesi, sicut prius dictum est : patet quod syllogismus ad impossibile est alicujus ostensivus conclusionis. Jam autem habitum est, quod omnes ostensivi terminantur per has tres figuras. Manifestum est

<sup>1</sup> Nota responcionem ad dubium quia potest applicari ad argumentum de syllogismo per

quem probatur passio syllogismi de syllogismo in communi. P. J.

quoniam etiam syllogismi qui probant per impossibile quod sequitur ex hypothesi, oportet quod tales syllogismi fiant per has figuræ.

Similiter autem est in omnibus aliis syllogismis qui fiunt ex hypothesi, sicut in circulari, et conversivo, et ex oppositis, et hujusmodi syllogismis. In omnibus enim talibus syllogismis fit syllogismus ad transsumptum, hoc est, ab hypothesi sumpta ad principale propositum, aut a contrario, aut a simili, aut ab opposito. A contrario quidem sicut si syllogizatum sit, quod homo est sanus, sequitur quod non est æger. A simili autem sicut si positum sit, quod quantum ad animæ immortalitatem similiter se habet in uno homine et in omnibus, et probatum sit quod anima Socratis sit immortalis, sumitur quod anima omnis hominis sit immortalis. Vel si probetur quod contrariorum est idem sensus, sumitur quod contrariorum est eadem disciplina. Ab opposito autem quando ex hypothesi sumitur oppositum conclusionis, et deducitur ad inconveniens, et ex illo inconvenienti redditur ad primam conclusionem: in omnibus enim talibus syllogismis id conclusum (quod est a principio intentum) terminatur, hoc est, concluditur per confessionem alicujus positionis quam dat respondens, aut per aliquam aliam hypothesim a respondentे datam. Si autem hoc quod dictum est, verum est (quod scilicet syllogismus ex hypothesi est alicujus conclusionis ostensivus) et omnis ostensivus syllogismus per aliquam trium terminatur figurarum, sequitur quod necesse est omnem demonstrationem et omnem syllogismum fieri per tres prædictas figuræ.

Hoc autem sic ostengo, palam est ex olim in hoc libro dictis, quoniam omnis syllogismus perficitur per primam figuram per reductionem in illam. Et adhuc ulterius palam est, quod omnis syllogismus reducitur in primos duos primæ figuræ universales syllogismos. In hac autem deductione et inductione sumpsi-

mus pro partibus specificis syllogismum ostensivum et ex hypothesi: quia istæ duæ sunt species formales syllogismi, et sufficienter dividunt ipsum. Nec sumpsimus demonstrativum et dialecticum et rhetoricum: quia isti materialiter syllogismum dividunt, et ideo ex talibus partibus sumptis universalis inferri non posset quantum ad propositam intentionem, in qua de formalibus syllogismi loquimur principiis. Quod autem in exemplo dicimus, quod diameter est asimeter, ex propriis istius scientiæ logicis principiis probari non potest, sed a logicis est sumendum, probandum autem a geometra.

Ex omnibus igitur his constat, quoniam Nova ratio,  
quod omnis  
syllogismus  
sit in aliqua  
trium figu-  
rarum. omnis syllogismus perficitur per aliquam trium figurarum. Reducitur namque omnis syllogismus in primam, vel per conversionem propositionum, vel per ad impossibile deductionem. Non autem in primam figuram reducitur, nisi quod exit ab illa: et non exeunt a prima nisi duæ figuræ, scilicet per conversionem majoris secunda, et per conversionem minoris tertia: ergo non possunt esse nisi tres figuræ. Hæc autem omnia ex prædeterminatis sunt manifesta.

### CAPUT III.

*Quod nullus esse potest syllogismus ad propositum sine universalis propositione quæ principium est syllogismi quantum ad modum.*

Amplius autem adhuc declarandum est quod in præhabitibus est suppositum, et est principium syllogismi quantum ad modum. Hoc autem est, quod in omni syllogismo cujuscumque modi sit in omnibus tribus figuris, oportet aliquem terminorum esse prædicativum sive affirmativum ad medium, et oportet aliquem esse universalem universaliter acceptum ad medium: quia aliter per dici de omni vel dici de nullo perfici non posset. Sine universalis enim propositione aut non erit syllogismus, aut si erit, non erit ad pro-

positum probandum quod intenditur, aut erit petere quod est in principio.

Hoc autem in communibus et moralibus terminis ostendi potest sic : Ponatur musicam voluptatem, hoc est, voluptatem quæ est in musicis, esse studiosam, sicut sunt ea quæ sunt de numero laudabilium bonorum : et hæc sit conclusio quam aliquis probare intendit. Dico ergo quod hanc conclusionem probare intendens posuerit hanc propositionem voluptatem esse studiosam, per quam probet quod musica voluptas est studiosa, sumens id quod est commune (sicut genus vel sicut species ad musicam voluptatem) et non accipiat universale universaliter, hoc est, universalis signo distributum, ita quod dicat omnem voluptatem esse studiosam: musicam autem voluptatem esse voluptatem, et ergo studiosam: non erit syllogismus, sed potius argumentum peccabit secundum consequens : sic enim argue, voluptas est studiosa: musica voluptas est: voluptas ergo est studiosa : a superiori ad inferius procedit affirmando : nec sub hoc quod quid est voluptas, potest sumi musica voluptas, nisi sit voluptas universaliter distributa ad standum pro qualibet singulari voluptate. Sed e converso sequetur sic, musica voluptas est studiosa : ergo voluptas est studiosa. Quia superius est in inferiori secundum actum et intellectum : et ideo infertur ex ipso. Inferius autem non est in suo superiori nisi potentia : et ideo non possunt ex ipso inferri , nisi superius sit distributum ad standum pro illo, et pro quolibet alio : tunc enim infertur ex ipso sicut pars actualis infertur ex suo toto.

Si autem is qui probare intendit musicam voluptatem esse studiosam, non assumpserit ad hoc probandum commune ad voluptatem musicam, sed sumpserit particulare sic dicens, aliqua voluptas est studiosa : aut ergo quando sumit aliquam voluptatem esse studiosam, intendit hoc de alia quadam voluptate quæ sit studiosa, quæ non est musica voluptas : et tunc nihil faciet hoc sic sumptum ad hoc quod

*Quomodo arguendo ex puris particularibus fit fallacia consequentis.*

positum est esse probandum ; non enim ex hoc quod agonistica voluptas est studiosa, probari potest quod musica voluptas sit studiosa : quia non infertur ex hoc sicut pars ex suo toto. Si autem quando sumit quamdam voluptatem studiosam, intelligit quamdam voluptatem eamdem esse voluptatem quæ est musica voluptas: tunc est ac si sic argueret, quædam voluptas quæ est musica, voluptas est studiosa : ergo musica voluptas est studiosa : et tunc petet id quod est in principio.

Si autem aliquis objiciat, dicens quod cum petit quod est in principio non est syllogismus : et ideo horum trium membrorum, scilicet quod aut non est syllogismus, aut non ad propositum, aut petit principium, primum continetur in tertio : et ideo divisio nulla. Dici debet quod in tertia figura (in qua medium sumitur pars extremorum) quoquo modo potest ex singularibus argui : et sic diversa sunt primum et tertium : quia cum duo sint in syllogismo, scilicet illa necessaria consequentiæ illatio, et conclusionis notificatio per præmissas sive declaratio, petitio principii non peccat contra primum, quia de necessitate infertur idem ex eodem : sed peccat contra secundum, quia non potest notificari idem per idem : et ideo aliquo modo est syllogismus in petitio principii. Potest enim esse vere syllogismus nihil probans et nihil notificans, sicut iste, omne b a, omne c b, ergo omne c a : concludit quidem de necessitate, et tamen nihil notificat vel probat.

Hoc autem quod diximus (scilicet quod oportet in omni syllogismo esse terminum universaliter distributum) magis manifestum est in demonstrationibus mathematicarum figurarum : quia illæ non ex signis, sed ex causa et forma essentiali concludunt : sicut si ponamus esse probandum et concludendum, quod anguli trianguli (qui dicitur æquicrurus, vel æquilaterus) qui anguli sunt super basim ejusdem trianguli, sunt aequales : tunc enim oportet describere circulum : quia

objectio

*In tertia figura potest quoquo modo argui singularebus.*

*Demonstraciones in thematic non concidunt ex gnis, sed causa et finalia.*


æquicrurus esse æquicrurus non potest probari nisi per circulum et per lineas quæ a centro ducuntur ad circumferentiam: et hoc supponit probanda conclusio, quod æquicrurus sit æquicrurus.

Sit ergo circulus A B C D, et ducantur lineæ diametaliter per centrum circuli A c et B D, et deinde ducatur linea ex c in D quæ claudit triangulum in una quarta circuli portione: et sic erit illa linea basis trianguli æquilateri, cui basi subtenditur quarta circuli portio quæ est c D qui triangulus super basim versus angulum trianguli qui est in centro circuli habebit duos agulos: et sint illi E unus, et F alius; et sic in hac figura sunt duo genera angulorum, anguli scilicet portionum, qui vocantur anguli incisionum qui fiunt ex linea curva portionis circuli et linea recta quæ est semidiameter: sicut est angulus A B in una portione, et angulus B C in alia portione, et angulus C D in tertia, et angulus A D in quarta: et vocantur isti anguli portionum circuli ad diametrum clausi. Sunt etiam anguli trianguli qui in centro per duas diametros se orthogonaliter secantes clauduntur in circuli centro. Alii autem duo acuti clauduntur basi trianguli ad duas semidiametros. Adhuc sunt duo alii acuti anguli, quia clauduntur basi trianguli et circumferentia: quia basis trianguli chorda est subtensa arcui qui est quarta portio circuli: quæ portio est c D, et ideo illi duo anguli signantur per D C. Et ideo

*Anguli incisionum circuli.*  
hi duo anguli vocantur et sunt anguli incisionum sive portionum circuli: quia unus in una parte ubi linea E F incidit circulum in puncto D, et alius est ubi eadem linea incidit circulum in puncto C.

His ergo sic descriptis, ponamus quod aliquis volens probare, quod anguli trianguli sunt æquales, assumpserit primo in prosyllogismo angulum A C lineæ diametalis (quam facit diameter cum linea circuli in A una parte, et in C alia sui parte) æqualem esse ei angulo qui est B D, hoc est, ei quem facit alia diameter cum circumferentia: et sumat hoc particulari-

ter, et non sumpserit universaliter, probans quod omnes anguli se in circulorum vel quartarum circuli ex diametro et circulare clausi sunt æquales: sed dicat angulum C esse æqualem ei qui est D vel B, et non assumit universaliter dicens, quod omnes anguli incisionum qui claudunt ad diametrum in puncto ubi incidit vel secat circulum, sunt æquales.



Amplius si volens concludere, quod anguli æquicruri super basim sunt æquales, et sumpserit singulariter, quod ab istis angulis per conum qui sunt D C æqualibus demptis quæ relinquuntur sunt æqualia, et non sumpserit universaliter sic, quod ab omnibus æqualibus demptis æqualibus quæ relinquuntur sunt æqualia: ille petit quod est ex principio.

Et est hic triplex syllogismus, duo scilicet prosyllogismi, et unus principialis, sic omnes anguli portionum circuli clausi ad diametrum sunt æquales: anguli A B C D sunt portionum circuli clausi ad diametrum: ergo sunt æquales. Rursus in secundo syllogismo volens probare, quod anguli quos constituit basis trianguli cum linea arcus, quæ subtenditur ei in duabus partibus, sunt æquales, facit talem syllogismum, omnes anguli incisionum sunt æquales: angulus D et angulus C sunt anguli incisionum: ergo sunt æquales. Tertius syllogismus probans, quod anguli trianguli super basim consistentes sunt æquales fit sic, si a quibus-

libet æqualibus æqualia demantur, quæ relinquuntur sunt æqualia: sunt autem æqualia anguli portionum  $\alpha$  et  $\beta$ , ergo demptis æqualibus ab eis, quæ relinquuntur adhuc erunt æqualia: demuntur autem  $\alpha$  et  $\beta$  anguli qui clauduntur ex basi tanquam chorda, et  $c \alpha$  arcu: ergo quæ relinquuntur sunt æqualia: relinquuntur autem  $\epsilon \beta$  anguli trianguli qui sunt super basim: ergo anguli duo  $\epsilon \beta$  (qui super basim sunt) erunt æquales. Et in quolibet istorum syllogismorum si universalis propositio non sumatur, non erit syllogismus. Et si idem particulare sumatur quod concluditur, erit petitio principii. Et si commune sine distributione sumatur, quod pro alio particulari verificari potest, non erit syllogismus ad propositum. Et si commune secundum se sumatur ad probandum, erit fallacia consequentis.

Manifestum est igitur, quoniam in omni syllogismo oportet esse universalem terminum universaliter sumptum. Manifestum est etiam, quoniam universale in conclusione (quod est propositio universalis conclusa) oportet monstrare et concludere ex omnibus terminis sive ex ambabus præmissis universalibus. Particulare autem sive propositio particularis, et concluditur ex ambabus universalibus, sicut in primo et secundo tertiae figuræ: et concluditur aliter, ex altera scilicet universalis, et altera particulari, tam in prima quam in secunda et tertia figuris. Propter quod si conclusio quidem in syllogismo sit universalis, necesse est ambos terminos ad medium universales esse: sed non convertitur: contingit enim quod universales sint termini ad medium, et tamen conclusio non erit universalis, sicut in tertia figura. Et hujus causa jam determinata est: quia scilicet medium in tertia figura est sicut pars extremorum et ideo extrellum cum extremo non potest universaliter copulare et conjungere.

Patet etiam quod alteram oportet esse affirmativam: quia negatio nihil copulat, et non dividit et removet aliquid ab ali-

quo, nisi per aliquid quod affirmatum est de altero, et inest ei: et ideo medium non conjungeret extrema nec separaret, nisi affirmative se haberet ad alterum extre- morum.

Palam etiam est quoniam in omni syllogismo aut utramque aut alteram præmissarum necesse est esse similem conclusioni in compositione. Dico autem quod non solum similem esse necesse sit in affirmatione vel negatione, sed etiam in eo quod sit cum modo necessitatis vel contingentis aut inesse conclusio similis sit alicui præmissarum. Nihilominus ta- men in hac similitudine considerare etiam oportet alia prædicamenta sive modos prædicandi, sicut est verum, et falsum, et hujusmodi.

Manifestum est etiam ex prædictis quando erit simpliciter et universaliter syllogismus in omnibus figuris quoad modum et figuram, et quando non erit syllogismus, sicut in conjugationibus inutilibus. Adhuc autem manifestum est quando erit syllogismus imperfectus, possibilis tamen ad perfectionem, sicut in secunda et tertia figuris: et manifestum est quando erit perfectus, sicut in prima figura. Manifestum est etiam, quod quando est syllogismus, necessarium est quod termini in præmissis se habeant in figura et modo secundum aliquid in prædictis dictorum modorum.

Quod autem dictum est, quod oportet conclusionem esse particularem, quando altera præmissarum particularis est, ideo est: quia quando medium conjungitur alteri extremorum particulariter, non potest esse unitivum et copulativum universaliter: quia id quod est in parte, non infert id quod est in toto, sed e converso.

Adhuc autem cum altera præmissarum est negativa, oportet conclusionem esse negativam: quia cum alterum extremorum dividitur a medio, vel e converso, non potest medium conjungere extrema per unionem quam extrema habeant cum ipso: et ideo particulariter conjunctum uni

et remotum ab altero, causa est separationis extremi ab extremo.

Adhuc autem quod dictum est, quod idem non potest probari per seipsum, non intelligitur de his quae sunt eadem per substantiam, sed de his quae eadem sunt secundum principia quibus sumuntur et cognoscuntur: et ideo diffinitio probat diffinitum, quia sub notioribus principiis est diffinitio quam diffinitum: sic est hic in probatione quam induximus. Hæc est igitur vera sententia de illis.

#### CAPUT IV.

*Probatur quod nullus unus syllogismus habet plus quam tres terminos.*

Palam autem hic erit, quoniam omnis demonstratio sive omnis ostensio syllogistica erit per tres terminos et non plures ad eamdem conclusionem contendentes, et unam et eamdem conclusionem inferentes, nisi forte per alia et alia media fiat sive concludatur una et eadem conclusio: sicut fit in dialecticis et probabilibus, in quibus una et eadem conclusio per plura media saepe probatur: sed tunc non est syllogismus unus, sed plures ad unam tendentes conclusionem.

Hoc autem duobus modis fieri potest. Possunt enim plura media ad unam conclusionem ordinata inter se esse non continua sive communicantia, et possunt esse communicantia in aliquo uno quod se habeat ut continuans inter illa et connectens ea. Et exemplum primi est, ut dicatur E esse conclusio principalis intenta, et concludatur per A B, sicut per unum medium, et concludatur etiam per E D, sicut per aliud medium, quae in nullo uno junguntur inter se: quod si connectens ea, et sic ad unam conclusionem ordinata media constituunt duos diversos syllogismos, qui non sunt unus syllogismus, sed sunt unius conclusionis. Exemplum autem secundi est sicut si E conclusio principalis intenta, dicatur concludi per A B sicut per medium unum, et per A C sicut

per medium alterum, et per B C sicut per medium tertium: quæ tamen media inter se communicant in E quod est commune secundo et tertio, vel in A quod est commune primo et secundo, sicut fit in prosyllogismis, qui inducuntur ad majoris vel minoris declarationem: hos enim necesse est communem habere aliquem terminum, sicut et ipsa major et minor in principali syllogismo in uno termino medio communicant. His enim duobus modis plura esse media ad eamdem conclusionem nihil prohibet.

Hæc autem media cum his duobus modis sumpta, non sunt unus secundum substantiam syllogismus, sed sunt plures secundum substantiam syllogismi. Hoc autem fit in prosyllogismis, sicut si A B sint duæ propositiones habentes tres terminos ad concludendum quod principale diximus esse conclusionem, et ad eam probandam sive concludendam sumuntur A propositio, et B propositio, et A propositio sit probanda et probetur per D C, duas propositiones communicantes in uno medio: et rursum B secunda propositio probanda sit per F G, alias duas propositiones in alio medio communicantes: aut unum quidem principalis syllogismi probetur inductione: aliud autem quod est secundum in principali syllogismo, probetur syllogismo, qui prosyllogismus vocatur, inductio enim ad syllogismum habet reduci. Sed omnibus his modis sunt plures syllogismi secundum substantiam, et non unus: cuius signum est, quia sunt plures ab eis conclusæ conclusiones, sicut conclusio A quae concluditur in inductione, et conclusio B quae concluditur in prosyllogismo, et conclusio E quae concluditur in syllogismo principali.

Si autem istæ conclusiones ab aliquo non dicantur esse plures, sed una, eo quod una est conclusio finaliter intenta, ad quam aliæ in prosyllogismis inductæ sunt: sic bene conceditur, quod continet fieri unam ultimo intentam conclusionem per plura media sic ad unum ordinata. Sed hoc modo hoc fieri, quod est

Duobus modis possunt esse plura media ad eamdem conclusionem.

Mul tiplicatis mediis multiplicantur et syllogismi.

Sub quo sen-  
su concedit  
media posse  
multiplicari  
ad unam  
conclusio-  
nem.

principalis conclusio concludatur per A B, sicut per plura media secundum substantiam est impossibile: quia cum syllogismus sit causa immediata conclusionis, et per suam substantiam sit causa, sequetur quod plurum causarum secundum unum modum causalitatis esset unus et idem substantialis effectus. Et hoc est impossibile, si causæ sunt æque immediatae et secundum idem genus causalitatis.

Sit enim gratia exempli e principali-  
ter intenta conclusio, conclusum ex A  
una propositione, et B alia, et ex C et D  
aliis propositionibus aliud habentibus me-  
dium, et sic sit unum conclusum per  
plura; sequitur ex prius habitis, quod in  
utroque syllogismo necesse est, quod  
unum se habeat ad alterum sicut totum  
se habet ad partem, sicut universalis se  
habet ad particularem, et unus terminus  
se habeat ad alterum sicut totum ad par-  
tem, sicut major extremitas se habet ad  
medium et medium ad minorem in prima  
figura: medium autem se habet ut totum  
ad utrumque extrellum in secunda figu-  
ra, et extrema se habent ad medium sicut  
totum ad partem in tertia: quia sine tali  
habitidine totius ad partem non fit decur-  
sus syllogisticus. Diximus enim in præ-  
habitibus, quoniam si est syllogismus, ne-  
cessere est quod aliqui terminorum syllo-  
gismi sic se habeant ut totum et pars ad  
invicem.

Ponamus ergo quod A sic se habeat ad  
B sicut totum se habet ad partem: sequi-  
tur itaque, quod conclusio est ex eis ali-  
quid quod sequitur ex ipsis per conse-  
quentiam syllogisticam. Hæc ergo con-  
clusio: aut est conclusio e quam dixi-  
mus esse propriam, aut est alia conclusio  
quum E, sicut si dicamus quod alterum  
istorum concludatur quæ sunt C D quæ  
alia sunt ab E, sicut si præmissarum alte-  
ra concludatur per syllogismum. Aut si  
dicamus quod aliquod aliud concludatur  
quocumque quod est aliud et a præmis-  
sis et a conclusione principali, et est præ-  
ter omnia hæc tria.

Et si primum membrum hujus detur

divisionis, quod scilicet ex A B proposi-  
tionibus ut totum et pars se habentibus,  
concluditur e conclusio principalis: tunc  
ex A B propositionibus erit syllogismus  
ad E, et illæ duæ propositiones non ha-  
bent nisi tres terminos, in quorum uno  
communicant et connectuntur. Si autem  
et aliæ propositiones quæ sunt C D sic se  
habeant ad invicem ut totum et pars:  
tunc etiam aliquid quod est conclusio, se-  
quitur etiam ex illis: aut igitur ex illis  
sequitur etiam e quæ est primi syllogismi  
conclusio: aut sequitur altera præmissa-  
rum in primo syllogismo, sicut aut A aut  
B major scilicet vel minor: aut sequitur  
aliud aliquid præter hæc tria, quod nihil  
horum est. Et si quidem datur hujus di-  
visionis primum membrum, quod scilicet  
sequitur E, tunc erit syllogizatum per plu-  
ra media et plures syllogismos. Si autem  
datur secundum membrum, quod scilicet  
sequitur alterum, aut A scilicet aut B,  
erunt plures prosyllogismi: et sic semper  
aut erunt plures syllogismi sicut prosyllo-  
gismi sunt plures, et cadunt in numeris  
cum principali syllogismo: aut sunt plu-  
res syllogismi ad unam conclusionem in-  
ducti, sicut dicimus paulo ante, quod ac-  
cidit idem sive eamdem conclusionem per  
plura media et per plures terminos con-  
cludi: hoc enim sæpe contingit in dialec-  
ticis, et etiam in demonstrativis, ubi idem  
per plures causas demonstratur demon-  
strationibus diversis. Si autem datur ter-  
tium membrum, scilicet quod concludi-  
tur aliquod aliud præter hæc tria quæ di-  
cta sunt, scilicet quod nec principalis con-  
clusio, nec major, nec minor syllogismi  
principalis: tunc plures erunt illi syllo-  
gismi et inconjuncti ad invicem et in-  
communicantes in terminis.

Si autem dicatur quod C et D proposi-  
tiones non se habeant ad invicem ut to-  
tum et pars, ut facere possint syllogis-  
mum sive decursum syllogisticum, tunc  
varie assumpta sunt ad propositum  
nihil concludentia: nisi forte dicatur,  
quod ut præter necessaria accepta sint:  
sicut ea quæ aut inductionis probantis

universalem, vel relationis propositi, vel alterius alicujus talium gratia assumantur. Sed tamen quocumque modo sumuntur, semper erunt secundum substantiam plures syllogismi. Si autem dicitur quod ex A B propositionibus non est consequens C conclusio principalis, sed aliquod aliud fiat conclusio ex A B propositionibus quam ex C, D autem aliis propositionibus assumptis fiat consequens conclusio horum alterum, scilicet aut A aut B sicut in prosyllogismis: aut forte dicatur quod alia quæcumque conclusio sequitur et concluditur ex C D propositionibus præter hæc tria que dicta sunt: constat quod omnibus his modis plures sunt syllogismi, sed non ad hoc quod est propositum: quia non fiunt ad primam conclusionem. Ponebatur enim a nobis paulo ante, quod A B propositiones sunt ejus conclusionis quam diximus esse E, C D autem propositiones, sicut jam dictum est, non sint ejusdem conclusio: et sic plures sunt non communicantes sibi syllogismi.

Si autem dicat aliquis, quod ex C D propositionibus nulla fit penitus conclusio omnino, nec eadem quidem primæ, nec alia: tunc accidit sive sequitur quod C D propositiones vane sunt assumpta: et non sunt ejus conclusionis quæ sequitur ex principio per primum conclusa syllogismum. Propterea manifestum est ex dictis, quod omnis syllogismus et omnis demonstratio erit tantum per tres terminos et non per plures, nisi sint plures syllogismi secundum substantiam.

**Objectiones.** Si autem aliquis objiciat contra hæc et dicat, quod syllogismus ex oppositis non habet nisi duos terminos, sic, nulla disciplina est studiosa: omnis disciplina est studiosa: ergo nulla disciplina est disciplina. Adhuc enthymema quod est conversio propositionis non habet nisi duos terminos: et hoc tamen reducitur in syllogismum, quia omnis argumentatio ad syllogismum habet reduci. Conversio autem propositionis in duabus propositionibus non habet nisi duos terminos: et

sic etiam syllogismus in quem tale reducitur enthymema, non nisi duos habebit terminos. Similis objectio est de inductione, quæ multos terminos habet, et absque alicujus termini diminutione reducitur in syllogismum. Et similis iterum objectio est de exemplo quod quatuor habet terminos, et absque alicujus termini diminutione reducitur in syllogismum.

Ad hæc autem omnia et similia jam olim in hujus scientiæ libro responsum est, quod scilicet syllogismus ad plus et minus habet tres terminos, sed aliquando habet tres secundum substantiam et rationem et actum proprium terminorum, sicut in syllogismo perfecto: aliquando habet pauciores, scilicet secundum substantiam, sed tres secundum rationem, sicut in syllogismo ex oppositis, in quo major extremitas secundum substantiam una, duplex est secundum rationem: quia major est etiam minor, quando secundo ponitur in minori propositione. Et simile aliquid isti est in enthymemate, in quo altera propositio retinetur in mente. Aliquando autem habet plures terminos secundum substantiam, sed non secundum rationem, sicut in inductione: in quo omnia singula sub uno communi inducta rationem habent unius termini, qui est minor extremitas. Aliquando habet plures terminos secundum substantiam et rationem, sicut in exemplo: sed tunc non reducitur argumentatio illa in unum syllogismum, sed in plures sicut fit in exemplo, sicut in consequentibus secundi libri ostendetur.

Ad omnia tamen hæc notandum quod quamvis major extremitas aliquando cum seipsa ponat in numerum, sicut in syllogismo ex oppositis, in quo fit ut duo: tamen medium secundum actum mediandi non ponit cum seipso in numerum, ut faciat duos terminos bis positum in duabus propositionibus: nec quatuor erunt termini propter duo subjecta et duo prædicata, quia unus actus unius mediæ qui est actus uniendi et conjungendi extrema, non potest esse, nisi medium unum refe-

*Nota quo-  
modo syllo-  
gismus pos-  
sit habere  
plures ter-  
minos quam  
tres aut  
pauciores et  
quonodo  
non.*

*Removet  
dubium.*

ratur ad utrumque extremorum : qui actus mediandi perfici non potest, nisi medium bis ponatur, semel cum uno extremo in propositione majori, et semel cum altero in altera propositione : et sic patet quod non sunt nisi tres termini.

*Quare medium pluribus litteris significatur.* Quamvis etiam in propositione ista medium pluribus litteris significatum sit : tamen non est nisi unum secundum actum et rationem medii, sed pluribus litteris significatur relatio ejus ad diversa : et ideo quando significatur littera una, secundum substantiam significatur : quando autem duabus significatur litteris, significantur duæ ejus habitudines : quando autem tribus, significatur ut unum uniens duo : et quando quatuor significatur, significatur ut situm habens in duabus propositionibus, quæ duo habent subjecta et duo prædicata.

## CAPUT V.

*De numero propositionum in syllogismo et simpliciter uno et non simpliciter uno, et qualiter se habet numerus propositionum ad numerum terminorum et conclusionum.*

Hoc autem (quod dictum est de numero terminorum sicut dictum est) manifesto sive manifestato, ostendendum est quod syllogismus omnis simpliciter unus ex duabus est propositionibus et non pluribus : nam tres termini secundum substantiam et actum et rationem terminorum materialiter sunt duæ propositiones : eo quod medium secundum rationem et actum mediandi necesse in utraque accipi propositione : et nisi sic fiat non erit medium in ratione et actu mediandi : secundum enim unum actum mediandi dicitur medium terminus unus : et hoc modo tres termini sunt completa et sufficiens materia duarum propositionum.

*Objectio.* Et si objicitur de enthymemate, ubi sunt duo termini, et una propositio ; Facile est solvere, dicendo quod enthymema non est syllogismus apertus et perfectus,

sed occultus. Quia una propositio ejus (secundum quod occultus syllogismus est) est occultus tenetur in mente : et hoc modo habet modis, et quod tres terminos et duas propositiones. Et tres terminos et duas propositiones patet ex ratione jam inducta, quod tres terminos ad se invicem secundum rationem et actum terminorum terminati constituant de necessitate duas propositiones.

Et si objiciatur quod duæ propositiones habent quatuor terminos : vel potest dici sicut in præcedenti capitulo hoc solutum est ; vel melius potest dici, quod alii sunt termini syllogismi, et alii propositionum. Termini enim syllogismi sunt terminantes sufficienter consequentiam syllogisticam unius ex alio : et tales termini de necessitate sunt tres : quia non concluditur unus de alio nisi per tertium qui est medium. Termini autem propositionis sunt, in quibus stat propositionis resolutio : unde hoc modo duarum propositionum sunt quatuor termini : qui tamen quatuor termini non sunt nisi tres termini syllogismi.

Secundum hunc igitur modum tres termini sunt duæ propositiones, nisi aliqui plures termini assumantur ad probandum majorem vel minorem principalis syllogismi sive perfectionem : eo quod aliquando secundum probationem sufficientem syllogismus in suis propositionibus perfectus non est : tunc autem sic coassumptis pluribus terminis, non est syllogismus simpliciter unus secundum substantiam, quemadmodum in prioribus præcedentis capituli dictum est : quod fit in prosyllogismis qui ad perfectionem syllogismi principalis adducuntur, qui syllogismus finaliter est unus, quamvis secundum substantiam non sit simpliciter unus.

Ex hoc autem manifestum est, quoniam in quacumque oratione syllogistica ad inferendum conclusionem perfectam non sunt nisi pares propositiones, hoc est, duæ. Quia duo est primus par numerus, sicut ternarius est primus impar. *Propositiones* dico, per quas ordinatas in

*Quomodo tres termini sunt duæ propositiones.*

Possunt esse plures termini quam tres in syllogismo qui non est simpliciter unus.

*In syllogismo sunt quatuor termini propositionum, et tres tantum termini syllogismi.*

modo fit conclusio syllogismi principalis. Dico autem *principalis*: quia etiam superiorum conclusionum quæ concluduntur in prosyllogismis, necessarium est esse quasdam propositiones, per quas concluduntur: sed sicut conclusio non est principalis, ita nec illæ propositiones sunt principalis syllogismi propositiones, et ideo talis oratio non est syllogistica, quia non est simpliciter unus syllogismus: aut plura interrogavit ad conclusionem principalem et pro conclusione: aut non est syllogizata in modo et figura: interrogantur enim aliquando plura ad propositionam conclusionem in dialecticis syllogismis, sicut in octavo *Topicorum* docet Aristoteles.

Sed sumptis syllogismis secundum propositiones principales syllogismi, omnis syllogismus est ex propositionibus perfectis (hoc est paribus) quia ex duabus, et est ex terminis abundantibus (hoc est, imparibus) quia ex tribus terminis: terminis enim sunt uno plures, quam propositiones. Quia aliter consequentia extremiti ad extremum terminari non potest, nisi per medium. Unde propterea quod unum de uno concluditur, sunt duo termini, et propter consequentiam oportet esse tertium qui est medius terminus, qui bis sumptus duas facit propositiones; et consequentiam tertiae quæ est conclusio ex duabus: quam consequentiam facere non posset, nisi referretur ad extremum utriusque propositionis. Propter quod etiam talis proportio est inter propositiones syllogismi et conclusionem, quod conclusio est dimidietas propositionum: quia conclusio principalis est una, et propositiones præmissæ duæ. Quamvis in præhabitibus de mixtionibus ostensum, quod aliquando ex uno syllogismo sequuntur duæ conclusiones: tamen illæ ambæ conclusiones non sunt æque immediatæ, nec æque principales: sed una est conclusio immediata, et alia secundaria quæ concluditur per illam quæ est principalis.

Quare termini sunt in syllogismo.

Removet  
dubium.

(qui dicuntur prosyllogismi) concluditur altera propositionum præmissarum, super alteram præmissarum vel sub alteram, medium accipiendo ad prosyllogismum: tunc sunt quasi media continua, quasi secundum eamdem lineam ad unam accepta conclusionem: immediato tamen unum accipiendo super vel sub altero extremorum, tunc dicuntur media continua. Aut quando diversæ conclusiones concluduntur per plura media non continua, quæ secundum unam lineam non accipiuntur ad eamdem conclusionem, sicut in syllogismis qui non sunt unus syllogismus finali conclusione una, sicut si A B sit conclusio quæ concludatur per duo media continua vel non continua, tunc adhuc multitudo terminorum in propositionibus talium syllogismorum positum, uno secundum numerum superabit multitudinem propositionum.

Hoc autem sic probatur: si enim in continuis terminis secundum unam lineam superioris et inferioris acceptis, accipiatur terminus qui syllogismo principalis est extrinsecus, et in prosyllogismo est necessarius, qui etiam intercidens terminus vocatur: aut ille secundum lineam et ordinem terminorum sumetur extrinsecus in linea, aut ponetur intrinsecus ad ordinem medii inter extrema in principali syllogismo posita. Dico autem extrinsecus idem quod ad extrinsecus in ordine terminorum, et sumatur medium aliquod super extremum majus ascendendo, sicut super hominem animal, et super animal vivum, et super vivum corpus, et super corpus substantia: aut sumatur descendendo sub minori extremitate, sicut si medium sit vivum, et sumatur sub vivo animal, et sub animali homo, et sub homine aliquis homo, et sic deinceps: utrumque enim vocatur extrinsecus assumptum. Ad medium autem sive ad intrinsecus dicitur poni intercidens terminus, quando sumitur inter extrema principalis syllogismi, sub majori scilicet, et super minorem extremitatem assumpto termino intercidente: et hoc fit quan-

do non per immediatum medium concluditur extremum distans de extremo, sicut si concludatur substantia de quodam homine per vivum: tunc enim inter vivum et quemdam hominem inferius possunt sumi media animal et homo, et inter substantiam et vivum possunt sumi media corpus et animatum et hujusmodi: quæ omnia ad medium (quod est inter extrema) ordinantur: et utroque modo, extrinsecus scilicet et intrinsecus assumendo multiplicantur termini per talium mediorum assumptionem.

Utrumque autem istorum modorum accidit semper uno minus esse intervalla (quæ sunt propositiones) quam terminos: semper enim assumptum medium est inter extrema conjungibilia per medium: et talis conjungibilitas non potest esse nisi termini in uno (mediante inter duo) superent propositiones. Propositiones autem intervalladicuntur, quia æquales sunt intervallis: et hoc in ante habitis æqualiter sic expositum est.

Et quamvis sic terminorum numerus uno excedat numerum intervallorum, non tamen semper propositiones sic assumptæ perfectæ sunt (hoc est, secundum numerum) et termini abundantes (hoc est, secundum numerum impares) quia et ad extrinsecus et ad intrinsecus possunt et pariter et impariter assumi. Sed in hoc permutatim se habent termini et propositiones: quia cum propositiones sunt perfectæ sive pares secundum numerum, tunc termini assumti sunt abundantes, sive impares, et e converso cum propositiones sunt impares, sive abundantes,

Quomodo propositiones syllogismi et termini ejusdem non possunt esse in eodem numero, et quare.

termini sunt pares: uno enim modorum numerus terminorum ad numerum propositionum se habere non potest, cum medium semper sit necessarium ad extrema conjungenda, et cum extrema sint duarum propositionum, necesse quod numerus terminorum uno vincat numerum propositionum in talibus prosyllogismis sic assumptis. Et hujus causa est, quod semper cum termino uno sic assumpto additur una proposicio, per illius termini

relationem ad medium, undecumque sive extrinsecus, sive intrinsecus sumptum adatur. Propter quod quando termini sunt abundantes, propositiones erunt perfectæ, et e converso: et ideo necesse est sic transmutari secundum par et impar terminos et propositiones addita una et eadem forma in terminis.

Si termini sunt pares, prius esse sunt impares et e converso.

Conclusiones autem ex talibus terminis et propositionibus conclusæ non jam eumdem habebunt ordinem secundum numerum parem vel imparem, neque ad terminos, neque ad propositiones: uno enim termino assumpto addito, conclusiones tunc adjungentur, quod non sunt nisi una unitate pauciores præexistentes terminis: quilibet enim superior de inferiori concludi potest, et solus ultimus in tali ordine non potest concludi de aliquo: quia inter ultimum et aliquod inferiorum sumptum nihil est medium: eo quod nihil sit sub ipso ulterius quod accipi possit sub ipso: ad alios autem terminos superiores omnes fit conclusio superioris de inferiori per medium sumptum. Hujus autem exemplum est, sicut si dicamus, quod eis terminis unius syllogismi qui sunt A B C in quibus A de C per B adjacet terminus assumptus intrinsecus, qui est D, sic A B C D: tunc enim statim duæ adjacebunt conclusiones: quia una conclusio est, quæ est A majus extreum conclusum de B per C medium, et illa quæ est ad B conclusum de C per D medium assumptum. Similiter autem est et in omnibus aliis assumptis terminis, quoad portionem numeri terminorum ad numerum conclusionum in ordine, quando ad extra sumitur terminus, sive ascendendo, sive descendendo.

Si autem ad medium intrinsecus sumptus intercidit terminus, eodem modo se habebit quoad numerum conclusionum: quia ad unum solum ultimum in ordine terminorum non faciet syllogismum: quia hoc de nullo concludi potest. Propter quod patet quod in tali assumptione multo plures erunt conclusiones quam termini sint vel propositiones. Est ta-

**Objectio,** men hic attendendum, quod quamvis ultimus terminus in descendendo solus nunquam de aliquo concludi possit in uno ordine terminorum, et primus in ascensu sit de quo nihil concludi possit, eo quod inter ipsum et eum qui concludi deberet de ipso, non potest esse medium: quia aliter sequeretur, quod aliquid esset superius supremo, quod esse non potest:

**Quonodo** et hoc modo ad neutrum ultimorum potest fieri conclusio: sed ad quodlibet mediorum fit conclusio: et quolibet uno medio sumpto intrinsecus inter extrema ad medium adduntur duas propositiones: sint enim termini syllogismi principalis A B C, tunc concluditur A de C per B, et sunt istae propositiones, omne A est B, omne C B, et tres termini: sumatur unus terminus inter A et B: et sit ille D, tunc erunt duas novae (novi syllogismi) aliæ propositiones, haec scilicet, omne D est A, et omne B est D, et concluditur A de B per D, et tunc videntur esse quatuor termini et quatuor propositiones: et sic tot esse termini quot propositiones.

**Solutio.** Tamen hoc non est ad unam et eamdem conclusiōnem, sed ad duas: sed cum propositio in talibus syllogismis non sit intervallum inter duos terminos immediate sumptos, qui sunt subjectum et prædicatum, tunc aliæ duas propositiones prioris syllogismi dispareat et deficiunt, quæ fuerunt omne B A et omne C D, quia tunc B non est immediatum ad A, sed potius conjungitur ei in conclusione nova per D: per D enim concluditur A de B, et sic remanet adhuc, quod duarum propositionum sunt tres termini, et non quatuor: quia priorum propositionum disparet una, et duas novas ex assumptione unius termini generantur. Et omni eodem modo est si inter medium et minorem extremitatem terminus aliquis assumatur, ut cum dicitur, quod termini sint A B C, et inter B et C sumatur E, tunc enim per E concludetur B de C, et hoc modo etiam patet quod uno termino addito duas fiunt conclusiones: quia concluditur A de C per B, et concluditur A de B per E, et similiter est ex alia

parte inter medium et minorem extremitatem: tunc enim concludetur medium de minori extremitate, et medium fit extremum per novum assumptum medium. Si autem omnino fiunt diversi syllogismi, sicut si unus sit A B C, et alter D E F, tunc oportet sex esse terminos, et quatuor propositiones: et hoc non est contrarium ad ea quæ dicta sunt. Sed ad intrinsecus inter majus extremum et medium, et inter medium et minus extremum sumuntur media in prosyllogismis: omnino autem diversi termini sumuntur ad eos qui positi sunt diversi syllogismos.

Et patet quod in uno ordine terminorum uno addito termino semper additur nova conclusio præter ultimum, sicut dictum est: quia novum inter extrema medium unam facit conclusionem: sed tunc quæ prius fuerunt extrema in syllogismo principali, efficiuntur non extrema nisi aliquod medium alterum sumatur extreborum, cum quo id quod prius erat medium, efficitur extremum; et hoc est quod in ista parte probatur. Et patet quod impossibile est quod ad diversas conclusiones quocumque modo factas, non sint diversæ propositiones et diversi termini, si secundum rationem terminorum accipientur.

## CAPUT VI.

*De propositionibus quæ faciliter, et de his quæ difficulter probantur.*

Quoniam autem ex his quæ determinata sunt habemus de quibus sicut materialibus principiis fiunt syllogismi: et per formalia principia in ante habitis determinata habemus quales, et quando, et quare fiunt in unaquaque figura: *quales* secundum affirmationem et negationem: et *quando* secundum perfectionem et imperfectionem, et conjugationes utiles et inutiles: et *quare* quantum ad consequentiam quæ vel per conversionem vel per dici de omni vel dici de nullo vel per ad impos-

sibile deductionem. Habemus etiam quot modis fit et quot modis demonstratur in qualibet figura. Ex his etiam facile manifestum est nobis etiam quæ propositio sit difficile, et quæ facile sit argumentabilis per syllogismum. Illa enim propositio ad quam sunt plures viæ, et in pluribus figuris, et per plures casus sive modos figurarum concluditur, facilis est ad arguendum : quæ autem in paucis concluditur figuris, et per pauciores figuræ modos, difficilis est argumentalis, quia pauciores viæ rationis habentur ad ipsam.

Ergo affirmativa universalis per primam solam figuram monstratur : et per hanc etiam non nisi simpliciter, hoc est, in uno solo modo primo concluditur : et ideo non nisi una via rationis habetur ad illam. Privativa vero propositio universalis quamvis per inductionem particularium æqualiter probetur cum universalis affirmativa, tamen per syllogismum plures viæ habentur ad ipsam probandam quam ad universalem affirmativam : quia et per primam figuram probatur, et per medianam figuram : per primam quidem simpliciter in uno modo, secundo scilicet: per medianam autem probatur dupliciter, per primum secundum modum, et secundum secundæ figuræ. Particularis autem affirmativa adhuc dictis duabus facilius probatur syllogistice : quia probatur et per primam figuram, et per postremam : simpliciter quidem sive uno modo concluditur per primam, quia in tertio primæ tantum particularis affirmativa : tripliciter vero concluditur per postremam, quia per primum modum tertiae, et per tertium et per quartum. Omnibus autem facilis probatur particularis negativa sive privativa, quia illa in omnibus figuris monstratur : simpliciter quidem in prima, dupliciter in secunda, et tripliciter in tertia, scilicet in secundo modo et quinto et sexto : unde in prima quidem semel concluditur : in media autem et postrema etiam concluditur : in media quidem dupliciter, et in postrema tripliciter concluditur.

Ex his autem manifestum quoniam universalem affirmativam construere quidem est difficile : eo quod paucæ viæ rationis sunt ad eam construendam. Destruere autem eam facillimum est : omnino enim sive universaliter facilius est interimi sive destrui universalia quam particularia. Universale enim et contrario et contradictorio destruitur : si enim nulli insit quod est contrarium ad omni inesse, et si alicui non insit quod est contradictorium, utroque modo interemptum est universale affirmativum, quod est omni inesse. Horum autem duorum contradictiorum, scilicet quod est alicui non inesse, in omnibus figuris monstratur et in multis modis figurarum : contrarium autem, quod est nulli inesse, per quod etiam destruitur universale affirmativum, monstratur et concluditur in duabus figuris, prima scilicet et secunda.

Eodem autem modo facilis destructio et difficilis constructio est in universalibus privativis plus quam in particularibus, licet minus sit quam in universalis affirmativa : universale enim negativum dupliciter interimitur, scilicet contrario et contradictorio : si enim omni inest contrario, interemptum est universale negativum : et si alicui inest, tunc iterum contradictorio est interemptum : horum autem duorum contradictiorum, scilicet particularis affirmativa concluditur in duabus figuris, universalis autem affirmativa in una.

In particularibus autem facilis est destructio : destruitur negativum si omni ostendatur inesse, et affirmativum destruitur si nulli ostendatur inesse : sub contrario enim non destruitur, sed contradictorio tantum. Sed construere particulare utrumque, scilicet affirmativum et negativum est facilius quam destruere : utrumque enim particulare syllogizatur in pluribus figuris, et per plures casus sive modos figurarum : negativum enim particulare in omnibus concluditur figuris, et particulare affirmativum in dua-

bus, et concluduntur per plures casus sive modos figurarum.

Omnino autem sive universaliter non oportet nos latere, quoniam contingit destruere se per se invicem et universalia et particularia: destruuntur enim universalia per particularia sibi contradictoria, et particularia destruuntur per universalia sibi contradictoria. Construere autem non contingit universalia per particularia: quia si particularis affirmativa sit vera, non sequitur propter hoc universalem esse veram. Sed e converso per illam quae est universalis, construitur particularis sibi subalterna: si enim universalis affirmativa sit vera, sequitur quod particularis affirmativa sit vera: nam si omni inest, sequitur et alicui inesse. Et similiter est de universalis negativa ex qua concluditur particularis negativa. Simul autem cum hoc manifestum est quoniam facilius est destruere quam construere, quia per duo destruuntur, et per unum tantum construitur.

Kplogus  
nnulum di-  
rorum a  
principio  
hujus princi-  
piorum huc  
unque.

Ex omnibus autem quae a principio istius libri usque huc dicta sunt, manifestum est quomodo quoad generationem

fit syllogismus, et per quot terminos, et per quot propositiones, et quomodo in complexione et commixtione se habentes ad invicem. Amplius autem manifestum est quae propositio in unaquaque figura concluditur: quia universalis affirmativa in una, universalis negativa in duabus, particularis affirmativa in duabus, particularis negativa in omnibus. Unde manifestum est quae propositio in pluribus figurarum casibus sive modis et quae in modis paucioribus syllogistice monstratur: hoc enim totum palam est ex his quae dicta sunt.

Et ideo antiqui commentatores hujus libri hic dixerunt finiri primam περικοπήν <sup>Finis primi  
segmenti  
hujus primi  
libri.</sup> (hoc est, sectionem) quae est de generatione syllogismorum et principiis ad generationem syllogismorum pertinentibus. Abhinc autem dixerunt incipere secundam περικοπήν, in qua docetur facultas et idoneitas syllogizandi in syllogismo sic generato ut præscriptum est. Quare autem hæc vel illa propositio in hac vel illa figura concludatur, in ante habitis dictum est.



# TRACTATUS VI

## DE MEDII INVENTIONE.

### CAPUT I.

*Ad quæ inspiciendum sit ad medii inventionem.*

Habita (sicut determinatum est) generatione syllogismorum, videndum est quomodo nos idonei erimus semper syllogismorum, sive syllogismis, — quia genitivum Græci ponunt pro ablativo : — idonei autem erimus ex facultate et potestate syllogizandi. Hoc enim maxime desiderandum est in hac scientia, quia (sicut a principio dictum est) syllogismus est instrumentum per quod in complexis ignoti per notum accipitur scientia : et ideo qui idoneus est in syllogizando, idoneus erit ad accipiendum cujuslibet complexi scientiam : non autem potest esse idoneus nisi per medii inventionem : quia (sicut in præcedenti capitulo probatum est) additio medii facit additionem conclusionum quæ sunt ignoti scientia. Oportet igitur docere medii inventionem : quamvis enim hoc fieri non possit arte resolutoria a qua hic liber denominatur, tamen necessarium est propter bonitatem doctrinæ, ut hujus inventio doceatur. Nec resolutio fieri posset, nisi medium erit inventum.

Secunda causa. Docebimus igitur in hoc tractatu quomodo erimus nos idonei syllogismis inventiis ad propositionem sive propositam quamecumque quæstionem terminandam, et docebimus per quam viam sumemus principia syllogizandi quæ sunt circa unumquodque propositum nobis ad

terminandum sive concludendum. Docebimus autem primo in communibus omni quæstioni propositæ ad quæ inspiciendum sit, et postea dicemus etiam ad qualia respiciendum est, et sic transibimus ad propriorum inspectionem : hoc enim nunc jam dicendum restat. In scientia enim ista non solum oportet considerare generationem syllogismi, quod ad resolutoriam pertinet scientiam : sed (cum ista scientia sit modus aliarum scientiarum) utilitas maxima consistit in hoc quod habeamus potentiam sive facultatem faciendo syllogismos. Unde quamvis ex natura simus habiles, ars tamen naturæ superveniens potentiam dat syllogismos faciendi : cui si adjungatur usus, erimus ex natura habiles, et ex arte potentes, et ex usu faciles, ut dicit Victorinus. Ad medii igitur inventionem primo ponenda est diffinitio prædicabilium et subiectibilium in quæstione quæ proponitur terminanda.

Dicamus igitur quod omnium eorum quæ sunt, quædam sunt talia ut de nullo alio a se prædicentur universaliter vel prædicari possint, ita quod vera sit prædicatio, Cleon et Callias, et ut generaliter dicatur, quodlibet quod est singulare et sensibile : quia sensus proprius non est nisi hujus singularis : talia autem sunt prima substantia, de quibus omnia alia prædicata prædicantur, sicut patet in exemplis inductis de Cleone et Callia : de utroque enim illorum prædicatur et species et genus : quia uterque eorum est et homo, et animal, et rationale, et risibile, et accidente proprio discretus. Alia au-

Nota secundum tentiam.

tem sunt prædicata tantum, quæ ipsa quidem de aliis sibi subjectis prædicantur, de eis autem alia ipsis priora secundum intellectum non prædicantur, sicut sunt generalissima. Alia autem sunt quæ et ipsa de quibusdam prædicantur ut de subjectis, et de ipsis alia prædicantur, sicut sunt media inter generalissimum et singulare, sicut homo, quod est species, prædicatur de Callia, et de homine prædicatur animal : et sic homo et prædicatum est ad quædam, et subjectum est ad alia. De his sufficienter dictum est in *Prædicamentis*.

Hujus autem divisionis probatio est : quoniam ergo quædam eorum quæ sunt, de nullo nata sunt dici sive prædicari (sicut dicit primum istius divisionis membrum) palam est hoc modo : natura sensibilium sive singularium pene unumquodque est hujusmodi quod de nullo prædicatur. *Pene* autem dico propter individuum vagum : quod tamen quando prædicatur, prædicatur gratia speciei, et non gratia ipsius secundum quod ipsum individuum est. Propter quod sensibilium sive singularium quodlibet tale est ut de nullo prædicetur, nisi prædicetur ut secundum accidens : dicimus enim quandoque album illud demonstratum in sensu Socratem esse : et hoc modo Socrates non in quantum singulare prædicatur, sed potius discretum in sensu (quod formale est) prædicatur de Socrate : sensus enim est, Socrates est album illud, et album illud demonstratum determinatur per Socratem. Hoc enim modo album illud habet naturam prædicabilis accidentis, sicut individuum vagum habet naturam speciei cum dicitur quod Socrates est aliquis homo. De hoc autem et in scientia *Universali* et in scientia *Prædicamentorum* satis dictum est : et hoc modo dicimus hoc veniens esse Calliam.

Quoniam autem in sursum pergendo

*Singulare  
de nullo  
prædicatur  
ut secun-  
dum acci-  
dens.*

in linea prædicabilium statur quandoque in uno quod est prædicatum tantum et non subjectum : hoc quamvis dictum sit in *Prædicamentis*, tamen adhuc rursum dicemus hoc in *Posterioribus* per demonstrationem : et ideo sit hoc hic suppositum : quia per istam scientiam hoc probari non poterit. Et sic secundum membrum patet inductæ divisionis. De his ergo quæ suprema sunt in linea prædicamentali, non contingit demonstrare aliquid prædicatum aliud quod per se prædicetur de ipsis : et si prædicatur aliquid de ipsis, non prædicabitur nisi secundum opinionem, hoc est, secundum communitatem quæ non est generis vel speciei, sed est communitas opinionis, hoc est, analogiae : quæ communitas non est nisi opinionis, quia quamvis sit in multis, tamen id quod prædicatur non est nisi in uno, et in aliis aliquis modus ejus, quod ad communitatem confert et refert opinio<sup>1</sup>. Hæc tamen generalissima vera prædicatione prædicantur de aliis inferioribus : et singularibus in hoc sunt contraria, quia singularia non prædicantur de aliis, sed alia prædicantur de ipsis.

Ea autem quæ in medio istorum sunt, manifestum est quoniam utrumque contingit : quia et hæc de aliis, et alia de ipsis dicentur sive prædicabuntur. Maxime enim de his, intermediis scilicet sunt *pene* omnes rationes syllogisticæ sive ratiocinationes. Et de his tribus oportet etiam considerare rationes in mediorum inventione. *Pene* autem dicimus, quia aliquando in syllogismis extrema fiunt media, sicut in secunda figura et tertia : sed hoc raro contingit : maxime tamen in talibus quæ subjiciuntur et prædicantur respectu diversorum, inspicitur in medii inventione : quia ista positione sunt media, sicut medium in prima figura.

Oportet ergo propositiones ad concludendum propositum circa unumquodque propositum, hoc est, propositam quæstio-

<sup>1</sup> Ex quo sequitur ens non esse univocum decem prædicamentis : et hoc colligitur ex verbis

Philosophi in hac parte, ut notat etiam Johannes grammatis. P. J.

nem sic sumere, ita quod prius proponat et accipiat ante alia diffinitiones subjecti, vel etiam (ut quidam dicunt) prædicati : et accipiat alia quæcumque sunt propria subjecto, ut descriptiones, et notificatio-nes quascumque, quæcumque proprie sunt rei quæ subjicitur, et de qua queritur quod de ipsa possit concludi, quia per propria magis syllogizatur ad proposi-tum : convertibile enim magis facit ad propositum, quam non convertibile. Post illa autem inspiciendum est in ea quæcumque sequuntur, hoc est, consequentia essentialiter sunt ad subjectum, sicut ani-mal ad hominem : sub talibus enim acci-piendum medium in prima figura et in tertia, et super talia acciendum est me-dium in figura secunda. Deinde etiam post hæc tertio inspiciendum in ea quæcumque sequuntur rem quæ est subje-ctum, et rursum quæ res sequitur, hoc est, quæ ipsum subjectum antecedit, ut homo est antecedens ad animal. Et etiam illa ad quæ subjectum sequitur, sicut homo se-quitur aliquem hominem. Etoportet etiam propter negativos syllogismos inspicere omnia repugnantia quæcumque eidem subjecto non contingit inesse propter dis-parationem vel oppositionem. Sed non oportet accipere vel inspicere ea quibus ipsa res subjecta non contingit inesse, hoc enim superfluum esset : quia habitis repugnantibus quæ universaliter a re re-moventur, habetur etiam quibus ipsa res subjecta non sequitur : eo quod simpli-citer et in terminis convertitur universa-lis negativa : et ideo scito cui prædicatum aliquod repugnat, scitur etiam qui-bus repugnat subjectum, conversa propo-sitione universalis negativa.

*Removet  
dubium.*

Adhuc autem in his quæ sequuntur subjectum quæstionis (ut antecedens) di-videndum est, et inspicienda sunt quæcumque sequuntur subjectum in eo quod quid est, et substantialiter prædicantur de subjecto : et inspiciendum est in illa con-sequentia quæcumque sequuntur non in eo quod quid est, sed quæcumque etiam sequuntur ea et prædicantur de eis ut pro-

pria et convertibilia : per hoc enim magis concluditur ad propositum, quia sunt con-vertibilia, ut risibile cum homine, et sen-sibile cum animali. Et oportet etiam in-spicere in ea quæ sequuntur subjectum ut accidentia : quia conclusio accidentalis non concluditur de aliquo nisi per medium accidentale. Et adhuc horum quæ sequun-tur ut accidentis, oportet considerare, utrum prædicetur ut ens probabile quod determinatur ad opinionem, sic quod sci-licet videtur omnibus vel pluribus vel sa-pientibus, et maxime notis, faciunt pro-positionem probabilem. Et iterum inspi-ciendum est quæ prædicantur de subjecto vel sequuntur ad subjectum secundum rei veritatem, quæ sunt de rei essentia, ex quibus fiunt propositiones demonstrativæ et necessariæ. Quanto enim plurium ta-lium aliquis idoneus fuerit per facultatem intellectus in accipiendo, tanto solertior est, et citius inveniet conclusiones : et quanto horum veriorum et essentialiorum talium fuerit inspector, tanto magis et ef-ficacius demonstrabit propositionem : quia demonstrativus syllogismus ex pro-positionibus est essentialibus.

In his autem quæ dicta sunt non oportet eligere ea quæ dicta sunt tantum, sed oportet etiam eligere quæ magis et quæ minus sunt eligenda : maxime ergo eli-genda sunt talia consequentia non quæ sequuntur particulariter vel indefinite, sed quæ sequuntur totam rem subjecti in omnia sua particularia distributam. Verbi gratia non oportet eligere quod se-quitur hominem quemdam vel aliquem, sed id eligendum est quod se-quitur omnem hominem : et hoc ideo utilius est, quia omnis decursus syllogisticus est per uni-versales propositiones: et medium quod universaliter se-quitur minus extreum, magis infert universaliter quam aliud. Quando ergo medium eligitur secundum consequens indefinitum, tunc incertum est si universalis est propositio quæ con-cluditur: quia indefinitum et pro toto et pro parte potest verificari : cum vero fi-nitum est in quantitate per signum uni-

versale, tunc manifestum est quid sequi potest ex tali medio. Similiter autem magis eligendum est in antecedentibus ad subjectum quæstionis quæ ipsum subjectum totum (hoc est, universaliter) sequitur, hoc est, de quibus subjectum quæstionis universaliter prædicatur propter eamdem (quæ dicta est) causam : quia scilicet universales potentiores sunt in decursu syllogistico.

Sed ea quæ sequuntur ad ipsum subjectum quæstionis non est sumendum secundum totum, hoc est, universaliter sequi ad ipsum, ita quod signum universale ponatur ad prædicatum quod sequitur ad subjectum : sicut si dicam hominem sequi omne animal, aut si dicam musicam sequi omnem disciplinam, ut si dicam, musica est omnis disciplina. Sed tantum est accipendum prædicatum quod simpliciter sequitur subjectum sine signo distributivo, quemadmodum et protendimus sive proponimus in propositionibus syllogismi. Si enim universaliter prædicatum prædicetur de subjecto indefinite sumpto, inutile erit quantum ad decursum syllogisticum, qui penes distributionem prædicati non attenditur<sup>1</sup> : et erit impossibile quantum ad veritatem propositionis, quia disparata vel opposita prædicabuntur de eodem. Est enim impossibile omnem hominem vel hominem esse omne animal : quia sic omnis homo vel homo esset asinus et leo et hujusmodi : et hoc modo impossibile est justitiam esse omne bonum. Sed subjectum cui si ve ad quod sequitur prædicatum in illo, dicitur omne, quia subjectum distribuitur signo universali : hoc enim utile est ad decursum syllogisticum, et non facit impossibilem propositionem.

Quando autem ab aliquo superiori suo continetur subjectum quæstionis, cuius (scilicet subjecti) sequentia oportet sumere ad medii inventionem : tunc non est eligendum sumere ea quæ in his quæ es-

sentialiter continent subjectum : quia illa actu et intellectu clauduntur in subjecto, et in his quæ sunt in subjecti ratione. Similiter etiam non multum oportet sumere quæ non insunt universaliter : quia illa sunt essentialiter repugnantia : et omnia ista statim sumpta sunt ipso subjecto sumpto : et ideo superfluum est iterum studere ad talium receptionem. Et hoc patet per hoc, quia quæcumque sequuntur essentialiter animal, hæc sequuntur et hominem, per id quod in *Prædicamentis* dictum est, quando alterum de altero, quæcumque de prædicato, etiam de subjecto dicuntur. Et similiter est de repugnantibus, quæcumque universaliter non insunt consequenti, hæc etiam non insunt antecedenti : quia quæcumque removentur ab animali, removentur etiam ab homine.

Inter tamen extranea repugnantia magis sumenda sunt quæcumque sunt magis propria et magis propinqua, quam illa quæ sunt magis extranea et magis remota : et hoc bene contingit, quia quædam sunt speciei quæ sibi sunt propria et propinqua præter genus : necesse est enim diversis speciebus in quantum species sunt quædam propria præter genus inesse : et illorum opposita sunt speciei etiam magis propinqua, quam opposita generum. Adhuc autem etiam illud universale quod sequitur id quod continetur (hoc est, subjectum vel antecedens) non oportet eligere, ut animal quod sequitur id quod est homo : et hoc ideo quia sumpto subjecto sive antecedente omnia illa sumpta sunt quæ ut universale et essentialiter sequuntur ad ipsum : sicut necesse est quod hominem sequatur animal : et similiter omnia alia essentialia prædicata necesse est, quod sequantur ad ipsum antecedens, quia hæc omnia sunt in hominis electione : et ideo accepto et generaliter accepto antecedente, ista omnia accepta sunt in hominis electione.

<sup>1</sup> Juxta illud 1 *Periherm.* cap. 5., nulla affirmatio erit vera in qua de universalis subjecto

universaliter prædicatur prædicatum.

Adhuc etiam sumenda sunt et eligenda etiam ea quæ plerumque et non semper ad subjectum sequuntur, hoc est, ut in pluribus : et etiam talia ad quæ sequitur aliquid plerumque, quæ sunt prædicata quidem de subjecto : sed ad ipsa sumpta sequuntur quædam ut in pluribus, quæ utilia sunt in mediorum sumptione : quia ad problemata terminanda quæ plerumque sive in pluribus sunt, fit syllogismus qui est ex propositionibus quæ ut in pluribus sunt aut omnibus aut ad minus aliquibus : uniuscujusque enim syllogismi conclusio in talibus similis est principiis sive propositionibus per quas concluditur.

Amplius autem ea quæ omnibus sequuntur et antecedentibus et consequentibus sive subjectis et prædicatis, non est eligendum : quia ex talium terminorum conjunctione non potest esse utilis conjugatio ad syllogismum : hæc enim omnia disponentur ut prædicata secundum affirmationem, quod non valet in secunda figura ; tamen propter quam causam ista non eligenda sint, in sequentibus erit manifestum.

**Dubitatio.** Attendendum autem de his quæ hic dicta sunt, ut sane intelligantur: quod enim dictum est, quod aliquod consequens ad antecedens sequitur ut frequenter, et aliquod ut semper, posset habere calumniam : quia consequens quod semel sequitur ad antecedens, semper sequitur ad ipsum, vel nunquam : quod autem frequenter sequitur, aliquando sequitur, et aliquando non : et sic non est vere consequens. Sed ad hoc dicendum quod in tota ista scientia antecedens vocatur subjectum, et consequens vocatur prædicatum : et non vocantur antecedens et consequens secundum consequentiam secundum quam id quod est in alio secundum actum et intellectum sequitur ad ipsum : et quia prædicatum aliquando inest subjecto ut nunc, aliquando ut in

**Solutio.**

pluribus, aliquando autem simpliciter : propter hoc in consequente et antecedente supradictæ accipiuntur considerationes. Appellantur autem ista antecedens et consequens potius quam subjectum et prædicatum ; quia subjectum et prædicatum non dicunt ordinem medii ad conclusionem, sed consequens et antecedens medii dicunt ordinem : omnis enim habi-  
tudo medii affirmativa ad conclusionem exprimitur per has intentiones, antece-  
dens, et consequens : omnis autem habi-  
tudo medii negativa ad conclusionem sa-  
tis exprimitur per repugnans et extra-  
neum : et ideo talibus intentionibus in-  
tendendum est hic.

Quod etiam dictum est, signum uni-  
versale non esse addendum ad prædicatum affirmativæ propositionis, eo quod  
est et semper falsum, et facit locutio-  
nem falsam, satis planum est quod quo-  
ad decursuum syllogisticum est super-  
fluum. Falsum autem est ideo, quia  
prædicatum secundum quamlibet partem  
facit dici de qualibet parte subjecti : et sic  
contingeret quod disparata dicerentur de  
eodem, quod esse non potest. Tamen  
potest dici in negativa signum universa-  
le additum ad prædicatum, sic, omnis ho-  
mo non est animal : quia cum affirmativa  
cum signo universalis sit falsa, superven-  
iens negatio tollit illam falsitatem : et  
ideo convenienter additur in negativa<sup>1</sup>.  
Et ideo etiam dicitur in libro *Periherme-*  
*nias*<sup>2</sup> quod nulla est prædicatio in qua  
prædicatum est universaliter cum signo  
universalis acceptum.

Adhuc etiam diximus quod magis eli-  
gendum est consequens antecedentis  
quam consequentis, et quod magis eli-  
gendum est consequens propinquum  
quam remotum : et de extraneo similiter  
idem dictum : quia quidquid sequitur ad  
consequens, sequitur ad antecedens, et  
non convertitur : et quidquid sequitur  
ad remotum, sequitur ad propinquum,

Quare sub-  
jectum et  
prædicatum  
vocabit no-  
mine ante-  
cedentis et  
consequen-  
tis.

<sup>1</sup> Limitatio illius propositionis : quando prædicatum sumitur universaliter, propositio est

falsa.

<sup>2</sup> In libr. 4 *Periherm.* cap. 5.

sed non convertitur : et ideo plura accipiuntur in antecedente, quam in consequente : et plura accipiuntur in propinquo, quam in remoto : et ideo ad inventionem medii plus valet accipere antecedens quam consequens, et plus valet accipere propinquum quam remotum.

## CAPUT II.

*Qualia et quomodo se habentia principia sunt eligenda ad quodlibet propositum quoad mediorum inventionem.*

In hac autem arte de medii inventione primo dabimus regulas qualiter inveniatur medium ad construendum omne propositum problema, sive sit universale affirmativum, sive universale negativum, sive particulare affirmativum, sive negativum ; et primo qualiter construitur universale affirmativum.

Prima regula. Dicimus igitur quod construere volentibus de aliquo subjecto toto universaliter sumpto quod est subjectum ejus prædicati quod construitur de ipso (hoc est, quod prædicatur de ipso universaliter gratia omnium partium suarum) inspiciendum est in medii inventione ad antecedentia prædicati quæ sunt sibi subjecta, de quibus ipsum dicitur sive prædicatur universaliter, et de quibus ipsum prædicatum oportet prædicari universaliter : et hoc est quod essentialiter est sub ipso prædicato : illa enim sunt consequentia subjectum (de quo subjecto prædicari oportet) quæcumque ipsum subjectum sequuntur, sicut in *Prædicamentis* dicendum est per illud principium, quando alterum de altero ut de subjecto, quæcumque de prædicato dicuntur, omnia de subjecto dicentur. Si enim in antecedentibus prædicatum et consequentibus subjectum, aliquid unum inveniatur quod idem sequatur subjectum et antecedat prædicatum, per illud sicut medium concluditur, quod necesse est alterum illorum, quod scilicet est prædicatum, alteri quod est subjectum inesse universaliter :

et concluditur universalis affirmativa. Et hujus exemplum est, ut si animal sit prædicatum et homo subjectum, erit medium quod est consequens subjectum et antecedens prædicatum, sicut rationale per quod universaliter animal concluditur de homine.

Secunda regula observanda est ad particularē affirmativum concludendum, et est hæc : quia si aliquis vult construere aliquod prædicatum de aliquo subjecto, non quoniam insit omni, sed quia insit alicui particulariter, oportet respicere in aliquod antecedens quod utrumque sequatur, scilicet tam subjectum quam prædicatum : si enim antecedit ad utrumque horum, per illud concludetur prædicatum de subjecto illo particulariter.

Tertia regula est ad concludendum universale negativum, et est hæc : quia si quis velit concludere, quod prædicatum nulli secundum omnes partes oportet inesse subjecto, oportet inspicere in extraneum sive repugnans prædicato, cui ipsum prædicatum oportet non inesse, si ve a quo prædicatum necessario removetur, et ad sequentia subjectum : si enim repugnans prædicato, et consequens subjectum fuerit idem, hoc erit medium ad concludendum universalem negativam per primam figuram in secundo modo primæ, et per primum modum secundæ, qui constat ex universali negativa majori, et universali affirmativa minori, sicut secundus primæ.

Quarta autem regula conversa tertiae, Quarta regula. quod scilicet ad concludendum universalem negativam adhuc oportet inspicere in consequens prædicati, et in repugnans subjecto : quia si hæc idem sunt, hoc est medium ad concludendum universalem negativam in secundo modo secundæ figuræ, qui habet majorem universalem affirmativam, et minorem universalem negativam. Et hoc est quod dicit Aristoteles, quod quando aliquis vult concludere quod aliquod prædicatum nulli de subjectis oporteat inesse, inspiciendum primo repugnans, cui non oportet inesse

prædicatum, et inspiciendum ad sequentia subjectum, sicut dicit regula tertia: et ita inspiciendum est ad quod oportet non inesse prædicato, quod medium est ad ea concludenda, quæ non contingit inesse subjecto universaliter. Aut conversim ista sunt accipienda sicut dicit regula quarta, hoc est, quod qui vult concludere universaliter non inesse prædicatum subjecto, inspiciat ad ea repugnantia subjecto, quæ non contingit illi subjecto adesse, et tale quod non contingit inesse subjecto, comparet ad sequentia prædicatum: quia si hæc repugnantia et consequentia sint eadem ad alterutrum, tunc concluditur, quod nulli contingit alterum, quod est prædicatum, alteri quod est subjectum, inesse. Has autem duas regulas dari oportebat de medio per quod concluditur universalis negativa: quia aliquando concluditur in prima figura, et aliquando in secunda: et alio medio in primo modo secundæ, et alio in secundo: propter quod una regula regulari non poterit medium.

*Removet  
dubium.*

*Quinta re-  
gula.*

Quinta regula est ad concludendum particulare negativum: tunc enim inspiciendum est in antecedens subjecti, et repugnans prædicato. Si enim illa sunt eadem, per tale medium concluditur particulare negativum. Et hoc est quod dicit Aristoteles verbis difficilibus sic, quod si quis vult concludere prædicatum alicui subjecto particulariter non inesse, oportet quod consideret antecedentia illius subjecti, quibus sequitur ipsum subjectum cui oportet non inesse prædicatum in conclusione: et oportet quod consideret repugnans prædicato, quod non possibile est eidem prædicato inesse. Si enim taliter repugnantum prædicato et antecedentium subjectum, aliquid sit idem: tunc per illud medium concluditur prædicatum alicui subjecto non inesse, hoc est, particulariter.

Hoc autem quod dictum est, fortasse erit magis manifestum circa unum quodque eorum quæ dicta sunt propositorum, si in terminis generalibus ponatur unum-

quodque inspiciendorum in medii inventione. Sit ergo prædicatum in omnibus his a littera designatum. Et consequentia prædicatum sint in quibus est b, hoc est, per litteram b designentur. Et antecedentia prædicatum, quibus sive ad quæ ipsum sequitur prædicatum, sint in quibus pro signo ponitur littera c. Repugnantia autem prædicato, quæ prædicato non contingit inesse, sint in quibus est littera d. Et sic signata sunt prædicatum et consequentia et antecedentia, et repugnantia prædicato. Rursus autem subjectum in omnibus his sit signatum littera e. Et consequentia subjectum quæ insunt subjecto sicut consequentia ipsum, sint signata per litteram f. Antecedentia autem subjectum, quibus ipsum inest subjectum et sequitur ad ipsa, signentur et sint in quibus ponitur signum g. Opposita autem sive repugnantia subjecto, quæ non contingit subjecto inesse, sint ea in quibus est h positum pro signo.

Considerandum est in antecedentibus prædicati quæ sunt c, et consequentibus subjectum quæ sunt f, quia si aliquid eorum quæ sunt c idem fuerit alicui eorum quæ sunt f consequentia subjectum, hoc erit medium ad concludendum universalē affirmativam, ita quod concludetur, quod necesse est a prædicatum, omni e subjecto per tale medium inesse: quia tale medium est in toto primo, et tale postremum est in toto medio: et fit primus primæ figuræ syllogismus: nam secundum hoc quidem f infuit omni e, c autem omni infuit a prædicatum: quia c positum est esse antecedens ad a.

Si autem in talium inspectione inventiatur c, quod est antecedens prædicati, et g quod est antecedens subjectum, idem hoc erit medium ad concludendum particulare affirmativum: ita quod concludetur quod necesse est alicui a prædicatum inesse. Et hujus causa est: quia in tali terminorum positione ad id quod est c omnino sive universaliter sequitur a, ita quod omne c est a: ad id autem quod est g universaliter sequitur subje-

ctum quod est E, quia positum est quod g  
sit antecedens subjecti.

Si autem in horum terminorum prædicta positione inveniatur quod F quod est consequens ad subjectum, et D (quod est prædicato repugnans) sint idem, hoc acceptum medium erit ad concludendum universalem negativam, hanc scilicet, quod nulli E subjecto inerit A prædicatum. Hoc enim probatur ex prosyllogismo qui fit ad probandum quod nullum F est A. Sic autem formantur isti syllogismi in primo modo secundæ figuræ, sic, nullum A est D, omne F est D, ergo nullum F est A: et in prosyllogismo si nullum F est A, et omne E est F, sequitur quod nullum E est A, et hoc quidem fit per syllogismos in secunda figura. Si autem convertitur major sic, nullum D est A, et hæc fiat major prosyllogismi, fiet secundus modus in prima figura. Eodem modo idem syllogizari potest per unum syllogismum in secundo primæ, vel in primo secundæ, si A F, hoc est, prædicatum et consequens subjectum ponantur pro termino uno. Cum autem dicitur quod ex prosyllogismo syllogizatur nullum F esse A, non intenditur quod sit vere prosyllogismus: sed intenditur per hoc quod per regulam datam non syllogizatur universalis negativa in prima figura immediate, sed potius in prima figura syllogizabitur per conversionem hujus propositionis quæ est, nullum A est D, et per hoc significare intendimus quod proprie dici habet, nullum A est D, et non ita proprie e converso, nullum D est A: D enim (cum sit tanquam proprietas ipsius A) magis debet removeri ab A quam e converso: potest tamen e converso dici per conversionem, ut dicatur, nullum D est A, et ideo non fit talis syllogismus immediate in prima figura, sed potius mediante dicta conversione<sup>1</sup>.

Rursus ad concludendam universalem negativam in secundæ figuræ

inspiciendum est in consequentia prædicati quæ sunt B, et in opposita subjecto quæ sunt H littera designata: si enim B et H sunt idem, erit hoc medium ad concludendum in secundo secundæ, quod nulli E subjecto inerit A prædicatum: cuius ratio est, quod secundum superiorem terminorum positionem, B quod est consequens A inest omni A, ita quod omne A est B: ei autem subjecto in quo est E nullum inerit B quod est medium: et hoc est ideo, quia positum est quod H quod est oppositum subjecti, et B (quod est consequens prædicati) sint idem: cum igitur B nulli insit E, propter oppositionem sequitur quod A nulli insit E.

Secundum quintam autem regulam ad concludendum particularem negativam, inspiciendum est in oppositum prædicati et antecedens subjecti: quia si D oppositum prædicati, et G antecedens subjecti fuerint idem, per tale medium concluditur particulariter, quod A prædicatum alicui E subjecto non inerit. Cujus ratio est: quia ei quod est G antecedens subjecti non inerit A, eo quod non potest inesse ei quod est D quod est oppositum prædicati: G autem est sub C, eo quod est antecedens ad ipsum: et ideo sequitur quod non inerit particulariter A alicui E, hoc est, quod aliquod E non est A.

Juxta autem regulas datas potest accipi alia in præhabitibus non data regula ad syllogizandum indirecte minorem extremitatem de majori. Si enim respiciatur in antecedens subjecti, et in consequens prædicati: si enim ei quod est G antecedens subjecti, idem fuerit ei quod est B consequens prædicati, tunc conversus erit syllogismus, concludens minorem de majori extremitate. Cujus ratio est: quia in

Vocat syllo-  
gismum  
conversum  
illud qui  
concludit  
indirecte.

<sup>1</sup> Juxta illud I Posteriorum, hæc prædicatio, album est lignum, est secundum accidentis et

innaturalis: hæc vero secundum se et naturalis, hoc lignum est album.

consequens prædicati. Datum enim est quod idem erat b ei quod est g (hoc est, consequens prædicati idem dictum est esse cum antecedente subjecti), et ex tali quidem regula non sequitur universalis affirmativa, hæc scilicet, quod e sit necessarium omni a inesse, ita quod concludatur hæc, omne a est e, sed sequitur particularis affirmativa indirecte concludens in prima figura, scilicet quod aliquod a est c. Et hujus ratio est, quia convertitur universalis affirmativa ad particularem quæ concluditur. Ex his igitur patet omnium superius inductarum regularum verificatio.

### CAPUT III.

#### *De descriptione figuræ ad hæc quæ dicta sunt.*

Ut autem clarius videantur quæ dicta sunt consuevit ab Antiquis describi figura in qua ter ternæ, hoc est, novem sunt combinationes antecedentium et sequentium et oppositorum quæ dicta sunt: quarum tres sunt inutiles et sex utiles: quod planum est videre secundum ea quæ dicta sunt.

Hæc autem est figura: protrahatur enim linea primo ab a b quod est prædicatum cum suo consequente in f e quod est subjectum cum suo consequente: deinde substantia in altera parte quadranguli ducatur linea æquidistans priori ab a c quod est prædicatum cum suo antecedente in g e quod est subjectum cum suo antecedente, et continuentur lineæ b c et f g ad perfectionem quadranguli. In linea autem b c accipiatur medium punctum et ponatur ibi a d quod est prædicatum cum suo extraneo sive opposito: et ex opposito in linea f g sumatur medium punctum et signetur illud per h e quod est subjectum cum suo opposito: et ducantur ab angulo b linea b h et linea b g, et a punto d ducantur tres lineæ, scilicet d f, d h, et d g. Similiter a pun-

cto c ducantur duæ lineæ in oppositum, scilicet linea c f et linea c h. Linea autem tertia est quæ fuit ducta ad latus quadranguli, quæ est linea c g.


Et in hac figura linea prima quæ est b f significabit combinationes inconstantes inter a b in una parte, et f e in altera parte, et sunt inutiles: quia ex tali antecedentium et consequentium electione resultabit figura secunda ex duabus affirmativis, quod non contingit. Linea autem b h ex consideratione antecedentium et consequentium et oppositorum continet conclusionem universalis negativæ in prima figura et in secunda in secundo modo secundæ: et est utilis et constans conjugatio. Linea autem b g est particularis affirmativa in prima figura indirecte conclusa per conversionem propositionis et conclusio- nis.

In medio autem puncto lineæ b c linea d f ex consideratione antecedentium et consequentium concludit universalem negativam in prima figura et in primo modo figuræ secundæ. Linea autem d h inconstans sive inutilis est ex consideratione antecedentium et consequentium prædicati et subjecti et antecedentibus et consequentibus utrorumque: quia ex tali combinatione nihil sequitur syllogistique: quia omnes erunt negativæ, ex quibus nihil sequitur in aliqua figura. Linea autem d g ex considerazione antecedentium et consequentium et oppositorum concludit particularem negativam in prima et secunda et tertia figuris.

Linearum autem quæ producuntur a punto c una producitur ad punctum f, et ex hac consideratione antecedentium et consequentium oppositorum concluditur universalis affirmativa in prima figura. Deinde producta linea c h ex consideratione antecedentium et consequentium est inconstans sive inutilis in omnibus tribus figuris: eo quod non convertitur in terminis particularis negativa.

Linea autem c & constans est et utilis: quia in ea concluditur particularis affirmativa, in prima quidem figura per conversionem, et similiter in tertia. Hæc autem dispositio sic describitur secundum ter-

minos in præhabitū positos. In his ergo considerationibus antecedentium et consequentium sunt combinationes novem, quarum tres sunt inconstantes, sex vero residuæ sunt constantes sive utiles.



Manifestum est igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam ad prædicta antecedentia et consequentia et extranea est perspicuum utriusque prædicati et subjecti in unaquaque trium figurarum: quia per hæc quæ dicta sunt quantum ad medianam ordinationem fit omnis syllogismus secundum omnem figuram. Est tamen idoneitas specialis ad eligendum medium

universalis affirmativæ ad concludendum universalem affirmativam: si enim debet ad concludendam universalem affirmativam accipi consequens et subjectum, quod sit antecedens ad prædicatum, eligendum est maxime universale omnium existentium, sive secundum ordinem positionum inter subjectum et prædicatum, dummodo illud sit antecedens ad

prædicatum: quod quidem universalius omnium est id quod proximius est prædicato: quia si prædicatum inest universaliter superiori continenti inferiora, tunc necessario inerit et inferiori: et quod omni inest animali, inerit et homini, et sic inerit et ipsi subiecto. Si autem non insit universaliter superiori, ex hoc sequitur quod prohibetur ipsum inesse universaliter alicui inferiori. Similiter autem si debeat accipi antecedens ad prædicatum, eligendum est maxime universale omnium antecedentium, et hoc est quod propinquius est ipsi prædicato, eadem de causa quæ prius dicta est. Et hæc quidem dicit Aristoteles sic, quod oportet consequentium ad prædicatum et subjectum, et antecedentium ad utrumque istorum singulum referre ad maxime prima et universalia, et ad hoc respicere, ut e quidem quod est subjectum magis oportet referre ad  $\kappa\ r$ , quod significat minus commune conjunctum magis communi, et in ipso acceptum inter sequentia subjectum, quam referre ad  $r$  solum quod significat minus commune in seipso acceptum. Et si debeat inspici in consequentia vel antecedentia prædicati, magis accipendum quod a referatur ad  $\kappa\ c$ , quod significat minus commune relatum ad magis commune, quam ad  $c$  solum quod est minus commune acceptum in seipso (et hujus ratio est: quia in tali terminorum dispositione si a inest ei quod est  $\kappa\ r$ , hoc est, magis communi universaliter) tunc etiam inerit ei quod est  $r$ , quod est minus commune in seipso acceptum: quia quod universaliter inest animali, hoc etiam inest homini: et quod inest  $r$  etiam inerit ei quod est  $e$ , quia  $e$  subiectum contentum est ab  $r$ , quod est consequens subjecti. Si vero non sequitur huic quod est superius, adhuc possibile est, quod adhuc sequatur id quod est  $r$ , quod est inferius in se acceptum.

Similiter autem considerandum est in eo quod est  $c$ , quod est antecedens prædicati, et videndum est in quibus sive ad quæ idem antecedens sequitur: quia si

aliquid sequitur ad prima et magis universalia, tunc procul dubio sequitur ad omnia illa quæ sunt sub ipsis. Si autem non sequitur ad ea quæ sunt prima et superiora, adhuc tamen aliquando in aliquibus contingit, quod sequitur ad inferiora: et ideo eorum quæ sunt magis universalia in antecedentibus et consequentibus magis sunt consideranda.

Attendé autem quod quamvis principia perficiendi syllogismorum generationem (quæ sunt dici de omni et dici de nullo, et conversio propositionum) diversificentur in syllogismis de inesse et de modo necessarii et contingentis, et ideo necessarium fuerit dare diversitatem in generatione syllogismorum de inesse et de modo: tamen unus modus est inveniendi medium per antecedentia et consequentia in omnibus istis, et non diversificatur quoad hoc per materiam diversam: et ideo secundum talem diversitatem non debuit dari diversa ars ad medii inventionem.

Adhuc autem quæreret aliquis, quare plures regulæ sunt ad determinandum sive concludendum universalem negativam, et non nisi una sola ad concludendum universalem affirmativam? Ad hoc autem dici potest, quod hujus causa est, quod universalis affirmativa convertitur per aliquid quod est utriusque extremorum conveniens universaliter, quod quidem oportet ponere medium: universalis autem negativa concluditur per medium conveniens uni extremorum soli, et ab alio extremo differens universaliter: sed hæc differentia et convenientia potest alternatim esse respectu subjecti et prædicati, ita quod sit convenientia respectu subjecti, et differentia respectu prædicati, aut e converso: et secundum hoc assignandæ fuerunt hæc duæ regulæ: et hoc facit universalis comparatio medii ad extrema cum negatione.

Adhuc autem quæri potest, quare non ponitur regula ad concludendum particularem affirmativam nisi in tertia figura, cum tamen etiam concludi posset in pri-

Removet  
dubium.

Dubitatio.

Solutio.

Dubitatio.

**Solutio.** ma figura? Et dicendum ad hoc, quod regula<sup>1</sup> quam posuimus ad concludendum particularem affirmativam, sufficit ad concludendum eam tam in prima quam in tertia: quia in tertia non oportet nisi minorem convertere, et in secunda syllogizatur etiam particularis negativa: et ad illius reductionem non oportet adesse nisi conversionem unius propositionis.

**Dubitatio.** Adhuc autem aliquis potest querere de terminis qui positi sunt in prehabitibus. Medium enim in syllogismo unum est, propter quod in inspectione mediæ oportet respicere ad unum et non ad plura: in terminis autem suprapositis respicere ad multa docetur, et eligere multa pro medio, sicut dictum est **F** et **C** accipi aliquando ad concludendum omne **E** esse **A**, et sic est in multis aliis. Et ad hoc dicendum quod non est respiciendum nisi ad unum secundum rem et secundum rationem mediæ, quod tamen secundum comparationem refertur ad plura: quia si idem sint **F** et **C** termini, tunc per ea sicut per unum terminum syllogizatur omne **E** esse **A**, et aliter non: et sic patet quod non est inspectio nisi ad unum.

**Dubitatio.** Adhuc autem potest queri de hoc quod cum docetur idoneitas concludendi universale affirmativum, docetur inspicere et eligere consequens subjecti universale maxime remotum a subjecto: in prehabitibus autem ad eamdem conclusionem concludendam dictum est, quod utile est inspicere ad consequens subjecto magis proprium. Et ad hoc dicendum est quod in ante habitis docuimus accipere consequens subjecti absolute non comparando illud ad prædicatum, hic autem docetur eligi consequens subjecti quod tantum sit accidens ad prædicatum: ante enim dictum est de antecedentibus universaliter et consequentibus: postea autem quod dictum est, convenit consequentibus, quæ eadem manentia consequuntur ad subjectum et antecedunt ad prædicatum.

<sup>1</sup> Nota quod loquitur de tertio modo secundo

#### CAPUT IV.

*Quod hæc ars sufficiat ad omne problema concludendum.*

Quod ars quæ præinducta est ad omne sufficiat problema propositionum concludendum per syllogismum, patet ex hoc quod jam palam est per prædicta: quoniam per tres terminos et duas propositiones omnis est consideratio syllogistica: habitudo enim mediæ non se extendit nisi ad duos terminos qui sunt extrema qui cum medio habente se ad terminum secundum habitudinem substandi vel prædicandi vel secundum utrumque eorum non possunt constituere nisi duas propositiones: et sic in tribus terminis et duabus propositionibus est omnis mediæ inspectio.

Palam etiam est ex prædeterminatis, quoniam syllogismus fit per aliquam trium figurarum. Hoc autem in omni problemate per ordinem sic monstratur: accipiatur in syllogismo universale affirmativum, ut quoniam omni **E** subjecto concluditur inesse **A** prædicatum: hoc autem concluditur ideo, quoniam medium ad hoc sumitur quod est idem **C** quod est antecedens prædicati, et **F** quod est consequens subjecti: et tale medium est in primo modo primæ figuræ, quod scilicet sit consequens subjecti, ita quod medium sit in toto majori, et minus sit in toto medio: tale autem medium semper est consequens ad subjectum et prædicatur universaliter de subjecto, et est antecedens ad prædicatum, ita quod prædicatum universaliter prædicatur de ipso: et illæ duæ habitudines simul signantur per duas litteras **C** **F**, quarum una significat antecedens prædicati et altera consequens subjecti, extremitates **A** et **E**, **E** enim positum est esse subjectum et **A** prædicatum, et fit sic syllogismus: omne **C** **F** est **A**, omne **E** est **C** **F**, ergo omne **E** est **A**:

figuræ et non de quarto.

sic enim fit prima figura in tali medii habitudine.

Si autem concludi debeat particulare affirmativum, sumemus medium quod sit antecedens subjecti, et antecedens prædicati idem, ut si dicamus, quod medium sit c et g idem, c enim est antecedens prædicati; et g est antecedens subjecti. Si autem medium est antecedens utriusque: tunc medium subjicitur utriusque, et sic erit secundum positionem terminorum in tertia figura, sic, omne g c est a et omne g c est e, ergo quoddam e est a, et est primus modus tertiae secundum superius inductas medii inspectiones, et medium sit g c.

Si autem debeat concludi universale negativum, sumendum est medium, quod idem sit consequens subjecti, et oppositum sive repugnans prædicati, sicut si d et f sint idem. Sic autem fit et prima figura, et figura media sive secunda: sed secunda figura erit primo et prima per conversionem majoris<sup>1</sup>: sicut enim in præhabito capitulo dictum est, d magis proprie removetur ab a quam e converso a removetur ab eo quod est d, cum d sit quasi proprietas ejus quod est a, unde non immediate fit iste syllogismus per primam figuram, sed per secundam: et in prima fit deinde per conversionem majoris, sic, nullum a est d f, omne e est d f, ergo nullum e est a. Per primam autem figuram si convertatur major, sic, nullum d f est a, omne d f e, ergo nullum e a. In prima enim figura in prima propositione subjicitur medium: sicut quia nulli d f inest a f, d autem inest omni e. Media autem figura ex hoc fit, d f nulli quidem inest a, hoc est, quod nullum a est d f, e autem omni inest d f: sic enim fit primus modus secundæ figuræ.

Si autem concludi debeat particulare negativum, sumemus medium quod idem est oppositum consequentis sive prædicati, et antecedens antecedentis sive sub-

jecti: sicut si idem sit d et g, tunc enim concluditur quod quoddam e non est a, vel quod a non inest alicui e, et talis syllogismus fit in postrema figura, et quod a consequens nulli inerit g, propter hoc quod g quod est antecedens subjecti, idem est cum opposito consequentis, et ideo universaliter removetur ab ipso, sic, nullum g d est a, omne g d est e, ergo quoddam e non est a; qui est secundus modus tertiae figuræ.

Manifestum est igitur quasi ex inductione, quoniam per prædictas figuræ fit omnis syllogismus ad quodlibet problema concludendum: et hoc quidem statim patet, quod omnis syllogismus ostensus per tales fit mediæ inspectiones, et per tres prædictas figuræ, et secundum sex utiles mediæ inspectiones, quæ in ante habito capitulo determinatæ sunt.

Sunt autem tres aliæ mediæ inspectiones penitus inutiles. Prima vero inter eas est si consequens subjecti et prædicati fuerint idem: non enim eligendum est ea pro mediis quæcumque omnibus et subjectis et prædicatis sequuntur. Et hujus causa est, quod nullus penitus ex talibus potest fieri syllogismus in aliqua figuræ: construere enim aliquod problema affirmativum non contingit syllogistice ex consideratione consequentium subjectum et prædicatum: quia non sequitur, si aliquid prædicatur de antecedente, et illud idem universaliter prædicatur de consequente, quod propter hoc consequens tale de tali prædicetur antecedente vel universaliter vel particulariter: talis enim dispositio facit figuram secundam, in qua ex ambabus affirmativis non fit syllogismus. Similiter autem privative vel negative non contingit unum extremum de alio dici vel universaliter vel particulariter ex tali medio sumpto quod sequitur et ad antecedens et ad consequens: quia non sequitur, si superius dicitur de aliquo universaliter, quod inferius dicatur universa-

<sup>1</sup> Hujus ratio est: quia subjectum non prædicatur secundum se et naturaliter de accidente,

nec subjectum de passione: sed bene e converso, ut colligitur I Posteriorum. P. J.

liter. Privative autem sive negative concludere non contingit : quia ex tali medii inspectione resultant duæ universales affirmativæ, et in secunda figura in qua medium bis prædicatur : ex talibus autem nihil sequitur privativum sive negativum : patet igitur quod talis inspectio medii est inutilis.

Manifestum autem est, quia et aliæ inspectiones inutiles sunt ad faciendum syllogismum, quæ in præhabitibus inutiles esse dictæ sunt : sicut enim jam dictum est, si sumatur pro mediis quæ sunt consequentia ad utrumque extremum, inutile est. Iterum autem secunda inutilis est inspectio, ut si eligatur medium ex his quæ consequuntur consequens, et quæ non contingit inesse antecedenti, sicut opposita ipsius. Tertia autem inspectio inutilis est, si accipiantur opposita utriusque quæcumque non contingit inesse nec prædicato nec subjecto, seu antecedenti et consequenti. Nullus syllogismus enim fit per istas tres medii inspectiones. Nam si inspiciatur medium per ea quæ sunt eadem consequentia subjectum et prædicatum, sicut si idem accipiatur *b* quod est consequens prædicati, et *f* quod est consequens subjecti, media fit figura prædicativas habens utrasque propositiones : et hoc non valet ad syllogismum. Si autem accipiantur ea quæ sequuntur *a* prædicatum, et opposita subjecto quod est *e*, iterum erit inutilis inspectio : quia sic sumitur antecedens prædicati de quo universaliter prædicatur *a*, et removetur universaliter ab *e*, quia secundum illam accipitur minor negativa in prima figura : et hoc non contingit, sicut in præhabitibus est ostensum : unde si sumitur *c* antecedens prædicati, et hoc oppositum subjecti idem pro medio, prima erit figura ex tali terminorum dispositione, habens medium (quæ ad minorem extremitatem) negativam : quæ est conjugatio inutilis. Rursus autem tertio si accipiantur pro medio quæcumque repugnant utrius, et subjecto et prædicato, sicut sunt *d* et *h*, quando pro eodem medio accipiuntur, erunt utræque propo-

sitiones privativæ vel in prima vel in media vel in postrema figura : habitum est autem in præmissis, quod ex ambabus negativis non erit syllogismus in aliqua figura.

Palam autem ex dictis est, quæ eadem sumendum inter prædicta antecedentia et consequentia, et quæ sumendum ut contraria in medii inspectione. Unde patet quod si consequens prædicati et consequens subjecti contraria fuerint sive repugnantia, potest syllogizari universalis negativa. Adhuc autem si consequens prædicati et antecedens subjecti fuerint contraria, potest syllogizari particularis negativa : sed istæ duæ conjugationes non sunt omnino convenientes ad conclusio- nis perfectam manifestationem : et sic sunt quodammodo utiles, et quodammodo inutiles. Hæ ergo etiam quodammodo removentur ab arte, et quodammodo admittuntur. Cujus sunt duæ rationes. Una quidem : quoniam omnis inspectio est medii unius inveniendi gratia. Medium autem unius syllogismi et ejusdem est non diversum : cum autem sint contraria, non est respectus ad aliquid unum : patet igitur quod non convenienter sump- tum fuit medium. Deinde etiam secunda ratio est ad idem, quod si prædicto modo accipiantur contraria, adhuc non fit syllo- gismus nisi alterum contrariorum sit conse- quens prædicati, et extraneum subje- cti : et accipiendo sit contraria, contingit latere utrum fiat syllogismus : quia contingit latere utrum contrariorum sit conse- quens prædicati et extraneum subjecti ; accipientem ergo contraria prædicto modo contingit latere utrum fiat syllogis- mus vel non. Unde etiam in his in quibus contingit fieri syllogismum, eo quod taliter, ut dictum est, sumantur contraria. Aut ea quæ ut repugnantia non contingit eidem inesse, omnes in duos jam dictos reducuntur modos, scilicet quod contra- ria sint consequentia prædicati et extra- nea subjecti. Ergo accipientem contraria prædicto modo contingit latere utrum fiat syllogismus vel non.

Quod autem istæ duæ inspectiones inconvenientes sint, probatur hoc modo quoad primam : quia si  $\text{B}$  quod est consequens prædicati, et  $\text{F}$  quod est consequens subjecti, sint contraria, aut talia quod ea non contingat eidem inesse, ut disparata, patet quod non conveniens est inspectio talis ad medium accipiendum : erit enim his quidem sumptis syllogismus quidem, quoniam nulli  $\text{E}$  inest  $\text{A}$ , sed non erit syllogismus ex ipsis quæ dicuntur esse medium, quæ sunt duo contraria, consequens scilicet prædicati, et consequens subjecti, sed potius ex prædicto modo, scilicet quod id quod est consequens uni, est extraneum alteri. In tali enim habitudine terminorum,  $\text{B}$  quidem (quod est consequens prædicati) inerit omni  $\text{A}$  quod est prædicatum propositionis primæ, et problematis sive quæstionis : et illud idem  $\text{B}$  nulli inerit  $\text{E}$ , cum sit extraneum subjecti, per hoc quod est contrarium ad  $\text{F}$  quod erat consequens ad subjectum : quia quod repugnat consequenti, repugnat et antecedenti : propter quod necesse est quod  $\text{B}$  (quod est consequens prædicati) sit idem sumptum alicui  $\text{H}$ , quia  $\text{H}$  significat repugnantia subjecto. Nihil enim differt quantum ad propositam intentionem, quod dicatur  $\text{B}$  et  $\text{G}$  non contingere eidem inesse ut repugnantia, aut quod dicatur quod  $\text{B}$  est idem alicui  $\text{H}$ , quia non repugnat ad  $\text{G}$  nisi per hoc quod est idem alicui  $\text{H}$  quod est oppositum subjecti : omnia enim quæ non contingit subjecto inesse, sumpta sunt significata per  $\text{H}$ .

Manifestum est igitur quod ex istis duabus quidem inspectionibus nullus fit syllogismus, nisi reducantur ad priores inspectiones sex utiles quæ in præhabitibus dictæ sunt. Et patet quod si  $\text{B}$  consequens prædicati, et  $\text{F}$  consequens subjecti sint contraria, quod necesse est quod  $\text{B}$  consequens prædicati sit idem alicui eorum quæ sunt  $\text{H}$  quod est oppositum subjecti, et syllogismum fieri per hæc in quantum contraria hoc modo qui paulo ante dictus est. Accidit ergo sic insipientibus considerare viam aliam simpliciter utilem, quæ sit concludens necessario et aperte : eo quod ista inspectione quandoque latet identitas eorum quæ sunt  $\text{B}$  et  $\text{H}$ , hoc est, consequentis ad prædicatum et oppositi ad subjectum.

Potest tamen objici de illa inspectione quæ sumit consequens prædicati contrarium ad antecedens subjecti : hæc enim utilis esse videtur, sic, nullum  $\text{C}$   $\text{H}$  est  $\text{E}$ , omne  $\text{C}$   $\text{H}$  est  $\text{A}$ , ergo aliquod  $\text{A}$  non est  $\text{E}$ . Dicendum autem ad hoc, quod hoc modo procul dubio utilis est ad syllogizandum subjectum de prædicato, sed non est utilis ad syllogizandum prædicatum de subjecto : et hoc modo reputatur inutilis.

Objectio

Solutio.

Rursum autem in secunda inspectione (hac scilicet si consequens prædicati et antecedens subjecti sint contraria) ut si  $\text{B}$  et  $\text{G}$  sint contraria sive repugnantia (ita quod non contingat eidem simul adesse) syllogizabitur quoniam alicui  $\text{E}$  non inerit  $\text{A}$ , hoc est particularis negativa. Nam etiam media sic erit figura. Sed hoc non est verum in principali syllogismo, sed in prosyllogismo, sic, omne  $\text{A}$  est  $\text{B}$ , nullum  $\text{G}$  est  $\text{B}$ , ergo nullum  $\text{G}$  est  $\text{A}$ . Deinde fiat principalis syllogismus in tertia figura, sic, nullum  $\text{G}$  est  $\text{A}$ , omne  $\text{G}$  est  $\text{E}$ , ergo quoddam  $\text{C}$  non est  $\text{A}$  : et sic patet quod non syllogizatur per contraria in quantum hujusmodi, sed potius in quantum unum illorum est antecedens subjecti, et extraneum prædicati : quia cum

**Objectio.** Adhuc autem quæritur quare due inspectiones quæ sunt ad contraria cum sint utiles, dicantur non convenientes ? si enim dicatur quod ideo sunt inconvenientes, quia potest latere utrum per eas fiat syllogismus vel non : probetur quod sunt convenientes hoc modo si oppositum de opposito et propositum de proposito. Sed inspicere ad medium unum et ad contraria media opponuntur : similiter syllogizare conclusionem affirmativam et syllogizare conclusionem negativam opponuntur. Cum igitur affirmativa conclusio syllogizetur per inspectionem ad medium unum, negativa contra syllogizatur per inspectionem ad plura sive contraria. Adhuc affirmativa conclusio syllogizatur per aliquid conveniens utriusque extremorum : ergo per oppositum videatur negativa concludi per aliquid differens ab utroque : propter quod aut accipietur idem quod est contrarium utriusque extremorum, vel accipietur aliquid conveniens minori et differens a majori, vel e converso aliquid differens a minori et conveniens majori : sic enim accipitur differentia utriusque extremitatis ad alteram : et sic videtur syllogizari negativa conclusio inspiciendo ad multa quæ sunt contraria.

**Solutio.** Ad hoc autem dicendum quod omnis conclusio syllogizatur per inspectionem ad unum. Ad objectum autem dicendum quod illa consideratio quæ est ad contraria, inutilis est, nisi sub uno oppositorum ex parte una continetur utrumque oppositorum ex parte altera : cuius exemplum est, quod mortale continet sub se rationale et irrationale : et ideo non oportet, si rationale et irrationale sunt opposita, et mortale et immortale sunt opposita, et omne irrationale est mortale, et quod etiam propter hoc omne rationale sit immortale. Et similiter est in proposito : quia tam conclusio negativa quam affirmativa concluditur inspiciendo ad medium unum : et sic sub uno oppositorum ex parte una continetur utrumque oppositorum ex parte altera.

Scias autem quod quamvis sint duæ formales dispositiones in syllogismo, scilicet figura et modus, omnes istæ inspectiones medii inutiles et inconvenientes peccant contra modum, et nulla contra figuram. Et hujus causa est : quia figura est id quod resultat ad dispositionem trium terminorum in duabus propositionibus, qua ablata nulla remanet dispositio ad syllogismum : et ideo posito syllogismo ponitur figura, et nihil peccati potest esse contra eam. Similis etiam causa est, quod nulla inspectio medii peccat contra quantitatem : quia sine quantitate non est decursus syllogisticus a praemissis in conclusione, et ideo illa supponitur in omni syllogismo : non sic autem est de qualitate quæ variatur in hoc et illo syllogismo : et ideo peccare accidit contra qualitatem, et non contra quantitatem in medii inspectione.

Adhuc autem attendendum, quod si aspiciatur ad formalia quæ sunt figura et modus, immediatæ differentiæ dividentes hoc commune quod est syllogismus, sunt ostensivus, et ex hypothesi, sive ad impossibile. Si autem aspiciatur ad materialia, tunc differunt : et primo quidem dicitur syllogismus in propositionibus de inesse ostensivus, et secundo syllogismus ad impossibile qui est ad positionem datum in opposito conclusionis, et tertio est syllogismus in propositionibus de modo : quia propositiones de modo ex additione se habent ad illas de inesse : et quoad istas differentias divisim ostenditur sufficientia artis istius in syllogismo ostensivo, et ex hypothesi, et in syllogismo de modo.

## CAPUT V.

*Quodars inducta sufficiens est in syllogismis ex hypothesi qui sunt ad impossibile, et in aliis qui sunt ex hypothesi.*

Eodem autem modo quoad hanc artem inspicendi medium se habent etiam illi syllogismi qui ad impossibile deducunt

cum syllogismis ostensivis. Hoc autem ex hoc probatur, quod etiam syllogismi ad impossibile fiunt per inspectionem eorum quæ sequuntur et quibus sequitur (hoc est, consequentium et antecedentium). Consequentia enim sunt quæ sequuntur, et antecedentia sunt ea quibus (hoc est, ad quæ) sequitur utrumque, scilicet prædicatum et subjectum. Fit enim inspectio tam in antecedens quam in consequens tam prædicati quam subjecti. Et propter hoc eadem est consideratio et eadem ars tam in ostensivis, quam in illis qui sunt ad impossibile. Cujus est causa, quia quidquid monstratur ostensive, monstratur etiam per impossibile sumpto opposito conclusionis cum altera præmissarum, quæ est manifeste vera, et in syllogismo ostensivo concessa, et per eosdem terminos, medium scilicet et extrema : et e converso quod monstratur per impossibile, monstratur etiam ostensively<sup>1</sup>. Sicut si ostensive monstratum sit, quoniam  $\alpha$  nulli  $\epsilon$  inest, ita quod conclusio ostensivi syllogismi sit quod nullum  $\epsilon$  est  $\alpha$ , et sumatur oppositum hujus cum aliquo vero in ostensivo syllogismo concesso, sic, omne  $\alpha$  est  $\beta$ , et hoc est manifeste verum : et assumatur oppositum conclusionis, aliquod  $\epsilon$  est  $\alpha$ , et concludatur manifeste falsum, et ex hoc inferatur, quod hypothesis data de opposito conclusionis est falsa : et ex hoc inferatur, quod verum sit nullum  $\epsilon$  esse  $\alpha$  : si enim manifeste verum sit quod  $\beta$  inest omni  $\alpha$ , et detur ex opposito conclusionis, quod alicui  $\epsilon$  inest  $\alpha$ , concludetur quod  $\beta$  alicui  $\epsilon$  inerit, quod est non stans cum minori priori syllogismi, ex quo sequitur prima conclusio quod nullum  $\epsilon$ , est  $\alpha$ . Patet igitur quod universalis negativa concluditur et ostensively, et per impossibile, et per eamdem artem inspiciendi medium ex antecedentibus et consequentibus et extraneis. Similiter autem est et in aliis propositioni-

nibus quæ sunt conclusiones ostensivorum syllogismorum.

Rursus enim sit ostensa particularis affirmativa per ostensivum syllogismum, sicut quoniam alicui  $\epsilon$  inest  $\alpha$ , et accipiatur oppositum illius, hujus scilicet, quoniam nulli  $\epsilon$  inest  $\alpha$ , et sumatur alia propositio prius concessa et manifeste vera, et sit hæc, quod  $\epsilon$  inest omni  $\alpha$ , sequitur conclusio falsa : hæc scilicet, quod nulli  $\epsilon$  inerit  $\alpha$ , hæc enim opposita est illi quod alicui  $\epsilon$  inest  $\alpha$ , quæ concessa est in syllogismo ostensivo, in quo propositum fuit quod omne  $\epsilon$  est  $\alpha$ . Similiter autem est et in aliis propositionibus, sicut est universalis affirmativa et particularis negativa quæ ostensive concludi possunt. Semper enim et in omnibus propositionibus per impossibile ostensis ex inspectione consequentium et antecedentium quibus sequuntur consequentia et oppositorum et in unaquaque propositione ostensive conclusa et ad impossibile deducta eadem consideratio quoad medii inspectionem, sive aliquis velit syllogizare ostensively, sive velit ad impossibile deducere : quia ex eisdem terminis sunt utræque demonstrationes, scilicet ostensivæ et deducentes ad impossibile : sicut si ostensum est ostensively nulli  $\epsilon$  inesse  $\alpha$ , ostendetur per impossibile  $\beta$  alicui  $\epsilon$  inesse, quod est impossibile, si detur quod in ostensivo sumptum sit  $\epsilon$  quidem nulli  $\beta$  inesse in majori, et in minori sumptum sit omni  $\alpha$  inesse  $\beta$  ; manifestum enim est quod ex hoc sequitur nulli  $\epsilon$  inesse  $\alpha$ .

Rursum si ostensively syllogizatum sit  $\alpha$  nulli  $\epsilon$  inesse, si aliquis dans oppositum conclusionis, et per hypothesis supponat inesse per deductionem ad impossibile, monstrabitur id quod ostensively concluderat, hoc scilicet, quod nulli  $\epsilon$  inest  $\alpha$  : hæc est enim conclusio intenta, ad quam fit redditus ab impossibili concluso, sic, nullum  $\beta$  est  $\alpha$ , omne  $\epsilon$  est  $\beta$ , ergo nul-

<sup>1</sup> Quod monstratur ostensively, potest monstrari et per impossibile, et e contra. Sed contra: Principia prima possunt monstrari per impos-

sibile, ut patuit supra, et tamen non possunt ostensively monstrari. Vide hujus difficultatis solutionem in fine hujus capituli. P. J.

lum  $\epsilon$  est  $A$ : accipiatur oppositum, aliquod  $\epsilon$  est  $A$ , et syllogizetur impossibile, sic, nullum  $B$  est  $A$ , aliquod  $\epsilon$  est  $A$ , ergo aliquod  $\epsilon$  non est  $B$ , quod est oppositum minoris prius concessæ: sed hoc est impossibile: ergo stabit primo conclusum, hoc scilicet, nullum  $\epsilon$  est  $A$ . Similiter autem est in omnibus aliis. In omnibus enim syllogismis qui ducunt ad impossibile, necesse est communiorem terminum, hoc est, medium alium sumere ab his terminis sive mediis qui subjecti sunt in ostensivo syllogismo, sicut in prædicto exemplo, ubi in ostensivo syllogismo medium est  $B$ , in syllogismo autem ad impossibile (qui fit in tertio modo secundæ figuræ) medium est  $A$ , et ideo etiam mutantur extrema et figura et modus: et ad illum terminum sic sumptu malum a subjectis in ostensivo syllogismo fit mendacii syllogismus qui dicit ad impossibile, et monstrat quod mendax est hypothesis. Propter quod conversa propositione conclusa in ostensivo syllogismo in suum oppositum, et altera vel majori vel minori similiter se habente, et cum opposito datae conclusionis sumptæ generatur syllogismus ostensivus et per eosdem terminos aliter tamen dispositos.

Differunt enim isti syllogismi ad impossibile et ostensivus in hoc, quod in ostensivo quidem secundum veritatem ambæ ponuntur propositiones: quia ad minus sunt ut veræ positæ et concessæ. In eo autem syllogismo (qui est ad impossibile, falso per hypothesis vel ut falso) ponitur una quæ est opposita conclusionis veræ. Hæc autem erunt in secundo hujus scientiæ libro magis manifesta, quando dicemus de syllogismo qui est ad impossibile. Nunc autem ad propositam intentionem sufficit, quod manifestum jam ex dictis, ad perspiciendum in medi inventione ad hoc quod diximus in antecedentibus et consequentibus et extra neis, et volentibus ostensive syllogizare, et volentibus ad impossibile deducere.

**Objectio.** Attendendum tamen circa hoc quod diximus, quod omne quod contingit os-

tensive demonstrare, contingit demonstrare per impossibile, et  $\epsilon$  converso. Hoc enim falsum videtur: quia principia in quarto primæ philosophiæ demonstrantur per impossibile, et non possunt demonstrari ostensively. Sed hoc statim solvitur quia ostensive demonstrari dupli citer dicitur. Uno modo demonstratur ostensive, quod demonstratur per causam: et sic principia prima non possunt ostensively demonstrari. Alio modo ostensive demonstratur, quod modum ostensionis imitatur in hoc quod directo cursu syllogistico per dici de omni vel dici de nullo concluditur: et hoc modo syllogismus ostensivus opponitur in genere syllogismi syllogismo ad impossibile: et hoc modo verum est quod quidquid monstratur ostensively, monstratur per impossibile, et  $\epsilon$  converso. Hoc modo etiam principia concluduntur ostensively: quia non monstrarentur per impossibile, nisi supponeretur quod eadem conclusio cuius sumitur oppositum, ostensively monstrata esset.

Notandum etiam quod alias est syllogismus per impossibile, et alias syllogismus ad impossibile. Syllogismus enim ad impossibile est, qui accepto opposito conclusionis quæ principaliter intenditur, cum altera præmissarum prius ut vera posita et concessa, syllogizat impossibile. Syllogismus autem per impossibile est, qui ex falsitate conclusionis conclusæ per syllogismum ad impossibile redit et concludit hypothesis esse falsam, et sic ul terius propositum sive conclusionem pri mi syllogismi esse veram. Et syllogismus quidem ad impossibile non sumit medium aliud ab extremis conclusionis principali probantæ et intentæ: nec est idem medium ipsius et syllogismi ostensivi. Syllogismus autem per impossibile accipit idem pro medio quod syllogismus ostensivus. Medium enim syllogismi ostensivi in superius inductis syllogismis est  $B$ . Syllogismus autem ad impossibile ad  $B$  terminum concludit sive terminat propositum. Syllogismus igitur per impossibile accipit medium terminum alium

Differentia  
inter syllo-  
gismum ad  
impossibile,  
et per im-  
possibile.

ab extremis conclusionis probandæ : accipit enim medium terminum eumdem quem et syllogismus ostensivus : et ad illum terminum medium fit mendacii syllogimus sive deducens ad impossibile. Syllogismus enim ad impossibile concludit falsum terminatum ad illum terminum qui medium erit in syllogismo ostensivo. Quod patet in exemplo sic : demonstretur enim ostensive quod nullum  $\epsilon$  est  $A$ , sic, omne  $B$  est  $A$ , nullum  $\epsilon$  est  $B$ , ergo nullum  $\epsilon$  est  $A$ : hoc enim est medium aliud ab extremis quod est  $B$ , extrema autem  $\epsilon$  et  $A$ . Deinde ostendatur idem per impossibile, sic omne  $A$  est  $B$ , quoddam  $\epsilon$  est  $A$  (hoc enim est oppositum conclusionis prius conclusæ), ergo quoddam  $\epsilon$  est  $B$ : datum autem fuit quod nullum  $\epsilon$  est  $B$ . In hoc syllogismo medium est  $A$ , quod est unum extremorum conclusionis primæ : accipitur in syllogismo ostensivo medium aliquod ab extremis conclusionis principaliter probandæ, sed non in syllogismo deducente ad impossibile.

## CAPUT VI.

*Quod idem est quoad medii inspectionem in syllogismis ex transsumptione, et in his qui sunt ex propositionibus modalibus, et quod generalis est ars ista.*

*Quid per  
transsump-  
tionem in-  
telligen-  
dum.*

In aliis autem syllogismis à syllogismo ad impossibile, qui etiam sunt ex hypothesi, sicut quicumque syllogismi fiunt secundum transumptionem, sive juxta locum a transsumptione formati, eadem est inspectio medii. Transumptionem autem vocamus translationem a minus noto ad magis notum, vel e converso a magis noto ad minus notum. Idem etiam est quoad medii inspectionem in illis syllogismis qui fiunt secundum unam qualitatem in subjectis diversis, sicut in his qui formantur juxta locum a simili, et a minori, et a majori, et a proportione, et a casibus, et conjugationibus, et hujusmo-

di, non quidem in conclusionibus prioribus quæ inferuntur ex talibus hypothesibus, sed in transumptis, hoc est, in his ad quas redditur ex transumptione ad propositum principale. In omnibus enim his erit consideratio eadem ad inspectionem medii quantum ad antecedentia et repugnantia. Modus autem inspectionis ad medii inventionem erit idem.

Considerare autem oportet in talibus et dividere per distinctionem quot modis fiunt syllogismi ex hypothesi, ut in quolibet differentia et species hypothesis debite sumantur antecedentia et consequentia et repugnantia. Contingit autem et alio modo a prædictis syllogizare quoddam problemata, ut si syllogizetur universale per particulare, eo quod in omnibus similiter se habeant, ut si anima unius hominis sit mortalis, inferatur, ergo anima cuiuslibet hominis : et sic ex hypothesi concessa prius, concluditur universale per particularem inspectionem. Hoc autem fit, quando antecedens prædicati, et antecedens subjecti idem sint, et antecedens subjecti convertibile sit, ita quod scilicet soli et omni conveniat subjecto, concludetur universale per particulare : sicut si dicam, quod secundum superius positam terminorum institutio nem,  $\epsilon$  quod est antecedens prædicati, et  $\epsilon$  quod est antecedens subjecti sint idem, et sumatur ex hypothesi quod soli  $\epsilon$  inest  $\epsilon$ , ita quod sit convertibile omni et soli conveniens, inferetur ex hoc quod alicui  $\epsilon$  inerit  $\epsilon$ , et quod omni  $\epsilon$  inerit  $\epsilon$ , et quod omni  $\epsilon$  inerit  $A$  per c quod omni  $\epsilon$  inest, et per consequens omni  $c$  inest. Et similiter infertur negativa universalis ex particulari, si sumatur  $\epsilon$  repugnans prædicati, et  $\epsilon$  scilicet antecedens subjecti idem esse, et esse hæc duo convertibilia : tunc enim similiter se habebit in omnibus, et sic concludetur, quod si aliquod  $\epsilon$  non est  $\epsilon$ , quod nulli  $\epsilon$  inerit  $A$ , quia a quo removetur consequens removetur et antecedens. Manifestum est igitur quoniam in omnibus syllogismis ex hypothesi sic,

ut dictum est, inspiciendum est ad medii inventionem.

~~transumptio duplicitur~~ Attendendum autem hic, quod transumptio dicitur duobus modis, scilicet generaliter et specialiter. *Generaliter* quidem transumptio est in omni eo ubi transitur de uno ad aliud: sicut a concluso non principaliter intento, ad conclusum principaliter intentum: et sic syllogismus ad impossibile est a transumptione. Dicitur etiam *specialiter* transumptio translatio a minus noto ad magis notum: et sic loquimur hic de transumptione et sic syllogismus ad impossibile est ab hypothesi et non a transumptione, sed est in syllogismis qui formantur juxta locos superius inductos.

~~syllogismus aliis est omnibus, syllogismis in circulari.~~ Hic tamem attendendum est quod sunt adhuc alii syllogismi, sicut ex falsis, et circularis, et conversivus, et ex oppositis, qui omnes fiunt secundum dicta superius principia in medii inspectione: quia syllogismus ex falsis ostensivus est si large extendatur nomen ostensivi, quod scilicet ostensivus dicatur omnis syllogismus qui ex duabus propositionibus unam concludit conclusionem, et ibi sistit. Similiter autem circularis ostensivus est, si unusquisque circularium syllogismorum secundum se consideretur. Conversivus autem syllogismus et syllogismus ex oppositis continentur sub syllogismo ad impossibile sive per impossibile communiter accepto: et sic patet quod in omni syllogismo eodem modo est medii inspectio.

~~logismus conver-sus et ex op-positis con-tinentur syllo-gismo ad impos-sibile.~~ Eodem autem modo est etiam in syllogismis qui fiunt ex propositionibus modalibus sicut in necessariis et contingentibus: nam in his erit eadem consideratio quoad medii inspectionem, et per eosdem terminos quoad antecedentia et consequentia et repugnantia erit syllogismus in ordine modalium contingentis et inesse. Quod autem idem sit in necessariis et inesse simpliciter, patet per antecedentia quae dicta sunt in generatione syllogismorum. In contingentibus autem sumendum est talia contingentia, non tantum

quae insunt actuali inherentia, sed etiam quae non insunt, possibilia tamen sunt inesse: ostensum est enim, quoniam etiam per talia contingentia fit syllogismus de contingentibus. Et similiter se habebit quantum ad medii inspectionem in omnibus aliis praedicamentis, hoc est, praedicandi modis, scilicet de necessario, et possibili, et impossibili, et vero et falso.

Ulterius autem manifestum est ex praedictis, quoniam non solum possibile est per hanc viam sive artem inspectionis medii fieri omnes syllogismos, sicut dictum est, sed etiam cum hoc manifestum est, quoniam impossibile est per aliam viam fieri aliquem syllogismorum. Ostensum est enim in praecedentibus, quod omnis syllogismus fit per aliquam trium figurarum; figurarum autem tres determinatas quoad medii et extremorum ordinem non contingit per aliam viam seu artem construi seu constitui nisi per sequentia et antecedentia, quibus sequitur consequens unumquodque: ex his enim fiunt syllogismorum propositiones et sumptio medii syllogismorum: propter quod patet quod nec syllogismum universaliter possibile est fieri per alia.

Erit ergo ista quae nunc determinata est methodus in omnibus quidem syllogismis eadem et adaptanda circa philosophiam primam et circa artes rationales, sicut logicam, et rhetoricae, et circa disciplinam in scientiis disciplinabilibus quadrivii. In omnibus enim his oportet in medii inventione colligere praedicatae quae insunt, et subjecta quibus insunt illa praedicata, et his collectis ut plurimis abundare: et haec et horum differentias per tres terminos considerare, antecedentium scilicet, et consequentium, et repugnantium: et destrucentem quidem qui vult negativam concludere, oportet ista considerare sic, hoc est, uno modo, ad repugnantia scilicet: construentem autem qui vult propositionem affirmativam concludere, oportet considerare aliter, scilicet secundum habitudines antecedentium.

tium et consequentium : et qui vult concludere secundum rei veritatem et secundum ea quæ simpliciter et actu insunt, oportet ista considerare secundum rei veritatem quæ scripta est de his quæ simpliciter et ex necessitate insunt. Ad dialecticos autem syllogismos faciendo oportet ista considerare ex propositionibus quæ dicunt inesse secundum opinionem : quia illi fiunt ex his quæ videntur omnibus vel pluribus vel sapientibus vel maxime notis.

Patet igitur quod principia syllogismorum quoad formalia et materialia et medii inspectionem (universaliter quidem et in communi accipiendo) sunt quæ dicta sunt : et dictum est jam quomodo se habent ad syllogismi constitutionem, et determinatum est quomodo seu ex quibus oportet ea inquirere : et hoc factum est ad vitandum dispendium quatenus in faciendo syllogismum non sit confusus noster intellectus ad omnia illa quæ dicuntur vel dici possunt inspiciendo, et ut sciamus quod non est aspiciendum ad eadem quando volumus aliquid affirmative construere, et quando volumus aliqua negative destruere. Adhuc autem ut sciamus quod non aspiciendum ad eadem media, quando volumus construendo concludere de omni, universali scilicet affirmativo, et quando volumus contruere de aliquo particulariter concludendo : et similiter in destruendo quando volumus destruere universaliter, quoniam ab omnibus partibus subjecti removetur prædicatum, aut quoniam particulariter removetur ab aliquibus. Sed ut gratia compendii respiciatur ad pauciora, et ad illa quæ determinata sunt. Ex his enim citius et facilius medium inventitur.

Intelligendum autem hic, quod quamvis appropriata principia non possint esse ad determinandum omnia prædicata eadem, sicut prædicatum ut accidens, et ut genus, et ut proprium, et ut diffinitio: et si esset talis ars, raro esset utilis, ut dicit Aristoteles in *Topicis*: et quamvis

dicatur in *Elenchis*, quod quamvis omnia essent unius generationis, non tamen possibile esset omnia sub eisdem principiis contineri : tamen una potest esse methodus universalis et communis ad inferentiam simplicem conclusionis, in quantum conclusio infertur ex præmissis quæ hic determinata est : et propter syllogismum probantem qui considerat speciales terminorum habitudines, aliæ artes sub ista acceptæ non superfluunt, sicut in *Posterioribus* et in *Topicis* ostendetur.

## CAPUT VII.

*Quod in communi jam ars est habita : circa propria autem in singulis scientiis adaptanda.*

Hæc autem quamvis ad artem istam in communi sufficient, quæ ars est de syllogismo formali inferente et non probante, est enim ex terminis per A B C sumptis, qui omnia et nihil significant : tamen in determinatis scientiis et artibus secundum singulum eorum quæ sunt illarum scientiarum sive artium subjecta, propriæ sive unicuique appropriatæ sunt inspectiones mediorum plures, ut de bono de quo agitur in moralibus, aut de disciplina qualibet de qua agitur in disciplinabilibus scientiis, ut arithmeticæ, geometriæ, astrologiæ, et musica. Propter quod principia inventionis medii quæ sunt circa singula, est sive contingit tradere per experimentum quod communiter a memoria sensibiliiter in uno communi acceptorum per rationis collationem. Dico autem per exemplum exponens hoc, ut per astrologicam experientiam traditur astrologica disciplina quoad medii inventionem. In hac enim sufficienter sumptis apparentibus, hoc est, quæ apparent esse antecedentia et consequentia et repugnantia, ex quibus sumuntur media ad terminanda astrologica : sic inventæ sunt astrologicæ demonstrationes. Similiter autem quantum ad medii inventionem circa

aliam quamlibet se habet artem quæ est ex probabilibus expertis, et disciplinam quæ est ex necessariis expertis.

Propter quod si sumantur inspectiones mediorum circa ea quæ insunt, et sumantur propria circa singulum eorum quæ quærimus, nostrum est jam, sive nostræ facultatis jam est (sicut ex arte perfectis) prompte demonstrationes circa singula declarare. Si enim nihil omittitur secundum historiam sive enarrationem priorum et singulorum eorum quæ subtiliter per causam essentiale et vere secundum naturam insunt singulis rebus et proprie, habebimus ex habitu et facultate determinatæ scientiæ de omni et de quolibet, cuius sive de quo est demonstratio, invenire hanc demonstrationem quæ est de illo : et sic de ipso quod sibi inest demonstrare. Cujus autem non nata est demonstratio, sicut principiorum, et probabilitum, vel rhetoricon, manifestum etiam est ex hic determinatis hoc ipsum facere de ipsis ad inventionem mediorum, quæ non sunt media demonstrationum.

**Epilogus.** Dicamus igitur epilogando, quod universaliter jam pene dictum est, quo oportet modo propositiones eligere ad medii cujuslibet inventionem. Et dico *pene* propter scientiam *Posteriorum*, quæ etiam universalis est in suo genere. Quare non superfluit ista arte posita : communia enim dicit in genere demonstrabilium. Hæc autem quæ dicta sunt studiose per divisiones et differentiam demonstrabilium et non demonstrabilium pertransamus describendo in eo negotio, quod est circa dialecticam : in *Topicis* enim hæc dicta sunt pertransundo in communi : circa singulas autem scientias non pertransundo in communi, sed immorando circa singula dici habent.

## CAPUT VIII.

*Quod ars quam quidam ex divisione ponebant ad medii inventionem non sufficiat.*

Quoniam autem divisio per genera (quam quidam ponebant ad medii inventionem) parva quædam est particula hujus (quæ dicta est) methodi sive viæ, facile est declarare. Dicebant enim quidam, Opinio quod divisione. quod divisio et maxime divisio generis in species (quæ essentialis et formalis est) est ars inveniendi medium : quia per divisionem inveniemus diffinitionem, quæ est medium in demonstrationibus. Et hoc non est verum : quia quamvis faciat ad inventionem diffinitionis, et quantum ad hoc sit parva quædam particula hujus artis faciens ad medii cujusdam declarationem, tamen non est sufficiens ad inveniendum medium secundum quod medium est, et secundum quod ex ipso necessitate syllogistica concluditur conclusio : sed in ea aliqua particula est, quia per divisionem inveniuntur particulæ diffinitionis : unde divisio est velut infirmus syllogismus, hoc est, non habens medii perfectam habitudinem. Petit enim quod oportet ostendere : et hoc ideo est, quia medium non est perfectum ad inferendum cum sit communius majori extremitate. Antecedens enim ex consequente inferri non potest nisi negative : unde divisio non est ad inspiciendum medium perfectum, sed si syllogizat immediata conclusione et prima, syllogizat semper aliquid superiorum quod est communius intento : sicut si dicatur sic, omne animal est mortale vel immortale : homo est animal : ergo est mortale vel immortale : quod est communius intento, quod syllogizari deberet de homine. Unde divisio vel petit principium, vel sumet medium communius intento, in quo intentum sive propositum non est nisi in potentia.

Hoc autem primum latuit omnes illos qui usi sunt divisione ad medii inventio-

nem. Et suadere sunt conati, quod per divisionem ponatur medium velut esset possibile de substantia (quæ est diffinitio) demonstrationem fieri per divisionem : cum hoc non sit verum : quia in demonstratione medium est diffinitio, et non fit demonstratio de ipsa : quia de eo quod quid est per diffinitionem, non est demonstratio per divisionem : et propter hoc non intellexerunt quod non contingit syllogizari per hoc aliquid : communius enim est intento quod sumitur. Hujus autem exemplum est : quia si sic fiat syllogismus, quem ipsi dicunt fieri per divisionem : omne animal est rationale vel irrationale : omnis homo est animal : non sequitur syllogistice, nisi quod homo est vel rationale vel irrationale : quod communius est proposito, quia ad diffinitionem hominis non sumitur de homine nisi rationale. Si autem sic syllogizetur : omne animal est rationale vel irrationale : homo est animal : ex hoc non sequitur quod homo sit rationale : et si sumitur, petitur quod erat probandum, et non probatur.

Adhuc autem diffinitio prædicatur affirmative, et universaliter de eo cuius est diffinitio : et si concluditur, universaliter et affirmative debet concludi : universalis autem affirmativa concludi non potest per id quod est communius intento, et per medium quod communius est majori extremitate. Extremitas autem major (quæ de homine debet concludi) non est rationale vel irrationale, sed rationale solum : et sic medium communius est majori extremitate : et per hoc non concluditur universalis affirmativa, sicut dictum est : ergo nec diffinitio concluditur : quia diffinitio prædicatur universaliter et affirmative. Et ideo non intellexerunt quod non contingit syllogizare diffinitionem eos qui dividunt, hoc est, divisionem ad medii inventionem ponunt.

Patet igitur quod in demonstrationibus in quibus oportet aliquando quid syllogizare per diffinitionem, oportet medium (per quod fit syllogismus) minus, hoc est,

minus commune semper esse majori extremo : et oportet ipsum medium non prædicari universaliter de tota priori sive majori extremitate : quia quod sic prædicitur de alio, communius est illo : et ideo non fit syllogismus divisivus : quia divisione contrario facit semper ponens medium universalius, eo quod sicut majus extrellum debet concludi de minori, sicut paulo ante dictum est.

Hoc autem in terminis transcendentibus patet : sit enim animal quod in tali syllogismo est medium in quo est A, mortale autem quod sicut majus extrellum debet concludi, sit in quo est B, et quia per divisionem accipitur, oportet quod sint duo : sit ergo immortale (quod cum mortali in eadem divisione ponitur) in quo C, homo vero minus extrellum (cujus terminum, hoc est, diffinitionem de ipso prædicatam) oportet sumere (hoc est, concludere) sit in quo est D. Sic ergo per divisionem accipiens syllogismum, accipit omne animal esse mortale aut immortale : hoc autem idem est ac si dicat, quod quidquid est A universaliter esse aut B aut C, sive quod omne A est B vel C, et patet quod hoc communius est intento : quia non debet concludi de D nisi B, et non B vel C, et si sumatur quod D est B, petetur id quod probandum est, et non erit probatum.

Rursum ille qui sub tali divisione ad diffinitionem hominis concludendam semper ponit in minori propositione hominem esse animal, quia medium est animal : propter quod sumit in eadem minori propositione, quod de D sit A prædicatum, quia positum est A esse animal, et quod D sit homo : syllogismus ergo non concludit, nisi quia D aut est B aut C sub disjunctione : propter quod homo sit aut mortal aut immortalis divisim oportet sumere sine propositione : et petet illud quod erat probandum. Mortale quidem aut immortale necessarium est esse animal, sicut proponitur in majori propositione : sed quod homo sit mortale cum sit animal, aut quod sit immortale divisim,

non necessarium ex syllogismo illo concludere : sed petitur. Hoc autem erat quod oportebat syllogizare secundum intentionem in diffinitione hominis conclusionem. Sed si sic argueretur per divisionem : homo est animal aut mortale aut immortale : sed non est immortale : ergo est mortale : tunc esset probatum : sed hoc ex syllogismo inducere non concluditur : syllogismus enim inductus non concludit ex positis in ipso, nisi quod homo sit animal mortale vel immortale : et hoc non est de diffinitione hominis, cuius partes concludi debent de homine, cuius diffinitionis partes tanquam majores extremitates intenduntur concludi de homine ut minori extremitate.

Et rursus ad concludendam aliam differentiam ad diffinitionem hominis pertinentem : et accipit medium communius majori extremitate, accipiens majus extrellum sub divisione eodem modo concludit aliquid communius intento sive proposito, et non probabit ex positis in syllogismo propositum, sed petet ipsum sine probatione : et hujus exemplum est, sicut si ponamus diffinitionem esse animal mortale pedes habens : et debemus concludere hanc differentiam de homine, pedes habens : si enim ponamus A esse animal mortale, ita quod hoc totum sit syllogismi medium, animal mortale : et hanc differentiam, pedes habens, dicamus B, hanc autem non pedes habens differentiam dicamus esse C, hominem vero qui est minus extrellum dicamus esse D, sicut prius, quia partes diffinitionis hominis intendimus concludere : tunc sic volens syllogizare similiter sicut prius in majori propositione A aut C aut B esse, sic, omne animal mortale aut est habens pedes, aut non habens pedes : in majori autem propositione sumet praedicatum de D, nam in minori sumit hominem esse animal mortale universaliter, sic, omnis homo est animal mortale : propter quod ex hoc syllogismo sequitur ex positis in ipso propositionibus, quod necesse est hominem esse animal habens pedes, vel non

habens pedes. Hæc autem non est intenta ad hominis diffinitionem conclusio : quia in diffinitione hominis non ponitur, quod sit animal habens pedes, vel non habens, sed quod sit animal habens pedes. Intenta ergo conclusio est, quod homo sit animal habens pedes : et hæc in syllogismo illo non concluditur, sed petitur et sumitur petendo, et non probatur. Hoc autem (scilicet quod homo est animal mortale pedes habens) erat, quod rursus ad aliam hominis differentiam quæ complet diffinitionem oportebat ostendere probando per conclusionem syllogizatam : ergo nec prima differentia diffinitionis, nec ultima complens diffinitionem concludi potest per artem divisionis.

Ad hunc enim modum per omnes partes diffinitionis accipiendas eis qui dividunt semper accidit sumere universale communius intento, ita quod medium semper communius est majori extremo, de quo oportebat ex positis in syllogismo ostendere, quod illa extrema per omnes differentias positas, in diffinitione, quod sunt extremitates majores concludendæ de homine tanquam de minori extremo. Ad finem autem postquam omnes differentiae sic conclusæ et collectæ sunt, inferre oportebat quod hoc totum collectum est homo per diffinitionem, aut quidquid aliud erit, quod quæritur quid sit per diffinitionem. Manifestum est igitur, quod dantes artem divisionis ad medii inventionem vel inspectionem, nihil plenum dicunt quod sit necessarium ad propositum omne concludendum : faciunt enim omnino aliam viam esse ad medii inspectionem, quam eam quam nos in ante habitis docuimus : neque opinantes sunt, quod illi viæ (quæ a nobis posita est) insint idoneitates ad omne propositum concludendum, sed viæ divisionis tales idoneitates opinantur inesse : et ideo errant et falsum dicunt.

Manifestum autem est quod etiam in aliis praedicatis a diffinitione (sicut est genus proprium, accidentis, et hujusmodi, quæ in *Topicorum* considerationibus de-

terminantur) non contingit per talem medii inspectionem construere vel destruere per talem viam divisionis : non enim contingit aliquid de accidente, neque de proprio, neque de genere, neque etiam in problematis in quibus ignoratur utrum hoc modo vel illo se habet, hoc est, utrum insit ut proprium, vel ut accidens, vel ut genus, vel alio modo, aliquid per hanc viam planum et necessarium ex positis in syllogismo syllogizare : ut si quæratur in problema sic, putasne diameter est asimeter? proponitur enim diameter esse longitudo : ex taliter enim positis non syllogizatur, nisi quod diameter est aut asimeter vel simeter, sic omnis longitudo est simetra vel asimetra : diameter est longitudo : non sequitur ex hoc syllogismo propter posita, nisi quod diameter est aut simeter aut asimeter : et hoc nihil est planum et certum. Si autem sumat, quod est simeter: tunc petet et sumet quod oportebat syllogizare, hoc est, per syllogismum probantem concludere. Patet igitur quod per hanc viam non contingit ostendere aliquid propositum : haec enim procul dubio est via divisionis quam ponunt : et patet quod per hanc viam ex positis in syllogismo non est ostendere utrum diameter sit simeter vel asimeter : et ponantur termini syllogismi transcendentia, qui de omnibus sunt propositis ostendendi : et sit id in quo est A longitudo ut medium, B autem sit major extremitas sub divisione accepta : diameter autem quod est minor extremitas sit E: sic autem formetur syllogismus, omne A est B, quia omnis longitudo est asimetra vel simetra : omne C A, quia omnis diameter est linea sive longitudo : sequitur quod omne C B: sed hoc nihil est certum et planum. Haec igitur via inutilis est ad medii inspectionem.

Manifestum est igitur, quoniam iste inquisitionis modus etiam ad omnem inspectionem medii non congruit, sive quod ad nullam congruit considerationem: quia neque in illa congruit inquisitione diffinitionis, scilicet in quibus considerationibus diffinitionum maxime videbatur convenire. In his enim inutilis est, sicut est ostensum. Si autem via divisionis generis per differentias et species ad medii inspectionem inutilis est, quæ maxime utilis esse videbatur, planum est quod viæ (quæ per alios modos divisionum sumi possent) magis sunt inutiles.

Dicamus igitur hunc tractatum epilogandum, quod jam manifestum ex praedictis ex quibus medii inspectionibus demonstrationes fiunt, et quomodo ad medium inspiciendum est, et ad quæ oportet respicere secundum unamquamque propositionem universalem vel particularem et affirmativam et negativam concludendam. Et hic Antiqui secundam περὶ τοπίου, sive sectionem de generatione syllogismi terminabant.

#### CAPUT IX.

*De exclusione quorumdam dubiorum circa ea quæ dicta sunt.*

Est autem hic notandum, quod quamvis ratio divisiva sit syllogismus dialecticus, et sic sit ex probabilibus et notioribus, et ideo non petat quod est in principio. Quod etiam patet : quia si dicatur sic, homo est animal mortale vel immortale : sed non est immortale : ergo est mortale : utraque enim præmissarum communior, et ideo notior est conclusio : et ideo non petitur quod est in principio, sed probatur. Adhuc autem intentio est per talem rationem probare hominem mortalem esse : et hoc idem concluditur : et sic divisio non syllogizat aliquid communius intento. Quamvis, inquam, ita sit, tamen antequam in divisione negetur alterum dividentium, et ex

negatione illius inferatur affirmativa alterius : tunc non est syllogismus dialecticus, nec procedit ex notioribus, nec concludit minus commune, sed æque : quia non concludit nisi quod homo est animal vel mortale vel immortale, sicut dictum est : et ideo non valet talis processus : quia ex sub disjunctione conclusio sine remotione alterius dividendum petit, quod homo sit animal mortale sine disjunctione et determinate : hoc enim est intentum in diffinitione.

Adhuc autem notandum est quod, cum dicitur quod in omni ratione concludentem universalem affirmativam oportet medium esse sub majori extremitate, et non communius ipsa, accipiendum quod medium est quidem ut pars, et ut minus commune majori extremitate : quia se habet ut subjectum ad majorem extremitatem, et sic est in ratione inferioris ad ipsam : non tamen semper est inferius et minus secundum rem : et hoc patet ex

hoc, quod potissimæ demonstrationes et potissimæ ratiocinationes dialecticæ fiunt in terminis convertilibus, in quibus medium secundum rem non est minus majori extremitate secundum rem, sed solum secundum rationem.

Adhuc autem notandum quod, sicut diximus, cum volumus partes diffinitionis de subjecto diffinito concludere, conclusio intenta est, quod illa sola differentia (quæ essentialis est subjecto) concludatur de ipso ut major extremitas de minori : unde non est major extremitas totum disjunctum in ambabus partibus disjunctionis acceptum : quod tamen concluditur in syllogismo in quo major extremitas ponitur totum disjunctum : et ideo in tali syllogismo divisivo semper concluditur id quod communius est principali intento, et conclusio principaliter intenta petitur sine syllogistica probatione, Et his intellectis planum erit cuilibet quod in ante habitis dictum est.

---

# TRACTATUS VII

## DE SYLLOGISMORUM REDUCTIONE.

### CAPUT I.

*Quibus de causis tractandum est de reductione, et quot modis fit reductio: et de ordine reductionum.*

Quomodo autem reducere possumus syllogismos, sicut dictum est, generatos in prædictas figuræ, dicendum sive doceundum est post hæc duo quæ jam determinata sunt: hæc enim sola consideratio restat adhuc de generatione syllogismorum: quia syllogismus non est perfecte generatus nisi ad ultimam formam ipsius sit deductus. Si enim et generationem syllogismorum in figura et modo inspeximus (hoc est, substantialiter inspicendo determinavimus) in περιποτῆ, sive selectione prima. Et inveniendi medium habemus ex arte potestatem sive facultatem, sicut in secunda *pericope* determinatum est. Amplius autem in ista tertia *pericope* factos syllogismos reducemos, sive reducere docebimus in prædictas figuræ sicut in sua principia, finem habebit intentum nostrum, quod in primo istius scientiæ libro propositum est quantum ad perfectam substantiam syllogismi et generationem syllogismorum. Ex hoc enim sufficienter scitur syllogismi substantia et generatio. Quamvis adhuc quedam dividenda remaneant in secundo libro de *Modis et potestate syllogismorum*, quæ non sunt de substantia et generatione syllogismorum. Hæc igitur est una et prima causa propter quam agi oportet hic de syllogismorum generatorum reductione.

*Quibus de causis oportet de reductione syllogismorum tractare.*

Prima.

Secunda autem causa est utilitatis: quia si bene determinabitur syllogismorum reductio, accidit etiam ex ipsius reductionis determinatione confirmari et manifestiora fieri ea quæ dicta sunt de eorum generatione et de medii inventione. Ex hic enim dicendis patebit, quoniam sic se habent, ut dictum est, ea quæ in ante habitis dicta sunt: oportet enim ad bonitatem doctrinæ perfectæ tradendam, omne quod verum est in aliqua arte et doctrina, ipsum sibi omnino (hoc est, omni modo) manifestum esse: quia nisi omni manifestetur, non cognoscitur perfecte: non cognitum autem perfecte, non perfecte regit et dirigit ad finem artis.

Secunda.

His igitur de causis oportet de reductione syllogismorum tractare, et maxime adhuc duabus de causis, scilicet quia nisi reducatur syllogismus, non scitur perfectus esse, et secundum propriam substantialiam generatus. Et secundo quia ista ars resolutoria est: et omnis syllogismorum resolutio in ea debet determinari.

Tertia.

Est enim quadruplex resolutio syllogisticae orationis: aut enim oratio syllogistica est potentia tantum syllogistica, aut actu tantum. Dico autem *potentia* tantum syllogisticae esse, quando est oratio inordinate disputata sive proposita, quæ tamen reducibilis est in syllogismum: et cum reducitur, fit actu syllogistica. *Actu* autem syllogisticae dico, quæ stat sub forma syllogismi. Una igitur reductio est quando oratio potentia syllogistica reducitur ad actum formalem syllogisticae orationis. Si autem omnino sit actu syllogistica, ista adhuc habet reduci in figuram et modum.

Quarta.

Quadruplex  
est resolutio  
syllogisticae  
orationis.

*Variae reductiones syllogismorum.*

Aut ergo est indifferens reductio omnium figurarum et in omnem figuram ad invicem : et hoc fit quando eadem oratio syllogizari docetur in pluribus vel omnibus figuris per aliquam medii variationem : et hæc est secunda reductio syllogismorum : et de ista dupli reductio in hoc tractatu est determinandum. Aut est differens reductio : et hoc fit dupliciter. Primo enim fit reductio figurarum imperfectarum in perfectam, quæ est prima reductio : aut fit reductio modorum in modos perfectissimos, sicut omnes alii modi tam primæ figuræ quam secundæ vel tertiae reducuntur in duos modos universales perfectissimos primæ figuræ : et de his duabus reductionibus in prima περικοπῇ, sive sectione jam satis sufficienter dictum est.

*Removet dubium.*

Attendendum etiam quod quamvis illa reductio (quam primo hic posuimus inter quatuor) prima sit secundum rem et generationem syllogismi simpliciter, tamen non est prima in via doctrinæ : non enim potest cognosci resolutio de potentia ad actum, nisi actu præcognito : et ideo oportuit prius agere de generatione syllogismorum secundum actum ut actus cognosceretur per quem posset cognosci hæc reductio. Actui syllogismorum perfecte cognoscendo annexa est duplex reductio, scilicet secunda et quarta : et ideo de illis duabus oportuit determinare cum ipsorum syllogismorum generatione, et postea consequenter dicendum est de duabus aliis reductionibus. Inter quas duas etiam ordo est : quia illa quæ est potentia syllogisticæ orationis, in actu syllogisticam præcedit illam quæ est reductio mutua figurarum ad invicem, ut ostendatur quod modis potest idem concludi medii variatione : eo quod per hæc parum vel nihil facit ad syllogismi (secundum sui substantiam) perfectionem. Et hæc est causa, quod hic primo determinabimus de prima, et ultimo tangemus secundam.

## CAPUT II.

*De reductione orationis in syllogismum per inspectionem propositionum.*

In reductione autem orationis ad formam syllogismi quæ disputata est sine ordine syllogismi, oportet tentare primo (hoc est, tentando inspicere) duas propositiones præmissas excipere (hoc est, extra capere de ipsa disputata sic oratione), et hoc antequam in terminos in ipsa oratione positos inspiciatur, ita quod prima resolutio illius orationis fiat in propositiones prius quam resolvatur in terminos. Et hujus ratio est, quia a facilitioribus est inchoandum in omni arte : facilius autem est omne compositum in majora dividere, quam in minora : quia majora propinquiora sunt composito quam minora : composita autem sunt majora, quam ea ex quibus componuntur : sicut propositiones majores sunt, quam termini ex quibus fiunt propositiones : et ideo oratione propter formam syllogismi disputata, prius resolvenda est in propositiones quam in terminos, et prius consideranda est habitudo propositionum quam terminorum.

Consideratis et exceptis propositionibus de ipsa disputata oratione, oportet considerare propter dici de omni et dici de nullo, quæ sunt principia decursus syllogistici necessaria illarum propositionum, quæ de oratione exceptæ sunt quæ sit in toto, hoc est, universalis et necessaria, et quæ sit in parte sive particularis. Et si in oratione disputata non ambæ positæ sunt explicite propositiones præmissæ, oportet considerare eum qui in oratione disputat alteram illarum præmissarum : et alia sumenda est quæ clauditur in intellectum sicut in enthymemate fit : aliquoties enim tales orationes disputantes proponunt universalem statim ex illa inferentes, et alteram propositionem (quæ per intellectum est in universalis proposita) explicite non ponunt, ne-

que scribentes , hoc est , describentes lineas et figuras quas demonstrare intendunt, ut in geometricis, arithmeticis, musicis, et astronomicis, in omnibus enim his per figuras descriptas fit demonstratio : neque etiam interrogantes (hoc est, interrogativas orationes disputantes) sicut in probabilitibus dialecticis et aliis scientiis talibus : et hoc quidem faciunt in ipsis principalibus syllogismis. Aliquando etiam has quidem propositiones explicite proponunt, ex quibus concluditur in principali syllogismo : et tamen quantum ad prosyllogismos omittunt illas propositiones per quas illæ (quæ sunt principalis syllogismi propositiones) concludi et probari debent : alia vero quædam nec ad syllogismum nec ad prosyllogismum facientia vane assumunt. Dico autem *vane*, quia nec faciunt ad propositum, nec ad propositi declarationem.

Considerandum ergo primo si quid (hoc est, si aliquid) in ipsa oratione taliter disputata superfluum sit et vane appositum, et si aliquid de necessariis sit omissum tam ad syllogismum quam ad prosyllogismum. Et si est aliquid de necessariis sic omissum, illud ponendum est ex intellectis in oratione disputata : et si aliquid est superflue et vane positum, illud est auferendum : et hoc continue faciendum est donec sic resolvens orationem disputatam aliquis veniat ad duas propositiones syllogismi vel prosyllogismi, in cuius formam intendit reducere orationem : sine his enim propositionibus (ex quibus fit syllogismus) non potest aliquis reducere in formam syllogismi sic interrogatas sive disputatas orationes quæ sine forma syllogistica disputantur.

In aliquibus autem talibus orationibus facile est videre quod minus est, et aliquid omissum ad propositiones pertinens. Aliquando autem aliquid esse omissum latet : et tales orationes sine forma syllogismi disputatae videntur syllogizatae : eo quod per eas aliquid (quod est conclusio) ex necessitate inferentiæ accidit sive se-

quitur sicut in syllogismo : sequitur enim conclusio ex his quæ posita sunt in oratione, et ideo videntur esse syllogisticæ : quia syllogismus est oratio in qua quibusdam positis aliquid accidit ex necessitate ex his quæ posita sunt in syllogismo, cum tamen non sint syllogizatae, nec habeant formam syllogismi ; quamvis in hoc similitudinem habeant cum syllogismo, eo quod formam syllogismi in complexione propositionum habeant. Cujus exemplum est in hac oratione, ut si sumatur non substantia interempta substantiam non interimi, et ex quibus est compositum aliquid interemptis, etiam corrupti compositum quod est ex ipsis : hæc enim oratio sine forma syllogismi est, et tamen infert de necessitate : necessario enim sequitur quod non substantia interempta, non interimatur substantia : quia substantia non componitur nisi ex substantiis. Similiter necessario sequitur quod corruptis his ex quibus substancialiter est aliquid, quod et ipsum corruptatur et interimatur. His enim sic positis in oratione prædicta, sequitur quod necessarium est quod substantiæ partes sint substantiæ : quia interemptis eis interimitur substantia ex eis composta. Hæc tamen oratio non est syllogizata, quia ad formam syllogismi non est reducta, cum propositionem primam habeat negativam et conclusionem affirmativam, quod nunquam contingit in syllogismo, et debitam non habeat in propositionibus complexionem et ordinem : et ideo per ea quæ in tali oratione sumpta sunt hoc modo oratio illa non est syllogizata : sed debitæ ad syllogismum et prosyllogismum desunt propositiones. Si autem suppleri debeat quod deest ad syllogismum istius conclusionis (qua concluditur partes substantiæ esse substantias) oportet sic proponere : quibus interemptis interimitur substantia , sunt substantiæ : sed partibus substantiæ interemptis interimitur substantia : ergo partes substantiæ sunt substantiæ . Et prima quidem hujus syllogismi intelligi-

tur in prima inductæ orationis, minor autem in secunda. Adhuc autem ex hoc arguitur per prosyllogismum sic, quæ sunt et non sunt non substantia, sunt substantiae : partes substantiae sunt et non sunt non substantiae : ergo sunt substantiae. Et sic oratio illa ad formam syllogismi reducta est.

**Objectio.** Si quis autem objiciat quod diffinitio syllogismi dictæ orationi videtur convenire, et ita videtur esse syllogismus : est enim oratio in qua quibusdam positis aliud ex necessitate accidit, Dicendum quod habitudinem habet ex materia et locali habitudine, sed non habet formam syllogismi in modo et figura : et ideo non est syllogismus, nec infert ex forma syllogismi. Adhuc autem in syllogismo quidquid est in præmissis, est in conclusione præter medium : et hoc non est hic : ergo non est syllogismus ; desunt enim propositiones, quarum una se deberet habere ut totum, et altera ut pars, et quarum termini duo constituere deberent conclusionem.

Rursum aliud exemplum orationis absque forma syllogismi disputatae est, si sic aliquis ratiocinetur ex syllogismo hypothetico : cum est homo, necesse est esse animal : et cum est animal, necesse est esse substantiam : ergo a primo ad ultimum, cum est homo, necesse est esse substantiam. Hæc enim oratio non habet formam syllogismi ostensivi, de cuius forma hic intendimus : quia ille simpliciter est unus et unius formæ : de forma enim hypothetici syllogismi in proprio libro *de hypotheticis syllogismis* habet determinari. Istæ enim propositiones sic a primo ad ultimum concludentes, non se habent ad invicem secundum figuram et modum, ut diximus se eas habere debere in syllogismo ostensivo.

Fallimur enim in talibus putantes tales orationes esse syllogisticas : eo quod necessarium inferre in eis accidit ex his quæ posita sunt in ipsis, sicut in syllogismo : quia etiam syllogismus necessarium tale quoddam est quod est necessarium ne-

cessitate consequentiæ ex his quæ in oratione syllogistica posita sunt : tale autem consequentiæ necessarium in pluribus est quam syllogismus. Et hoc patet : quia consequentia non convertitur inter syllogismum et tale necessarium : nam omnis syllogismus necessarium tale est : non est autem e converso omne tale necessarium syllogismus. Propter quod si quid accidit ex necessitate ex quibusdam positis in oratione, non statim quidem tentandum est reducere : sed primum sumendum est duas propositiones debito modo ordinatas, sicut diximus, sic, omnis homo est animal : omne animal substantia : ergo omnis homo substantia : hic enim non est peccatum nisi in ordine propositionum, quod statim corrigitur, sic; omne animal substantia : omnis homo animal : ergo omnis homo substantia : et tunc reducta est oratio in formam veram syllogismi. Talis igitur est reduc[t]io orationis non syllogizatæ in propositiones in quibus stat forma actualis syllogistica, sicut cuilibet patet insipienti.

### CAPUT III.

*De resolutione propositionis non syllogizatæ ad formam syllogisticam per terminorum considerationem.*

Deinde autem postquam talis oratio reducta est in propositiones, sic ulterius procedendo in reductione ad formam syllogisticam, dividendum est in terminos debite se habentes ad figuræ constitutionem. Medium autem quod contingit extrema et quod est medium terminorum, tale ponendum est, quod dicitur vel subjective vel prædicative vel utroque modo in utrisque propositionibus : necesse est enim medium in utrisque propositionibus esse in omnibus tribus figuris. Si ergo in resolutione et reductione inveniatur quod medium in duabus propositionibus, et subjiciatur in una, et prædicetur in altera : aut quod ipsum quidem prædicetur affirmative in una, aliud autem ab ipso

Necessaria  
rum necessi-  
tate conse-  
quentiæ in  
plus se ha-  
bet quam  
syllogis-  
mus.

medio abnegetur in altera propositione : prima erit figura, et oratio reducta est ad formam primæ figuræ. Si autem prædicetur , et in una propositione negetur ipsum medium ab extremo aliquo majori vel minori, media erit figura, quæ (sicut habitum est) affirmative non concludit : et ideo affirmatur in una et negatur in altera : et tunc oratio reducta erit in formam secundæ figuræ. Si vero tale sit medium, quod in utraque propositione alia extrema de illo (ut subjecto) prædicitur, sicut fit in affirmativo syllogismo : aut sic se habeat, quod unum quidem extremorum de ipso prædicetur ut de subjecto, aliud vero extremum de ipso negetur ut de subjecto : tunc secundum talem terminorum dispositionem erit tercia figura sive postrema : sic enim, ut prædeterminatum est, se habuit medium in postrema figura.

Similiter autem (quoad inspectionem medii et extremorum) se habet etiam quando non sunt universales propositiones, sicut in particularibus syllogismis trium figurarum : eadem enim est determinatio medii quantum ad positionem inter terminos vel ante terminos vel post terminos in universalibus et particularibus. Ex his autem patet quoniam in quacumque oratione disputata, si aliquis non dixit idem frequenter (hoc est, bis) illa non fit nec est secundum actum syllogismus : eo quod in tali oratione medium ut medians et uniens extrema non est sumptum : et ideo oratio non est actu stans sub forma syllogismi.

Quoniam autem habemus ex præmissis in generatione syllogismorum qua propositio clauditur (hoc est, concluditur) in quacumque figura sigillatim in una vel in pluribus : habemus enim in qua figura concluditur universalis affirmativa, quoniam tantum concluditur in prima : et in qua universalis negativa, quia concluditur in prima figura et secunda: et habemus in qua concluditur particularis, quia particularis affirmativa concluditur in prima et in tertia : particularis autem ne-

gativa concluditur in omnibus figuris. Manifestum est, quoniam non est perspicuum in aliqua oratione disputata et concludente ad omnes indifferenter figuræ : sed in unaquaque propositione quæ ex tali vel tali oratione concluditur, resipiendum est ad propriam figuram, quæ illam concludit propositionem. Quæcumque vero propositiones concluduntur simul in pluribus figuris vel omnibus figuris, in his ad quam figuram reduci debeant cognoscimus ipsa medii positione : quia secundum naturam qua respicit extrema, vel ponitur inter vel ante vel post terminos.

Observandum etiam est quod frequenter accidit falli circa syllogismos, sicut jam dictum est, propter necessarium consequentiae quod simile est in talibus orationibus, et in syllogismo. Aliquoties autem propter similitudinem positionis terminorum in universalibus et singularibus accidit error in reductione syllogismorum : et hoc oportet non latere nos : quia si hoc lateat, non potest reduci oratio in formam syllogisticam. Verbi gratia si a major extremitas de b medio dicatur sive prædicatur, et b medium prædicatur sive dicitur de e minori extremitate tantum secundum vocalem subjectionem et prædicationem, et non sit ibi dici de omni quod perficit decursus syllogistici consequentiam : videbitur enim sic se habentibus terminis (ita quod medium in prima subjicitur et in secunda prædicatur) esse syllogismus in talibus terminis : cum tamen hoc non sit verum, quia una propositionum non se habet ut totum, et reliqua ut pars illius.

Ex tali ergo simplici positione terminorum nihil sequitur necessarium per orationem, neque etiam sic fit syllogismus : quia non est ibi dici de omni vel dici de nullo, ex quibus fit consequentia unius ex altero. Hoc autem patet in exemplis, si termini transcendentis determinentur ad singulæria, quæ signum distributivum recipere non possunt : sit enim in quo est a major extremitas sem-

per esse (hoc est, incorruptibile esse sicut universale est incorruptibile) in quo autem  $\infty$  medium sit intelligibilis Aristomenes, hoc est, hoc discretum quod nomine Aristomenis intelligitur: in quo vero  $c$  minor extremitas sit Aristomenes simpliciter sub nomine Aristomenis significatum: tali enim positione terminorum facta, verum est in majori propositione  $A$  majorem extremitatem inesse  $\infty$  medio: semper enim est intelligibilis Aristomenes (hoc est, Aristomenes semper est id quod per Aristomenem intelligitur) quia semper est id quod est: et hoc est intellectum per Aristomenem. Sed et  $\infty$  medium tali facta positione est  $c$ , quia verum est quod Aristomenes est intelligibilis Aristomenes, hoc est, Aristomenes est id quod per Aristomenem intelligitur, hoc est, id quod est significatum per nomen,  $A$  autem majus extrellum non inest  $c$  minori extremo in conclusione virtute alicujus consequentiæ syllogisticæ: et hoc ideo, quia Aristomenes quocumque modo sumatur, est corruptibilis, hoc est, sensibilis et singularis: quia sola singularia sensibilia et generabilia corruptibili sunt: et ideo signum distributivum secundum dici de omni vel dici de nullo suscipere non potest. Sic autem se habentibus terminis, quod universaliter medium distribui non potest, dictum est in generatione syllogismorum, quod non siebat syllogismus: quia ex particularibus vel indefinitis vel singularibus in nulla figura fit syllogismus. Sed si debeat esse syllogismus, oportet propositionem  $A$   $\infty$  majorem sumere universaliter per signum universale distributivum, quod in termino discreto singulari fieri non potest: propter quod hoc falsum est, hoc est, incongrue propositum, quod proponebat omnem intelligibilem Aristomenem semper esse: quia dicit illud distribui per signum universale quod distribui non potest, cum Aristomenes sit corruptibilis, hoc est, sensibilis et singularis.

*Expositio  
Aifarabii.*

Attendendum est hic quod quidam et

satis bene in eodem sensu hoc aliquantulum aliter exponunt, quantum ad hoc quod dicunt, quod intelligibilis Aristomenes, ut dicunt, est intellectivus sive sapiens Aristomenes, et multa intelligens: et cætera non mutantur ab expositione prædicta: et hæc est expositio Alfarabii et vera. Quidam autem somniando hic multa finixerunt, de quibus non curamus: certum est enim quod si nomen singulare sit et uni soli conveniat, et partem non habeat, quod distribui pro partibus non potest: et si addatur adjectivum subjecti, non ex illo recipit communitatem, sed potius adjectivum ex singulari sibi substante recipit singularitatis discretionem: et ideo cum adjectivo ratione adjectivi distribui non potest: et ideo non est curandum de somniis illorum.

Aliud autem exemplum æqualis cum inducto exemplo potentiae ad idem ostendendum est sic. Sit enim rursum in alio exemplo  $c$  quidem Micales simpliciter, ipso nomine discreto significatus: in quo autem est  $\infty$  medium sit Micales-musicus: sicut in alio exemplo fuit Aristomenes intelligibilis: in quo  $A$  major extremitas sit corrumpi cras sive in futuro. In tali ergo terminorum positione verum  $\infty$  medium de  $c$  minori extremitate singulariter prædicari in minori propositione: quia Micales est musicus Micales. Adhuc autem etiam  $A$  major extremitas prædicatur de  $\infty$  in majori propositione: quia Micales musicus corrumpetur cras, hoc est, in futuro: et ideo est singularis et sensibilis:  $A$  autem de  $\infty$  in conclusione virtute consequentiæ prædicari falsum est: quia quamvis in subjiciendo et prædicando medium videatur esse dispositio primæ figuræ, tamen non sunt termini susceptibles signi distributivi per quod sit dici de omni, per quod syllogismi primæ figuræ perficiuntur. Hoc autem secundum exemplum quantum ad id quod intendimus ostendere per ipsum, idem est eum priore, quod paulo ante inducitum est: nam verum est et con-

gruum, si dicatur universaliter, Micales musicus corruptetur cras; eo quod nomen discretum, nec per se neque cum adjektivo susceptible est distributionis.

Hæc ergo fallacia sive error in terminis talibus fit in eo quod pene videtur ibi esse dispositio figuræ in positione terminorum: quia non deficit nisi in dici de omni vel de nullo: quod principium est syllogismi secundum quod constituitur in forma modi perfecti in seipso syllogismi: concedimus enim talem dispositionem terminorum aliquando esse syllogisticam: quia videtur nobis quoad figuræ formam nihil differre hoc huic inesse sine distributione, et hoc huic omni inesse cum distributione: et ideo fallimur in eo quod judicamus ibi esse formam syllogismi, ubi est forma syllogismi in eo quod pene.

#### CAPUT IV.

*De errore qui accidit circa resolutionem duarum propositionum in tres terminos ex prava expositione vel sumptione terminorum secundum abstractum et concretum.*

Frequenter autem evenit vel accidit mentiri in resolutione duarum propositionum in tres terminos: eo quod non bene modo debito termini positi in propositionibus exponuntur, sive ponuntur termini secundum exigentiam propositionis alterius quæ in eodem syllogismo ponitur in qua aliter exponuntur: et sic uno modo exponuntur in una, et alio modo in alia. Cujus exemplum est, ut si a quidem sit sanitas in abstracto exposita, b autem sit ægritudo, c vero sit homo: tunc enim medium quod est ægritudo, comparatur ad majorem extremitatem ut abstractum ad abstractum: et hoc modo non potest comparari ad minorem extremitatem, quæ est homo, sed potius in concretione comparabitur ad ipsam, quia subjectum est ipsius: tali enim dispositione terminorum facta verum est di-

cere: quod a nulli b contingit inesse: eo quod nulli ægritudini inest sanitas: quia oppositum removetur ab opposito: et rursum verum est dicere in minori, quoniam b inest omni c, omnis enim homo susceptibilis est ægritudinis: et ex tali habitudine terminorum ad invicem videtur accidere per consequentiam nulli homini contingere sanitatem inesse. Sic autem formatur syllogismus: de necessitate nulla ægritudo est sanitas: sed omnis homo est æger: et ex hoc non sequitur: ergo de necessitate nullus homo est sanus, licet sequi videatur. Hujus autem causa est: quia non bene (hoc est, uniformiter) in utraque propositione expoununtur termini. In majori enim propositione in qua sumuntur termini in abstractione, debent sumi in concretione: et tunc esset major falsa cum modo necessitatis: tunc enim major esset hæc, de necessitate nullum ægrum est sanum, quæ falsa est. Si autem major sit in concretum mutata, et accipiatur de contingentibus, tunc erunt præmissæ ambæ veræ, et conclusio sequetur de contingentibus sic, contingit nullum ægrum esse sanum: sed omnis homo est æger: ergo contingit nullum hominem esse sanum.

Patet igitur quod causa erroris est, quod non bene exponuntur termini secundum locutionem quæ convenit propositionibus: sumuntur enim in majori secundum abstractionem, et in minori secundum concretionem: et hoc patet: quia si termini qui secundum ipsas habitudines abstractæ sanitatis et ægritudinis accipiuntur in majori, transmutantur ad concretionem: tunc non erit syllogismus: quia major cum modo necessitatis est falsa, ut pro sanitate quidem ponatur sanum, et pro ægritudine ponatur ægrotum: tunc non erit verum dicere, quoniam non contingit ægrotanti inesse sanum: non contingere autem inesse æquipollit ad necesse non esse. Hoc autem modo sumpta majori in concretis et cum modo contingentibus non fit syllogismus ad conclusionem de necesse non esse, sed fit ad

conclusionem de contingentibus : et hoc contingens est quod non est impossibile esse : et hoc patet, quia contingit nulli homini inesse sanitatem hoc modo, quo non est impossibile nullum hominem esse sanum actu. Sic igitur patet qualiter hic error vitatur in prima figura.

Rursum in media figura similiter erit falsum ex eadem causa sumptionis terminorum : quia etiam in secunda figura sic variatis terminis per abstractum et concretum contingit in majori propositione per consequentiam syllogisticam ægritudinem quidem nulli inesse sanitati, et in minori contingit omni homini inesse sanitatem : et ex hoc videtur sequi in conclusione, quod nulli homini inest ægritudo, sic, nulla ægritudo est sanitas de necessitate : omnis homo est sanus : non sequitur conclusio de necessario, quod omnis homo de necessitate non sit æger. Si autem præmissæ veræ sumantur ambæ in terminis concretivis, et ita quod altera sit de contingentibus, sequitur conclusio de contingentibus, sicut prius.

In tertia autem figura sic per abstractum et concretum variatis terminis, conclusio quæ est de contingentibus, erit falsa præmissis existentibus veris, una scilicet sumpta de contingentibus, et altera de inesse, sic, omni homini contingit inesse sanitatem, vel omnem hominem contingit esse sanum : quod similiter contingit omni homini inesse ægritudinem, vel omnem hominem contingit esse ægrum : non enim sequitur ex hoc, quod contingat omnem ægritudinem esse sanitatem. Et causa hujus est : quia eidem quod est medium et subjectum contingit inesse contraria concretive, et si non simul : non tamen propter hoc unum contrariorum contingit inesse alteri. Palam enim est quod sanitatem et ægritudinem, et disciplinam et ignorantiam, et ut omnino sive universaliter dicatur, omnia contraria contingit omni subjecto eidem inesse. Sibi vero invicem impossibile est contraria inesse in abstracto : quia sic contraria sunt ipsæ habitudines sive habitus sive dispositio-

nes contrariae : hoc autem manifestum est in prædictis terminis, sicut dictum est, per abstractum et concretum variatis : quando enim eidem subjecto contingit plura contraria inesse concretive sumpta, tunc sequitur quod etiam sibi invicem contingit inesse concretive sumpta, ut sanum contingit inesse ægro, et ægrum contingit inesse sano.

Manifestum est igitur, quoniam in omnibus talibus fit fallacia reductionis propositionis in terminos, propter terminorum pravam expositionem sive sumptionem : quia si transmutantur hi termini qui abstracti sunt secundum habitudines sive dispositiones, quæ sit non contraria, transmutantur ad concretos. Est autem hic attendendum, quod si fiat talis argumentatio, de necessitate nulla ægritudo est sanitas : omnis homo est æger : ergo nullus homo est sanus : sequitur quidem conclusio de inesse, sed non sequitur virtute syllogismi, sed per locum ab oppositis : talis enim conclusio sequitur ex sola minori, etiam si major auferatur : unde patet quod non sequitur virtute syllogistica, quia decursus syllogisticus maxime sit a majori propositione. Adhuc si sic arguatur, de necessitate nulla sanitas est justitia : ergo nullum sanum est justum : hæc conclusio sequitur per locum à conjugatis, sed non virtute syllogistica. Ubique enim fallit habitudo syllogistica per variationem terminorum a concretis in abstractos, et e converso. Adhuc autem si sic arguat aliquis, de necessitate nulla sanitas est ægritudo : omnis autem homo sanus : et dicat quod hæc major est de necessitate et minor de inesse, et ideo debeat sequi conclusio de necesse : patet quod mixtio nulla est, quia in tali mixtione minor (quæ est de inesse) debet essentialiter esse sub majori : et hoc non est in syllogismo qui inductus est.

Attendendum etiam est quod Aristoteles hanc dicit esse falsam, de necessitate nullum sanum est ægrum : et hujus causa est, quia quamvis soleat distingui per compositionem et divisionem, et in sensu com-

*Nota hic  
dicta.*

posito dicatur esse vera, et in sensu diviso falsa. Et similiter dictum quod a tali formatur propositione, hoc scilicet, nullum sanum esse ægrum est necesse. In sensu enim compositionis negatio materialis est ad modum, et modus cadit supra negationem, et totam dicti compositionem. Tamen hoc non movit Aristoteles ut diceret eam falsam in hac materia, ubi loquitur de abstractis et concretis : sed potius hoc movit eum, quod nunquam alicui inest sic unum contrariorum, quin relinquatur potentia formalis ad hoc quod insit alterum : quia aliter non esset motus de contrario ad contrarium : et ideo hæc, omnis homo est sanus, et similiter hæc, nullus homo est sanus, est contingens ad utrumlibet : hoc autem contingens ad utrumlibet opponitur et necessario et impossibili. Et ex hoc sequitur quod hæc sit falsa, nullum sanum esse ægrum est necesse : quia omne sanum esse ægrum est contingens.

**Objectio.** Si autem aliquis objiciat dicens, nullum sanum esse ægrum est verum, et non potest non esse verum : ergo est necessarium. Dicendum est quod non sequitur : quia causa quare potest inesse ægrum, est in subjecto per formalem inchoationem.

**Solutio.** Si autem esset in subjecto causa quare non posset inesse ægrum, tunc verum esset quod esset necessarium, sicut cum dicitur, hominem esse asinum est falsum, et non potest non esse falsum : et similiter hominem non esse asinum est verum, et non potest non esse verum, sequitur quod est necessarium : et sic patet qualiter hæc est falsa, nullum sanum esse ægrum est necessarium.

Attendendum etiam quod cum dicitur, quod in tali variatione terminorum per concretum et abstractum est error in secunda figura sicut in prima, et quod in ea sequitur conclusio de contingentibus sicut in prima, sic, contingit nullum sanum esse ægrum : omnis homo est æger : ergo contingit nullum hominem esse sanum : quod videtur non valere, quia in ante habitis de mixtione contingentis et inesse

dictum est, quod talis mixtio non valet ubi affirmativa est de inesse, et negativa de contingentibus, sed e converso.

Tamen iste error qui hic determinatur communis est ad primam et secundam et tertiam figuram quocumque modo varietur in propositionibus, hoc est, sive affirmativa sit de inesse; sive negativa, dum talis sit ibi variatio concreti et abstracti : sed hoc verum, quod si fiat mixtio contingentis et inesse, oportet quod negativa sit de inesse.

Adhuc autem notandum quod in tertia figura in tali variatione terminorum contingit, quod præmissis existentibus veris non sequitur conclusio : et hoc ideo quia variatur habitudo terminorum in minori, et in conclusione : in minori enim sunt concreti, in conclusione autem abstracti : et abstractum de abstracto non prædicatur, sicut patuit in ante habitis. His autem sic notatis plana sunt ea quæ dicta sunt.

## CAPUT V.

*De errore qui accidit in reductione propositionum in terminos, ex hoc quod queruntur semper termini incomplexi sive simplices.*

In tali enim reductione propositionum in terminos, non oportet terminos semper querere simplices sive incomplexos, qui uno nomine significantur, ut per tales tantum fiat reductionis expositio. Et hujus quidem causa prima est : quia sæpe erunt tales termini in propositionibus, quibus unum nomen simplex non est positum, et in talibus oportet oratione circumloquente uti loco nominis simplicis : propter quod etiam nimis difficile est (hoc est, plus difficile quam in aliis) reducere hujusmodi syllogismos. Secunda causa ejusdem est : quia aliquoties etiam accidit falli in syllogismo, propter hujusmodi in simplicem terminum reductionem, et maxime in demonstrativis, quando imediatorum est syllogismus. Sit enim A

major extremitas duo recti per æqualitatem,  $\alpha$  autem medium sit triangulus, c vero minor extremitas sit isosceles sive æquicrurus : tali enim positione facta, patet quod ei quod est  $c$  inest  $\alpha$  per  $b$  medium : ei autem quod est  $b$  idem inest, non per aliud medium, sed immediate : quia inter passionem et ejus proprium subjectum non est aliud subjectum medium : per se enim et non per medium habet triangulus duos rectos : propter quod non erit aliquod medium inter  $\alpha$  et  $b$ , quando  $\alpha$  de  $b$  sit demonstratum, quod scilicet medium sit simplex nomen subjecti. Oportet tamen in tali demonstratione esse medium, quia omnis syllogismus habet medium per quod extrema concluduntur : et hoc quidem medium erit diffinitio vel oratio aliqua difiniens vel declarans vel nomen subjecti vel passionis, quod medium est causa cohaerentiae extremitatis majoris et minoris. Manifestum est ergo quod non est semper sumendum medium ut hoc aliquid simplex sive simplici nomine designatum.

oppositio  
Hoc im-  
plata du-  
bileiter.

Sciendum autem quod propositio dicitur immediata duplicitate. Uno quidem modo ab immediatione causæ : quia scilicet causam non habet per quam valeat demonstrari, et hoc modo principia sunt immediata. Alia modo dicitur immediata appellatione subjecti medii : et hoc modo habere duobus rectis æquales tres immediatum est triangulo et non æquicruro<sup>4</sup>.

Si quis autem objiciat dicens quod omnis propositio suæ veritatis habet aliquam causam, et sic habet medium per quod potest demonstrari, et sic videtur esse immediata. Dicendum quod hoc verum est : sed tale medium non est medium per quod possit demonstrari, quia medium per quod sit demonstratio est notius et prius eo quod demonstratur pér ipsum : et tale medium non est causa veritatis principiorum.

## CAPUT VI.

*De errore qui provenit ex hoc quod termini sumuntur secundum obliquitatem alicujus casus.*

In reductione propositionum in terminos etiam oportet tales terminos sumere sicut ea quæ semper prædicantur de se invicem secundum rectum secundum unam et eamdem similitudinem, ita quod in recto prædicetur primum de medio, et medium de postremo secundum eumdem casum prædicetur : et hoc similiter observandum est in non esse quod significatur in negativa. Sed toties variare oportet hoc, quoties secundum casus aliquid esse dicitur sive prædicatur, et quoties si ve quot modis verum est unum de alio dici vel significari. Cujus exemplum quod obliquus subjicitur et rectus prædicatur, sicut quando dicimus quoniam contrariorum una est disciplina : tunc enim cum obliquo subjecto syllogizatur. Sit enim  $\alpha$  major extremitas unam esse disciplinam,  $b$  autem medium sit contraria sibi invicem,  $\alpha$  ergo (facta tali positione) inest  $b$  non tali prædicatione facta in recto : sicut dici posset, quod contraria sunt una disciplina : sed ideo dicimus  $\alpha$  inesse  $b$ , quoniam verum unam esse disciplinam de ipsis genitive subjectis.

Accidit enim quandoque in propositionibus syllogismi primum de medio dici sive prædicari secundum rectum, medium autem de tertio, minori scilicet extremo non dici secundum rectum, sed secundum aliquem obliquum : sicut cum dicimus, sophia sive sapientia est disciplina : boni autem sophia : conclusio ex his est, quoniam boni est disciplina : et prædicatur hic primum de medio secundum rectum, medium autem de postremo secundum obliquum, et concluditur pri-

<sup>4</sup> Notandum tamen quod posset addi tertium membrum, scilicet quod propositio dici potest immediata *immediatione sensus*, de qua Themis-

stius, in 1 *Posterior*. super illa parte, immediati autem principii syllogistici, etc. P. J.

mum de postremo secundum obliquitatem postremi : et patet ulterius quod bonum non est disciplina secundum rectum : sophia autem est disciplina, ita quod utrumque refertur ad alterum secundum rectum.

Quandoque autem medium de tertio sive minori extremo dicitur secundum rectum : primum autem de medio non prædicatur secundum rectum, ut si sic proponatur, quod qualis alicujus sit omnis disciplina, aut quod omnis disciplina est alicujus contrarii : bonum autem dicitur secundum rectum et contrarium, et quale secundum rectum : omne enim bonum est alicujus contrarium, et omne bonum est quale : conclusio ex his, quoniam boni est disciplina : et sic prædicatur primum de medio in prima propositione oblique : et similiter in conclusione prædicatur primum de tertio sive postremo secundum obliquitatem, non est bonum disciplina nec quale, sed qualis : nec contrarium, sed contrarii, in prædicta acceptance terminorum : sed omnium talium dicitur esse disciplina secundum obliquitatem genitivi : et non dicitur hoc, quod bonum sit disciplina in conclusione : quia nec conclusio est secundum prædicationem recti, sed secundum obliquitatem genitivi.

Est autem aliquando neque primum de medio prædicatum secundum rectum, neque medium de tertio, ita quod primum de tertio in conclusione quandoque quidem secundum rectum dicitur, quandoque autem non dicitur de ipso secundum rectum : ut si taliter proponamus, quod cuius est disciplina, hujus est genus : boni autem est disciplina : conclusio, quoniam boni est genus : et facile est videre, quod primum de medio in prima propositione, neque medium de tertio in minori propositione secundum obliquitatem prædicatur, ita quod nullum trium de nullo trium in præmissis et in conclusione secundum rectum prædicatur. Si autem sic proponatur, quoniam id cuius est disciplina, hoc est genus secundum re-

ctum sive recti prædicationem : et assumatur, quod boni est disciplina : erit secundum recti prædicationem, quoniam bonum est genus quoddam. Patet ergo quod sic proponendo de extremo quidem secundum rectum prædicatum primum in conclusione, de se autem invicem in præmissis non prædicantur termini secundum rectum.

Eodem autem modo fit variatio terminorum secundum casus in non esse quod significatur in negativa : non enim semper negative significant hoc non inesse huic secundum obliquitatem dativi casus, vel non esse hoc secundum accusativum : sed significant aliquando hoc non esse huic secundum obliquitatem genitivi, aut hoc huic secundum obliquitatem dativi, sicut si sic proponamus, non est motionis motio, vel non est motus motus genitive, aut generationis generatio : voluptatis autem sive delectationis est motus sive motio sive generatio : et concludimus, non ergo voluptas est generatio vel motus, sicut dixit Plato, quod omnis voluptas est generatio. Aut rursus quando sic proponimus, quoniam omnis risus est signum secundum recti prædicationem : signum autem non est signum secundum genitivi obliquitatem : et concludimus, ergo risus non est signum secundum prædicationem recti. Similiter autem in aliis negativis, in quibus interimitur propositio sive negatur non secundum rectum : sed ideo quia genus sive aliud prædicatum aliquo modo secundum obliquitatem alicujus casus dicitur ad ipsum subjectum.

Rursum si sic proponimus in obliquitate dativi dicentes, quod Deo non est tempus opportunum : eo quod nihil Deo potest esse proficiens in tempore vel simpli citer : sed Deo est ætas : concludentes quod ætas non est tempus opportunum : sic enim proponendo terminos, ponendum est æstatem pro minori, tempus opportunum pro majori, et Deum pro medio : propositio autem utraque est sumenda secundum nominis casus.

Simpliciter enim hoc et universaliter

dicimus de omnibus : quoniam termini semper et ponendi sunt in propositionibus secundum debitum casus acceptos secundum declinationes nominum, ut in recto est homo, aut bonum, aut contrarium hominis, aut boni, aut contrariorum. Propositiones autem sumenda sunt secundum uniuscujusque nominis casus, et postea reducenda prædicationes secundum obliquum acceptæ ad eas quæ secundum rectum : aut enim in dativo sumitur, ut quoniam huic, vel æquale hoc huic : aut in genitivo, ut quoniam hoc hujus, ut disciplina contrariorum, et duplum dimidii duplum : aut in accusativo, ut quoniam hoc accusative, ut feriens sive percutiens vel videns hoc vel hunc : aut in recto, ut proponentes dicimus quoniam homo est animal : aut si quolibet modo aliter secundum alium casum idem nomen in diversos casus declinatum invenitur positum secundum prepositionem alicujus syllogismi in subjecto positum vel in prædicatione.

Inesse autem hoc prædicatum huic subiecto, et verum esse hoc prædicatum de hoc subiecto toties sive tot modis est sumendum, quoties in libro *Prædicamentorum* prædicamenta sive prædicata divisa sunt et distincta : et quodlibet illorum est accipendum aut quo, hoc est, secundum quid inhærens subiecto, aut simpliciter et universaliter. Amplius autem ista prædicata sunt accipienda aut simplicia (hoc est, incomplexa) aut complexa. Similiter autem est faciendum etiam in negativis quæ significant non esse. Hæc autem omnia diligenter considerandum est, et in unoquoque istorum in resolutione determinandum est id quod est melius, hoc est, utilius et conveniens ad syllogismorum reductionem, vel propositionum resolutionem in terminos.

Attendendum est hic, quod quamvis obliquus non sit pars enuntiationis, tamen est pars propositionis : quia licet nihil enuntietur de re ipsa, tamen facit ad hoc quod subjectum sic vel sic subjiciatur prædicato, vel prædicatum sic vel sic insit sub-

jecto, ex hoc quod est determinatio alterius eorum in enuntiatione quæ ad rem refertur, non est ita : et hoc subtilius requirendum est in libro de *Interpretatione* : et quamvis hoc modo obliquus sit subjectum in propositione, non tamen subjicitur actui vel distributioni : quia determinatio est subjecti vel prædicati, sicut dictum est : et quia subjicitur respectu alterius prædicati, et dicit modum inhærendi. Hic autem modus syllogizandi ex obliquis superius in generatione syllogismorum tradendus non erat : quia non facit diversitatem in forma ab eis qui in ante habitis traditi sunt in processu syllogistico, sed diversitatem facit in reductione.

Quod autem quidam objiciunt, quod talis syllogismus fallere debeat propter diversitatem medii quæ causat deceptiōnem : ut cum dicatur, omnium oppositorum est disciplina : sanum et ægrum sunt opposita.

Adhuc autem quia dispositio primæ figuræ non tenet nisi accipiatur minor sub medio : sed si sic dicam, philosophia est disciplina : boni est philosophia : minor non videtur esse sub medio.

Dicendum est taliter objicienti, quod talis diversitas secundum rectum et obliquum non est nisi secundum accidentales materias : et hæc non variat habitudinem essentialē medii ad extrema in prima figura : et ideo non impedit syllogismum.

Ad aliud dicendum, quod non semper in prima figura accipitur minor sub medio sicut in linea prædicamenti subsistens eidem, sed ut quoquo modo vere se habeat ad ipsum : et ideo bene satis accipitur bonum sub sophia, sed in obliquo : et hoc modo bonus est syllogismus.

Notandum etiam quod licet conclusio in aliquo similis debeat esse utriusque præmissarum, tamen in hoc non attenditur illa similitudo quantum ad obliquos : et ideo quamvis in utraque præmissarum termini sint in obliquo, possunt esse in recto in conclusione.

Attendendum etiam quod non est facta Removet dubium.

mentio de ablativo : et hoc ideo est, quia Græci carent ablativo, ex quibus ista scientia derivata est : sed loco ablativi ponunt genitivum, et aliquando dativum secundum diversas exigentias constructionum. Per vocativum autem non fit indicativa oratio.

Sciendum etiam quod ista varietas syllogizandi non diversificatur per tres figuras secundum omnem varietatem modorum et figurarum : secundum exempla tamen inducta patet quod in omnibus figuris talis fit syllogismus : quia exemplum illud quod non est motionis motio, facit syllogismum secundæ figuræ. Ultimum autem exemplum, quod Deo non est tempus opportunum, facit syllogismum tertiae figuræ : et alia exempla sunt secundum modum primæ figuræ.

## CAPUT VII.

### *De errore sive difficultate resolutionis propositionis in terminos propter reduplicacionem.*

Antequam determinetur difficultas reduplicacionis, sive quæ provenit ex reduplicacione medii super extrema, utile est scire quid sit reduplicatio, et qualiter Reduplicatio quid et qualiter fieri debet.

Cui extremo sit addenda reduplicatio et cui distributio.

Reduplicatio est iterata enuntiatio medii super extreamum, ut notetur causa inhærentiæ prædicati in subjecto : et ideo reduplicatio proprietas est a prædicato inchoans, et in subjectum procedens, et in ipso manifestans causam inhærentiæ prædicati. Propter quod in syllogismo mediū quidem est reduplicari : sed reduplicatio ad prædicatum quod est majus extreamum debet fieri, sic, homo est animal in quantum homo. Secus autem est de distributione quæ inchoat dividendo a partibus subjecti, et terminat sic divisas in receptionem prædicati : et ideo subjecto semper additur in syllogismis. Unde idem dicit reduplicatio quod hæc conditio, *secundum quod ipsum* : homo enim est animal secundum quod ipse est homo, et secundum

nomen refert subjectum super prædicatum, ut determinetur inhærentia prædicati secundum causam. Propter quod prædicatum non potest reduplicari, quia locutio erit falsa : si enim homo esset animal vel secundum quod animal, vel secundum quod ipsum animal, sequeretur quod homo esset omne animal. Hoc igitur est reduplicatio, et ista est utilitas reduplicacionis. His habitis, ostendamus qualiter fit reduplicatio mediī in primæ figuræ syllogismis.

Dicamus igitur cum Aristotele quod reduplicatum in propositionibus syllogismorum primæ figuræ medium ipsum sub reduplicacione ad primam sive ad maiorem extremitatem est ponendum, et non est reduplicatio mediī medio quod in prima propositione subjectum est adjungenda. Dico autem hoc explanando, ut si fiat in terminis syllogismus concludens, quoniam justitiæ est disciplina, quoniam bonum, hoc est, secundum quod bonum : tunc illa reduplicatio (quoniam bonum vel in eo quod bonum) ad primam extremitatem est ponenda. Sit enim a extremitas adjuncta sibi reduplicacione, et sit disciplina, quoniam bonum sive in quantum bonum. Id autem in quo est b medium dicatur bonum absolute non conjuncta sibi reduplicacione. Ergo tali facta terminorum positione a verum est prædicari de b, nam boni est disciplina quoniam bonum sive in quantum bonum : sed etiam b de c dicetur tali facta positione : nam justitia est quod bonum est perse, et non per accidens : et hic syllogismus sic formatur, omne bonum est disciplinatum quoniam bonum vel secundum quod bonum : justitia est b *bonum* : ergo justitia est disciplinatum quoniam bonum. Sic ergo fit resolutio propositionum in tres terminos, ut major terminus sit prædicatum primæ propositionis juncta sibi reduplicacione mediī, et medium sit absolutum, et etiam minor extremitas.

Si autem ad b, hoc est, ad medium ponatur sive jungatur hæc reduplicatio, quoniam bonum, non erit syllogismus :

nam à quidem major extremitas verum erit de b, quia verum est quod bonum quoniam bonum est disciplinatum, b autem de c minori extremitate in secunda propositione non erit verum: bonum enim quoniam vel secundum quod bonum prædicari quidem de jutitia falsum est: quia sic justitia esset omne bonum, quod falsum est. Et etiam est non intelligibile: quia sequeretur quod idem esset causa suiipsius, quod non est intelligibile: reduplicatio enim dicit causam, quæ si poneatur ad medium, notaretur quod medium esset causa suiipsius.

Similiter autem est si in syllogismo aliquo ostendatur sive concludatur, quod salubre est disciplinatum quoniam bonum, sive secundum quod bonum, talis syllogismus fiat reduplicatione mediæ juncta cum majori extremitate, sic omne bonum est disciplinatum, quoniam bonum, sive secundum quod bonum: omne salubre bonum: ergo omne salubre disciplinatum in quantum bonum. In istis autem terminis disciplinatum non denominatur a disciplina quæ est disciplinalis scientia, sed a disciplina quæ est moris ordinatio et compositio: et hoc in Græco expressius est quia disciplinalis scientia dicitur Græce ἐπιστήμη: disciplina autem moris Græce dicitur φειδώ. Similiter autem fit in syllogismo in quo concluditur, quod hircocervus est opinabilis in eo quod non existens, et formatur sic, non existens est ens opinabile in eo quod non existens: hircocervus est non existens: ergo hircocervus est ens opinabile in eo quod non existens: in quantum enim non existens non est ens secundum veritatem, sed secundum opinionem solam. Similiter autem est in syllogismo in quo concluditur, quod homo corruptibile aliquid est in eo quod sensibile aliquid est, et formatur sic, sensibile est corruptibile in eo quod sensibile: homo autem sensibile: ergo homo corruptibile in eo quod sensibile. In omnibus enim prædicatis vel dictis syllogisticarum propositionum ad extremum (hoc est, ad majus extremum

quod simpliciter extremum dicitur) reduplicatio mediæ semper ponenda et jungenda est. Quia si reduplicatio jungatur ad medium: tunc in prima figura faciet minorē falsam: quia reduplicatio significat quod terminus cui adjungitur, universaliter tenetur: et ideo cum medium in prima figura sit prædicatum minoris propositionis, oportet quod prædicatum minoris propositionis universaliter referretur ad subjectum, sicut si dicatur, quod justitia est bonum in quantum bonum, oportet quod justitia esset omne bonum, quod falsum est. Quando autem in majori propositione reduplicatio mediæ fit sic, omne bonum in quantum bonum est disciplinatum, non significatur quod medium universaliter accipendum est sub majori extremitate: et hoc est conveniens et non falsificat propositionem.

Adhuc autem notandum quod quamvis syllogismus fiat cum reduplicatione mediæ super majorem extremitatem, et cum reduplicatione minoris supra medium, sicut in sequenti ostendetur capitulo, tamen non potest fieri in aliqua figurarum syllogismus cum reduplicatione majoris extremitatis. Et hujus causa est: quia in omni figura concluditur major extremitas de minori, et oportet quod in conclusione reduplicaretur prædicatum supra subjectum, quod est contra naturam et positionem reduplicationis, sicut jam paulo ante determinatum est. Adhuc autem si fieret reduplicatio majoris extremitatis supra medium, tunc in prima et in tertia figura fieret reduplicatio prædicati supra subjectum, quod jam dictum est esse non posse. In secunda etiam figura non potest major extremitas (licet subjiciatur) reduplicari supra medium in utraque propositione, eo quod subjecta majoris et minoris oppositionem habent in secunda figura.

Attendendum etiam quod quamvis non sint positi in exemplis inductis nisi syllogismi affirmativi, fit tamen etiam reduplicatio tam mediæ quam minoris extremitatis etiam in negativis. Et de reduplicatione mediæ est hoc exemplum: nullum

eligendum est malum in quantum eligendum : omne bonum est eligendum : ergo nullum bonum est malum in quantum eligendum. Exemplum autem reduplicationis terminorum extremitatis est illud : nullum corpus in quantum ægrum est sanum : omne ægrum est corpus : ergo nullum ægrum est sanum in quantum ægrum. De negativis enim et aliis modis reduplicationis fieri non oportet specialem mentionem : quia in affirmativis qui dicti sunt, omnes alii modi possunt intelligi : non enim difficile est formare hujusmodi syllogismos.

### CAPUT VIII.

#### *De reductione propositionum in terminos ubi est reduplicatio minoris extremitatis.*

In reduplicatione autem minoris extremitatis supra medium, primo notare oportet quod non est eadem positio sive dispositio terminorum in propositionibus, quando simpliciter sine reduplicatione aliquid syllogizatum fuerit cum reduplicatione restringente ad hoc aliquid, hoc est, ad partem subjectivam, aut quomodo quantum ad restrictionem factam ad modum essentiale aliquem, aut quomodo quantum ad restrictionem factam ad partem in modo sive accidentalem. Dico autem exponendo quæ dicta sunt, quod alia est hinc et inde dispositio terminorum : aliter enim disponuntur quando de aliquo concluditur, quod bonum simpliciter sit disciplinatum sine reduplicatione : et aliter quando concluditur de aliquo, quod est disciplinatum bonum quoniam bonum, sive in quantum est bonum. Si enim simpliciter sine determinatione reduplicatio-  
nis ostensum est bonum esse disciplinatum, medium ponendum est ens sine reduplicatio-  
nis additione. Si autem ostendi debeat, quod bonum est disciplinatum, quoniam bonum, vel in quantum bonum, tunc medium ponendum quid ens, hoc

est, aliquod ens cui per se conveniat disciplinatum esse.

Hujus autem exemplum est, quod ponamus esse majorem extremitatem disciplinam sive disciplinatum cum reduplicatione entis alicujus cui convenit esse disciplinatum. In quo autem est  $\alpha$  medium, sit ens quid, cui convenit esse disciplinatum, et non ens simpliciter. Id autem in quo ponitur  $c$  minor extremitas, sit bonum absolute : et hoc est si ponamus majorem extremitatem quæ est a disciplinam sive disciplinatum cum reduplicatio-  
ne minoris extremitatis : et hoc est quod sit disciplinatum non ex hoc quod sit ens, sed quoniam vel in quantum est aliquid, cuius per se et secundum ipsum est disciplina, et sit illud honestum sive etiam proficiens. In quo autem est  $\beta$  medium, sit ens non absolute, sed ens quid contractum ad aliquid cuius per se est disciplina. In quo autem est  $c$  minor extremitas, sit bonum absolute et sine reduplicatione acceptum. Tunc enim verum est  $\alpha$  de  $\beta$  prædicari, erat enim disciplina alicujus entis in quantum est aliquod ens, studiosum scilicet. Sed et  $\beta$  medium prædicatur de  $c$  minori extremitate, quia possumus quod id in quo est  $c$  erat bonum : et ex his concluditur  $\alpha$  de  $c$  in conclusione, hoc est, quod disciplina est boni, quoniam bonum : et haec est reduplicatio minoris extremitatis super majorem, sic, omne studiosum disciplinatum in quantum bonum : bonum, omne studiosum : ergo bonum disciplinatum in quantum bonum. Quando enim dicimus quid ens et non ens simpliciter, signum datur propriæ et determinatæ substantiæ per reduplicacionem contractæ, sicut est bonum in quantum studiosum : bonum enim utile vel delectabile non pertinet ad disciplinam moris, quæ φιλία vocatur, sicut paulo ante dictum est. Sic ergo resolutio fit in propositione quæ est cum minoris extremitatis reduplicacione.

Si autem ens (quod est medium in syllogismo) positum sit ad majorem extremitatem quæ dicitur extreum ens in

syllogismo, et sit positum simpliciter et sine reduplicatione, non erit syllogismus concludens cum reduplicatione minoris extremitatis super majorem, ut si quidem ens sit medium et non sit reduplicando contractum ad aliquod ens cui per se insit majus extremum: tunc enim non erit syllogismus cum reduplicatione: non enim tunc concludetur quod disciplina sit boni quoniam bonum, sed simpliciter concluditur quod disciplina est boni, sic, omne ens disciplinatum: bonum autem ens: ergo bonum disciplinatum.

**Objectio.** Si quis autem objiciat quod superius determinatum est quoniam non oportet subjectum quærere ex hoc quod sequitur omnia: hic autem ante ponimus subjectum ex hoc quod omnia sequitur, hoc est, ens: et ita videtur in dictis esse contradictione. Non est difficile solvere. Ens enim

*Solutio.*  
Ens simpliciter, non pro ente communi, sed pro ente sumpto sine reduplicacione.  
in sua communitate non quærimus pro subjecto, sed aliquod ens ut proficiens vel studiosum: et tale ens dicitur simpliciter ens non a communitate entis, sed quia sumitur sine reduplicatione. Ex his autem quæ jam in universalibus syllogismis diximus, etiam manifestum est quod etiam in particularibus syllogismis quantum ad terminos cum reduplicatione et sine reduplicatione sumptos, similiter (sicut in universalibus syllogismis) sumendi sunt termini, scilicet quod quando est reduplicatio medii, in tali reduplicatione debet sumi major cum reduplicatio medii conjuncta sibi: quando autem est reduplicatio minoris extremitatis, tunc debet unus terminorum poni major extremitas, et alter medium cum reduplicatione minoris extremitatis.

Est autem hic attendendum quod in prima figura syllogizari potest cum utraque reduplicatione, et medii scilicet supra majorem extremitatem, et minoris extremitatis supra medium, sicut paulo ante ostensum est. In secunda autem figura potest syllogizari cum reduplicatione minoris extremitatis, et non cum reduplicatione medii. In tertia autem e converso syllogizatur cum reduplicatione medii, et

non cum reduplicatione minoris extremitatis. Et hoc sic patet. Si enim in secunda figura fieret reduplicatio medi: aut illa fieret ad medium, aut ad aliquid aliud de extremitatis. Et patet quod non ad medium: quia medium est prædicatum, et reduplicatio ad ipsum posita faceret universaliter teneri prædicatum, et esset propositio falsa: fieret enim sic illa reduplicatio, nullum malum est eligendum in quantum eligendum. Aut poneretur ad majorem extremitatem quæ subjicitur in majori termino medio: et hoc etiam inconveniens est: sic enim fieret, nullum malum in quantum eligendum est eligendum: hic enim significatur oppositio esse causa oppositi. Potest tamen minoris extremitatis fieri reduplicatio in secunda figura: et concludit cum reduplicatione minoris, sic, nullum malum est eligendum: omne bonum eligendum in quantum bonum: ergo nullum bonum malum in quantum bonum. In tertia autem figura potest concludi cum reduplicatione medii, sic, omne eligendum bonum in quantum eligendum: et omne eligendum expediens vel studiosum: ergo aliquod expediens est bonum in quantum eligendum. Cum reduplicatione autem majoris concludi non potest in tertia figura. Aut enim reduplicatio poneretur ad majorem extremitatem, quæ prædicatur in majori propositione: aut ad subjectum quod est medium: et utroque modo erit propositio falsa, sicut facile est videre in terminis nuper inductis: est enim hæc falsa, omne eligendum expediens in quantum expediens: et similiter hæc, omne bonum expediens in quantum expediens. Multa sunt enim et eligenda et bona que non sunt expedientia.

Si autem contra hæc quæ dicta sunt (quod in secunda figura non potest fieri syllogismus cum reduplicatione medii) aliquis objiciat, quod syllogismus secundæ figuræ descendit a secundo modo primæ figuræ conversa majori propositione: et ideo si in secundo modo primæ figuræ syllogizatur cum reduplicatione, conver-

**Solutio.** tatur major propositio et syllogizetur cum eadem reduplicatione in secunda figura. Si, inquam, sic aliquis objiciat, Dicendum quod non potest major converti manente reduplicatione medii : sed convertitur acceptis terminis principalibus sine reduplicatione : bene enim dicitur, nullum malum eligendum, et e converso nullum eligendum malum. Similiter bene dicitur, nullum malum eligendum in quantum malum. Sed non e converso bene dicitur, nullum eligendum est malum in quantum malum.

**Objectio.** Si autem adhuc contra hoc objicitur, quod secundum hoc non est generale quod dictum est negativam universalem converti in terminis. Adhuc in conversionibus observandum est, quod termini stent sub eisdem determinationibus in convertere, et conversa : et ita si fuerit reduplicatio posita ad prædicatum, conversa propositione erit eadem reduplicatio ad subjectum quod prius fuerat prædicatum : et hoc stare non potest. Unde sciendum quod quædam sunt dispositiones quæ disponunt subjectum et prædicatum secundum id quod sunt secundum rem, et non secundum quod sunt subjectum et prædicatum, sicut album, et nigrum, et hujusmodi : et tales dispositiones manent in conversione. Quædam autem sunt quæ disponunt subjectum secundum quod est subjectum, et prædicatum secundum quod est prædicatum : et tales non manent cum subjecto et prædicato, nisi quamdiu manent subjectum et prædicatum : et illæ non manent in conversione : et talis dispositio subjecti ad signum distributivum ; et ideo in conversa in qua subjectum non manet subjectum, dispositio non manet : unde omnis homo est animal, non convertitur in hanc, quoddam animal est omnis homo, sed in hanc, quoddam animal est homo. Similiter hæc, nullus asinus est homo, non convertitur in hanc, homo est nullus asinus, sed in hanc, nullus homo est asinus. Similiter est de reduplicatione quæ est, sicut dictum est, dispositio inchoans a prædicato, et complens se in

**Solutio.**  
Determina-  
tiones extre-  
morum in  
propositio-  
ne sunt du-  
plices.

subjecto : quia est prædictati per comparationem ad subjectum : et in conversa, ubi prædicatum desinit esse prædicatum, deficit ipsa reduplicatio : et ideo sic habet converti, nullum malum est eligendum in quantum malum : ergo nullum eligendum est malum in quantum eligendum, ita quod semper fiat reduplicatio subjecti ad prædicatum : aliter enim erit propositio falsa, et aliquando nugatoria.

Ex his etiam patet, quare in prima figura non ponitur reduplicatio medii ad minorem extremitatem : minor enim extremitas in prima figura de medio non prædicatur : reduplicatio autem medii ad prædicatum neganda est in prima figura.

Corolla-  
rium.

## CAPUT IX.

*Qualiter facilis sit resolutio propositio-  
num in terminos.*

Ut autem facilius fiat resolutio propositionum præmissarum in terminos, oportet aliquando accipere ea quæ idem valent, sed notiora sunt, et nomina pro nominibus, et orationes pro orationibus : ita tamen quod semper notius accipiatur pro minus noto et in nominibus et orationibus : et sic oportet accipere et nomen aliquando, et aliquando orationem : ita tamen quod semper pro oratione accipiatur nomen simplex ; dummodo (sicut supradictum est) nomina simplicia inveniantur quæ sumi possint : si enim illa non inveniantur, tunc accipiendæ sunt orationes notiores pro terminis : sic enim facilior est terminorum expositio in quos resolvuntur propositiones.

Hujus autem exemplum est, ut si dicantur hæc duæ orationes, suspicabile non est genus opinabilis, et quod non est idem opinabile quod quid suspicabile, hoc est, quod species suspicibilis : quia quid suspicibile est suspicabile contractum ad speciem, sicut quid animal est animal contractum ad speciem : et ideo idem significatur in utraque oratione : et ideo una pro alia accipi potest, ita quod

notior accipiatur pro minus nota: idem enim diversimode in voce significatum nihil prohibet esse minus notum sub una voce, et magis notum sub alia. Hoc tamen sic observandum est, quod pro oratione dicta termini ponendi sunt suspicabile et opinabile: si enim suspicibile non prædicatur de opinabili universaliter et sine conversione, non erit genus ipsius.

In hac tamen resolutione cavendum est, ut terminus medius cum reduplicatione minoris sumptus, aut terminus major cum reduplicatione medii sumptus ad terminum simplicem relicta reduplicatio- ne reducatur: quia reduplicatio debet manere cum termino cui conjungitur, sicut in ante habitis dictum est: eo quod dicit causam inhærentiæ prædicati in sub- jecto. Et hujus exemplum est, quod non est idem voluptatem esse bonum simpli- citer sine contractione facta per reduplicatio- nem; et esse voluptatem quid bonum per contractionem reduplicationis: et ideo non similiter sive eodem modo ponendum est terminos. Sed si fit syllogismus con- cludens, quod voluptas est bonum sine reduplicatione, tunc ponendum est quod terminus sit bonum simpliciter. Si autem debeat fieri syllogismus concludens, quo- niam voluptas est quid bonum contra- ctum per reduplicationem, tunc oportet terminum ponere non simpliciter, sed quid bonum per reduplicationem determina- tum, sicut patet in exemplis in ante habito capitulo inductis.

#### CAPUT X.

*De difficultate resolutionis quæ provenit ex universali signo addito vel non ad- dito ad subjectum primæ propositionis.*

Adhuc autem difficultas est in resolu- tione propositionis ex his quæ necesse est in syllogismo conjungi subjecto, sicut est distributio, sive signum distributivum: quia nisi major sit universalis in prima figura, non erit syllogismus: et hoc ali-

quando generat propositionum in termi- nos resolutionis difficultatem. Non est enim idem esse secundum rem, neque idem est dicere in sermone, cui  $\text{B}$  medium inest (sicut minori extremitati) huic ei- dem  $\text{B}$  medio inest  $\text{A}$  omni: et dicere, cui minori extremitati  $\text{B}$  inest omni, et  $\text{A}$  ma- jor extremitas inest omni universaliter: quia cum dicitur, cui  $\text{B}$  inest, non facit universalem propositionem, sed particu- larem, vel indefinitam: et ideo tunc forte non sequitur universalis affirmativa. Quando autem dicitur, cui omni inest  $\text{B}$  eidem omni inest  $\text{A}$ , facit universalem af- firmativam minorem, et universalem con- clusionem affirmativam. Et hoc patet quod non est idem istis duobus modis enuntiare. Nihil enim prohibit  $\text{B}$  medium inesse  $\text{C}$  minori extremitati, et non omni universaliter inesse, sed indefinite, vel particulariter, ut si in terminis exponen- tes dicamus, quod in minori proposizio- ne  $\text{B}$  (quod est medium et prædicatum) sit pulchrum,  $\text{C}$  autem minor extremitas sit album: pulchrum enim non universa- liter prædicatur de albo: aliquod enim album est pulchrum, et aliquod album non pulchrum. Si autem alicui albo inest pulchrum particulariter: tunc se- quetur indefinite et simpliciter, quoniam pulchrum inest albo et album est pul- chrum, sed non fortasse inest omni albo pulchrum. Propter hoc dico autem *for- tasse*, quia in terminis essentialibus se- quitur quod si inest, omni est, ut si ho- mo est animal, sequitur quod omnis homo est animal: quia una ratio est de omni- bus. Sed in accidentalibus non sequitur hoc: in his enim potest inesse, ita quod non omnibus inest.

Sicut autem jam diximus de medio, quod sic dupliciter se habet ad minorem extremitatem: ita dupliciter se habet ex- tremum majus ad medium, scilicet pro ines- se, et pro omni inesse. Si ergo  $\text{A}$  major ex- tremitas inest  $\text{B}$  medio simpliciter et non universaliter, ita quod non inest  $\text{A}$  omni ei de quo dicitur vel prædicatur  $\text{B}$ , sic ma- jor non potest esse universalis aliquo mo-

do, hoc est, sive minor sit universalis, si-  
ve sit particularis: universalis quidem si  
omni c minori inest b medium: particu-  
laris autem quando alicui c minori extre-  
mitati inest b medium: et sive univer-  
salis sive particularis sit minor, et ma-  
jor est particularis vel indefinita, nulla in  
prima figura penitus sequitur conclusio  
ex talibus enim propositionis non est ne-  
cessere (necessitate syllogistica) a majorem  
extremitatem, vel inesse c indefinite, vel  
non inesse, vel inesse vel non inesse non  
omni sive particulariter in conclusione,  
quando major extremitas concluditur de  
minori: quia in prima figura majori non  
existente universalis nihil concludi potest.  
Si autem universaliter de quocumque di-  
citur b (ut de minori extremitate), vere  
huic omni universaliter inest a major ex-  
tremitas: tunc accedit sive sequitur syl-  
logistice, quod a major extremitas in  
conclusione de omni illo dicitur et præ-  
dicatur, de quo in minori propositione  
dicitur b medium: et tunc fit syllogismus  
in prima figura. Si autem a non de om-  
ni, sed de aliquo dicatur particulariter in  
**majori propositione**, de quo b dicitur in  
minoris propositione: **tunc nihil prohibet**  
ei quod est c (minoris scilicet extremitatis)  
inesse b medium in minori propositione;  
et a major extremitas eidem minori ex-  
tremitati in conclusione sequitur inesse  
non omni (particulariter scilicet non ines-  
se) aut etiam non inesse omnino, hoc est,  
universaliter non inesse. Propositio igi-  
tur particularis affirmativa major non est  
syllogizabilis, et ideo ipsam in terminos  
resolvere non oportet: universalis autem  
syllogizabilis est.

Et tunc patet quod in tribus terminis  
stat resolutio duarum propositionum syl-  
logizabilium: quoniam tunc sic se habent  
termini, quod major est universalis: quia  
de quo b medium omni sive universaliter  
dicitur ut minori extremitate, et a simili-  
liter major extremitas de eodem omni (hoc  
est, universaliter) dicetur: hoc autem est  
idem dicere ac si dicatur, quod de quo-  
cumque b dicitur sive prædicatur pro om-

nibus (hoc est, universaliter), de illis om-  
nibus universaliter dicitur et a, et si b  
quidem de omni universaliter aliquo præ-  
dicatur ut de c, et a similiter dicetur de  
illis universaliter. Si autem non de omni  
minoris dicitur b medium, tunc non est  
necessere quod in conclusione a de omni  
minoris extremitate dicatur. Hoc igitur in  
resolutione diligenter est considerandum.

Removet  
dubium.

Est autem hic attendendum quod quam-  
vis determinatum sit quod ex particulari  
majori in prima figura non fit syllogismus,  
tamen non est hic superfluum dicere de  
hac (de qua dictum est) particulari: eo  
quod hæc, de qua dictum est, particularis  
quamdam similitudinem habet cum uni-  
versali: et posset aliquis putare quod  
propter illam similitudinem fieret ex ea  
syllogismus: cum enim dicitur, cui inest  
b illi omni inest a, significatur medium  
sumi sub extremitate, et minus sub medio,  
et a inest universaliter contentis sub b,  
quamvis non significetur quod universaliter  
insit omni b, et ideo vere est parti-  
cularis et non syllogizabilis pro majori  
propositione in prima figura: et ideo hoc  
impedimentum hic oportuit determinari.

Notandum etiam quod hujusmodi mo-  
di significandi possunt etiam fieri in ne-  
gativa sic, **cui nullum** inest b, illi nulli  
inest a: vel cui alicui **non** inest b, illi  
nulli inest a: vel cui omni **inest** b, illi  
nulli inest a; vel cui alicui inest b, illi  
nulli inest a. Et adhuc, cui omni inest b,  
illi alicui non inest a; vel cui alicui inest  
b, illi alicui inest vel non inest a: et ali-  
ter multis modis potest variari, de qui-  
bus per singula dicere non oportet: quia  
ex hoc quod dictum est de universalis af-  
firmativa qualiter circa eam sit impedi-  
mentum, et quod hoc est removendum:  
ita intelligitur in omnibus aliis non syllo-  
gizabilibus propositionibus, sicut quando  
minor negativa in prima figura, vel  
quando ambæ negativæ vel ambæ parti-  
culares, et hujusmodi quando sumuntur  
in similitudine propositionum syllogiza-  
bilium, cum tamen non sunt syllogizabi-  
les.

## CAPUT XI.

*Qualiter fiat vel sit facta propositionis per terminos expositio.*

Cum autem in propositionum resolutione in terminos aliquando accipiatur termini in abstractione, qui in concretione positi erant in propositione: aliquando autem in recto, qui in propositione positi sunt in obliquo: non oportet quod propter taliter exponere terminos aliquod accidat inconveniens: quando enim in obliquis syllogizatur vel in concretis, non intendimus de illis terminis quos ponimus syllogizari, sed de illis qui per hos intelliguntur, scilicet rectos et abstractos<sup>1</sup>. Unde non laboramus syllogizando, ut terminus positus hoc aliquid sit quod syllogizatur: sed potius facimus sicut fit in geometricis: descriptam enim lineam quamcumque dicit geometrè esse pedalem vel rectam, et magnitudinem sive longitudinem sine latitudine: quæ tamen talis non est, quia forte nec pedalis, nec recta, nec sine latitudine est: sed tamen in demonstrando sic utitur linea descripta: quia nec demonstrat de ista protracta vel descripta, sed de ea quæ per istam intelligitur quando ex talibus syllogizat.

Omnino enim et universaliter quod in propositionibus primæ figuræ et aliis non est se habens ut totum universale, et universaliter sumptum ad partem sumptam sub ipso, ita quod aliud quod sub ipso sumptum est se habeat ad id sub quo sumitur ut pars ad totum, ex nullo talium ostendit vel syllogizat demonstrator vel syllogizans: eo quod ex taliter se non habentibus ad invicem non fitsyllogismus. Cum autem ex talibus terminis propositionum facimus expositionem in resolvendo eam in terminos, expositione utimur sic sive tali modo, ut sentiat sive intelligat ipse qui discit vel respondet: ita

scilicet quod impedimentum quod intendit et discat et hoc removeat: non enim sic assumimus terminos illos in propositione tanquam sine his non possit per terminos aliter sumptos demonstrari, sicut demonstratur ex quibus fit vere syllogismus, sed quia facilius intelligitur in his quam in aliis.

## CAPUT XII.

*Qualiter aliquando est impedimentum ex hoc quod ea quæ in uno syllogismo posita sunt, in diversis figuris concluduntur.*

In syllogismo autem qui non est simpliciter unus, sed unus dicitur, quia ad unam conclusionem principalem sunt ordinati (sicut prosyllogismus et syllogismus dicuntur unus syllogismus, quia ad unam conclusionem ultimam sunt ordinati) et hoc aliquando facit impedimentum in resolutione propositionum duarum in tres terminos. Et ideo non lateat nos, quoniam in eodem syllogismo non simpliciter uno, sed uno et eodem in hoc quod plures sunt ad unam conclusionem manifestandam ordinati, non omnes conclusiones, quæ scilicet sunt in syllogismo sic uno ex prosyllogismis et principali syllogismo composito: quia ille multas habet conclusiones, quamvis syllogismus simpliciter unus non habeat nisi unam conclusionem: et talis syllogismi qui non simpliciter est unus, conclusiones plures non possunt omnes per unam et eamdem figuram terminari. Sed contra una quidem conclusio terminatur per hanc aliquam figuram: illa vero alia conclusio terminatur per aliam, sicut patet in secundo tertiae figuræ, in quo major in prosyllogismo concluditur per primam vel secundam figuram, minor autem per primam tantum, et conclusio principalis per tertiam. Palam autem est ex arte superius inducta, quoniam et resolutiones

<sup>1</sup> Cf. I Posterior. tex. com. 23.

propositionum in terminos secundum uniuscujusque conclusionis proprietatem et figuram sunt faciendæ.

Quoniam autem non omnis propositio conclusa scilicet in omni vel in qualibet figura, sed potius in una figura, quæcumque propositiones conclusæ sunt dispositæ, hoc cuilibet manifestum esse potest ex conclusione in qua figura propositio quælibet sit quærenda: quia universalis negativa concluditur in prima et secunda, et universalis affirmativa in prima tantum, et particularis affirmativa in prima et tertia: particularis autem negativa in omnibus. Potest etiam cognosci per extrema ad medium comparando: si enim inter extrema est medium, est prima figura: si autem ante extrema est, secunda est figura: si vero post extrema, tunc est tertia figura: et secundum hoc factæ sunt propositionum in terminos resolutiones.

### CAPUT XIII.

#### *De impedimento quod fit ex diffinitione.*

Adhuc autem est unum in resolutione impedimentum, non in resolutione syllogismi simpliciter, sed in resolutione syllogismi ostensivi redarguentis ad diffinitionis alicujus destructionem. Unde ad diffinitiones quæ sunt de numero non incomplexorum, sed orationum complexarum, quæcumque per syllogismum sunt redargutæ et reprehensæ ad unum aliquem terminum in diffinitione inconvenienter positum, non oportet nisi ponere terminum illum ad quem diffinitio redarguta est omnium illorum terminorum qui sunt positi in termino qui est diffinitio, et non oportet ponere totam diffinitionem sive orationem diffinitivam. In resolutione talium minus contingit conturbari propter longitudinem, scilicet ablatam, quæ esset si tota oratio diffinitiva pro termino poneretur.

Hujus autem exemplum est, ut si dicatur, quod aqua est humidus potus: et velit aliquis hanc diffinitionem reprehendere,

dere, et ostendere quod humidus potus non est differentia aquæ: non oportet in syllogismo ponere totum, sed diffinitum cum illa differentia quam reprehendit, sicut aqua et potus sic, nihil quod alicui accidit est ponendum in diffinitione ipsius: aquæ autem accidit potum esse: ergo per diffinitionem essentialē aqua non est potus.

### CAPUT XIV.

#### *Quod syllogismi ex hypothesi sic in terminos reduci non possunt.*

Amplius autem quia syllogismi ex hypothesi ex habitudine locali suam habent consequentiam, et non ex ordine terminorum et positione propositionum in syllogismo, ideo syllogismos ex hypothesi non est tentandum hoc modo in tres terminos reducere. In syllogismis enim ex hypothesi non est sive contingit reducere ex his quæ posita sunt in syllogismo: quia non sunt posita ex ordine trium terminorum, sed potius ex habitudine locali. Tales enim syllogismi ex hypothesi non sunt ostensi per habitudinem terminorum per syllogismum ostensivum, qui solus veram habet formam syllogismi. Sed potius in his qui fiunt per habitudines, sunt concessiones quædam ad placitum respondentis, sicut quando concessum est quod si in uno se sic habet, in omnibus similiter esse. Sicut si aliquis ponat, quod si una quædam potestas non sit aliorum contrariorum, quod sequatur ad hoc neque unam aliquam non esse disciplinam contrariorum: et hoc concessum disputet aliqua inducendo contraria, ut sanum et ægrum, sive sanitativum et ægrotativum non esse unius potestatis: quia si essent unius potestatis, essent unius actionis: et si essent unius actionis essentialis, sequeretur quod essent idem: et sic idem simul esset sanitativum et ægrotativum: et ex hoc dicat esse ostensum, quoniam non omnium contrariorum est una potestas: quia in-

stantia est in sano et ægro. Sed non adhuc est ex hoc ostensum, quod non sit una disciplina contrariorum, quamvis ex ipsa rei habitudine confiteri sit necesse, quod quorum non est potestas, quod illorum non sit etiam una disciplina: sed hoc confiteri non cogitur ex syllogismo, sed potius ex conditione, hoc est, confessione dicta, hac scilicet, quod si probetur non esse unam potestatem contrariorum, quod probatum sit non esse unam disciplinam. Talem igitur rationem non est reducere illa reductione, quæ resolutio est propositionum in tres terminos. Sed bene probatur syllogistice, quod si sanativi et ægrotativi non est una potestas, quod non omnium contrariorum est una potestas: sic enim fortasse fuit et fit syllogismus ostensivus hoc concludens. Illud autem quod ex hoc infertur, quod non omnium contrariorum sit una disciplina, est conditio ex confessione et habitudine locali et non ex consequentia syllogistica.

Similiter autem est etiam in his syllogismis qui per impossibile datum a respondentे in opposito conclusionis vere per syllogismum ostensivum syllogizatæ, per quod oppositum sumptum cum majori vel minori deducitur ad oppositum alterius præmissarum, quod est etiam impossibile. Hos enim utiles syllogismos (cum non inferant ex dispositione terminorum in figura, et ex modo combinacionis propositionum, sed arguant ex positione dantis oppositum) non est vel contingit resolvere tali resolutione, qua propositiones in terminos resolvuntur, et alterum præmissorum, quod datum est in opposito conclusionis, et pro altera propositione ponitur in syllogismo deducente ad impossibile, non est secundum rem et dispositionem figuræ et modi secundum realem ordinem medii ad extrema: sed in tali syllogismo semper concluditur ex conditione data in opposito conclusionis, quod cum præmissis eundem terminorum non habuit ordinem, ut medium vel esset inter extrema, vel ante ea, vel posterius eis.

Isti tamen syllogismi qui ducunt ad impossibile, differunt a prius dictis syllogismis ex hypothesi, qui fundantur super simile (sicut prius dictum est) in hoc, quoniam in illis qui sunt per similitudinem oportet respondentem prius confiteri positionem, quod sicut est in uno, ita sit in aliis: eo quod secundum rem hoc non habet necessitatem: et ideo ad positionem respondentis tunc syllogizatur: oportet igitur in illis respondentem prius confiteri si debeat concedere vel non debeat ipsius respondentes. Cujus exemplum est, quod si debeat concludi unam esse disciplinam contrariorum per hoc quod una est potestas eorum, tunc enim prius confiteri oportet quod una sit potestas, et concedere oportet esse unam disciplinam omnium contrariorum per hoc, quod quorumdam est una potestas et una disciplina per hoc quod similiter se habet in omnibus, sicut in uno. Hoc autem in syllogismo ducente ad impossibile de necessitate concedent, etiamsi non confiteantur: quia coguntur per hoc principium, quod contradictoria non sunt simul vera, et quod de omnibus alterum eorum est verum. Concedent igitur necessario: eo quod ex ipsa oppositione contradictionis falsum statim ex ipsa re manifestum sit: ideo enim non stat cum altera præmissarum, quia contradictoria simul vera esse non possunt. Cujus exemplum, quod si detur hoc inconveniens quod diameter est simeter, quod oppositum est huic veræ, diameter non est simeter, deducens ad hoc manifeste falsum, quod imparia in numeris sunt æqualia paribus, sive fiunt paria, quod est impossibile secundum rem et non tantum secundum concessionem.

Sunt plures modi syllogismorum ex hypothesi, sicut in parte in ante habitis dictum est, et sunt modi illi diversi in quibus concluditur ex conditione, et non ex dispositione terminorum in figura et modo: et omnes istos modos oportet diligenter perspicere, et pernotare diligenter differentias in quibus differunt a se

invicem et ab ostensivo syllogismo, et videre qui in terminos possint reduci, et qui non. Quæ autem sint horum syllogismorum differentiæ, et quoties sive quot modis utiliter fiunt syllogismi qui sunt ex hypothesi, postea in secundo istius scientiæ libro, et in proprio de *syllogismis hypotheticis* libro dicemus. Nunc autem quantum ad præsentem intentionem pertinet, tantum sit nobis manifestum, quoniam hujusmodi syllogismos hypotheticos non est resolvere in terminos secundum figuræ dispositionem : et jam diximus ob quam causam hujusmodi resolutio fieri non potest.

**Dubitatio.**

Si autem aliquis quærat, propter quid hoc sit, quod in syllogismo hypothetico (qui fit per similitudinem ad constructionem universalis per particularem) oporteat uti præconfessione, in syllogismo autem ad impossibile quoad destructionem particularis non oportet uti præconfessione aliqua ? Sed hujus plana est ratio, hæc scilicet, quod destructo particulari necessario destruitur universale , sive quis confiteatur, sive non : sed positio particularis non de necessitate ponit universale : et ideo in illo oportet uti præconfessione , vel non sequitur conclusio.

**Objectio.**

Si quis autem iterum obviet et dicat, quod omne genus argumentationis reduci habet ad syllogismum : est autem ex hypothesi syllogismus quoddam genus argumentationis : ergo reducitur in syllogismum. Adhuc autem arguatur : quorumcumque oppositorum non est una potestas, non est eadem disciplina : contrariorum non est una potestas : ergo nec una disciplina : hic est syllogismus ex hypothesi in formam ostensivi syllogismi

reductus. Et si dicat aliquis, quod non est syllogismus in prima figura, quia minorem habet negativam, formetur idem in similitudine affirmationis, sic, quorumcumque est idem sensus, horum est una disciplina : oppositorum autem est idem sensus : ergo una disciplina.

Ad hæc autem et omnia similia dicendum, quod omnis verus syllogismus infert ex his quæ posita sunt in syllogismo in terminorum dispositione et modo combinationis propositionum, et non ex aliqua conditione vel locali habitudine antecedentis ad consequens, vel e converso : et ideo syllogismus ex hypothesi secundum hunc modum syllogismi non est vere syllogismus : quia talem non habet terminorum dispositionem et propositionum complexionem : et ideo etiam hac reductione reduci non potest. Et quod objicitur quod omne genus argumentationis reducitur in syllogismum, Dicendum quod verum est : sed quodlibet genus argumentationis reducitur in suum syllogismum sibi appropriatum : et ideo argumentatio quæ vim habet ex hypothesi, reducitur in syllogismum hypotheticum ; et alia quæ habet virtutem ex dispositione terminorum, reducitur in syllogismum categoricum sive ostensivum. Et per hoc patet quod ex argumentatione quam inducit, non formatur nisi syllogismus hypotheticus immediate, sic, quorumcumque est idem sensus, horum est eadem disciplina : sed contrariorum est idem sensus : ergo eadem disciplina : ibi enim arguitur a positione antecedentis : et ideo tales conclusiones dicuntur non esse syllogizatae syllogismo, qui vere syllogismi formam habet.

**Solutio.**

Ad que  
syllogis  
mum nabit  
reduci arg  
mentatio  
hypothesi

**TRACTATUS VIII**

**DE REDUCTIONE ORATIONIS SYLLOGIZATÆ IN UNA FIGURA  
IN ALIAM FIGURAM.**

**CAPUT I.**

*De reductione primæ figuræ in secundam,  
et e converso.*

Deinde dicendum est de propositione in una figura syllogizata qualiter contingat eam reduci in figuram aliam. Dicamus igitur quod talis reductio non contingit nisi in propositionibus quæ in pluribus figuris concluduntur: talem enim propositionem si concluditur in una figura, est reducere in aliam, in qua eadem etiam concluditur propositio. Propter quod primus modus primæ figuræ non reducitur ad aliam: quia non concluditur nisi in prima figura. Similiter affirmativi syllogismi primæ figuræ, sicut tertius primæ, in secundam figuram reduci non possunt: quia secunda figura non concludit nisi negative: sed negativi primæ, secundus scilicet et quartus, reducuntur in secundam: quia secundus primæ per conversionem majoris reducitur in primum secundæ, et similiter syllogismus secundæ figuræ reducitur in primam figuram per conversionem propositionis, et aliquando transpositionem. Non tamen omnes syllogismi per conversionem propositionis alicujus possunt reduci: quia quartus secundæ sic reduci non potest. Hoc autem manifestum erit in sequentibus.

Incipiamus igitur a secundo primæ qui constat ex universali negativa majori et universali affirmativa minori, sic: si

enim  $A$  nulli  $B$  inest,  $B$  autem omni  $C$  inest, concluditur quod nulli  $C$  inest  $A$  in secundo primæ. Si autem convertatur major propositio universalis privativa sive negativa: tunc jam variata positione medii erit syllogismus in media sive in secunda figura: nam in tali positione terminorum  $B$  nulli  $A$  inerit, ita quod nullum  $A$  est  $B$ ,  $C$  autem inerit omni  $B$ , et concluditur in primo secundæ, quod  $C$  nulli  $A$  inest, quæ est eadem conclusio quæ prius conclusa fuit per secundum primæ.

Similiter autem fit reductio syllogismi primæ figuræ in secundam, quando non fit syllogismus universalis, sed particularis, sicut in quarto primæ, qui constat ex universalis negativa majori, et particulari affirmativa minori, sicut si dicamus  $A$  quidem nulli  $B$  inesse,  $B$  autem inesse dicamus alicui  $C$ , concludetur enim in quarto primæ, quod alicui  $C$  non inest  $A$ : tunc enim iterum conversa simpliciter privativa universalis majori fit syllogismus in tertio secundæ, sic, nullum  $A$   $B$ , quoddam  $C$   $B$ , ergo quoddam  $C$  non est  $A$ , quæ eadem conclusio quæ prius in prima figura syllogizata est in quarto primæ.

E converso etiam corum syllogismorum qui concludunt in secunda figura, est reductio in primam: et duo quidem universales secundæ figuræ reducuntur in secundum primæ: particularium autem syllogismorum secundæ figuræ alter solus (tertius scilicet) reducitur. Et hoc sic patet per exemplum. Formetur enim primus secundæ, sic, quod  $A$  medium nulli

insit  $B$ , et idem  $A$  insit omni  $C$ , sic, nullum  $B A$ , omne  $C A$ , concluditur quod nullum  $C B$  in primo secundæ. Si autem convertatur universalis privativa major, tunc variato situ medii erit prima figuræ: tunc enim, tali conversione facta,  $B$  nulli  $A$  inest, et  $A$  inheret omni  $C$ , et concluditur quod nullum  $C B$  sicut prius per secundum primæ. Si autem prædicativum sive propositio universalis affirmativa sit ad  $B$ , hoc est, ad majorem extremitatem, hoc est, quod major sit universalis affirmativa, sicut est in secundo secundæ figuræ: privativum autem sive propositio universalis negativa sit ad  $C$  minorem extremitatem, ita scilicet quod minor sit universalis negativa: tunc eodem modo per conversionem minoris universalis negativæ reducitur in secundum primæ figuræ: sed tunc per transpositionem propositionum primus terminus sive major ponendus est ad  $C$  quod prius fuit minor extremitas: quod non fit nisi transpositione propositionum. Et hujus causa est: quia minor propositio in prima figura non potest esse negativa: taliter enim dispositis terminis, hoc idem  $C$  nulli inheret  $A$ ,  $B$  autem omni  $C$  inheret,  $A$  autem inheret omni  $B$ , sic, nullum  $A C$ , omne  $B A$ , concludetur per secundum primæ, quod nullum  $C B$ ; et tunc convertatur conclusio, nullum  $B C$ , et erit eadem quæ conclusa fuit in secundo secundæ. Hoc igitur modo se habet reductio in universalibus syllogismis.

Si autem particularis sit syllogismus secundæ figuræ, quandoquidem privativum universale fuerit ad majorem extremitatem sicut in tertio secundæ, resolutio illius syllogismi fiet in primam figuram, ut si dicamus in majori propositione, quod  $A$  medium nulli  $B$  inest: et idem  $A$  insit alicui  $C$  in minori propositione: concluditur enim quod aliquod  $C$  non est  $B$  per tertium secundæ: tunc enim conversa majori privativa propter medii variationem prima erit figura: nam secundum hoc in majori quidem propositione  $B$  prædicatum nulli  $A$  inerit,  $A$  au-

tem inheret alicui  $C$ , sic, nullum  $A B$ , quodam  $C A$ , concludetur quoddam  $C$  non esse  $B$  per quartum primæ: quæ est eadem conclusio, quæ prius conclusa per tertium secundæ.

Quando vero prædicativum est ad majorem extremitatem sicut in quarto secundæ: tunc non potest fieri resolutio ad primam figuram per conversionem, sicut si dicamus in quarto secundæ, quod  $A$  prædicatum insit omni  $B$  et idem  $A$  insit non omni sed alicui  $C$ , sic, omne  $B A$ , quoddam  $C$  non est  $A$ , concludetur per quartum secundæ, quod non omne vel quoddam  $C$  non est  $B$ , et tunc per conversionem non potest fieri reductio: quia major propositio universalis affirmativa non convertitur, nisi particulariter: et si sic convertatur, ambæ præmissæ erunt particulares, et ex talibus non fit syllogismus.

Attendendum autem quod hujusmodi reductio figurarum (de qua hic loquimur) alia est ab illa de qua locuti sumus in præhabitibus, quando tractatum est de generatione syllogismorum: ibi enim reduximus syllogismos imperfectos secundæ et tertiae in primam, et particulares primæ reduximus in universales primæ: eo quod in primo primæ perfectissimum est dici de omni, et in secundo primæ perfectissimum est dici de nullo, per quæ confirmatur primo et principaliter omnis syllogismus directam et ostensivam habens confirmationem. Hic autem per reductiōnem figurarum tractantes, nihil aliud intendimus nisi conformitatem figurarum ostendere, et qualiter una oritur ab alia, medii et extremitorum variatione in situ duarum propositionum. Propter quod ad hoc quod hic intendimus ostendendum, non oportet ad singulorum syllogismorum reductionem, nec per exclusionem instantiarum istam reductionem verificare: quia in quibusdam sic de figura in figuram reductis satis ostensa est conformitas figurarum.

Remove  
dubium.

## CAPUT II.

*De reductione syllogismorum particulium primæ figuræ in tertiam, et e converso.*

Hanc autem quæ dicta est reductionem prosequentes per singulas figuras in se invicem dicimus, rursus resolvendo syllogismos primæ in tertiam, et e converso, quod non omnes syllogismi qui sunt in tertia figura, resolvuntur in primam : quia quintus tertiae per conversionem propositionis resolvi non potest, sed per impossibile reducitur : de qua reductione non est hic nostra intentio. Syllogismi autem particulares primæ figuræ ambo resolvuntur in tertiam : et hoc primo patet in tertio primæ. Insit enim  $A$  majus extreum omni'  $B$  medio,  $B$  autem medium insit alicui  $C$  minori extremo : concluditur per tertiam primæ quod aliquod  $C$  est  $A$  : cum ergo simpliciter in terminis convertatur minor propositio quæ est particularis affirmativa, hæc scilicet, quoddam  $C$  est  $B$ , tunc e converso quoddam  $B$  est  $C$ ,  $A$  vero omni  $B$  inerat in majori propositione : quare sive propter quod variato medio ex conversione minoris fit tertia figura.

Similiter autem est et si sit quartus primæ qui est syllogismus privativus : quia etiam ille reducitur minoris propositionis (quæ est particularis affirmativa) conversione : est enim talis quartus primæ, nullum  $B$  est  $A$ , quoddam  $C$  est  $B$ , ergo quoddam  $C$  non est  $A$  : et si convertatur particularis affirmativa minor, tunc erit talis syllogismus, nullum  $B$  est  $A$ , quoddam  $B$  est  $C$ , et concluditur quod quoddam  $C$  non est  $A$  per quartum tertiae : et utriusque syllogismi est eadem conclusio.

Eorum autem syllogismorum qui sunt in tertia figura (quæ postrema est inter figuræ) unus tantum est, scilicet quintus tertiae, qui per conversionem propositionis non resolvitur in primam figuram. Et hujus causa: quia in eo privativa proposi-

tio minor non ponitur universaliter quæ converti possit, sed est universalis affirmativa, et major est particularis negativa. Alii autem omnes syllogismi tertiae figuræ resolvuntur in primam figuram : et hoc patet in primo tertiae qui constat ex ambabus universalibus affirmativis, sic, prædicetur enim de omni  $C$  medio, et  $A$  major extremitas, et  $B$  minor extremitas, sic, omne  $C$   $A$  et omne  $C$   $B$ , concludetur per primum tertiae, quod quoddam  $C$  est  $B$ : cum igitur convertatur universalis affirmativa in particularem, sequitur quod  $C$  convertetur ad utrumque, scilicet  $A$  et  $B$  particulariter : sequitur ergo quod  $A$  inerit alicui  $B$ , quia si convertatur minor, sequitur quod  $A$  inerit alicui  $B$  per tertium primæ, sic, omne  $C$   $A$ , quoddam  $B$   $C$ , ergo quoddam  $A$   $B$ , et sic erit prima figura resoluto primo modo tertiae in tertium primæ: siquidem  $A$  inerit omni  $C$  in majori,  $C$  vero inerit alicui  $B$  in minori : et sequitur quod aliquod  $B$  est  $A$ .

Similiter autem est de reductione quarti tertiae in primam figuram, qui etiam est affirmativus, et reducitur in tertium primæ : quartus enim tertiae constat ex universalis affirmativa majori et particulari affirmativa minori, et reducitur in tertium tertiae per conversionem minoris, sic, omne  $C$   $A$ , quoddam  $B$   $C$ , ergo quoddam  $C$   $A$ , et ideo similis ratio est in primo et quarto : quia in minori propositione particulari affirmativa in quarto convertitur  $B$  ad  $C$ , hoc est, prædicatum in subjectum.

Similiter autem est in tertio tertiae, in quo major est particularis affirmativa, et minor universalis affirmativa, ut si dicamus, quod  $B$  minor extremitas inest omni  $C$  in minori,  $A$  autem major extremitas alicui  $C$  inest in majori : tunc fiet resolutio convertendo majorem, et per transpositionem propositionum : et ideo oportet tunc quod  $B$  primus terminus ponatur sive major, propter propositionum transpositionem : tunc enim talibus conversione et transpositione factis,  $B$  inerit omni  $C$ ,  $C$  autem alicui  $A$  in-

erit: et tunc sequitur in tertio primæ, quod *b* inest alicui *a*: et quoniam convertitur particularis affirmativa, tunc etiam convertetur conclusio, ita quod *b* alicui *a* inerit: et sic conversione majoris et transpositione propositionum et conversione conclusionis erit tertius primæ figuræ.

Et si privativus sit syllogismus in tertia figura, siquidem universales sint ambo termini in majori et minori propositione sumpti, sicut in secundo tertiae, qui constat ex universalis negativa majori, et universalis affirmativa minori: similiter sumendum est quantum ad reductionem in primam figuram. Insit enim *b* omni *c* in minori propositione, *a* autem insit nulli *c* in majori: ergo per conversiōnem minoris universalis affirmativæ alicui *b* inerit *c*, *a* autem in majori nulli inerit *c*, propter quod in tali syllogismo medium erit *c*, et fiet syllogismus talis, nullum *c* *a*, aliquod *b* *c*, ergo aliquod *b* non est *a*, qui est quartus primæ: et sic secundus tertiae reducitur in quartum primæ.

Similiter autem est in sexto tertiae: quia similiter est quantum ad reductiōnem, si universalis major in syllogismo tertiae sit privativa, sicut est in sexto modo tertiae, et particularis affirmativa sit minor: secundum talem enim dispositionem *a* quidem nulli *c* inest in majori, *c* autem alicui *b* inerit in minori conversa: et concludetur per quartum primæ, quod quoddam *b* non est *a*.

Si autem particulariter sumatur privativa propositio major, et minor sit universalis affirmativa, sicut est in quinto tertiae, non erit illius syllogismi resolutio in primam figuram per conversionem alterius propositionis. Et hujus exemplum est, ut si *b* quidem omni *c* inest in minori, *a* autem alicui *c* non inest in majori propositione, tunc non erit per conversionem reductio: quia non est ibi propositio quæ converti possit, nisi minor universalis affirmativa, quæ est *b* *c* propositio: quæ si convertatur, utræque

propositiones præmissæ erunt particulares: et ex ambabus particularibus nihil sequitur in aliqua trium figurarum. Sic ergo tertia in primam, et prima in tertiam reducitur.

Ex his autem quæ dicta sunt, manifestum est quod ad resolvendum istas duas figuras, scilicet primam et tertiam ad se invicem, convertenda est propositio minor, quæ est ad minorem extremitatem: hac enim conversa in utraque figura variabitur medium, et fit transmutatio unius figuræ in aliam.

Attendendum autem quod instantia videtur esse contra ea quæ dicta sunt de tertio modo tertiae figuræ, in quo fit reductio per conversionem majoris. Sed hoc citius solvi potest et faciliter, dicendo quod id quod dictum est in illius modi conversione, intelligitur de his qui habent majorem universalem. Posset etiam dici quod minor vocatur in qua post conversionem prædicatur medium, et subjicitur minor extremitas.

Si autem quæritur quare prima figura reducitur in secundam potius per conversionem majoris quam per conversionem minoris? Dicendum ad hoc quod prima figura et secunda convenienter in situ medii et in situ minoris extremitatis, sed discordant in situ majoris extremitatis: et illam oportet convertere quæ est ad majorem extremitatem. Hujus etiam causa est, quia secunda figura descendit a prima per majoris propositionis conversionem, sicut in ante habitis dictum est.

Objectio.

Solutio.

Aliter.

Dubitatio.

Solutio.

### CAPUT III.

*De reductione secundæ in tertiam, et e converso.*

Horum vero particularium syllogismorum duorum qui in media sunt figura, alter quidem per conversionem et resolvitur in tertiam, scilicet tertius: alter vero, scilicet quartus, per conversionem in tertiam figuram non resolvitur: nam

in tertio ubi major est universalis negativa quæ converti potest, syllogismus resolvitur in tertiam per utriusque propositionis conversionem. Si enim  $A$  medium nulli  $B$  inesse dicatur in majori, et idem  $A$  alicui  $C$  dicatur inesse in minori, convertitur utraque propositio: et tunc conversa major  $B$  nulli  $A$  dicetur inesse, et  $C$  dicitur inesse alicui  $A$ , et tunc medium est  $A$ , sic, nullum  $A$   $B$ , aliquod  $A$   $C$ , et patet quod est *tertia figura*.

In quarto autem secundæ qui constat ex universali affirmativa majori et particulari negativa minori, quando scilicet in majori propositione  $A$  dicitur inesse omni  $B$ , et idem  $A$  alicui  $C$  dicitur non inesse: tunc non potest resolutio fieri. Et hujus causa est: quia ex conversione fit quod neutra propositionum conversarum est universalis, quia universalis affirmativa non nisi particulariter convertitur: ex ambabus autem particularibus non fit syllogismus.

E converso autem syllogismi qui sunt in *tertia figura*, resolvuntur in medium figuram quantum ad modos negativos, eo quod secunda figura non concludit nisi negative: et ideo secundus et sextus tertiae reducuntur in secundam figuram, sed non primus et tertius et quartus, quia illi affirmativas habent conclusiones. Secundus autem et sextus in secundam reducuntur per conversionem utriusque propositionis. Quando ergo universalis privativa est major, ut si dicatur, quod  $A$  nulli  $C$  inest, et in minori, quod  $B$  alicui  $C$  inest, sicut in sexto tertiae. Aut si dicatur  $A$  nulli  $C$  inesse in majori, et  $B$  dicatur omni  $C$  inesse in minori, sicut in secundo tertiae. Tunc enim in conversione utriusque propositionis,  $C$  nulli inerit  $A$ , quæ est conversa majoris, et idem  $C$  inerit alicui  $B$  ex conversione minoris: et facta est secunda figura in tertio modo secundæ figuræ.

Si autem particularis propositio sit privativa et major, sicut est in *quinto tertiae*, non potest resolvi in secundam per

propositionis conversionem: eo quod particularis negativa non convertitur in terminis: et si universalis affirmativa quæ est minor, convertatur, ambæ præmissæ erunt particulares: et ex talibus non fit syllogismus.

Et ex his manifestum est quod iidem syllogismi, scilicet quartus secundæ et quintus tertiae, in his figuris (media scilicet et *tertia*) non resolvuntur, qui nec in primam ex secunda vel tertiasunt resoluti. Manifestum est etiam pro omnibus aliis syllogismis secundæ figuræ et tertiae in primam figuram per conversionem propositionum reductis, quod isti duo soli clauduntur sive reducuntur per impossibile: quia per conversionem propositionum reduci non possunt. Ex prædictis ergo manifestum est, quomodo oportet syllogismos reducere: et ex hoc manifestum est quod figuræ omnes resolvuntur ad se invicem et qualiter hoc sit.

Attendendum autem est hic, quod licet Omnes syllogismi possunt reduci per impossibile. dictum solum quartum secundæ et quintum tertiae reduci per impossibile, per hoc non excluditur quin omnes alii syllogismi per impossibile possint reduci: sed hoc ideo dictum est, quia cum alii et per conversionem et per impossibile possint reduci, duo dicti syllogismi solum per impossibile reducuntur.

Attendendum etiam est, quia secunda figura et *tertia* disconveniunt in situ utriusque extremitatis, et etiam in situ medii: ideo in reductione unius illarum figurarum ad aliam, oportet utramque converti propositiōnem.

Adhuc notandum quod quamvis per impossibile sit quædam reductio, tamen nihil de ea determinatur hic: quia reductio per impossibile non est nisi argumentationis ostensio, et non est ad figuram conversio, sed conversio propositionis et ostensio est argumentationis et mutatio positionis terminorum in situ: et per hoc ostendit formam syllogismi quæ est figura vel figuræ mutatio.

Removet dubium.

# TRACTATUS IX

## DE EXCLUSIONE ERRORIS DICENTIUM NEGATIVAM DE PRÆDICATO FINITO IDEM ESSE CUM AFFIRMATIVA DE PRÆDICATO INFINITO.

### CAPUT I.

*De differentia earum ad invicem.*

Quia vero termini syllogismorum in quos resolvuntur, aliquando finiti, et aliquando sunt infiniti : et quando sunt infiniti, videntur esse negativi : ita quod quidam dicebant, quod tales termini universaliter convertibiles essent cum negativis : oportet hic de talium terminorum interponere consequentia. Quamvis enim in libro *Perihermenias* aliquid dictum sit de ratione oppositionis de qua ibi agitur, tamen quia incidenter ibi dictum est et diminute, oportet quod hic sufficientius determinetur.

Removet  
dubium.

Dicamus igitur quod differentiam habet (in construendo in syllogismo affirmativo, vel destruendo in syllogismo negativo) opinari utrum idem aut diversum significant affirmativa de prædicato infinito, et negativa de prædicato finito : sicut si dicamus, non est hoc, et est non hoc : et hæc duo ad idem subjectum aliquod referamus : et hoc est ac si dicamus, quod non esse album idem significet ei quod est esse non album. Hæc enim non idem significant : quod sic probatur : quia ejus quæ dicit propositio esse album, non est opposita negatio ea propositio quæ est esse non album : eo quod ambæ istæ sunt affirmativæ : sed ejus quæ est esse album, negativa est non esse album, quando ambo prædicata, affirmativum

scilicet et negativum ad idem subjectum referuntur. Ratio autem hujus prima est hæc : quia similiter se habent hæc prædicta ad unum subjectum in propositionibus de inesse sicut in modalibus se habent. Nam sicut se habet, possibile est ambulare, ad possibile est non ambulare : sic se habet ea quæ est album, ad eam quæ est non album. Possunt autem simul esse veræ, possibile est ambulare, possibile est non ambulare, propter quod sequitur quod una non est negatio alterius : ergo nec illa quæ dicit, est non album, negatio est ejus quæ dicit, est album : est autem negatio ejus hæc, non est album : ergo ea quæ dicit, est non album, non idem significat cum ea quæ dicit, non est album. Quod ex hoc patet, quia hæc duo prædicata, scit bonum vel est sciens bonum, in significando nihil differunt, sicut nec ista prædicata differunt, potest ambulare, vel est potens ambulare : propter quod sequitur, quod opposita istorum nihil differunt : opposita autem sunt, non potest ambulare, et non est potens ambulare. Si autem detur quod ea quæ dicit, non est potens ambulare, idem significat cum ea quæ dicit, est potens non ambulare : tunc ea quæ dicta sunt esse opposita, simul inerunt eidem, scilicet est potens ambulare, et non est potens ambulare, si hoc idem est ei quod est potens non ambulare : quia idem simul potest ambulare, et potest non ambulare : sicut et idem simul est sciens boni, et sciens non boni : quamvis non

sit simul sciens boni, et non sciens boni : affirmativa autem et negativa oppositæ non erunt unquam simul in eodem : sequitur igitur quod esse non bonum et non esse bonum, non sunt idem secundum significatum. Cujusratio est, quia omnium proportionalium secundum æquipollentiam et convertibilitatem, hæc proportio est, quod si alterum insit alicui, quod insit et reliquum : et ita si idem esset esse non album quod est non esse album, cuiuscumque inesset unum, eidem inesset et reliquum.

Secunda ratio ad idem probandum hæc est, et fundatur in hoc quod affirmativa de prædicato infinito aliquid ponit, negativa autem de prædicato finito nihil ponit : quod patet per hoc, quod esse non æquale, et non esse æquale, non sunt idem : huic enim quæ dicit esse non æquale, subjacet aliquid quod quidem est inæquale quando ad magnitudinem comparatur : illi vero quæ dicit non esse æquale, nihil subjacet sive ad magnitudinem comparetur sive non : quia negatio nihil relinquit eorum quæ posuit affirmatio. Et hoc ideo est, quia non omne ens vel non ens æquale est vel inæquale : quia quod non est quantum, nec æquale neque inæquale est. Omne autem quod est, vel non est, aut æquale est, aut non est æquale : de quolibet enim ente vel non ente alterum contradictiorum est verum : et sicut inæquale aliquid ponit propter privationem, sic terminus infinitus ponit aliquid, quamvis sit infinitum quod ponit.

Amplius autem tertia ratio ad idem est : quia istæ duæ propositiones, est non album lignum, et non est album lignum, non sunt simul in uno significato. Quod patet, quia si est lignum non album, patet quod supponitur esse lignum, quamvis privetur ab ipso album. Cum autem dicitur, non est album lignum, non necesse est lignum esse, quia negatio tollit totum : est enim de amphora verum dicere, quod non est lignum album, cum nec lignum sit, nec album : sed de am-

phora non est verum dicere, quod est lignum non album.

Ex his ergo tribus rationibus manifestum est quod ejus propositionis quæ dicit, est bonum, non est negatio illa quæ dicit, est non bonum. Si ergo de omni uno ente vel non ente est affirmatio vel negatio vera : et patet jam quod ista quæ dicit, est non bonum, non est negatio, palam est, quoniam affirmatio erit aliquo modo : est enim affirmatio de prædicato infinito, qui est modus quidam affirmationis. Omnis autem affirmationis est aliqua negatio. Sequitur ergo quod et hujus quæ dicit, est non bonum, sit aliqua negatio : et est ea quæ dicit, non est non bonum. Patet igitur quod non idem significant affirmativa de prædicato infinito, et negativa de prædicato finito in terminis vel consequentiis syllogismorum.

Hic autem advertendum est quod cum dicitur, de quolibet dicitur esse æquale vel non esse æquale, fit distributio pro quolibet ente et non ente : sicut cum dicitur quod de quolibet est affirmatio vel negatio vera. Cum autem dicitur quod non de quilibet dicitur esse æquale vel esse non æquale, distributio fit eodem modo : et ideo non de quilibet dici potest, quia non æquale ponit aliquid, sicut dictum est in ante habitis.

## CAPUT II.

*De consequentiis propositionum affirmativæ de prædicato infinito, et negativæ de prædicato finito ad invicem.*

Propositiones autem affirmativæ de prædicato infinito, et negativæ de prædicato finito, hunc quem dicemus ordinem consequentiæ habent ad invicem. Sit enim esse bonum in quo A, non esse autem bonum sit in quo B, esse autem non bonum in quo C, et hoc sit sumptum sub B, et positione situs in consequentia, et sub positione essentiali sicut species accipitur sub genere : non autem esse non

bonum sit in quo **D**, quod eodem modo accipiatur sub **A** sicut **C** acceptum est sub **B**, tali autem facta dispositione terminorum omni ei quod est vel non est, inheret aut **A** aut **B**, quia inter illa est contradictio simplex : et hæc duo nulli intererunt eidem simul. Adhuc autem sic, omni inest aut **C** aut **D**, et nulli eidem simul : quia inter **C** et **D** est contradictio de prædicato infinito. Adhuc autem sequitur, quod cuicunque inest **C** prædicatum infinitum, eidem omni necesse est inesse **B** prædicatum negatum : quod ex hoc probatur : quia si verum est dicere de aliquo infinite, quoniam est non album, de eodem verum erit dicere negative, quoniam non est album: impossibile enim est aliquid simul esse album et esse non album, et impossibile est simul esse lignum album, et esse lignum non album : propter quod si alicui non inheret affirmatio, oportet negationem inesse.

Et quamvis sic ad privationem sequatur negatio, non tamen convertitur quod etiam ad negationem sequatur privatio. Unde ei quod est **B** (quod est negatio simplex) non semper sequitur **C** quod est privativum : et est instantia : quia quod omnino non est lignum, nec est lignum album, nec lignum non album : et sic ad hoc quod est, non est lignum album, non semper sequitur, est lignum non album.

In oppositis autem istorum est consequentia e contrario : quia cuicunque inest **A** (quod est simplex affirmatio), illi omni universaliter inest **D** quod est negatio prædicati infiniti : quia omne quod est album, non est non album. Quod autem **A** sit antecedens et inferens **D** probatur ex hoc : quia si de quolibet alterum contradictiorum est verum, et **C** et **D** contradictoria, alterum illorum dicetur de **A** : aut ergo de ipso verificabitur **C** aut **D**, et quia **C** non verificatur de **A**, eo quod aliquid non potest simul esse album et esse non album, sequitur quod hoc inheret quod est **D**, quod est contradictorium ad **C**. Et hoc patet in terminis : quia de eo

quod est album, verum est dicere, quoniam ipsum non est non album. E converso autem **A** non sequitur ad **D** semper : quia de eo quod omnino non est lignum, non est verum dicere quod sit **A**, quod est lignum album : propter quod contingit **D** esse verum de aliquo, de quo **A** non est verum : quod enim omnino non est lignum, non est lignum non album : et tamen non sequitur quod sit lignum album. Palam etiam est, quoniam **A** et **C** quæ sunt contradictoria, nulli eidem insunt, quamvis **B** et **D** contingat aliquando eidem inesse : eo quod neutrum est oppositum ad aliud, **B** enim est negatio simplex prædicati finiti, **D** autem negatio prædicati infiniti : et hæc duæ negationes non sunt oppositæ.

Sicut autem dictum est quod secundum consequentiam prædicata infinita se habent ad subjecta secundum positionem oppositionis vel consequentiæ, ita se habent etiam ad prædicata positiva finita privative dicta prædicata : sicut inæquale se habet ad æquale, et justum ad injustum : et hoc patet si *in consequentia ponatur in terminis* : sit enim æquale in quo **A**, non æquale negatum in quo **B**, inæquale privatum in quo **C**, non inæquale sit in quo **D**, qui sunt iidem termini qui fuerunt finitorum et infinitorum. Et ideo ex istis sequuntur quatuor conclusiones, scilicet quod ad affirmativam prædicati privativi sequitur negativa finiti prædicati, et non e converso, sicut, est inæquale : ergo non est æquale, et non e converso. Et quod e contrario ad affirmativam de prædicato finito, sequitur negativa de prædicato privativo, et non e converso, sicut, est æquale : ergo non est inæquale, et non e converso. Et quod affirmaciones quæ antecedunt, sunt incompossibilis de eodem, sicut, est æquale, est non æquale : et quod negationes sunt de eodem compossibilis, sicut, non est æquale, et non est inæquale, vel non æquale.

Idem autem est si termini accipientur in materia contingentí : quantum ad hoc

*Nota quatuor conclusiones vel regulas.*

autem est idem, quod eodem modo differunt negationes et affirmations de prædicato infinito scilicet et de prædicato finito : et hoc sive accipiatur in numero plurali sive in numero singulari. In pluribus autem dico sumi de numero, quorum his quidem inest prædicatum, aliis autem non inest : hoc enim oportet quod sit in materia contingentia, et accipiatur in tota universaliter pluralitate cum signo universalis distributivo. In pluribus enim talibus sive universalibus, quorum his quidem inest prædicatum, sicut in affirmativa : his autem non inest, sicut in negativa : similis est differentia affirmatioonis de prædicato finito, et negationis de prædicato finito, ad affirmationem de prædicato infinito, et negationem ejusdem de prædicato infinito : negativa enim de prædicato finito simpliciter est vera sive in plurali sive in singulari sumatur, sic, non sunt omnia animalia alba, sive in singulari cum dispositione universalis, sic, non omne vel non unumquodque animal est album : ambæ enim istæ sunt veræ in materia contingentia : sed illæ de prædicato infinito in eadem materia sunt falsæ : hæ enim ambæ falsæ sunt, quoniam unumquodque vel omne animal est non album : et similiter in plurali accepta, quoniam omnia animalia sunt non alba. Patet igitur quod cum sint veræ, istæ autem falsæ, quod differunt ab invicem. Similiter autem est etiam si universaliter in singulari numero sumatur. Unde patet quod ejus propositionis quæ est, omne animal est album, non est contradictoria opposita ea quæ dicit, omne animal est non album : ambæ istæ falsæ sunt simul in contingentia materia : sed ista erit sua contradictoria, non omne animal est album.

Et attendendum quod illud quod dictum est, non tenet nisi in materia contingentia, et non in materia necessaria vel impossibili : si enim dicatur, omnis homo est non asinus, et nullus homo est asinus, istæ simul sunt veræ. Adhuc au-

*Quomodo  
intelligenda  
sunt prius  
dicta.*

tem cum dicitur consequentia hæc esse bona : est non bonum : ergo non est bonum, et non e converso : intelligendum quod haec consequentia tenet in terminis communiter, prout communiter hæc prædicata comparari possunt ad unum subjectum sive universaliter sive non universaliter sumptum, dummodo tamen fiat horum prædicatorum ad idem subjectum comparatio et in antecedente et in consequente propositione. Unde in universalibus bene sequitur, si utrobique sumatur signum universale, sic, omnis homo est non bonus : ergo non omnis homo est bonus : vel ergo omnis homo non est bonus. Similiter etiam sequitur in non universalibus, homo est non bonus : ergo homo non est bonus.

Videtur tamen in his deficere consequentia a prædicato infinito ad prædicatum negatum : et hoc ostenditur in terminis sic : video non hominem : non sequitur, non video hominem. Et si dicat aliquis quod consequentia prædicta non tenet, nisi cum verbo substantivo, et non cum verbo adjektivo. Adhuc hoc dato videtur non valere : non enim sequitur : Socrates fuit non justus : ergo Socrates non fuit justus. Similiter non sequitur : Socrates erit non albus : ergo Socrates non erit albus. Si forte dicatur, quod consequentia ista est intelligenda cum verbo substantivo de præsenti, et non de præterito, vel de futuro. Adhuc si etiam hoc concedatur, videtur non valere : non enim sequitur, est non duplum : ergo non est duplum : sicut nec sequitur, est non æquale : ergo non est æquale.

Ad hujusmodi autem notandum quod consequentia prædicta non tenet nisi in prædicatis quæ dicunt formas absolutas, sicut sunt album, nigrum, et hujusmodi, et non tenet in relativis. Et ideo notandum est quod ad hoc quod ex termino infinito sequatur terminus negativus, oportet quod fiat consequentia cum verbo substantivo de præsenti, et in terminis

absolutis et non relativis<sup>1</sup>. Adhuc autem notandum quod cum dictum est has duas negationes, non esse bonum, et non esse non bonum, alicui uni simul posse inesse, intelligendum est quod illæ duæ negationes, quamvis nulli actu existenti simul possint inesse, eo quod non est aliquod ens cui non conveniat vel non esse justum, vel non esse non justum, et hæc duo nulli enti simul insunt: tamen non enti simul convenient, quia id quod non est, non est justum, et non est non justum. Sed tamen aliæ duæ, scilicet non esse lignum album, et non esse lignum non album, eidem existenti possunt simul convenire sicut lapidi. Adhuc autem intelligendum est quod terminus privativus et infinitus sic se habent ad invicem, quod sequitur terminus infinitus ad privativum: terminus enim privativus ponit potentiam ad suam aptitudinem, sed privat formam: terminus autem infinitus neutrum istorum ponit: et ideo sequitur, si est injustum: ergo est non justum: sed non convertitur: quia plus tollitur per terminum infinitum, quam per privativum.

Quoniam autem jam palam est, quod aliud significant negativa de prædicato finito, et affirmativa de prædicato infinito, sicut patet cum dicitur, est non album, et non est album: una enim istarum est affirmatio, et altera negatio. Manifestum est ex hoc quod etiam per totum quod dictum est, intendimus quod non est idem modus demonstrandi sive ostendendi per syllogismum has duas: quia una ostenditur per negativum, et altera per affirmativum: sicut in exemplo videri potest: quia non eodem modo ostendetur hæc, quidquid est animal, sive omne animal non est album, aut si cum modo accipiatur sic, quidquid est animal, continget non esse album, cum ista alia de prædicato infinito, sicut cum dicitur, quod

verum est dicere, quidquid est animal est non album: hoc enim quod verum dicere aliquid non album, idem est cum eo quod dicitur hoc esse non album: quia verum non addit aliquid super inhærentiam. Sed idem modus demonstrandi est in figura et modo hæc duo, verum est dicere hoc esse album, et verum est dicere hoc esse non album, etiam si universaliter sumantur propositiones: ambæ enim istæ affirmativæ, et si sunt universales, per primam ostenduntur figuram in primo modo figuræ primæ. Id enim quod dico, *verum*, quod est modus quidam, similiter ordinatur ei quod est, *est*, quod est nota compositionis<sup>2</sup>.

In hoc autem similiter ordinatur quod negatio modi facit negativam, sicut negatio compositionis in illa de inesse, et affirmatio modi facit affirmativam, sicut affirmatio compositionis in ea quæ est de inesse: nam istius propositionis qua dicimus quod verum est dicere aliquid esse album, non est negatio sibi opposita qua dicitur verum est hoc dicere esse non album, sed ista qua dicitur, non est verum dicere album: et ideo non uno modo istæ possunt ostendi per syllogismum. Si autem hæc debeat concludi qua dicitur quod verum est dicere, quod quidquid est homo, sive omnis homo est musicum vel non musicum sub disjunctione: tunc in majori propositione sumendum est quod quidquid est animal, sive omne animal est musicum vel non musicum: et assumento quod omnis homo est animal, statim ostensum est quod omnis homo est musicum vel non musicum: et sic patet quod omnem hominem esse musicum, et omnem hominem esse non musicum, affirmative monstratur in solo primo primæ figuræ: sed hæc, quidquid est homo non est musicum, sive omnis homo non est musicum, et hæc similiter, omnis homo

<sup>1</sup> Limitationes illius regulæ, ab affirmativa de prædicato infinito ad negativam de predicato finito valet consequentia P. J.

<sup>2</sup> Et ideo dicunt aliqui quod verum et falsum

non sunt modi. Et ex hoc etiam patet verificatio illius regulæ, quod ex omni propositione sequitur suum dictum fore verum.

non est non musicum, negative monstrantur quando sunt universales, secundum dictos superius tres modos universalem negativam concludentes, qui sunt secundus primæ et primus et secundus secundæ figuræ. Sic igitur patet qualiter propositiones negativæ de finito prædicato, se habeant ad propositiones affirmativas de infinito prædicato, et qualiter differenter concluduntur.

## CAPUT III.

*De consequentiis ex habitudine antecedentis et consequentis convertibilium causatis.*

Simpliciter sive universaliter quando sic se habet A et B, hoc est, consequens aliquod et oppositum ejusdem consequentis (ut animal et non animal) quod hæc duo simul eidem non contingent inesse, eo quod contradictoria sunt : omni autem quod est et non est, ex necessitate alterum istorum contingat inesse : eo quod de quolibet alterum dicitur contradictiorum : et rursum C antecedens, et D oppositum antecedentis se habeant similiter per oppositionem contradictionis, ita quod nulli simul possint inesse, sed omni ei quod est vel non est, necesse sit alterum inesse, sicut se habent homo et non homo : et dicatur quod id quod est C antecedens sequitur A consequens sine conversione, sicut animal sequitur ad hominem, et non convertitur : tunc necessarium est quod ad id quod est B (oppositum scilicet consequentis) sequatur D oppositum scilicet antecedentis, et non converitur. Et hoc est dictu si aliquod consequens sequitur ad aliquod antecedens absque conversione, sequitur ad oppositum consequentis oppositum antecedentis, et non convertitur : sicut si animal loquitur ad hominem, ad non animal sequitur non homo, et non convertitur, quod ad non homo sequatur etiam non animal.

Notæ regulam.  
Adhuc autem in tali consequentia et A quidem consequens, et D quod est oppo-

situm antecedentis, continget eidem simul inesse, sicut idem contingit esse animal et non hominem, ut asinum : et in eadem consequentia B (quod est oppositum consequentis) non continget eidem inesse cum C antecedente : sicut non contingit eidem inesse antecedens et oppositum consequentis, ut quod idem sit homo et non animal. Hæ autem quatuor sunt consequentiæ. Prima inter antecedens et consequens. Secunda inter oppositum consequentis et oppositum antecedentis, quarum utraque sequitur affirmative sine conversione. Tertia inter oppositum antecedentis et consequens, quæ contingunt eidem. Quarta inter oppositum consequentis et antecedens, quæ non contingunt eidem.

Secunda autem harum consequentiarum (scilicet quod ad oppositum consequentis sequitur oppositum antecedentis) ostendatur primo. Primum ergo probando has consequentias dicamus, quod ad B oppositum consequentis, sequitur D oppositum scilicet antecedentis : hoc enim hinc (sive ex his quæ dicentur) est manifestum : dictum est enim quod alterum contradictiorum quæ sunt C D (hoc est, antecedens et oppositum contradictorium antecedentis) ex necessitate omni inest, et ei quod est et quod non est : et cui contingit unum illorum inesse, illi non inest reliquum, eo quod nulli simul insunt : sequitur quod cui inest B nullo modo contingit inesse C, et hoc est ideo, quia C antecedens simul infert A consequens : cui enim inest antecedens, eidem necesse est inesse consequens : ut cui inest homo, illi necesse est inesse animal. Sed A et B non contingunt eidem simul inesse : quia non est idem animal et non animal. Manifestum est ergo ex quo aut A aut B dicebatur de D et A non dicitur : ergo B dicetur de D, et sic probatum est quod oppositum antecedentis sequitur ad oppositum consequentis.

Rursum autem, quoniam jam suppositum est quod ei quod est A consequens non convertitur C antecedens (ut homo e

Nota quatuor regulas de antecedente et consequente et suis oppositis.

animal se habent) omni autem ei quod est vel non est, contingit vel c vel d inesse: quia sunt opposita contradictorie c et d, tunc sequitur quod contingit a consequens et d oppositum antecedentis eidem inesse: quia oppositum antecedentis non opponitur consequenti: et quæ non opponuntur per affirmationem et negationem, contingit eidem inesse: quæ enim contraria sunt vel disparata, negantur de se invicem: quia in talibus affirmatio unius est causa negationis alterius: et hæc est tertia consequentia.

B autem oppositum consequentis, et c antecedens non contingit eidem inesse: et hoc ideo, quia a sequitur ad c, et si oppositum consequentis verificaretur cum antecedente, verificaretur etiam cum consequente: et sic contradictoria essent simul vera: et sic accideret impossibile, quod dictum est.

Manifestum est etiam ex his, quod neque b oppositum scilicet consequentis convertitur cum eo quod est d quod est oppositum antecedentis: sicut non animal non convertitur cum non homine: et hoc ideo quia contingit alicui uni simul inesse a consequens, et d oppositum antecedentis inesse: asinus enim et animal est et non homo.

**Objectio  
textus.**

Quamvis autem istæ consequentiæ veræ sint et generales, accidit tamen aliquoties in hujusmodi ordine terminorum (eo quod antecedentia ad consequentianon debite ordinantur) falli: eo quod, sicut diximus, non recte sumuntur opposita secundum contradictionem: quorum contradictiorum necesse est alterum omni ei quod est vel non est inesse: sicut si dicam si a consequens et b contradictorie oppositum consequenti, ut animal et non animal, non contingat simul alicui eidem inesse: tamen cuicunque non contingit inesse unum istorum contradictiorum, illi necesse est inesse alterum. Rursum autem similiter, ut opposita contradictorie se habent ad invicem, c antecedens et d contradictorie oppositum antecedentis: et ideo in illis verum est

quod de omni alterum illorum dicitur, et de nullo dicuntur ambo. Dictum est autem in præhabitis, quod omni cui sequitur c, ad illud sequitur a consequens: quia quidquid antecedit ad antecedens, antecedit ad consequens: et sic oppositum consequentis non verificatur cum antecedente, sed cum opposito antecedentis, sicut non animal est non homo, et non est homo: et si oppositum hujus dicatur, tunc sequitur ei cui d inest, inesse b ex necessitate hoc est, quod non homo de necessitate sit non animal: quod falsum est, quia asinus est non homo, et tamen non est non animal.

Hoc autem sic probatur: sumatur negatio istorum amborum simul quæ sunt a consequens, et b oppositum consequentis, ut si dicam, quod negatio hujus sumatur, homo est animal et est non animal: sicut si dicam, non homo est animal, et non animal: et sit illa amborum negatio signata per f. Et rursum eorum quæ sunt c d antecedentis f et oppositi antecedentis sumatur negatio, ut si dicam, quod horum simul amborum sumatur negatio homo et non homo, ut si dicam, non est homo et non homo: et sic illa negatio quæ sic quodammodo in pluribus est, in quibus signatur littera h: tunc tali positione facta necesse, est omni ei quod est vel non est, inesse vel a consequens, vel f negationem consequentis et sui oppositi: et sic f negatio est ipsius a, et etiam similiter erit negatio ipsius b quod est oppositum ad a, et similiter h erit negatio ipsius c et etiam ipsius d, quia utraque negatio erit duorum negatio. Sequitur ergo quod omni ei quod est et non est, necesse est inesse aut a vel f: aut enim affirmationem necesse est inesse, aut negationem omni ei quod est vel non est. Et rursum omni ei quod est aut non est, necesse est inesse aut c aut h, quia etiam illa opponuntur ut affirmatio et negatio. Adhuc autem omni ei cui c inest, illi subjacet consequens a; quia cui inest antecedens, necesse est inesse consequens: propter quod sequi videtur, quod cui

omni inest **f** negatio consequentis, illi etiam omni videtur inesse **H** negatio antecedentis. Arguatur enim sic : si ad c sequitur **A**, et non e converso : cum oppositum ipsius **A** sit **f**, et oppositum ipsius **C** sit **H**, tunc per consequentiam e contrario nuper ostensam, ad **f** negationem consequentis sequitur **H** negatio antecedentis, si oppositum ipsius **f** est **B**: quia fuit **f** negatio etiam ejus quod est **A** et ejus quod est **B**, et eadem ratione oppositum ipsius **H** est **D**, quia **H** fuit negatio et **C** et **D**. Propter quod cum ad **f** sequatur **H** per consequentiam e contrario factam, eadem ratione ad **D** sequetur **B**: ergo arguendo a primo ad ultimum, si ad **C** sequitur **A**, ad **D** sequitur **B**, et videtur quod ad oppositum antecedentis sequitur oppositum consequentis.

Rursum, quoniam alterum duorum quæ sunt **f** **B** omni ei quod est vel non est videtur inesse alterum, eo quod unum ad alterum se habet ut negatio ipsius, **f** enim fuit negatio et **A** et **B**, hoc autem idem similiter est in **H** **D**, quia **H** est negatio **D**, et tunc videtur quod omni insit alterum istorum, et nulli simul ambo : sequitur **H** negatio antecedentis et oppositi antecedentis, et ei quod est **f**, hoc est, negationi consequentis et oppositi consequentis : et sequitur idem **H** etiam ei quod est **D** oppositum antecedentis : hoc enim scimus per consequentiam e contrario factam : et ita videtur quod si **A** sequitur **C**, videtur quod etiam ei quod est **D** oppositum antecedentis sequatur **B** oppositum consequentis : et sic videtur quod ad oppositum antecedentis sequatur oppositum consequentis.

Hoc autem falsum est, et his quæ prædicta sunt contrarium. In his enim quæ sic se habent ut oppositum antecedentis et oppositum consequentis, erit consequentia e contrario, hoc est, quod sicut consequens ad antecedens, ita e contrario oppositum antecedentis sequitur ad oppositum consequentis.

Unde dicendum ad objectionem quæ probare videtur, quod ad oppositum an-

tecedentis sequitur oppositum consequentis, quod non sunt contradictoria **f** et **A**, nec sunt contradictoria **f** et **B**; **f** enim non est negatio ipsius **A**, neque est negatio ipsius **B**, sed sunt duæ negationes diversæ : et ideo fortasse non est necessarium omni inesse aut **A** aut **f**, aut etiam **f** et **B**, quia non sunt contradictoria. Id enim quod est **f** non est negatio contradictorie opposita ei quod est **A**, quia si esset negatio ejus contradictoria, esset idem cum eo quod est **B**, cum unius non possint esse duæ negationes contradictorie oppositæ. Sic enim boni negatio contradictoria est non bonum. Sed hoc quod est **f**, quod est negatio et consequentis et oppositi consequentis est sicut negatio quæ dicit, quod aliquid nec bonum est, nec non bonum : et hujus negatio non est eadem illi quæ dicit non bonum. Similiter autem et in **D** **C** dicendum est, quod ejus quod est **C** vel **D** non sit negatio contradictoria id quod est **H**, quia negationes quæ sumptæ sunt (una scilicet in opposito antecedentis, et altera in negatione antecedentis et sui oppositi) sunt duæ et non una : et ideo si una opponitur antecedenti contradictorie, sequitur quod altera non est contradictoria : et sic patet quod non procedit sophisma inductum.

Hic autem notandum est quod copulativæ (quæ copulatur ex duobus copulatis contradictorie oppositis, ut Socrates currit, et Socrates non currit) non potest esse una negatio, nisi negatio referatur ad copulationem, sicut si sic dicatur, Socrates currit et Socrates non currit, hæc copulativa est falsa : ergo ejus contradictoria vera, hæc scilicet, non Socrates currit et Socrates non currit : cuius sensus est, hæc copulativa est falsa, Socrates currit et Socrates non currit : et tunc patet quod neutra pars copulativæ negatur per negationem præpositam. Si autem negatio præposita feratur ad copulata, et non ad copulationem, tunc cum unius compositionis sit una negatio, negatio stabit in prima parte copulativæ, et non feretur ad secundam : et tunc sensus est,

Socrates non currit, et Socrates non currit : et sic iterum negatio non est duorum simul et utriusque, sed alterius tantum, scilicet partis affirmativæ in copulativa.

Dubitatio.  
Utrum ne-  
gationis sit  
negatio.

Si autem aliquis quærat utrum negationis sit negatio ? propter hoc quod dictum est hic esse duas negationes f et b. Hoc enim quidam probare conantur per hoc, quod omnis affirmationis est negatio : omnis autem propositio secundum aliquem modum est affirmativa, quia omnis propositio sui dicti est affirmativa : et ideo negari potest. Adhuc quia negatio superveniens tollit negationem inventam : tollere autem est negare : ergo videtur quod negatio neget negationem : et sic negationis est negatio.

In contrarium hujus videtur esse : quia si negationis est negatio, tunc illius negationis eadem ratione est tertia negatio, et tertiae quarta, et ibit hoc in infinitum.

Adhuc omnis negatio est alicujus affirmationis præexistentis : ergo quod negatur, prius est affirmatum : sed negatio non est affirmatio : ergo negatio non est negationis.

Ad hoc autem dicendum videtur, quod negatio negari potest : et sic aliquo modo negationis est negatio. Sed tamen secunda negatio non est vere secundum rem negatio, sed potius affirmatio secundum rem, et negatio secundum vocem sive sermonem : et ideo non potest addi tertia negatio : quia si tertia negatio addatur, non invenit negationem, sed affirmacionem : nec est negandum quin talis possit fieri additio negationum, sed quælibet erit affirmationis secundum rem, sicut dictum est. Quamvis autem in natura simile construat et non destruat simile, tamen in rationibus negatio destruit negationem propter hujus principii necessitatem: « de quolibet affirmatio vel negatio ».

solutio.

Removet  
dubium.

# LIBER II

## PRIORUM ANALYTICORUM.

DE POTESTATE SYLLOGISMI GENERATI.

### TRACTATUS I

DE POTESTATE SYLLOGISMI PENES PROPOSITIONES ACCEPTA.

#### CAPUT I.

*De potestate accepta penes formam præmissarum.*

In quot igitur sive quantis figuris (quia in tribus) et per quales propositiones in qualitate et quantitate conjugatas, et per quot (quia per duas propositiones) et quando quantum ad utiles conjugationes, et quomodo fit (quantum ad distinctiones modorum in figuris) omnis syllogismus. Amplius autem ad quæ media antecedentia vel consequentia vel opposita perspicciendum est construenti per affirmativum syllogismum, vel destruenti per negativum, et quomodo oporteat quærere de quolibet proposito secundum unamquamque artem syllogisticam. Amplius autem per quam viam resolutionis sumamus terminos vel propositiones quæ in singulis syllogismis sunt principia ipsorum, jam in superiori libro (qui de per-

fecta syllogismi generatione est) secundum omnia substantialia ipsius pertransivimus sufficienter quantum ad generationem syllogismi secundum substantiam ipsius. Restat ergo nunc dicere de potestate generati syllogismi quantum ad conclusiones quas potest inferre : sicut et in naturis post rem in substantia perfectam primum consequens eam est potestas ipsius, quæ consequitur perfectionem substantiæ. De potestate igitur syllogismi generati deinceps dicemus. Dicemus autem primo de potestate syllogismi, quantum ad propositiones præmissas, quæ accipitur ex forma ipsarum propositionum.

Incipientes igitur dicimus, quoniam syllogismorum quidam sunt universales, ex ambabus præmissis universalibus constituti : alii vero sunt particulares, ex altera particulari constituti. Universales quidem omnes habent eamdem potestatem, quod plura (hoc est, plures conclusiones) syllogizant, unam quidem imme-

diate, aliam autem ex conversione conclusionis, quæ semper suam infert conversam. Sed particularium syllogismorum illi qui sunt prædicativi sive qui concludunt affirmativas conclusiones, concludunt plures conclusiones. Illi vero qui sunt negativi concludunt unam solam conclusionem.

Et hujus causa est, quia quædam propositiones conclusæ in universalibus syllogismis et particularibus, convertuntur simpliciter, vel per accidens in terminis, sicut universalis affirmativa convertitur in particularem, et particularis affirmativa simpliciter, et universalis negativa convertitur simpliciter. Quædam autem propositiones conclusæ non convertuntur in terminis, sicut particularis negativa : conclusio enim propter hoc quod est propositio enuntians aliquid de aliquo, conversionem suscipit, sicut et alia propositio : propter quod quidam syllogismi (ut universales affirmativi et negativi, et particulares affirmativi) plures conclusiones syllogizant, quia conclusionem principalem, et conversam ipsius : cuius exemplum est, ut si ostensum sit et conclusum A omni B aut alicui B inesse simul, cum hoc ex conversione conclusionis ostensum erit B alicui A inesse. Universalis enim affirmativa convertitur in particularem, et particularis convertitur simpliciter. Similiter autem si ostensum sit et conclusum nulli B A inesse, ex conversione universalis negativæ ostensum erit B nulli A inesse. Hæc autem conclusio alia est a priore quam immediate concludit syllogismus : tamen aliquo modo est conclusio facti syllogismi, quia conversa substantialiter et implicite continetur in ea quæ convertitur in ipsam. Si autem in particulari syllogismo aliquo conclusum est vel ostensum, quod alicui B non inest A, non est necesse per syllogismum quod alicui B non insit A, eo quod aliqua contingit omni inesse : aliquod enim animal non est homo, et tamen omnis homo est animal : et sic non potest esse vera conversa particularis negativæ quæ-

est, aliquis homo non est animal : quia contradictoria est ejus quæ dicit, omnis homo est animal.

Hæc ergo causa (quod conclusio convertitur) prima et communis omnium causa est concludendi plures conclusiones : quia quicunque syllogismus concludit aliquam propositionem, ille in se substantialiter habet etiam conversam conclusionis : et ideo ex suis substantialibus concludit etiam illam. Si autem conclusio converti non potest, tunc per sua substantialia non concludit nisi unam solam conclusionem : et hæc est potestas tam universalium quam particularium syllogismorum.

Si quis autem dicat quod hoc quod dictum est, quod omnes conclusiones universales tam affirmativæ quam negativæ convertuntur, instantiam habere videtur, quia universalis negativa de contingenti non necessario non convertitur, sicut in priori libro habitum est. Similiter et hoc quod dictum est, quod particularis negativa non convertitur, instantiam habere videtur, quia particularis negativa de contingenti non necessario convertitur.

Ad hæc autem diversi diversa respondent. Dicunt enim quidam, quod ut frequentius convertuntur universalis affirmativa et negativa, et particularis affirmativa : particularis vero negativa ut frequentius non convertitur, licet quam raro et in paucis sit instantia. Alii dicunt (quod tamen in idem redit) quod in omni materia et necessaria et contingenti et impossibili in communi considerata, illæ quæ dictæ sunt fiunt conversiones, quamvis in aliquo speciali contingenti non fiunt. Adhuc attendendum est quod cum hic dicatur, quod est eadem propositio conversa, et in quam convertitur, quando fit conversio conclusionis, non intelligitur hoc quantum ad formam propositionis quæ attenditur in situ et positione terminorum, sed quantum ad terminorum substantiam : et hoc est secundum propositionum materiam : sic enim una est in

Objectio.

Solutio quo  
rumdāin.Alia solu-  
tio.

alia, et conclusa una et alia conclusa est in illa.

Est autem de universalibus syllogismis adhuc aliter dicere, qualiter unus et idem syllogismus habet potestate plures conclusiones, quamvis secundum actum non concludat nisi unam. In prima enim figura in qua medium ponitur inter extrema et subjicitur in prima propositione, et prædicatur in secunda, accipiendo primo universales syllogismos primum et secundum, omnium illorum quæ sunt sub medio, et omnium eorum quæ sunt sub minori extremitate, quæ subjicitur in secunda propositione et distribuitur universaliter, omnium illorum erit idem syllogismus: et de omnibus illis concluditur major extremitas, sicut si dicam sic, omne animal est substantia: omnis homo animal: ergo omnis homo substantia. Et accipiatur sub medio sic, omne sensibile substantia: omnis homo sensibile: ergo omnis homo substantia. Vel si accipiatur sub minori extremitate sic, omnis homo substantia: omne risibile homo: ergo omne risibile substantia. Talis autem syllogismus fit si hoc quidem quod sumitur sub medio, ponatur in medio sicut subjectum est in prædicato, ita quod sumptum sub medio subjiciatur ei quod fuit medium in primo syllogismo: tunc enim erit subjectum minoris propositionis, et erit minor extremitas de qua concluditur extremitas major. Et si illud quod sumitur sub minori extremitate, ponatur subjectum conclusionis: quia tunc etiam erit minor extremitas et subjectum in minori propositione: et tunc per id quod in priori syllogismo fuit minor extremitas sumpta pro medio, concluditur major extremitas de eo quod sumptum est sub minori: et eodem modo de eo quod sumitur sub medio, per medium ipsum concluditur major extremitas: et hoc est facile.

Et hujus exemplum in terminis transcendentibus est, ut si dicamus, quod hæc

conclusio, omne b est a, conclusa sit per c medium, quæcumque sunt sumpta sub b minori extremitate, aut sub c medio, necesse est quod de omnibus illis concludatur a dici sive prædicari, sicut si d sumatur sub b, erit d in toto b, quia omne d erit b, et b est in toto a, ita quod omne b est a, et sic concluditur quod d est in toto a per eundem syllogismum. Rursus autem similiter erit si sub c medio accipiatur e, tunc enim erit e in toto c et c in toto a, et concluditur quod e est in toto a.

Similiter autem est in secundo primæ figuræ, in quo universalis et privatus fit syllogismus, sicut si dicatur, nullum animal lapis: omnis homo animal: ergo nullus homo lapis. Sive sumatur sub medio, sive sub minori extremitate, sequetur remoto majoris extremitatis de omnibus illis: et est facile formare hujusmodi syllogismos.

In secunda autem figura in primo et secundo modo (qui sunt universales syllogismi) non contingit majorem extremitatem syllogizari de sumptis sub medio: eo quod medium est prædicatum, et sub prædicato secundum decursum syllogisticum nihil sumi potest: sed id solum est syllogizare ut concludatur de eo major extremitas quod est sumptum sub concludione (hoc est, sub minori extremitate, quæ subjectum est conclusionis<sup>1</sup>) quia illa est etiam subjectum minoris propositionis quæ universaliter distributa in syllogismis duobus primis secundæ figuræ: et ideo syllogistice aliquid potest sumi sub ipsa de quo negative concludatur major extremitas, sicut sic syllogizando in primo secundæ, nullus lapis est animal: omnis homo est animal: ergo nullus homo lapis. Et sub medio accipi non potest cum sit prædicatum, et stet secundum scipsum, sed sub homine accipi potest risibile sic, nullus lapis animal: omne risibile animal: ergo nullum risibile lapis. Similiter est in secun-

<sup>1</sup> His capit conclusionem pro minori extre-

mitate.

do secundæ. Patet igitur quod in secunda figura solum id quod sub conclusione (hoc est, sub minori extremo quod in conclusione est subjectum) contingit hoc modo syllogizare negative, quod de ipso negative concludetur major extremitas: medium enim in secunda figura non potest stare pro partibus quæ sub ipso accipientur.

Hujus autem exemplum in terminis generalibus sive transcendentibus est, ut si dicamus, quod A medium nulli B insit in majori propositione, conclusio erit quoniam nulli C inest B. Si autem sub C minori extremo est sumptum D, manifestum est quod etiam illi non inest B majus extrellum: quia aliter non negaretur universaliter de C, quod enim universaliter negatur de superiori negatur de omni suo inferiori per syllogismum. Si autem sumantur aliqua sub A medio in secunda figura, quamvis forte de illis majus extrellum removeatur et non insit eis, tamen hoc non potest esse palam sive manifestum per syllogismum, sicut si dicamus, quod E est sumptum sub A medio. Sed quod A nulli C insit, hoc est ostensum per syllogismum primum: sed quod eidem A non insit B (quod dicit conversa majoris propositionis), hoc est sumptum et non demonstratum per syllogismum: et propter hoc per syllogismum concludi non potest, quod B majus extrellum non insit E quod sub medio est acceptum.

In particularibus autem syllogismis primæ figuræ de his qui sunt sub minori extremitate in conclusione subjecta, non est sive contingit necessarium aliquid syllogizare per syllogismum: cuius causa est: quia particularis est, et syllogistice sub particulari sumi nihil potest<sup>1</sup>, unde minor extremitas sumpta fuerit particulariter ad ea quæ possent sumi sub minori extremitate: per syllogismum enim

major extremitas non potest concludi de contentis sub minori extremitate. Eorum autem quæ sunt sub medio sumpta, erit major extremitas in omnibus: quia in illis qui sunt in prima figura, medium est in toto primo vel in nullo: et ideo necesse est quod de omnibus his verificetur major extremitas, vel removeatur ab omnibus illis: tamen major extremitas non concluditur inesse his quæ sunt sub medio per syllogismum primum, sed potius per syllogismum in syllogismo primo implicitum, sicut in præhabitis dictum est, in quo de eo quod est sub medio per hoc quod subjicitur medio sit minor extremitas, de qua concluditur per medium major extremitas. Et hujus exemplum est in tertio primæ figuræ, ut si A major extremitas omni B medio dicatur inesse in majori propositione, et B medium alicui C dicatur inesse in minori: tunc enim ejus quod sub C minori extremitate positum, non erit syllogismus, quia contingit maiorem esse particularem in prima figura: ejus vero quod est præsumptum sub B medio, erit quidem implicitus in primo syllogismo syllogismus: sed hoc non erit propter illum syllogismum qui prius factus est, sed (ut diximus) propter eum qui implicitus est in illo.

Similiter autem in particularibus syllogismis aliarum figurarum: in omnibus enim figuris in particularibus syllogismis non erit syllogismus ejus quod est sub minori extremitate acceptum qui est subjectum in conclusione: alterius autem termini (qui est medium) erit quidem ad contenta syllogismus: hoc tamen non est per syllogismum: sed talia per indemonstratam et non conclusam propositionem ostendebantur, sicut et in universalibus syllogismis primæ figuræ dictum est: aut si erit in illis ad sumpta sub minori extremitate syllogismus, tunc erit et in his qui particulares sunt syllogismis. Ista est sen-

<sup>1</sup> Quasi dicat, quod non potest sumi sub extremitate minori: tum quia tunc major esset particularis in prima figura: tum etiam quia

particularis non est semper talis, ut sub ea licet sumi aliquid.

tentia dictorum Aristotelis, et sunt in ea plures dubitationes et opiniones.

## CAPUT II.

*De solutione dubitationum et diversitate opinionum quæ sunt circa potestatem quæ inducta est.*

Hic autem notandum primum, quod quæcumque dicta de potestate concludendi plures conclusiones propter conversam conclusionis, absque dubio vera sunt, et ita subjiciantur sicut probata sunt. In his autem quæ de potestate concludendi maiorem extremitatem de contentis sub medio vel minorem extremitatem dicta sunt, quidam dubitaverunt. Dicunt enim quidam, quod est syllogismus simpliciter, et est syllogismus implicitus in illo. Syllogismus enim simpliciter est, qui per se stat in tribus terminis et duabus propositionibus. Syllogismus autem implicitus in illo est, qui accipitur ex intellectu majoris propositionis, quæ semper est universalis in prima figura. Verbi gratia, omne b A, omne c B, vel aliquod c B. Vel si major sit universalis negativa, nullum b A, omne c B, vel aliquod c B. Et hic est simpliciter syllogismus. Implicitus autem est, qui fit ex intellectu majoris propositionis: cum enim dicitur omne b A, vel in terminis ponendo, omnis homo est animal, sensus est, omne id est animal quod est homo: et hæc propositio secundum hoc in se duo continet. Per hoc enim quod dicitur, omne id est animal, accipitur major propositio quæ est ad majorem extremitatem. Per hoc autem quod dicitur, quod est homo, accipitur minor. Et de duabus illis propositionibus factus syllogismus dicitur implicitus syllogismus: et fit acceptio sub medio per hoc quod dicitur, quod est homo. Acceptio autem sub majori fit per hoc quod dicitur, omne id est animal.

Dubitatio  
priorumdam  
lrea dicta  
rist. hic.

ctum illo-  
un et est  
rima, op-  
nia circa  
imam po-  
testatem  
llogismo-  
morum,

Dicunt isti quod implicitus syllogismus imam po- idem dicitur cum syllogismo simpliciter testatem llogismo- sive explicito, per hoc quod implicitus

per intellectum continetur in explicito, et quod sic unus syllogismus (sicut implicitus in explicito est unus) concludit plures conclusiones accipiendo contenta sub medio vel sub minori extremitate. Quia vero hoc modo ea quæ sunt supra majorem extremitatem, non sunt implicita in majori propositione, propter hoc non dicuntur posse concludi de majori extremitate per eumdem syllogismum, quamvis concludi possint per alium syllogismum sumpto superiori pro medio, et majori extremo sumpto pro minori sic, omne corpus animatum substantia: omne animal corpus animatum: ergo omne animal substantia.

Dicunt etiam isti quod hæc est causa, Atiud dic-  
tum illorum. quod in secunda figura major per syllogismum implicitum in majori non potest concludi de contentis sub medio, non implicatur in majori propositione: quia cum dico, nullus lapis est animal, hic non significatur nisi remotio medii ab extremo et non e converso: et ideo non significatur hic removeri extremum a medio vel a contentis sub medio: sed significatur removeri a contentis sub minori extremo propter oppositionem majoris extremi ad minus extremum; et ideo virtute syllogismi impliciti ab illis removetur, sed non a contentis sub medio. Sed si convertatur major sic, nullum A est B, ibi significatur majus extremum removeri a contentis sub medio: sed illa conversa non implicatur in majori, et ideo absque syllogismo primo quasi indemonstrata explicite vel implicite sumitur: et si syllogizatur majus removeri a contentis sub medio, hoc fiet per syllogismum implicitum in conversa majoris, et non in majori.

Si autem ab ipsis queritur, quare magis in secunda figura dicitur major sumi indemonstrata ad concludendum majorem extremitatem removeri a contentis sub medio, quam in prima, ubi etiam quando major concluditur de contentis sub medio, major propositio per syllogismum non demonstratur, sed sumitur? Objectio  
prima. Solutio. Dicunt quod major de ordine suorum

terminorum dicit ordinem et potestatem concludendi majus extremum de medio : et quia per seipsam se habet ad hoc, propter hoc immediatius se habet ad illud virtute demonstrationis. In secunda autem figura non per ordinem suorum terminorum se habet ad illud, sed mediae, scilicet per conversam ipsius : et ideo potius dicitur major in secunda figura sumi indemonstrata, quam in prima.

**Objectio secunda.**

Si autem adhuc quæritur ab istis, quare hæc potestas (scilicet concludendi majorem removeri a contentis sub medio ex propositione indemonstrata) potius determinatur in syllogismo habente majorem universalem negativam, sicut habet primus modus secundæ, quam in secundo modo ejusdem secundæ figuræ in quo major est universalis affirmativa ? *Dicunt* quod in syllogismo secundæ figuræ in quo major est affirmativa, non est accipere sub medio, de quo dicatur majus extremum : sed quando major est negativa, ab omnibus contentis sub medio removetur extremum : et ideo dicitur hoc de modo primo et non de secundo.

**Objectio tertia.**

Si autem ulterius quæritur ab istis, quare in particularibus syllogismis primæ figuræ dicitur major concludi de contentis sub medio, sed non per syllogismum : cum tamen in majori particularium syllogismorum implicitus sit syllogismus, et sic implicitè probata sit major per explicitum, et inferri possit ex ipsa, et sic videatur per syllogismum demonstrata secundum quemdam modum ? *Dicunt* isti quod procul dubio implicitè in talibus major demonstrata est : sed quia per primum explicitum syllogismum non est conclusa, ideo dicitur non indemonstrata, sed dicitur non per eum (qui prius factus est syllogismum conclusa). De particularibus autem secundæ figuræ quantum ad acceptiōnem sub medio idem dicunt quod in universalibus secundæ figuræ syllogismis dictum est, quod scilicet accipiunt majorem pro-

positionem indemonstratam : non syllogizant autem per acceptiōnem conclusionis quæ demonstrata est : et sic ex indemonstrata procedunt.

Siautem ulterius quæritur de particularibus tertiae, in quibus aliquando major est particularis : tunc enim fit syllogismus majoris extremitatis ad ea quæ accipiuntur sub medio, ut videtur : et videtur, quod tunc secundum hanc responsionem major in prima figura possit esse particularis. Et *dicunt* ad hoc isti, quod quando major est particularis in tertia figura, non potest syllogizari major extremitas de contentis sub medio propter causam quæ prædicta est : sed tantum syllogizari potest in his in quibus major est universalis. Adhuc *dicunt* isti, quod majori extremitate particulari existente in figura tertia, contingit syllogizare minorem extremitatem de contentis sub medio : sed in omnibus accipitur propositio major indemonstrata : et non concluditur propositum per syllogismum prius factum explicitum vel implicitum in illo qui radicat idem syllogismus est cum illo. *Dicunt* etiam isti, quod in nullo syllogismo particuli cuiuscumque figuræ concludi potest major extremitas de contentis sub minori extremitate : et in omnibus est eadem causa, scilicet quia major non potest esse particularis in prima figura. Hæc est prima opinio circa potestatem istam.

**Solutio.**

Secunda vero est, quod quidam dicunt hanc doctrinam hujus potestatis datam esse de syllogismo ostensivo strictissime sumpto, et de syllogismo ex hypothesi sumpto communissime : hic enim solus ille syllogismus vocatur ostensivus, cuius omnes præmissæ per syllogismum ostensæ sunt : et omnis ille syllogismus hic vocatur ex hypothesi, cuius præmissæ per syllogismum non ostenduntur<sup>1</sup>. Et hoc modo syllogismus ille ostensivus est, qui assumptu aliquo sub conclusione primi

**Objectio quarta.**

**Solutio.**

<sup>1</sup> Nota strictum modum sumendi syllogismum ostensivum, et latum modum sumendi syllogis-

mum ex hypothesi. P. J.

**Secundum opinio ei primam testatorum syllogistarum.**

syllogismi concludit de illo majorem extremitatem per conclusionem primi syllogismi positam pro majori, procedit enim ille ex demonstrata propositione : ille vero qui assumit sub medio ad concludendum de illo majorem extremitatem, assumit majorem præexistentis syllogismi quæ indemonstrata est, et ideo est ex hypothesi : et ideo dicitur quod talis syllogismus concludit ex indemonstrata propositione. Et isti qui sic dicunt, ponunt quod syllogismorum prosyllogismi (ex quibus ostenduntur propositiones præmissæ syllogismi primi expliciti) continue procedunt usque ad principia prima, in quibus fit status : et si alicubi fit status in prosyllogismis antequam perveniantur ad principia prima, adhuc erit ex hypothesi syllogismus, donec omnia principia usque ad prima fuerint explanata.

Si autem queratur ab his, quare magis dicitur fieri ad contenta sub medio in secunda figura ex indemonstrata propositione, quam in prima ? Dicunt quod in majori primæ figuræ nihil deest nisi ejus descensio. In majori autem secundæ figuræ deest et ostensio et conversio ad hoc quod fiat ostensivus syllogismus : et sic iste syllogismus in secunda figura magis est ex hypothesi, quam in prima. Et quando dicitur quod non fit syllogismus, eo quod accipitur indemonstrata propositione dicitur propter hoc solum quia non fit ibi syllogismus ostensivus, eo quod procedit ex propositione non ostensiva. Et hoc quidem multi et subtiliter dixerunt, et habet aliquam veritatem.

Si autem queritur ad quem usum est ista duplex potestas, scilicet accipiendi sub medio, et accipiendi sub minori extremitate ? Dicendum quod utilis est ad exercitium et dialectico et sophistæ. Secunda etiam potestas accipiendi sub minori extremitate, est utilis in parte ad demonstrationes, in quantum illæ augentur in post assumendo.

*Opinio Alfarabi.* Facillimam opinionem de ista doctrina videtur ponere Alfarabius, qui dicit, quod unus est syllogismus virtute, qui

per idem dici de omni vel idem dici de nullo confirmatur : et ideo in prima figura in dici de omni non includitur nisi quod est sub termino, et non quod est super ipsum : et ideo quæ supra majorem extremitatem sunt, de majori extremo vel de medio vel minori per dici de omni (quod in primo syllogismo est) concludi non possunt : et si syllogizantur de majori extremo, oportet quod ex indemonstrato per dici de omni primi syllogismi, et ad virtutem concludendi (quæ in illo est syllogismo) referri non possunt. Similiter in secunda figura : quia per dici de omni et dici de nullo (quod in secunda figura est) nihil potest sumi sub medio, sed tantum sub minori extremitate : et ideo in illa nihil de medio vel de his quæ sunt sub medio concludi potest : et si fiat, erit ab indemonstrato : quia oportet quod non sciatur per dici de omni vel dici de nullo, quod est in primo syllogismo : quia virtute infra ipsum non continetur : et ideo ab indemonstrato assumitur.

In particularibus autem syllogismis non potest fieri syllogismus majoris extremitatis ad ea quæ sunt sub minori extremitate : quia illa de contentis sub minori extremitate accipit non possunt per dici de omni, cum minor propositione sit particularis : sed potest tamen major extremitas de contentis sub medio et affirmari et negari, non tamen per id quod virtute sit in syllogismo prius facto, per dici de omni quod est in ipso : quia medium in prima quidem propositione universaliter subjicitur et in secunda propositione particulariter prædicatur : et si sub medio aliquid accipiatur de hoc non universaliter, major extremitas concluditur : et si esset directe sub medio sumptum, et medium sub majori universaliter concluderetur : et hoc non fit. Patet igitur quod non (per id quod virtute sit in primo syllogismo) id quod est majus extrellum concluditur de contentis sub medio.

Et huic expositioni magis videtur consentire littera Aristotelis : si enim aliquid sumatur sub medio particulariter, de illo

Laudat ex-  
positionem  
Alfarabii.

non concluditur major extremitas, nisi per medium subjectum majori extremitati universaliter, et prædicatum de minori particulariter. Id autem quod sumitur sub medio, erit tunc minor extremitas de qua medium particulariter oportet prædicari in particularibus syllogismis. Id autem inferius quod particulariter prædicatur de aliquo, facit suum superius particulariter concludi de illo: et si illa conclusio sumpta sit pro majori in prosyllogismo in quo majus debet concludi de contentis sub medio, tunc syllogismus erit ex particularibus ambabus, et non valebit: et ideo talis syllogismus non continetur virtute in priori: sed erit assumptus extra dici de omni, quod perficit primum syllogismum. Hoc est igitur quod de ista doctrina diversi tradiderunt.

*Comparat  
tres opinio  
nes supra  
positas in  
ter se.*

In duabus autem his opinionibus, prima scilicet et tertia semper unus dicitur syllogismus explicitus et implicitus per virtutem in illo: quia radicaliter unus sunt, et conclusio impliciti virtute est in explicito, et quantum ad hoc dicitur, quod unius syllogismi plures sunt conclusiones.

Secunda autem opinio est eorum, qui dicunt secundum librum *Priorum* dividi a primo, per hoc quod in primo determinetur de syllogismo ostensivo, in secundo vero de syllogismo ex hypothesi, quem dicunt fieri quotiescumque non a demonstrata propositione quæ est conclusio primi syllogismi sumpta cum altera concluditur: sed sumitur major a positione respondentis et consensu: et deficit in ea demonstratio. Prima tamen inter has subtilior et communior est opinio. Tertia vero studio indiget ut verificetur, et præcipue in particularibus syllogismis.

### CAPUT III.

*De potestate quomodo secundum mate  
riam ex falso verum est syllogizare.*

Cum autem ex combinatione duarum propositionum fiat syllogismus, est vel contingit sic se habere propositiones, quod ambæ veræ sint per quas fit syllogismus:

et est, id est, contingit eas sic se habere ut ambæ falsæ: et est, quod sic se habent, ut hæc (unascilicet) sit vera, illa vero sive alia sit falsa, conclusio autem consequens ex omnibus his modis, aut vera aut falsa est in omnibus his modis. Cum enim quatuor modis verum et falsum in consequendo ad invicem possint comparari (scilicet quod verum ex vero, et falsum ex falso, et verum ex falso, et falsum ex vero) non oportet nos ostendere nisi qualiter falsum non sequitur ex vero, et qualiter verum sequitur ex falso: quia hoc non est notum, et est difficile, et est syllogismi potestas: quia qualiter verum ex vero, et qualiter falsum ex falso sequitur, facile est, et ex dictis in primo libro de dispositione in terminis et propositionibus satis est manifestum.

Dicendum ergo primo, quod ex veris non est falsum syllogizare. Quamvis quidam objiciant contra hoc dicentes, quod si concludatur conclusio falsa ex duabus in toto falsis in primo secundæ, sumantur contrariæ illarum duarum propositionum quæ erunt in toto veræ et syllogizabitur eadem conclusio falsa ex duabus illis in toto veris in secundo secundæ: et sic ex vero sequitur falsum. Sed ad hoc dicendum quod præmissis existentibus in toto falsis in primo secundæ, necesse est extrema disparata esse: et ita unum ab altero vere poterit removeri universaliter: propter quod sic se habentibus præmissis necesse est conclusionem esse veram: et sic falsum est quod in quæstione supponitur, scilicet quod ex duabus in toto falsis falsum possit syllogizari. Ex falsis autem est verum syllogizare: sed non contingit hoc quod illæ propositiones quæ ponuntur in syllogismo tali, sint causa veræ conclusionis, propter quid dicens: sed sunt causa quia (sive quoniam sequitur conclusio vera ex falsis), nam ejus causæ (qua præmissæ sunt causæ propter quid) non est ex falsis syllogismus qui veram autem concludit conclusionem: ob quam autem causam hoc contingit, in sequentibus dicetur.

*Objectio,  
quod ex ve  
ris sequat  
ur falsum.*

*Solutio.*

## Dubitatio.

Sed antequam determinetur qualiter ex falso sequitur verum, determinandum est an hoc est possibile, quod ex falso verum sequatur. Videtur enim hoc esse impossibile: quia conclusio est effectus principiorum præmissorum: causa autem et effectus generis unius debent esse. Tum etiam propter hoc, quod verum est ens, et falsum non ens, et entis non potest esse causa nisi ens. Tum etiam propter hoc, quod verum et falsum sunt opposita: oppositorum autem unum non est causa alterius. Adhuc cum dicitur verum sequi ex falso, falsum non potest esse causa illati, sed illationis. Si autem est causa illationis: aut hoc est quia est causa secundum materiam: aut quia est causa illationis secundum formam. Si secundum materiam: tunc iterum non sequetur ex falso simpliciter, sed gratia materiæ, et ut nunc: et hoc non est sequi semper et simpliciter. Si autem est causa illationis secundum formam: contra hoc esse videtur, quia manente eadem forma in aliis terminis erit ex falsis syllogizare falsum. Si enim sic dicam, omnis lapis est animal: omnis homo lapis: ergo omnis homo animal. Ambæ præmissæ sunt in toto falsæ, et conclusio vera. Si autem sic proponatur, omnis lapis animal: omne lignum lapis: ergo omne lignum animal. Erunt præmissæ in toto falsæ, et conclusio falsa. Et tamen utroque manet eadem forma. Idem ergo secundum formam eamdem causabit opposita.

## Solutio.

Ad hæc ergo et similia notandum, quod falsum non potest esse causa veri quantum ad rem conclusam, sicut necessario probatum est. Sed præmissæ possunt esse causa illationis veræ conclusionis dupliciter, scilicet aut per se, aut per accidens: et non possunt esse causa per se, sed per accidens possunt esse causa talis illationis: non enim sunt causa illationis veri in quantum sunt falsæ præmissæ, sed ex parte materiæ, sicut duo impares numeri causa sunt paris, quia par dividitur aliquando in duos impares, et componitur ex duobus imparibus, sicut sena-

rius ex duobus ternariis, quem non constituunt in quantum sunt impares, sed per materiam per quam sunt duæ partes numeri parium. Sic præmissæ falsæ constituunt conclusionem veram, non in quantum sunt falsæ, sed per materiam in quantum utraque per terminum in ea positum est medietas veræ conclusionis. Et hoc modo loquendo causa et effectus sunt secundum aliquid unius naturæ. Et hoc modo falsum non est causa veri ut constituens ipsum, sed ut habens in se aliquid per quod constituitur secundum materiam. Et hoc modo non ens habens in se aliquid entis, potest esse causa entis per accidens. Hoc etiam modo patet, quod præmissæ falsæ causa sunt illationis veræ conclusionis, non quantum ad formam, sed quantum ad dispositionem materiæ in terminis positis in propositionibus præmissis, sicut nuper dictum est. Hic autem determinari habet de syllogismo ex falsis in quantum est in potentia ad formam probabilis et apparentis, et abstrahit ab utroque: sic enim in communi consideratus pertinet ad istius libri *Priorum* scientiam. In materia autem probabili consideratur in *Topicis*, et in materia apparente consideratur in *Elenchis*.

Et est hic attendendum quod syllogismus ex falsis duplicitate potest considerari, scilicet respectu conclusionis in communi sive sit vera, sive falsa: et sic concludit ex necessitate syllogistica, sicut quælibet alia species argumentationis: quandcumque enim sunt tres termini in duabus propositionibus secundum figuram et modum, necesse est aliquam sequi conclusionem. Potest etiam comparari ad conclusionem veri: et sic non concludit ex necessitate, quia peccat in materia.

Adhuc autem notandum quod syllo- Materia syllogismi duplex. gismi materia est duplex. Una quidem syllogismi in quantum est syllogismus quæ est tres termini et duæ propositiones: et hæc non potest deficere syllogismo si syllogismus est. Alia est ma-

Removet  
dubium.

teria syllogismi ostensivi et probantis ; et hoc modo syllogismus ex falsis determinata caret materia : et ideo quoad hoc est syllogismus secundum quid, et non simpliciter : habet enim formam in modo et figura ostensivi, sed non habet materiam. Unde etiam secundum materiam omni et nulli sequitur in syllogismo ex falsis in eadem figura et modo sic, omnis lapis animal : omnis homo lapis : sequitur, omnis homo animal. Nulli autem inesse sic, nullum animal lapis : omne lignum animal : ergo nullum lignum lapis.

Ex his etiam patere potest, qualiter syllogismus ex falsis respectu conclusio-  
nis veræ dicitur *syllogismus quia*, sive quoniam : et non dicitur *syllogismus propter quid*. Dicitur enim *syllogismus quia*: eo quod sumitur penes causam acciden-  
talem et remotam : causa enim illationis essentialis et proxima necessariæ conclu-  
sionis est præmissarum debita dispositio in figura et modo, et est causa formalis :  
causa autem accidentalis et valde remota ipsius illationis est potestas materialis  
trium terminorum in constituenda qua-  
cumque conclusione, sicut prius dictum est : et secundum primam istarum causa-  
rum non infert verum syllogismus ex fal-  
sis, sed infert secundum secundam : et ideo est syllogismus quia.

Est autem utilitas istius syllogismi in hoc quod potestas ejus ista consideratur, et res non perfecte scitur, nisi sciatur omnis potestas ipsius. Valet enim et dialectico, secundum quod falsa accipiunt probabilitatem : sic enim saepe ex falsis arguit dia-  
lecticus. Et valet sophistæ, in quantum falsa habent apparentiam. Et sunt etiam ad ipsius syllogismi substantiam cognoscendam, in quantum falsa principia com-  
parantur ad quamecumque conclusionem in communi sive veram sive falsam.

## CAPUT IV.

*Qualiter syllogismi universales primæ figuræ fiant ex falsis, et quod exvero non sequitur falsum.*

Primo ergo ostendemus, quoniam ex veris non est possibile falsum syllogizare: hoc enim ex his quæ dicemus erit mani-  
festum. Si enim sumamus habitudinem antecedentis ad consequens, necesse est quod cum est antecedens, quod sit con-  
sequens, et destructo consequente de-  
struitur antecedens, sicut in ante habitis ostensum est : si enim A sit antecedens, et B consequens, cum est A necesse est esse B, et cum B non est, necesse est A non esse.

Si ergo verum est A antecedens, ne-  
cessere B consequens verum esse : aut si detur oppositum, accidit sive sequitur idem simul esse et non esse : hoc autem est impossibile, quia sic contradictoria essent simul vera. Si enim dicatur quod antecedente vero existente potest conse-  
quens non esse, tunc cum consequens actu et intellectu sit in antecedente, se-  
quitur quod si est antecedens, est conse-  
quens : dictum autem est non esse : et sic simul est et non est. Adhuc si conse-  
quente non existente universaliter tollitur consequens pro omnibus contentis sub ipso : continetur autem antecedens sub consequente : ergo tollitur ipso su-  
blato : sed ponitur esse : ergo simul est et non est. Si autem sic est cum præmis-  
sæ sint sicut principium et antecedens ad conclusionem, si præmissæ sunt veræ, oportet conclusionem veram esse, conclu-  
sione existente falsa, oportet præmissas ambas vel alteram esse falsas.

Sed hoc cavendum est, ne (ideo quia diximus A quod est unus terminus tan-  
tum, esse principium et antecedens) ali-  
quis opinetur quod ex uno aliquid sequatur syllogistique. Hoc enim non contingit,  
quia ex uno termino nihil potest sequi syllogistique : quia illud quod syllogistique

Si ex veris  
sequeretur  
falsum, ac-  
cideret tunc  
idem simul  
esse et non  
esse.

contingit sive sequitur, hoc est conclusio: pér quæ autem hoc fit, quod sic sequitur conclusio, ad minimum sunt tres termini, et duo intervalla sive propositiones: quia duæ propositiones ex ordine trium terminorum fiunt dum medium refertur ad utrumque extremorum, vel ut subjectum utriusque, vel prædicatum utriusque, vel subjectum unius et prædicatum alterius. Si ergo tales præmissæ veræ sumantur, ita quod in majori medium sumatur sub majori extremitate, ita quod nihil sit cui inest  $\beta$  medium, quin eidem insit  $\alpha$  magius extremum, ita quod omni  $\beta$  insit  $\alpha$ , et minus extremum sumatur sub medio, et sit  $\gamma$  quod sumatur sub  $\beta$ , ita quod cuiuscumque inest  $\gamma$  illi eidem inest  $\beta$ , sequitur syllogistice quod cui inest  $\gamma$  quod illi insit  $\alpha$ , et non potest hæc conclusio falsa esse, præmissis (ut dictum est) se habentibus: quia si detur quod conclusio est falsa, veris existentibus præmissis, sequitur quod idem simul erit et non erit, sicut paulo ante ostensum est: et sic se habet habitudo  $\alpha$  ad  $\beta$ , quia positum est  $\alpha$  duas propositiones colligere, hoc est, simul collectas in figura et modo significare.

Similiter autem est in syllogismis privativis quoad hoc quod per hos non contingit falsum ex veris concludere, generaliter verum est, quod ex veris non est falsum syllogistice concludere, tam in affirmativis quam in negativis syllogismis, tam universalibus quam particularibus.

Ex falsis autem sequitur verum syllogistice, et sequitur ex falso verum et utrisque propositionibus falsis et una. Sed cum sequitur ex altera falsa, non sequitur ex utralibet falsa indifferenter sumpta, sed secunda, quando tota sive in toto sumatur falsa, ita quod prædicatum nulli parti contentæ sub subjecto conveniat. Si autem non tota sumatur falsa, sed pro aliqua parte: tunc sequitur verum ex falsa altera præmissarum utralibet sumpta vel majori vel minori. Hoc autem patet per singulos primæ figuræ syl-

logismos. Accipiantur enim tres termini  $\alpha$   $\beta$   $\gamma$  in tali habitudine se habentes ad invicem, quod secundum rem  $\alpha$  major extremitas insit omni  $\gamma$  minori extremitati: et idem  $\alpha$  nulli insit quod est de numero eorum quæ sunt sub  $\beta$  medio contenta. Accidit autem hoc in talibus terminis qui sunt ut animal, lapis, homo: quia nullus lapis animal: omnis homo animal: ergo nullus homo lapis. Si igitur tunc in primo modo primæ  $\alpha$  omni  $\beta$  inesse, et  $\beta$  dicatur inesse omni  $\gamma$ , sequitur ex utrisque falsis vera conclusio: quia in conclusione  $\alpha$  omni  $\gamma$  inerit sic, omnis lapis animal: omnis homo lapis: ergo omnis homo animal.

Similiter autem ex utrisque falsis sequitur verum in secundo modo primæ qui est universalis et privativus syllogismus. Insit enim  $\gamma$  minor extremitas nulli neque  $\alpha$  majori extremitati, neque  $\beta$  medio: et hoc est quando repugnat utriusque;  $\alpha$  autem major extremitas insit omni  $\beta$  medio: et hoc si iidem termini (qui dicti sunt) sumantur, et medium (quod prius fuit lapis) nunc ponatur homo, sic, animal, homo, lapis: lapidi enim minori extremitati neque homo medium nulli inest, neque animal quod est major extremitas: et tamen omni homini inest animal: propter quod si sumatur nulli inesse illi cui omni inest secundum rem, falsa erit propositio. Similiter si ei cui nulli inest, sumatur omni inesse, falsa erit propositio. Si autem sumptis propositionibus ex falsis utrisque vera sequitur conclusio, sic, nullus homo animal: omnis lapis homo: ergo nullus lapis animal. Sic igitur patet qualiter in ambobus universalibus syllogismis primæ figuræ ex utrisque falsis sequitur vera conclusio.

Ostendamus qualiter ex altera falsa vera sequitur conclusio. Dicamus igitur quod si altera propositionum præmissarum ponatur falsa, si prima quidem propositio (quæ est  $\alpha$   $\beta$ ) in toto, hoc est, universaliter sit falsa, non erit sive non sequitur ex taliter falsa conclusio vera. Si autem minor propositio quæ est  $\beta$   $\gamma$

sit in toto falsa, sequitur conclusio vera ex taliter falsa minori. Dico autem totam sive in toto falsam, quæ contraria est toti veræ: cuius exemplum est, sicut si illa quæ nulli inest, sumatur omni inesse: aut e converso, si id quod omni inest, sumatur nulli inesse universaliter.

Ostendatur ergo primo, quod majori in toto falsa non potest sequi conclusio vera. Ponamus enim A nulli B inesse in majori propositione, B autem ponamus omni C inesse in minori propositione. Si ergo tali facta positione, B C minorem propositionem sumo veram, A B autem majorem propositionem sumo in toto falsam, ita quod sumo omni B inesse A in majori (cum nulli insit), impossibile est conclusionem esse veram ex taliter falsa majori. Cujus causa est: quia C est sub B, et positum est A nulli inesse B, et tunc etiam nulli inest C, quia C est sub B, si quidem hoc sit verum quod positum est, quod nulli eorum quæ sunt B insit A et quod B insit omni C. Manifestum est igitur quoniam prima sive majori sumpta tota falsa, et minori vera, non potest sequi vera conclusio.

Similiter autem est si A quidem omni B inest, B et omni C in minori, dummodo sumpta sit B C minor propositio vera, A B autem propositio sit sumpta in toto falsa secundum primum modum primæ figuræ, ita quod nulli eorum quæ sunt B insit A secundum rem: quia aliter non in toto falsa major esset propositio: tunc enim ex taliter falsa majori, non vera, sed falsa erit conclusio: tali enim positione facta, omni C inerit A in conclusione quæ falsa est conclusio. Cujus causa est: quia positum est quod omni illi cui inest B inest A, B autem inest omni C, necesse est igitur quod A insit omni C.

Manifestum est igitur, quoniam prima tota falsa sive sit affirmativa, sicut in primo primæ: sive privativa sit, sicut in secundo primæ: altera autem propositione minori sumpta vera, non fit sive non sequitur ex taliter falsa majori conclusio vera sed falsa, sicut patet in ter-

minis, omne animal lapis: omnis homo animal: ergo omnis homo lapis. Nullum animal sensibile: omnis homo animal: ergo nullus homo sensibile. Falsæ et non verae sunt ambæ conclusiones.

Si autem major non in toto falsa sumatur, sed in parte, sequitur conclusio vera ex taliter falsa propositione. Si enim ponamus, quod A majus extreum omni inest C quod est minus extreum, et idem A inest alicui B medio, et B medium insit omni C minori: cuius exemplum in terminis est, sicut animal majus extreum inest omni cygno, sicut minori: albo autem quod est medium, major extremitas quod est animal inest particulariter, quia aliquod album est animal: sed album medium inest omni cygno minori extremitati. Si ergo jam positione terminorum facta sumatur A omni B inesse in majori, quæ non est in toto universaliter falsa, et sumatur B omni C inesse in minori propositione, erit conclusio quod omni C inest A, et est conclusio vera ex falsis: omnis enim cygnus est animal, sic, omne album animal: omnis cygnus album: ergo omnis cygnus animal: et est vera conclusio ex majori non in toto falsa, et minori in toto vera.

Similiter autem fit in secundo primæ si privativa sit A B major propositio, et non in toto falsa: cuius ratio est, quia taliter se habentibus terminis, possibile est quod major extremitas (A scilicet) insit alicui B medio, et quod A nulli insit C minori extremitati, et quod B medium insit omni C minori extremo, ut patet in his terminis, animal, album, nix: animal enim inest alicui albo: sed nulli nivi inest animal: album autem inest omni nivi. Si ergo sumatur A quidem nulli B inesse in majori, erit major non in toto falsa, B autem sumatur omni C inesse, erit minor in toto vera, sequitur quod A nulli C inerit, quæ est vera conclusio.

Si autem e converso major sumatur in toto vera, et minor in toto falsa, ex taliter falsa altera propositione erit syllogismus veræ conclusionis: sicut si A B pro-

positio in toto sit vera,  $\vee$  c autem in toto sumatur falsa: tunc enim erit syllogismus veræ conclusionis: nihil enim est quod prohibeat  $\alpha$  majorem extremitatem et omni  $\beta$  medio inesse, et idem  $\alpha$  omni c inesse: et tamen  $\beta$  medium nulli c inheret minori extremitati: sicut si sumatur in terminis in his quæcumquæ sunt specie subalternæ ejusdem generis, sicut equus et homo sub animali sunt. Subalternas autem hic species dicimus, quæ sub uno et eodem genere ex æquo continentur: animal enim genus et equo et homini omni inest: equus autem nulli homini inest. Si ergo in majori sumatur  $\alpha$  inesse omni  $\beta$ , major in toto erit vera: et si sumatur in minori  $\beta$  omni c inesse, minor in toto erit falsa, sequitur conclusio vera, quod scilicet omne c est  $\alpha$ , cum tamen propositio quæ est  $\beta$  c in toto sit falsa.

Similiter autem est in secundo primæ si privativa sumpta sit  $\alpha$   $\beta$  major propositio, et sit in toto vera: contingit enim  $\alpha$  majus extrellum nulli  $\beta$  et nulli c inesse, medio scilicet et minori extremo: et contingit quod  $\beta$  medium nulli c minori inest extremo, sicut se habet genus ad species sumptas ex alio genere, sicut animal ad musicam et medicinam (quæ sunt species scientiæ) se habet: nam animal neque musicæ inest universaliter, neque medicinæ, neque musica quæ medium est inest medicinæ quæ est minus extrellum. Si ergo tali sumptione terminorum facta, sumatur  $\alpha$  nulli  $\beta$  inesse, erit vera in toto propositio: et si sumatur  $\beta$  omni c inesse minori, in toto falsa erit minor propositio: et sequitur ex taliter falsa minori vera conclusio, scilicet quod nullum c sit  $\alpha$ , sive nulla musica sit medicina.

Similiter autem si propositio minor quæ est  $\beta$  c non sit in toto falsa, sed sit falsa in aliquo, adhuc sic ex taliter falsa minori sequitur vera conclusio: taliter enim se habentibus terminis nihil prohibet quin  $\alpha$  insit omni  $\beta$  in majori, et etiam insit omni c in minori propositione, sicut genus ad speciem et differentiam

se habet, sicut animal inest omni homini et omni gressibili secundum esse sumpito: homo autem quod est medium, alicui inest gressibili et non omni. Si ergo  $\alpha$  sumatur inesse omni  $\beta$ , et  $\beta$  omni c, sequitur quod  $\alpha$  omni c inheret, quod erit verum in conclusione: et sequitur ex majori in toto vera et minori in parte falsa.

Similiter autem sequitur verum ex altera (hoc est, minori) in parte falsa et majori in toto vera in secundo modo primæ figuræ, quando privativa est  $\alpha$   $\beta$  major propositio: contingit enim invenire terminos, in quibus  $\alpha$  majus extrellum neque  $\beta$  neque c nulli inest: et tamen  $\beta$  medium alicui inest minori extremo, sicut aliquod genus sumptum se habet ad speciem et differentiam quæ sumuntur ex alio sive diverso genere: nam animal quod est genus, neque ulli prudentiæ inest (quæ est species scientiæ) neque inest ulli contemplationi (quæ est differentia scientiæ). Prudentia autem inest alicui contemplationi: quia aliqua contemplatio sive contemplativa virtus est prudentia. Si ergo sumatur  $\alpha$  nulli  $\beta$  inesse in majori, erit in toto vera major,  $\beta$  autem sumatur omni c inesse in minori (et erit tunc minor in parte falsa), sequitur quod nulli c inest  $\alpha$ , quod est vera conclusio: quia nulla prudentia est animal, et nulla contemplatio est animal. Sic igitur patet qualiter in universalibus primæ figuræ ex utrisque falsis et ex altera falsa vera sequitur conclusio.

Si autem hic quæritur, cum in universalibus syllogismis primæ figuræ octo sint combinationes (scilicet aut enim est utraque falsa, aut altera: si utraque aut in toto, aut in parte: adhuc si altera falsa, aut major, aut minor: et tunc aut major in toto et minor in parte, aut e converso: sic enim octo fiunt conjugationes) quare sex manifestatæ sunt, duæ autem omittuntur, quarum altera habet majorem in toto falsam et minorem in parte falsam, reliqua autem e converso minorem in toto falsam et majorem in parte

Dubitatio.  
Combinatio-  
nes ex fal-  
sis quot  
sint.

**Solutio.** falsam. Et dici potest ad hoc, quod illæ duæ intelliguntur per illas duas ubi altera in toto falsa, et altera non in toto falsa : et ita etiam fit in aliis figuris, in quibus dictæ duæ combinationes omittuntur.

**Dubitatio.** Si autem quæritur, utrum illæ duæ combinationes quæ omittuntur, utiles sint respectu veræ conclusionis? Dicendum quod illa quæ habet majorem falsam in toto, potest in conclusionem veram. Cujus exemplum est in primo modo primæ sic, omne album est animal : omnis corvus albus : ergo omnis corvus animal. In secundo autem primæ sic, nullum nigrum est animal : omnis nix nigra : ergo nulla nix animal. Illa vero conjugatio quæ habet majorem totam falsam, et minorem in parte falsam, non potest in conclusionem veram : ideo quia oportet contradictoriam conclusionis veram esse: quia ex contraria majoris (quæ vera est) et subalterna minoris (quæ similiter vera est) sequitur contradictoria conclusionis : et ideo non potest conclusio vera esse sic se habentibus præmissis, quod major sit in toto falsa, et minor in parte sit falsa.

**Dubitatio.** Si autem quæritur quare majori in toto falsa existente non potest conclusio esse vera, præcipue cum conclusio possit esse vera, utraque præmissarum in toto existente falsa, ubi plus est de falsitate respectu conclusionis, quam ubi major tantum est in toto falsa? Et dicendum quod hoc aliquo modo posset esse, si præmissæ talis syllogismi dicerent propter quid respectu conclusionis veræ: nunc autem non est ita. Quia ergo utraque existente in toto falsa potest major extremitas continere minorem, vel etiam esse disparata ab ea, ideo vere potest una affirmari de alia vel ab ea removeri. Quia vero tantum majori existente in toto falsa, oportet majorem extremitatem continere minorem vel secundum totum vel secundum partem : si enim in affirmativo syllogismo minor est vera, oportet quod contineat eam secundum totum : si au-

tem in parte est falsa, tunc continet eam secundum partem : in negativo autem syllogismo est major extremitas disparata ad minorem secundum totum vel secundum partem tantum : et ideo non potest major extremitas vere affirmari vel negari de tota minori extremitate : propter quod non potest ibi esse conclusio vera.

**Dubitatio.** Si autem quæritur, quare minori in toto falsa sequitur vera conclusio, et non majori in toto falsa? Adhuc etiam, quare majori in parte falsa et non in toto sequitur conclusio vera? Dicendum quod si minor est in toto falsa, tunc medium et minor extremitas sunt disparata: et nihil prohibet aliquid unum et idem disparatis inesse, sicut patet in syllogismo affirmativo, ut animal inest homini et equo. Similiter nihil prohibet unum et idem removeri ab utroque disparatorum, ut lapis removetur et ab homine et ab equo : et ideo minori tota falsa potest conclusio esse vera. Si autem major sit in toto falsa : aut hoc erit in syllogismo affirmativo, aut in negativo. Si in affirmativo : aut ergo minor est vera, et tunc repugnat major extremitas minori sicut et medio ; aut minor est in parte falsa, et tunc major extremitas pro parte repugnat minori extremitati : et neutro istorum modorum major extremitas vere potest affirmari de minori universaliter. Sed si fuerit in negativo syllogismo : aut ergo minor est vera, et tunc major extremitas sub se continet minorem : aut in parte est falsa, et tunc major extremitas continet minorem in parte : et neutro istorum modorum vere et universaliter poterit removeri major extremitas de minori. Et sic majori existente falsa (quocumque se habeat minor) non potest sequi vera conclusio. Minor autem in toto existente falsa, bene poterit sequi conclusio vera. Sic igitur patet quando et propter quid in modis universalibus primæ figurae sequitur verum ex falso.

**Solutio.**

## CAPUT V.

*Qualiter in particularibus syllogismis primæ figuræ contingit verum ex falso syllogizare.*

In particularibus etiam syllogismis contingit verum ex falso syllogizare, et prima propositione in toto falsa, altera autem vera: sic enim contingit veram syllogizare conclusionem. Adhuc autem iterum contingit verum ex falso syllogizare si prima non in toto, sed in aliquo sit falsa, et altera (minor scilicet) sit vera. Adhuc autem hoc idem contingit si major universalis sit vera, et altera particularis minor sit falsa. Adhuc autem hoc idem contingit ex utrisque falsis. Cujus probatio est: quia in prima ponatur, quod A major extremitas nulli B insit medio, et quod idem A insit alicui c in conclusione, et quod B insit alicui c in minori propositione, sicut in his terminis, animal, nix, album: animal enim nulli inest nivi: albo autem alicui inest animal. Si igitur in his terminis medium ponatur nix, primum autem extremum ponatur animal, et sumatur A quidem toti B inesse, et sumatur B alicui c inesse, erit A B major propositio in toto falsa, B c autem propositio minor vera: et sequitur conclusio vera sic, omnis nix animal: quoddam album nix: ergo quoddam album animal: et est in tertio primæ, et est conclusio vera ex prima in toto falsa.

Similiter autem sequitur conclusio vera cum privativa est A B major propositio, sicut in quarto primæ: contingit enim A majorem extremitatem toti universaliter inesse B medio in majori propositione, et idem A contingit non inesse alicui c, ita quod B medium alicui c particulariter insit, sicut animal omni inest homini, et ipsum animal non sequitur aliquod album: quia quoddam album non est animal: et homo inest alicui albo: propter quod si inter istos terminos medium po-

natur esse homo, et si sumatur A nulli B inesse, et B sumatur alicui c inesse, sequitur quod quoddam c non est A, et vera erit conclusio, cum major sit in toto falsa quæ est A B propositio, et minor vera.

Similiter si non in toto falsa, sed in aliquo falsa sumatur A B major propositio: adhuc enim etiam isto modo erit conclusio vera ex tali falsa syllogizata: nihil enim prohibet, quod A major extremitas insit particulariter, et B medio et C minori extremitati, et quod B medium insit particulariter alicui c, ut in his terminis, animal, pulchrum, magnum: animal enim inest alicui pulchro, et animal inest alicui magno, et pulchrum inest alicui magno. Si ergo tali positione terminorum facta sumatur A omni B inesse, et B alicui c inesse: tunc A B quidem propositio in parte aliqua falsa erit, B C autem minor propositio erit vera: et sequitur conclusio vera: scilicet quod aliquod c insit A. Similiter autem est in quarto primæ quando privativa est A B major propositio: nam iidem termini erunt, et similiter quoad medium et extrema positi ad demonstrandum, sicut cuilibet etiam parum scienti patere potest.

Rursum si e converso fiat, ita quod A B quidem propositio major sit vera, B C autem minor propositio sit falsa: sic enim iterum sequitur conclusio vera. Cujus ratio est: quia nihil prohibet, quod A major extremitum insit toti B medio, et quod idem A in conclusione insit alicui c, et quod B medium nulli insit C in minori propositione. Cujus exemplum est in his terminis, animal, cygnus, nigrum: animal enim cygno quidem omni inest, et idem animal inest alicui nigro particulariter, sed cygnus nulli inest nigro: propter quod si sumatur A omni B inesse, et B dicatur inesse alicui c, vera erit conclusio, scilicet quod aliquod c est A, cum tamen falsa sit B C minor propositio.

Similiter autem verum sequitur hoc modo ex falso in quarto modo primæ figuræ, si privativa sit A B major propositio: contingit enim A major extremitum B

quidem nulli inesse : et idem a contingit alicui c minori extremitati non inesse, et contingit quod b medium nulli c minori inest in minori propositione : sicut si sumatur genus aliquod comparatum ad speciem et accidentis, quae sunt sub alio genere : nam animal nulli numero inest, qui est species quantitatis : animal tamen inest alicui albo quod est accidentis diversi generis a quantitate : et numerus nulli inest albo per essentialem prædicationem. Si ergo tali positione terminorum facta, medium quidem nulli b inesse, b autem dicatur inesse alicui c, sequitur quod a alicui c non inheret, quod est verum, et a b quidem propositio major fuit vera, b c autem minor propositio fuit falsa.

Adhuc autem si major ponatur in aliquo et non in toto falsa, ut a b, et ponatur etiam falsa propositio minor quae est b c, sequitur ex utrisque falsis conclusio vera. Cujus causa est : quia nihil prohibet a majus extrellum et alicui b medio et alicui c minori extremitati inesse, b autem nulli c inesse in minori propositione : sicut si tales terminos sumamus, quod b medium sit contrarium c minori extremitati, et ambo haec contraria sint accidentia eidem generi, sicut animal, album, nigrum : animal enim inest alicui albo, et alicui nigro, album autem nulli inest nigro. Si ergo tali sumptione facta terminorum, a sumatur omni b inesse, et b sumatur inesse alicui c, sequitur quod aliquod c est a, et erit vera conclusio ex falsis. Similiter autem verum sequitur ex falso, si privativa sumatur a b major propositio in quarto primæ : nam iidem termini et in ordine medii et extremorum similiter sumpti sunt ad demonstrandum et istud et antecedens, sicut cuilibet etiam parum scienti patere potest.

Et adhuc ex utrisque etiam falsis sequitur conclusio vera. Possibile est enim a majus extrellum b quidem nulli inesse : et idem a inesse alicui c, et quod b medium nulli c insit, sicut se habet genus aliquod ad species et accidentis quod accedit speciebus ex alio genere sumptis, si-

cut sunt animal, numerus, album : animal enim numero quidem nulli inest, et idem animal inest alicui albo, et numerus nulli inest albo. Si ergo tali facta terminorum sumptione, a sumatur omni b inesse, et b alicui c dicatur inesse, sequitur quod aliquod c est a, et conclusio quidem erit vera : propositiones autem ambæ erunt falsæ.

Et hoc similiter est quando a b major propositio est privativa, sicut in quarto primæ : quia nihil prohibet a majus extrellum b medio toti inesse, et idem a alicui c minori non inesse in conclusione, et b nulli c inesse in minori propositione, ut in his terminis, animal, cygnus, nigrum : animal enim inest omni cygno, et animal alicui nigro non inest, cygnus autem nulli inest nigro : et ideo si sumatur a nulli b inesse, et dicatur b alicui c inesse in minori, sequetur quod a alicui c non inest, et est conclusio vera : propositiones autem ambæ falsæ.

Notandum autem quod in particularibus syllogismis quinque sunt combinationes sive complexiones quae positæ sunt. Aut enim utraque est falsa, aut altera. Si utraque est falsa : aut ergo major est in toto falsa, aut in parte : et sic sunt duæ. Si autem altera est falsa : aut major, aut minor. Si minor, jam sunt tres. Aut major, et haec vel in toto, vel in parte : et sic sunt quinque.

Si autem queritur quod cum modi particulares ab universalibus descendant, et in modis universalibus majori tota falsa non sequitur verum, quomodo possit esse quod in modis particularibus majori tota falsa sequitur verum ? Dicendum autem ad hoc, quod cum major extremitas disparata est a minori secundum partem : quia minor est particularis, et continet major extremitas minorem secundum partem, et non secundum totum, quantum est de virtute minoris : et ideo potest major extremitas inesse minori secundum partem, vel ab ea removeri secundum partem. Aliter autem est in modis universalibus, ubi in conclusione

Dubitatio

Solutio.

debet major affirmari de toto minori, vel universaliter et in toto removeri ab ipso, sicut patet per antedicta. Ad id autem quod dicitur, quod particulares ab universalibus descendunt, Dicendum quod in ipso descensu particularium ab universalibus ablata est causa veræ conclusio- nis : propter quod non potest conclusio universalis esse vera in talibus : et ideo in particularibus nihil prohibet conclusio- nem veram esse, quamvis major in toto sit falsa.

## CAPUT VI.

*Qualiter verum sequitur ex falso in se- cunda figura in universalibus syllo- gismis.*

In media autem figura omnino qualiter cumque variatis propositionibus falsis vel altera falsa quacumque, sive in toto, sive in parte, per falsa verum syllogizare con- tingit. Et utrisque propositionibus falsis sumptis in toto, vel in aliquo (sive in parte) utraque sumpta propositione, con- tingit etiam hac quidem vera sumpta, illa autem aut in toto vel in aliquo falsa, utralibet propositione falsa vel in toto vel in parte posita. Adhuc autem hoc idem contingit, si utræque in aliquo (hoc est, in parte) falsæ sint. Adhuc autem idem contingit, si hæc sive una sit simpliciter vera, illa autem (sive alia) sit in aliquo falsa. Adhuc autem hoc idem contingit, si hæc quidem sit in toto falsa, illa vero in aliquo sive in parte sit vera : et hæc variatio est tam in universalibus quam in particularibus syllogismis.

Accipiamus enim terminos  $A$   $B$   $C$ , et sit  $A$  medium,  $B$  majus, et  $C$  minus extre- um : et accipiamus, quod  $A$  nulli  $B$  in- sit in majori propositione, et idem  $A$  in- sit omni  $C$  in minori propositione : cuius exemplum est, ut animal medium nulli inest lapidi, et idem animal inest omni equo. His ita positis, si contrariæ harum duarum accipientur præmissæ proposi- tiones, ita quod sumatur  $A$  quidem omni

$B$  inesse, et idem  $A$  sumatur nulli  $C$  inesse, in secundo secundæ ex totis falsis propo- positionibus erit vera conclusio, sic, omnis lapis est animal : nullus equus est ani- mal : ergo nullus equus est lapis.

Similiter autem est in primo secundæ, et in eisdem terminis demonstratur. Si enim sumatur  $A$  tale quod omni  $B$  insit, et idem  $A$  nulli  $C$  insit, et sumantur contra- riæ illarum et transmutentur proposicio- nes sic, nullus lapis est animal : omnis equus est animal : idem erit syllogismus quantum ad materiam, eo quod in eisdem fit terminis.

Similiter autem rursus quando altera præmissarum est falsa : et primo ostendamus hoc quando altera est tota falsa, et altera tota vera : nihil enim prohibet quin  $A$  tale sit medium quod omni  $B$  et omni  $C$  insit secundum rem, et quod  $B$  majus extreum nulli inerit  $C$  minori extre- mo : sicut si genus aliquod ponatur medium prædicatum de speciebus coæquævis, quæ non se sibi subalter- nant : nam animal sic et equo omni et omni homini inest, et universaliter præ- dicatur de ipsis, et homo nulli inest equo, quia nullus homo est equus. Si ergo su- matur animal huic quidem speciei om- ni inesse, illa erit in toto vera : et su- matur alteri speciei nulli inesse animal, illa erit in toto falsa : et sequitur con- clusio vera ad quodlibet extremorum posita privativa propositione, sive ad majus (sicut fit in primo modo secundæ) sive ad minorem, sicut fit in secundo se- cundæ.

Similiter autem ex altera falsa sequi- tur conclusio vera, si altera propositi- onum non sit in toto falsa, sed in parte, dummodo altera sit in toto vera : possi- bile est enim tale medium esse  $A$ , quod  $B$  alicui inest et idem  $A$  medium inest omni  $C$  minori extremitati, ut animal inest alicui albo, et idem animal inest omni corvo, et album nulli inest corvo. Si ergo sumatur in contrariis propositionibus  $A$  quidem nulli inesse  $B$  erit propositio ma- jor non in toto falsa sed in parte : et su-

matur idem a toti inesse c' universaliter, erit a b propositio major in aliquo falsa, a c autem propositio minor erit in toto vera : et sequitur conclusio vera sic, nullum album animal : omnis corvus animal : ergo nullus corvus album : et est primus modus secundæ.

Si autem transponatur ad minorem privativa propositio, erit in eisdem terminis in secundo modo secundæ idem syllogismus, et per eosdem terminos, sicut diximus, hujus est demonstratio.

Adhuc autem idem sequitur si affirmativa propositio ponatur in aliquo esse falsa, et privativa ponatur in toto vera. Nihil enim prohibet a tale esse medium, quod b alicui inest particulariter secundum rem, et idem a toti sive omni c non inest (hoc est, quod nulli c inest) et quod b majus extreum nulli inest c minori : sicut animal medium inest albo quidem alicui, et idem animal nulli inest pici, et album nulli inest pici : propter quod si sumatur, quod a insit omni et toti b, et idem a nulli insit c, tunc a b propositio major erit in aliquo falsa, a c autem minor propositio erit in toto universaliter vera : et sequitur conclusio vera sic, omne album animal : nulla pix animal : ergo nulla pix album, et tales syllogismos facile est formare.

Idem autem est quoad hoc quod ex falso sequatur verum, si utræque propositiones sumantur non in toto falsæ : ex talibus enim sequitur conclusio vera. Possibile est enim a medium et b alicui et alicui c inesse, majori scilicet et minori extremitatibus : ita tamen, quod b majus extreum nulli c minori insit extremo secundum rem, sicut in his terminis, animal, album, nigrum : animal enim inest alicui albo, et idem animal inest alicui nigro, et album nulli inest nigro. Si ergo taliter positis terminis sumatur a quidem omni b inesse, et idem a sumatur nulli c inesse : ambæ quidem propositiones in aliquo et non in toto falsæ erunt, et conclusio erit vera sic, omne album animal : nullum nigrum animal : ergo nullum nigrum album.

Similiter sequitur verum ex utrisque in parte falsis si privativa transumatur et fiat major, sicut in primo secundæ figuræ, et per eosdem terminos qui positi sunt, animal, album, nigrum, facilis est demonstratio.

Attende autem hic quod in universalibus secundæ figuræ octo sunt conjugationes : quia aut utraque est falsa, aut altera. Et si utraque est falsa : hoc fit quadrupliciter : quia aut utraque in toto est falsa, aut utraque in parte falsa, aut major in toto falsa et minor in parte, aut e converso major in parte et minor in toto falsa. Si autem fit ex altera falsa, hoc iterum fit quadrupliciter : quia aut major est falsa et minor vera : et hoc dupliciter, quod major sit in toto vel in parte falsa : aut minor est falsa et major vera : et hoc similiter duplicatur secundum totum, vel secundum partem. Duæ ex his hic omissæ sunt, et sex positæ : sunt enim istæ duæ omissæ, ubi altera est in toto falsa, et altera in parte. Sed hoc planum est per ante dicta: quia satis intelliguntur perillas in quibus altera est in toto falsa, et altera vera.

Si autem quæritur, utrum utraque illarum possit in conclusionem veram ? Dicendum quod sic : quia universaliter omnes conjugationes quæ sunt in secunda figura, possunt in conclusionem veram.

Contra hoc tamen videtur esse, quod secunda figura descendit a prima : et ideo sicut conjugatio quæ est ex prima tota falsa et minori vera vel in parte falsa, non potest in conclusionem veram : ita videatur, quod nec in secunda. Fiat enim syllogismus in prima figura ex majori tota falsa, et convertatur postea major, et erit syllogismus in secunda figura ex majori tota falsa, et non erit conclusio vera, sicut nec in prima. Ad hoc autem dicendum quod in prima figura majori tota falsa, et minori vel vera vel in parte falsa, erit minor extremitas sub majori vel secundum totum vel secundum partem : et ideo non potest ab ea removeri major extremitas universaliter in syllogismo qui est secundus

Removet  
dubium.

Dubitatio.  
Solutio.

Objectio.

Solutio.

primæ. In secunda autem figura erit minor extremitas disparata a majori : et ideo potest major a minori removeri universaliter : et ideo non sequitur : quia licet se sic habentibus terminis in prima figura non possit esse conclusio vera, potest tamen in secunda : diversitas enim in situ medii et extremorum causat diversitatem istam in prima figura et secunda. Si enim convertatur major quæ est in toto falsa, non est necesse eam in quam convertitur esse in toto falsam : hæc enim in toto falsa est, nullus homo est animal, et sua conversa (quæ est nullum animal est homo) non est in toto falsa : et universaliter loquendo nunquam erit tam conversa quam ea in quam convertitur in toto falsa, nisi in his in quibus termini sunt convertibles : et ideo major in toto inferre poterit conclusionem veram in secunda figura : quod non poterit faceret in prima.

**Objectio.** Si autem alicuius objiciat quod secundum hoc sic se habentibus terminis erit conclusio vera in prima figura : eadem enim conclusio concluditur in secundo primæ, et in primo secundæ : et non differunt nisi in conversione majoris : et ideo si vera est conclusio in primo secundæ, videtur etiam vera esse in secundo primæ. Sed dicendum ad hoc, quod cum conclusio sit vera in primo secundæ, et major sit in toto falsa, conversa majori erit syllogismus in prima figura : sed major erit in parte falsa, et non in toto, sicut jam patuit per ante dicta.

**Solutio.**

ita quod  $\alpha$  alicui  $c$  particulariter non inest : ut animal inest omni homini, et idem animal inest alicui albo secundum rem, et homo non inheret particulariter alicui albo. Si ergo taliter se habentibus terminis ponatur  $\alpha$  quidem nulli  $\beta$  inesse, et idem  $\alpha$  ponatur alicui  $c$  inesse, erit universalis propositio in toto falsa, particularis autem vera, et erit conclusio vera, sic, nullus homo animal : quoddam album animal : ergo quoddam album non est homo : et est syllogismus in tertio secundæ.

Similiter sequitur conclusio ex majori in toto falsa et minori vera, si major propositio  $\alpha$   $\beta$  affirmativa universalis esse ponatur, sicut fit in quarto secundæ. Possibile est enim in terminis invenire in quibus  $\alpha$  quidem nulli inest  $\beta$ , et idem  $\alpha$  alicui  $c$  non inheret particulariter : ut animal nulli inest inanimato : animal autem inest alicui albo : et in conclusione inanimatum non inheret albo alicui particulariter. Si ergo (tali posita terminorum secundum rem ipsam habitudine)  $\alpha$  inesse omni  $\beta$  ponatur, et  $\alpha$  alicui  $c$  non inesse,  $\alpha$   $\beta$  quidem propositio universalis affirmativa erit in toto falsa,  $\alpha$   $c$  autem minor propositio erit vera : et sequetur conclusio vera, sic, omne inanimatum animal : quoddam album non est animal : ergo quoddam album non est inanimatum. Est syllogismus in quarto secundæ.

Adhuc sequetur verum ex falso si ponatur universalis esse vera et particularis falsa : nihil enim prohibet, quod  $\alpha$  medium neque sequatur  $\beta$  ut prædicatum de ipso, neque etiam sequatur  $c$  ut prædicatum de illo, et quod  $\beta$  majus extremum alicui  $c$  minori extremo non insit particulariter : sicut animal nulli inest numero : neque inest alicui inanimato : et numerus etiam non sequitur inanimatum ut prædicatum de ipso. Si ergo sic se habentibus terminis ponatur  $\alpha$  quidem nulli  $\beta$  inesse, et idem  $\alpha$  ponatur inesse alicui  $c$ , conclusio quidem vera erit, et universalis propositio erit vera major, particularis autem minor erit falsa, sic, nullum in-

## CAPUT VII.

*Qualiter verum sequitur ex falso in secundæ figuræ particularibus syllogismis.*

Hoc autem (quod verum ex falso sequitur in secunda figura) manifestum est etiam in particularibus syllogismis : nihil enim prohibet  $\alpha$  medium tale quidem accipere, quod  $\beta$  quidem omni inest, et idem  $\alpha$  inest alicui  $c$  particulariter,

nimatum animal : quidam numerus animal : ergo quidam numerus non est inanimatum.

Similiter autem conclusio vera sequitur si universalis ponatur affirmativa et vera, et particularis negativa et falsa, sicut est in quarto secundæ : cuius ratio est, quia possibile est  $\alpha$  medium et  $\beta$  majori et  $c$  minori toti inesse universaliter secundum rem, et quod  $\beta$  majus extreum aliquod  $c$  minus extreum non sequatur ut prædicatum de ipso, sicut se habet genus ad speciem et differentiam secundum esse consideratam : animal enim genus sequitur omnem hominem : et omne gressibile sequitur universaliter prædicatum de ipsis : homo vero non sequitur omne gressibile prædicatum de ipso : et ideo si in syllogismo sumatur in majori  $\alpha$  quidem toti et omni inesse  $\beta$ , et idem animal in minori sumatur alicui  $c$  non inesse particulariter, universalis quidem propositio erit vera, particularis autem falsa, et conclusio erit vera, sic, omnis homo animal : quoddam gressibile non est animal : ergo quoddam gressibile non est homo.

Manifestum autem est adhuc etiam in particularibus syllogismis, quoniam ex utrisque falsis præmissis erit conclusio vera. Cujus ratio est : quia contingit  $\alpha$  medium in aliquibus terminis et  $\beta$  et  $c$  extremitatibus, huic quidem omni, illi vero nulli inesse et indifferenter : et quod  $\beta$  non sequatur aliquod  $c$  particulariter negatum ab ipso. Sic igitur se habentibus terminis, si sumatur in majori propositione, quod  $\alpha$  quidem nulli  $\beta$  inest, et idem  $\alpha$  alicui inest  $c$ , propositiones quidem ambæ erunt falsæ, conclusio autem vera.

Similiter autem est etiam quando universalis propositio est prædicativa (sicut est in quarto secundæ) et cum particularis est privativa. Et hujus ratio est: quia possibile est, quod  $\alpha$  medium nullum sequatur  $\beta$ , ita quod nullum  $\beta$  sit  $\alpha$ , et quod idem  $\alpha$  sequatur omne  $c$ , et quod  $\beta$  alicui  $c$  non insit particulariter, ut animal nullam quidem disciplinam, et idem

animal sequitur omnem hominem, quia nulla disciplina est animal : omnis autem homo animal. Si autem taliter se habentibus terminis sumatur  $\alpha$  toti  $\beta$  inesse, et idem  $\alpha$  dicatur non sequi quoddam  $c$ , sed particulariter ab eo removeri, propositiones ambæ erunt falsæ, conclusio autem vera, sic, omnis disciplina animal : quidam homo non est animal : ergo quidam homo non est disciplina. Et est syllogismus in quarto secundæ.

Est autem hic notandum quod in particularibus syllogismis quinque sunt conjugationes : aut enim utraque est falsa : et tunc major aut est in toto falsa, aut in parte, aut tantum altera est falsa : et hæc, aut major, aut minor : et utraque istarum, aut in toto, aut in parte. Et sic patet quod sunt quinque, quarum duæ hic omissæ sunt : una quidem habens majorem falsam in parte, et minorem veram, vel minorem falsam : istæ enim satis intelligi possunt per eas quæ positæ sunt: omnes enim conjugationes quæ fiunt in secunda figura, possunt in conclusionem veram.

### CAPUT VIII.

*Qualiter syllogizatur verum ex falso in syllogismis tertiae figuræ et universalibus et particularibus.*

Erit autem et in postrema figura per utrasque falsas et totas et in parte, sive sit utraque falsa, sive altera falsa et altera vera. Et quando una quidem in aliquo falsa est, et alia in toto vera, sive e converso, una quidem in toto falsa, et reliqua in aliquo vera, et quotquot modis aliter secundum verum et falsum contingit transumere sive variando combinare propositiones, semper et in omni sequitur ex falso verum.

Hoc autem statim probatur in primo tertiae : nihil enim prohibet ( $c$  posito medio, et  $\alpha$  majori extremitate,  $\beta$  autem minori) secundum rem neque  $\alpha$  majus extreum, neque  $\beta$  minus extreum, nulli  $c$  inesse, ita quod nullum  $c$  sit  $\alpha$  et nullum

c sit b, ita tamen quod a insit alicui b particulariter, sicut in his terminis, homo, gressibile, inanimatum : ipsum enim quod est inanimatum (subjectum et medium) neque homo sequitur ut prædicatum de ipso, neque gressibile sequitur ipsum ut de ipso prædicatum : nullum enim inanimatum est homo, et nullum inanimatum est gressibile : et homo ut prædicatum sequitur particulariter alicui gressibili, quia aliquod gressibile est homo. Si ergo sumantur contrariae dictarum propositionum, ut c medio omni universaliter inesse a, et eidem c omni inesse b, propositiones quidem erunt in toto falsæ, et conclusio vera in primo tertiae, sic, omne inanimatum homo : omne inanimatum gressibile : ergo quoddam gressibile homo.

Similiter autem est in secundo tertiae in quo hæc quidem propositio major est universalis privativa : illa vero (minor scilicet propositio) est universalis affirmativa. Cujus probatio est : quia possibile est secundum rei veritatem, quod b nulli c insit, ita quod nullum c insit b, et quod a secundum rem insit omni c, et quod a majus extrellum particulariter non insit alicui b, sicut est in his terminis, animal, nigrum, cygnus, in quibus nigrum nulli cygno, animal autem omni cygno inest, et animal particulariter non omni inest nigro. Propter quod si sumantur harum propositionum contrariae, ita quod b dicitur omni c inesse in minori, et idem c nulli a dicatur inesse in majori propositione, sequitur in secundo tertiae, quod a particulariter alicui b non inerit, sic, nullus cygnus animal : omnis cygnus niger : ergo quoddam nigrum non est animal. Et conclusio quidem est vera : propositiones autem utræque in toto sunt falsæ. Sic igitur scitur quod in duabus universalibus modis tertiae ex utrisque totis falsis syllogizatur verum.

Idem fit quando quidem utraque non in toto, sed in aliquo est falsa : ex talibus enim sequitur conclusio vera : nihil enim prohibet et a majus extrellum, et b mi-

nus alicui c medio particulariter inesse secundum rei veritatem, et quod a majus in sit alicui b minori particulariter, sicut patet in his terminis, album, pulchrum, animal. Album enim alicui inest animali particulariter, et similiter pulchrum alicui inest animali particulariter, et album inest alicui pulchro particulariter. Si ergo sumantur universales subalternantes istas particulares, et dicatur, quod a omni c inest, et quod b inest omni c, propositiones quidem præmissæ ambæ erunt in aliquo falsæ, et conclusio vera erit in primo tertiae, sic, omne animal est album : et omne animal est pulchrum : ergo aliquod pulchrum album.

Similiter autem in secundo tertiae in quo privative ponitur a c major propositio. Cujus exemplum est : quia nihil prohibet a majorem extremitatem particulariter alicui c non inesse, et b minorem extremitatem particulariter alicui c medio inesse secundum rem, sicut se habent hi termini, pulchrum, album, animal : pulchrum enim alicui animali non inest particulariter, et album inest alicui animali particulariter, et tunc a non omni b inest in conclusione secundum rei veritatem : propter quod si sumantur universales loco particularium, et sumatur in majori quod a nulli c inest, et quod in minori b inest omni c, utræque quidem propositiones erunt non in toto, sed in aliquo falsæ, conclusio autem vera in secundo tertiae, sic, nullum pulchrum est animal : omne pulchrum album : ergo quoddam album non est animal.

Similiter sequitur ex falso verum si una sit in toto falsa (major scilicet), alia vero scilicet minor sit in toto vera. Possibile est enim invenire terminos tales, in quibus et a sequitur omne c ut prædicatum de ipso, et in quibus etiam omne b sequitur c, et prædicatur universaliter de ipso secundum rei veritatem, et quod a particulariter non inest alicui b in conclusione, sicut in his terminis, animal, album, cygnus : omnis enim cygnus animal : et omnis cygnus album : et tamen

non omne album animal: taliter igitur positis terminis, si sumatur  $\beta$  quidem toti c universaliter inesse in minori, et sumatur  $\alpha$  toti c non inesse in majori universaliter,  $\beta$  c quidem propositio minor in toto erit vera,  $\alpha$  c autem propositio major tota erit falsa, et conclusio erit vera, sic, nullus cygnus animal: omnis cygnus album: ergo quoddam album non est animal. Et est in secundo tertiae.

Similiter autem est si  $\beta$  c minor propositio ponatur esse in toto falsa,  $\alpha$  c autem major ponatur in toto vera: nam iidem termini sunt per quos hoc demonstratur, nigrum scilicet, cygnus, inanimatum, sic, nullus cygnus inanimatum: omnis cygnus niger: ergo quoddam nigrum non est inanimatum. Et est in secundo tertiae.

Idem autem fit in primo tertiae si utræque præmissæ assumantur affirmativæ, et concludatur particularis affirmativa. Nihil enim prohibit tales invenire terminos, in quibus secundum rei veritatem  $\beta$  sequitur omne c, et  $\alpha$  secundum rem toti c non inest universaliter, et quod tamen secundum rem  $\alpha$  inest alicui  $\beta$  particulariter, sicut est in his terminis, animal, nigrum, cygnus: omni enim cygno sequitur animal: est enim omnis cygnus animal: nigrum vero nulli cygno sequitur: et nigrum inest ut prædicatum particulariter alicui animali. Si ergo sumantur contrariæ istarum, et sumatur  $\alpha$  inesse omni c et sumatur  $\beta$  inesse omni c, erit  $\beta$  c minor propositio in toto vera,  $\alpha$  c autem major propositio erit in toto falsa: et sequitur conclusio vera, sic, omnis cygnus niger: omnis cygnus animal: ergo quoddam animal nigrum.

Similiter autem est quando  $\alpha$  c propositio major sumitur in toto vera, et  $\beta$  c minor sumitur in toto falsa: nam per eosdem terminos transpositos est demonstratio, sic, omnis cygnus animal: omnis cygnus niger: ergo quoddam nigrum animal,

Rursum si secundum aliam variationem in universalibus syllogismis factam su-

matur una præmissarum tota vera, et alia sumatur in aliquo falsa, et non in toto, adhuc in tertia figura sequitur verum ex falso: possibile est enim secundum rem, quod  $\beta$  minus extremum omni c insit universaliter, et quod secundum rei veritatem  $\alpha$  majus extremum particulariter insit alicui c, et quod  $\alpha$  insit alicui  $\beta$  particulariter, ut in his terminis, bipes, pulchrum, homo: bipes enim inest omni homini, quia omnis homo est bipes: pulchrum autem non omni homini inest: et similiter pulchrum inest alicui bipedi secundum rem. Si ergo contrario modo sumantur propositiones, ita quod  $\alpha$  dicatur omni et toti inesse c, et similiter  $\beta$  dicatur in minori toti inesse c, tunc in primo tertiae  $\beta$  c minor propositio in toto erit vera,  $\alpha$  c autem major propositio in aliquo erit falsa, et conclusio erit vera, sic, omne bipes pulchrum: omne bipes animal: ergo quoddam animal pulchrum. Et est syllogismus in primo tertiae.

Similiter autem sequitur verum ex falso in primo tertiae si  $\alpha$  c major propositio sumatur tota vera,  $\beta$  c autem minori propositione falsa sumpta secundum partem: transpositis enim eisdem terminis ut extremitas major fiat minor et e converso, erit demonstratio, sic, omne bipes animal: omne bipes pulchrum: ergo quoddam pulchrum animal.

Idem autem fit in secundo tertiae cum haec quidem præmissarum est privativa, alia vero fuerit affirmativa universalis, minor scilicet: quoniam enim evenit in aliquibus terminis secundum rei veritatem  $\beta$  quidem toti c inesse in minori,  $\alpha$  autem secundum rem alicui c tantum particulariter inesse: et quando sic habent propositiones et termini, tunc non omni  $\beta$  inest  $\alpha$  in conclusione. Si ergo sumatur in minori  $\beta$  toti et omni c inesse,  $\alpha$  autem sumatur nulli c inesse in majori privativa, privativa quidem major erit in aliquo falsa, altera autem universalis affirmativa erit in toto vera, et sequitur conclusio vera in secundo tertiae, sic, nullum bipes pulchrum, omne bipes ani-

mal : ergo quoddam animal non est pulchrum.

Rursum autem (cum jam immediate ante ostensum est, quoniam cum  $\alpha$  nulli  $c$  inest secundum rem, et quod  $\beta$  inest alicui  $c$  particulariter secundum rem : tunc evenit secundum veritatem, quod  $\alpha$  alicui  $\beta$  non inest in conclusione) ex hoc eodem manifestum est, quoniam etiam cum  $\alpha$   $c$  propositio major tota est vera,  $\beta$   $c$  autem propositio minor in aliquo falsa, contingit conclusionem esse veram. Si enim sic se habentibus terminis et propositionibus, sumatur quod  $\alpha$  nulli  $c$  inest in majori, et quod  $\beta$  inest omni  $c$  in minori,  $\alpha$   $c$  quidem major propositio erit in toto vera,  $\beta$   $c$  autem propositio minor in aliquo erit falsa, sic, nullum nigrum cygnus : omne nigrum animal : ergo quoddam animal non est cygnus.

Cum autem ista varietas jam ostensa sit in universalibus syllogismis, manifestum est etiam, quoniam in omnibus particularibus tertiae figurae syllogismis omnino et universaliter secundum omnem varietatem propositionum contingit verum per falsa vel per falsum syllogizare : nam iidem termini sunt sumendi ad demonstrationem, et quando universales, et quando particulares sumuntur premissae propositiones, negativi quidem ad negativos, affirmativi autem ad affirmativos referantur mutata quantitate alterius propositionis, sicut diximus in categoricis sive praedicativis (hoc est, affirmativis syllogismis) sicut in tertio et quarto tertiae, qui sumuntur juxta primum ejusdem figurae. In privativis autem syllogismis sumuntur privativi, sicut in quinto et sexto tertiae, qui sumuntur juxta secundum modum ejusdem tertiae: nihil enim differt in tertia figura, quae particulariter concludit (quantum ad terminorum positionem sive sumptionem) cum nulli inest secundum rem omni sumere per contrarium inesse: et universaliter in omni variatione propositionum quae inducta est, si sumptum est particulariter alicui inesse, hoc uni-

versaliter alicui inesse sumere in terminorum positione. Potest enim particularis sumi sub universali in eisdem terminis. Similiter autem est etiam in privativis syllogismis acceptis sub secundo tertiae, ita quod particularis sub universali sumatur : nec oportet hos syllogismos formare, quia faciles considerata habitudine terminorum in universalibus.

Est autem hic attendendum sicut in aliis, quod in universalibus tertiae figurae sunt octo combinationes : aut enim utraque est falsa, aut tantum altera. Si utraque : aut in toto, aut in parte, aut major in toto, et minor in parte, aut e converso minor in toto et major in parte. Si autem tantum altera est falsa : aut major, aut minor. Si major : aut in toto falsa, aut in parte : et si minor, aut in toto, aut in parte. Et sic sunt octo conjugationes, quarum duæ omissæ sunt, illæ scilicet quæ habent alteram in toto falsam, et alteram in parte falsam : quia illæ sati intelliguntur per illas quæ habent alteram in toto falsam et alteram veram.

Si autem aliquis objiciat dicens, quod prima figura per conversionem minoris facit tertiam, et sic major primæ figuræ adhuc manet in tertia : sed majori tota falsa non concludebatur conclusio vera in prima figura, minori existente vera vel partim falsa : ergo videtur, quod nec in tertia majori tota falsa existente, et altera vera vel partim falsa, possit esse conclusio vera. Dicendum quod illa ratio non valet : tria enim sunt in causa, quare in tali habitudine propositionum non poterat esse conclusio vera in prima figura, quorum unum est falsitas majoris in toto, secundum acceptio conclusionis universalis, tertium autem talis situs medii ad extrema, quod minus extremum accipitur sub medio, et medium sub majori extremo : et quocumque istorum trium deficiente poterit sequi conclusio vera ex sic falsa, vel falsis : unde in syllogismis particularibus primæ figuræ (sicut dictum est) se habentibus propositionibus poterit esse vera conclusio particularis. Et simi-

Objectio.

Solutio.

liter in universalibus secundæ figuræ, et in syllogismis tertiae figuræ similiter.

Est etiam notandum, quod in syllogismis particularibus tertiae figuræ sunt quinque conjugationes in hac habitudine propositionum sicut et in aliis, et omnes utiles. Aut enim est utraque falsa: et hoc dupliciter, scilicet vel in toto falsa, vel in parte falsa: vel altera tantum est falsa, et hoc vel particulari, vel universalis: et hoc dupliciter, aut in toto, aut in parte.

In summa autem notandum est, quod in omnibus figuris in universalibus syllogismis sunt octo conjugationes, et in particularibus sunt quinque, et omnes generaliter possunt in conclusionem veram, exceptis duabus conjugationibus universalium syllogismorum primæ figuræ, ubi major est in toto falsa, minor autem vel vera, vel in parte falsa.

**Objectio quorundam.** Sunt tamen qui generaliter objiciunt contra omnia quæ de omnibus figuris in hoc capitulo dicta sunt et in præhabitis de hac materia tractatibus: dicunt enim quod falsitas est privatio veritatis, sicut negatio privatio est affirmationis. Sed ex minori negativa non fit syllogismus in prima figura et tertia, nec ex ambabus negativis fit syllogismus in aliqua figura. Ergo nec ex minori falsa fiet syllogismus in prima et tertia, neque ex utraque falsa fit syllogismus in aliqua figurarum, ut videtur. Ad hoc autem dicendum quod ad syllogismum primæ et secundæ figuræ sufficit minorem propositionem esse affirmativam secundum sermonem: et hoc quidem etiam sufficit in omnibus figuris: non enim exigitur quod affirmativa positiva sit secundum se, sive secundum rem: sed sufficit quod sit positiva secundum sermonem solum quantum ad figuram et modum syllogismi.

**Solutio.**

## CAPUT IX.

*De probatione, quod verum non sequitur ex falso, nisi quia et non propter quid.*

Cum autem præmissæ se habeant ad conclusionem, sicut antecedens et principium, conclusio autem ad præmissas, sicut consequens, manifestum est quoniam si sit conclusio falsa, necesse ea falsa esse ex quibus (ut propositionibus) est oratio syllogistica, aut omnia sive ambo, aut aliqua sive altera præmissarum: et hæc est causa ejus quod probatum est primo, scilicet quod falsum non sequitur ex vero. Quando autem vera est conclusio, non necesse est veras esse præmissas: quia non est necesse, quod posito consequente vero ponatur antecedens: et ideo conclusione vera existente non est necesse principia esse vera in quid sive in quoddam, sive omnia, sive ambo: sed cum nullum sit verum præmissorum in syllogismis, contingit adhuc conclusionem esse veram similiter sicut quando præmissæ sunt veræ: et hæc est causa ejus quod secundo probatum fuit, scilicet quod verum sequatur ex falso.

Causa autem ejus quod dictum est, hæc est: quia quando duo sic se habent ad invicem, ut cum unum sit vel esse dicatur, ex essentiali et naturali consequentia necesse sit esse reliquum, sicut se habent antecedens et consequens, quando consequens actu est de intellectu antecedentis, tunc cum hoc non sit (quod est consequens), sequitur alterum non esse quod est antecedens: quia destructo consequente destruitur antecedens: cum autem sit consequens, non propter hoc necesse est antecedens.

Ad idem autem antecedens cum sit et non sit (hoc est, acceptum secundum esse et non esse) impossibile est idem esse consequens. Dico autem hoc exponendo in terminis, ut cum dicimus, quod sit A antecedens album, et quod B consequens

(quod est esse magnum) sit ex necessitate, sequitur enim si album est, magnum est, eo quod magnum est, subiectum albi cadens in diffinitione ejus: album enim non est nisi in magnitudine, sicut simum non est nisi in naso: unde sicut sequitur, si simum est, nasus est: ita sequitur, si  $\alpha$  album est,  $\beta$  magnum necesse est esse: et cum hoc quod dicatur,  $\alpha$  album non est: ad haec enim duo  $\alpha$  esse et non esse, impossibile est idem consequens sequi, scilicet quod sit  $\beta$  magnum. Quando enim ponitur inter tres terminos, consequentia scilicet, quod quando est  $\alpha$  album positum, necesse est  $\beta$  magnum esse: et cum est  $\beta$  magnum, sequatur necessario  $c$  non album esse: sequitur necessario a primo ad ultimum, quod si  $\alpha$  album est, quod etiam  $c$  album non est: quod tamen est impossibile: sed sumitur ex adversario concedente, quod idem consequens sequitur ad antecedens esse et non esse: et tunc quidem a primo ad ultimum est in duobus sicut in tribus.

Quando igitur duobus existentibus (antecedente scilicet et consequente) cum unum eorum (scilicet antecedens) sit, necesse est alterum esse, quod est consequens: et si hoc (scilicet consequens) non est, necesse alterum non esse quod est antecedens: cum ergo  $\beta$  magnum (quod est consequens) non sit  $\alpha$  album (quod est antecedens) non potest poni esse: quia destructo consequente destruitur antecedens. Si ergo dicatur, quod cum  $\alpha$  album non sit, necesse sit  $\beta$  magnum esse (quod est consequens: et hoc dicit qui concedit, quod ad destructionem antecedentis necessario sequitur consequens) sequitur et accedit de necessitate a primo ad ultimum arguendo, quod cum  $\beta$  magnum non sit, idem  $\beta$  magnum sit<sup>1</sup>: si enim idem est consequens ad esse et non

esse antecedentis, sequitur autem si antecedens est, consequens est: et si consequens non est, antecedens non est: sequitur ad idem esse, esse consequens et ad non esse, esse consequens: ergo a primo ad ultimum a non esse consequens sequitur esse consequens: hoc autem est impossibile: nam in consequentiis talibus destructo consequente destruitur antecedens: unde si  $\beta$  magnum non est,  $\alpha$  album antecedens non est, ex necessitate consequentiae. Si igitur detur quod cum non sit antecedens, adhuc erit consequens, sicut si dicam cum non sit  $\alpha$  album antecedens, adhuc erit  $\beta$  magnum quod est consequens, accidit per duo sicut per tria, quod si  $\beta$  magnum non est, quod  $\beta$  magnum est: esse enim accidit ex positione antecedentis, non esse autem ex hypothesi concedentis, quod idem est consequens sequens ad positionem antecedentis et destructionem antecedentis.

Et ex hoc concluditur quod verum ex falso non sequitur per syllogismum dicentem propter quid ut causam conclusio-  
nis, sed per syllogismum quia: et sic ad idem esse et non esse, non sequitur ali-  
quid ex necessitate esse. Sed ad antecedens esse vel esse verum sequitur conse-  
quens esse vel esse verum, quod idem  
est: ergo ad antecedens non esse vel esse  
falsum, quod idem est, non sequitur conse-  
quens esse vel esse verum, quod idem  
est. Et sic non ex necessitate causae di-  
cente propter quid sequitur verum ex  
falso: quia si consequens non est, ante-  
cedens non est: et si idem consequens  
sequitur ad esse et non esse antecedentis:  
si antecedens non est, consequens est:  
ergo a primo ad ultimum: si consequens  
non est, consequens est: quod est impos-  
sibile: et sic probatum est propositum.

<sup>1</sup> Quasi dicat, quod bene sequitur, si consequens non est, antecedens non est: et si antecedens non est per adversarium, adhuc conse-

quens est: ergo a primo ad ultimum, ad non esse consequens sequitur esse consequens.  
P. J.

## TRACTATUS II

### DE SYLLOGISMO CIRCULARI.

#### CAPUT I.

*Cujus sit potestatis, et an syllogismus, et ad quem usum, et quid sit per diffinitionem syllogismus circularis.*

Post hæc de syllogismo circulari tractandum est : quia in illo potestas syllogizandi consideratur, quæ est ex conclusione super præmissas. In præcedentibus potestas syllogizandi considerata est, quæ est ex præmissis super conclusiones duas, vel unam, vel secundum quod aliquid potest inferri ex præmissis. Primum attendendum est, quod quamvis non sit de arte vel natura, quod idem prius et posterius sit seipso, et aliquid notius et ignotius seipso : tamen idem sub uno modo acceptum et sub alio modo acceptum potest esse notius et ignotius seipso quantum ad nos, et prius et posterius, sicut est videre in diffinitione et diffinito, quorum utrumque infert reliquum, cum tamen idem sint : et sic est in conversa et convertente, et in multis aliis : et hoc modo fit in circulari syllogismo, sicut patet in sequentibus.

**Objectio.** Adhuc autem si quis objiciat quod in omni syllogismo est decursus ab universalis ad particulare : in circulo autem de

**Solutio.** pari in par decurritur. Facile est respondere : quia sicut propositio constituitur ex convertilibus, et tamen subjectum est in ratione partis, et prædicatum in ra-

tione totius : ita fit decursus in syllogismo in terminis convertilibus, et tamen major est in ratione universalis, et conclusio in ratione partis præmissarum : et non oportet in syllogismo secundum quod syllogismus est, talem decursum esse secundum rem, sed secundum modum tantum, secundum signa distributiva acceptum<sup>1</sup>. Hic autem syllogismus circularis utilis est et demonstratori, et dialectico : demonstrator enim ostendit per causam immediatam effectum essentiale, et e converso causam per talem effectum : et sic reflectetur circulus si a primo ad ultimum prædicatur : si enim per A causam ostenditur B effectus, et per B effectum ostenditur A causa : ergo a primo ad ultimum A causa ostenditur per seipsam. Dialectico autem est utilis : quia ille procedit ex opinatis : et sufficit ei idem per idem ostendere secundum rem, dummodo respondenti vel aliis videatur notius esse sub uno modo quam sub alio.

Si quis autem objiciat quod in tali processu videtur esse petitio ejus quod est in principio, Dicendum quod non est : petitio enim principii non est nisi in propositione, quæ non est nata per se ostendi, et ostenditur per seipsam vel per æque dubiam sibi. In istis autem propositionibus quæ sunt natae per seipsas ostendi, non fit petitio ejus quod est in principio ; et tales sunt propositiones quæ sunt in terminis convertilibus, quæ licet secundum rem idem sint, non tamen secundum modum

Objectio.

Solutio.

<sup>1</sup> Et sic patet quomodo intelligendum est quod subjectum se habet per modum partis, et prædicatum per modum totius, et quomodo in

omni syllogismo est decursus ab universalis ad particulare.

Removet  
dubium. accipiuntur ut idem, sed ut notius uno modo, et ignotius alio modo. Tractabimus ergo hic de syllogismo circulari secundum quod in communi consideratus abstrahit a terminis causalibus et opinabilibus: quia talis consideratio pertinet ad hanc scientiam. In secundo autem *Posteriorum* secundum quod in terminis causalibus consideratur, agendum erit de ipso.

Dicamus igitur quod idem est circulo sive circulariter aliquid ostendere, ei quod est ex se invicem ostendere: et hoc quidem (per diffinitionem) est per conclusio-  
nem facti syllogismi et prædicationem unam sive præmissam propositionem accep-  
tam in situ terminorum e converso (sicut fit in omni conversa in terminis propositione) concludere reliquam sive majorem sive minorem, cuius conversa cum conclusione non ponitur: et hæc est reliqua præmissarum, quam prius sumper-  
serat in primo syllogismo non reflexo. Cujus exemplum est: si enim velimus ostendere, quomodo ex conclusione et conversa minoris syllogizatur major, fiat sic principalis et directe procedens syllo-  
gismus: omne b est a, omne c b, ergo omne c a. Deinde sumatur ad reflexum syllogismum illa major quæ fuit conclusio, scilicet omne c est a, cum conversa minoris quæ est omne b c, et inferatur conclusio quæ fuit major prioris syllogis-  
mi, sic, omne c a, omne b c, ergo omne b a. Unde si oportet monstrare majorem, hanc scilicet, quoniam a inest omni c, os-  
tentat hoc aliquis per b medium quod in priori syllogismo fuit minus extremum.

Similiter autem ex conclusione et conversa majoris syllogizabitur minor propo-  
sitio reflexo syllogismo, sic, omne a est b, omne c a, ergo omne c b, quæ fuit minor primi syllogismi syllogizata ex conclusione et conversa majoris primi syllogismi: et fit medium a, prius enim sumptum fuit per syllogismum a prædicatum de b quod est e converso sumptum: quia nunc sumi-  
tur conversa majoris ubi sumitur b præ-  
dicatum de a, quod in terminis converti-

bilibus nihil est inconveniens. Aliter vero (quam per conclusionem et conversam alterius præmissarum) non est ex se in-  
vicem circulariter ostendere sive syllogi-  
zare. Sive enim aliud medium sumatur a tribus terminis in primo syllogismo po-  
sit, tale medium nihil concludit præ-  
missorum: et tunc non fit reflexio ad principium, unde incipit processus, eo quod tunc nihil sumitur pro medio de numero eorumdem terminorum qui sunt in primo syllogismo: sive etiam accipiat-  
tur pro medio quod est de numero horum eorumdem terminorum qui sunt in primo syllogismo: et tunc necesse est, quod alterum solum conversum cum conclusione primi syllogismi accipiatur. Si enim am-  
bo accipientur (quæ erant in priori syllo-  
gismo et non conclusio cum conversa alterius) eadem erit sive sequetur conclu-  
sio quæ prius: et neutro istorum modo-  
rum erit reflexio in circulo. In circulari enim syllogismo oportet conclusionem esse diversam a conclusione primi syllo-  
gismi: quia aliter non fieret reflexio a conclusione secundi in alterum principio-  
rum primi. Est igitur conveniens et con-  
vertibilis inducta diffinitio, et patet ex quibus sic fit circularis syllogismus, et quod aliter fieri non potest. Dicitur autem melius fieri per conclusionem et conver-  
sam alterius præmissarum, quam per conclusionem et alterum præmissam, vel quam per conversionem utriusque præ-  
missarum, vel per conversam utriusque præmissarum: quia conclusio sumpta cum una præmissarum, vel conversa utriusque facit dispositionem secundæ vel tertiae figuræ: tercia autem figura non conclu-  
dit universalem, et secunda non conclu-  
dit affirmativam: et ideo necesse est in syllogismo circulari ad concludendam universalem affirmativam præcipue acci-  
pi præmissas sub dispositione primæ figu-  
ræ: sic autem se habent conclusio et con-  
versa unius præmissarum: et ideo con-  
venientius dicitur circulus fieri ex conclu-  
sione et conversa alterius præmissarum,  
quam ex conclusione et una præmissarum,

vel ex conversione utriusque præmissarum.

**Objectio.** Si quis autem objiciens dicat hanc definitionem non esse generalem, nec omni circulari syllogismo convenire: quia aliqua circularis ostensio fit per conversam conclusionis, et per alteram propositionem ad syllogizandum conversam alterius: et illi diffinitio non convenit, quia non dicit nisi quod fit per conclusionem et conversam alterius. Dicendum est ad hoc,

**Solutio.** quod in primo modo primæ figuræ duæ sunt ostensiones circulares. Una est quæ per principales præmissas primi syllogismi ostendit conclusionem, et e converso per conclusionem et conversam alterius præmissarum ostendit aliam præmissam: et hæc semper sumit conclusionem cum conversione alterius præmissarum, secundum quod directe dicit diffinitio. Alia est quæ per conversas propositionum principalium concludit conversam conclusionis principalis, et e converso per ejusdem conclusionis conversam (quæ conversa est) et per alteram propositionem conversam concludit conversas propositionum principalium. In hac autem secunda circulatione quæ concludit conversam conclusionis principalis, et hujusmodi conclusio accipitur cum conversa alterius præmissarum in reflexo syllogismo circulariter. Huic enim syllogismo est conclusio conversa conclusionis principalis, et præmissa ejus est conversa principalis præmissæ, et conversa præmissæ ejus est principalis præmissa. Et ex hoc patet quod sicut in prima circulatione syllogizatur una conclusio ex conclusione et conversa alterius propositionis, sic etiam fit in secunda circulatione: et sic patet quod unicuique circulationi secundum se consideratæ convenit superius inducta diffinitio.

**Dubitatio.** Ex jam dictis autem facile est solvere id quod hic quæri solet, scilicet cum (sicut dictum est) fiat syllogismus circularis, utrum unusquisque circulorum secundum se circulus sit, aut sint omnes unus circulus; neutrum enim horum videtur

esse; quia nec primo modo nec secundo fit redditus in idem a quo incipit decursus syllogismi. Patet enim ex hoc verum esse, quod non sit in idem redditus: sed cum fiant sex syllogismi juxta primum modum primæ figuræ (ut ostendetur postea), isti sex duos faciunt circulos.

Soluti

## CAPUT II.

*Qualiter fit circularis syllogismus in prima figura universalis affirmativus et universalis negativus, et qualiter particularis affirmativus et negativus.*

Ad sciendum autem qualiter in singulis figuris circularis fit syllogismus, primo sciendum est quod in his terminis vel propositionibus quæ non convertuntur sive quæ sunt in terminis non convertibiliis si fiat syllogismus circularis, oportet quod procedat ex indemonstrata propositione: non est enim demonstrare sive ostendere circulariter per hos terminos qui non sunt convertibiles, quod medio insit tertium (hoc est minus extremum quod tertium est in dispositione figuræ primæ) per conversionem minoris: quia tales termini non convertuntur: et ideo subjectum non potest fieri prædicatum, et e converso universaliter accepta minori propositione: et eadem de causa non est accipere in majori propositione, qualiter primum, id est, majus extremum insit medio, sicut subjectum est contentum in prædicato.

In his vero terminis qui convertuntur et pares sunt invicem, est omnia demonstrare sive ostendere per se invicem circulariter, sicut patet in his terminis A B C in primo modo primæ figuræ, et primo in principali syllogismo ostendatur hæc conclusio, omne C A per B medium, sic, omne B A, et omne C B, ergo omne C A. Et in reflexo syllogismo rursum ostendatur major quæ est, omne B A per conclusionem inductam et per B C minorem propositionem conversam, sic, omne C A, omne B C, ergo omne

$\text{B A}$ , quæ fuit major in principali syllogismo. Similiter autem circulariter reflectendo ostendetur minor quæ est  $\text{C B}$  propositio per conclusionem et majorem conversam, sic, omne  $\text{A B}$ , quæ est conversa majoris : omne  $\text{C A}$ , quæ est conclusio : sequitur quod omne  $\text{C B}$ , quæ fuit minor principalis syllogismi. Iste igitur est unus circulus tribus syllogismis conclusus.

Oportet autem et conversas harum propositionum per alium circulum demonstrare : et ideo oportet demonstrare et concludere et  $\text{B C}$  propositionem (quæ est conversa minoris) et  $\text{B A}$  propositionem (quæ est conversa majoris) per circulum demonstrare sive concludere. Nam his solis usi sumus in præcedenti circulatione in demonstratis : eo quod illæ conclusæ non fuerunt per aliquem syllogismum circuli prius positi. Dicamus igitur quod si sumatur minor principalis syllogismi quæ est  $\text{B omni C inesse}$ , sive quod omne  $\text{C est B}$ , et jungatur ei  $\text{A C}$  propositio quæ est conversa conclusionis, sic omne  $\text{A C}$ , erit syllogismus concludens conversam majoris, hoc est,  $\text{B ad A universaliter praedicari}$ , sic, omne  $\text{C B}$ , omne  $\text{A C}$ , ergo omne  $\text{A B}$ . Rursum autem si sumatur  $\text{C omni A inesse}$ , quod est conversa conclusionis principalis : et sumatur  $\text{A omni B inesse}$ , quod est conversa majoris : necesse est sequi  $\text{C inesse omni B}$ , quod est conversa minoris.

In utrisque autem his syllogismis circularibus sumpta est  $\text{A C}$  propositio (quæ est conversa conclusionis) indemonstrata: eo quod per nullum dictorum syllogismorum est conclusa : omnes enim aliæ propositiones et conversæ earum probatæ sunt et conclusæ : propter quod si hanc circulari syllogismo demonstraverimus sive concluserimus, omnes erunt approbatæ sive conclusæ per se invicem. Si ergo sumatur  $\text{C omni B inesse}$ , quæ est conversa minoris principalis syllogismi : et sumatur conversa majoris, scilicet quod  $\text{B insit omni A}$ , et utræque dictæ propositiones sumantur demonstratæ et

conclusæ per circularem syllogismum in secundo circulo positum, sequitur quod c necesse est inesse  $\text{A}$ , quæ est conversa conclusionis principalis syllogismi.

Manifestum est igitur ex his quæ dicta sunt quoniam in solis his terminis qui convertuntur, circulo et per se invicem contingit fieri demonstrationes sive conclusiones. In aliis autem non convertilibus fiunt ostensiones, quemadmodum prius in anteriori libro dictum est. In his autem quæ convertibilia sunt eodem sumpto, hoc est, eadem conclusione quæ demonstratur in primo syllogismo, accedit uti pro propositione ad demonstrationem alterius conclusionis, quæ est conclusio reflexi syllogismi in circulum : cuius signum est : quia in syllogismo reflexo  $\text{C de B}$  quæ est conversa minoris, et  $\text{B de A}$  quæ est conversa majoris, monstratur sumpto  $\text{C de A}$  dici, conversa scilicet conclusionis,  $\text{C autem de A}$  (conversa  $\text{B}$  conclusionis) ostenditur per has propositiones acceptas conversas : propter quod conclusione sumpta in circulari syllogismo pro præmissa utimur ad demonstrationem præmissarum.

In privativis autem syllogismis universalibus primæ figuræ circularibus hoc modo conclusionis et propositionum fit demonstratio ex se invicem. Et dico privativis syllogismis : quia licet unus solus sit in prima figura privatus et universalis syllogismus : tamen quia duobus circulis clauditur, plures ad hoc in circulari syllogismo necesse est fieri syllogismos. Fiat autem syllogismus principalis sic : accipiatur enim minor universalis affirmativa, ita quod  $\text{B dicatur omni C inesse}$  : et accipiatur major negativa, ita quod dicatur  $\text{A nulli B inesse}$ : conclusio erit principalis syllogismi, quoniam  $\text{A nulli C inerit}$ , sic, nullum  $\text{B A}$ , omne  $\text{C B}$ , ergo nullum  $\text{C A}$ . Si ergo rursum in reflexo syllogismo oporteat concludere majorem principalis syllogismi (hanc scilicet) quod  $\text{A nulli insit B}$ , sive quod nullum  $\text{B est A}$ , quod prius in principali syllogismo sumptum erat pro majori :

Removet  
dubium.

tunc sumetur conclusio principalis syllogismi, hæc scilicet quod *a* nulli *c* inest, et adjungetur conversa minori, hæc scilicet quod *c* inest omni *b* (sic enim e converso sumitur minor propositio), et concluditur quod nullum *b* *a*, sic, nullum *c* *a*, omne *b* *c*, ergo nullum *b* *a*, quæ fuit major principalis syllogismi.

Si autem oportet concludere circulari syllogismo minorem principalis syllogismi, hanc scilicet, quoniam *b* inest omni *c*, sive quod omne *c* est *b*, non similiter ut prius in affirmativo syllogismo convertenda est *a* *b* major propositio : nam eadem quantum ad qualitatem est propositio major quæ dicit, quoniam *a* nulli inest *b*, et sua conversa quæ dicit, quod nulli *a* inest *b*, ambæ enim sunt negativæ : et affirmativa (quæ est minor concludenda) non sequitur ex negativa : et ideo majoris conversa reducenda est in affirmativam sic : major enim est, nullum *b* est *a*, et convertenda in hanc, cui *a* nulli inest, huic omni inest *b*, hæc enim est affirmativa, scilicet *c* nulli inest *a* quæ fuit conclusio : ergo *c* omni inest *b* quæ fuit minor in syllogismo principali.

Propter quod cum tria sint in syllogismo principali, unumquodque illorum conclusio facta est : tria enim sunt major et minor et conclusio : circulo enim demonstrare (sicut diximus) hoc est aliquem sumentem conclusionem principalis syllogismi cum conversa alterius præmissarum reliquam (quæ non convertitur) syllogizando in reflexo syllogismo concludere.

**Dubitatio.** Si autem quæritur, quare juxta modum universalem negativum primæ figuræ non fiunt sex syllogismi, sicut circa modum affirmativum : hic enim non syllogizantur nisi præmissæ tantum, et non syllogizatur conclusio earum, Dicendum quod hoc ideo est, quia in negativo universalis syllogismo primæ figuræ non fit nisi una circulatio, quamvis juxta primum modum fuerant duæ circulationes : ex conversis enim præmissarum potest ostendi conversa conclusionis : nec ex

conversa conclusionis et minori potest ostendi conversa majoris, eo quod utробique hic et ibi accipitur minor negativa, quod in prima figura esse non potest : nec ex conversa conclusionis et majori concluditur conversa minoris, quia utraque est negativa, et ex utraque negativa non fit syllogismus in aliqua figura.

Sed adhuc forte quæreret aliquis, quare non transponuntur illæ negativæ in affirmativas, ita quod ex illis syllogizaretur, sicut syllogizatur ad ostendendam minorem principalis syllogismi. Et dicendum est ad hoc, quod transpositio talis in illis conversis esset inutilis, et nihil faceret ad propositum : quod sic patet : fiat enim syllogismus principalis sic, nullum *b* *a*, omne *c* *b*, ergo nullum *c* *a*. Si debeat ostendi conversa conclusionis, hæc scilicet, nullum *a* *c* per conversas præmissarum. Accipiatur ergo conversa minoris, hæc scilicet, omne *b* est *c*, et deinde jungatur conversa majoris transposita in affirmativam, sic, cui nulli inest *a* illi omni inest *b*, et patet quod hoc nihil est ad propositum : ex his enim duabus (omne *b* est *c* cui nulli inest *a*, omni illi inest *b*) non potest syllogizari, quod *c* nulli insit *a*. Similiter autem est et in aliis conversis concludendis : et hæc quidem est veritas.

Tamen quidam non subtiliter ista perspicentes, concedunt quod conversæ principalium propositionum syllogizari possint per transpositionem negativam in affirmativas, eo modo quo dictum est. Est tamen quæstio de hujusmodi conversione : quia videtur non esse generalis hujusmodi conversio, et non tenere nisi in materia contingentí. Adhuc autem ubi vera conversio est, si convertens est vera, est etiam vera ejus conversa : sed in ista conversione non est sic : si enim sic dicam, nullus homo est asinus, hæc vera est : et si convertatur, sic, cui nulli inest asinus, illud omne est homo, falsum erit : quia nulli ligno inest asinus : et tamen non omne lignum est homo.

Dicendum autem ad hoc, quod non

Dubitatio.

Solutio.

Objectio.  
quorū  
dam.

Objectio.  
dam.

Solutio.

vera est conversio, sed translatio conversæ negativæ in affirmativam: unde negativa primo est convertenda, et postea conversa transferenda, sic, nullum *B* est *A* in hanc convertatur, nullum *A* *B* et postea transferatur, sic, nulli cui inest *A* illi omni inest *B*. Sicut autem in affirmativa propositione termini sunt convertibles, ita et in negativa termini quantum possunt debent accedere ad convertibilitatem, ita quod sint contradicentes negative et immediati, ita quod necesse sit alterum inesse sicut in contradictoriis: sicut enim dicitur, nullum æquale est inæquale: hæc enim si transmutaretur in affirmativa, affirmativa erit vera sicut negativa, sic, cui nulli inest inæquale, ei omni inest æquale: unde talis conversio non est nisi quædam coarctatio circa majorem propositionem in syllogismo negativo: quæ coarctatio fit ad terminos convertibles, vel ad convertibilitatem accedentes, et oppositionem immediatam quæ est per modum contradictionis.

Posset tamen dici quod in tali conversione non fit coarctatio ad terminos convertibles: sed cum dicitur, cui nulli inest *A* illi omni inest *B*, per hoc quod dicitur *cui*, intelligendum est quid particulare a quo universaliter removetur *A*, et cui universaliter insit *B*; et illud oportet necessario esse *C*, quia, sicut dictum est in hujus tractatus antecedentibus, in circulari ostensione non debet *A* sumi terminus novus extra præacceptos in principali syllogismo: quia aliter non esset ostensio circularis: propter quod per id quod dicitur *cui*, per virtutem ostensionis circularis oportet intelligere *C*, et sic est propositio vera sic, alicui sicut *C* cui nulli inest *A*, omni illi inest *B*.

**Dubitatio.** Si autem quaeritur de syllogismo qui fit ex hujusmodi conversa sic, cui nulli inest *A*, illi omni inest *B*, sed *C* est cui nulli inest *A*, ergo omni *C* inest *B*. Talis enim conversio non videtur esse syllogismus: quia major est particularis respectu conclusionis: propter hoc quod dico *cui*,

particulariter supponit pro *C*, et etiam propter hoc quod minor est negativa: quorum utrumque est inconveniens in prima figura. Adhuc quia conclusio est affirmativa, et una præmissarum negativa: quod in nulla figura fieri potest in forma syllogistica. Adhuc si dicatur esse syllogismus primæ figuræ, quaeritur in quo modo sit, et non erit assignare. Si autem diceretur syllogismus esse in tertia figura, hoc stare non potest, quia tunc oporteret conclusionem converti sicut majorem, et hoc fieri non debet: quia syllogizatur ex conclusione et altera præmissarum conversa. Adhuc in tertia figura non syllogizatur universalis: hic autem concluditur universalis proposicio.

Solutio.

Ad hoc autem dicendum quod talis syllogismus est quidem in prima figura, sed non in aliquo modorum primæ figuræ, eo quod non directe ostensivus: nec habet virtutem inferendi ab eo quod est dici de omni et dici de nullo, sed virtutem inferendi quasi sicut conditionalis quæ talis est, quod si ab aliquo removatur unum, quod continue inferatur reliquum, ut si non est homo, est non homo. Unde totus syllogismus ille est quasi hypotheticus, et inferens a positione antecedentis: nec major est particularis respectu conclusionis, sed est in æque *ei*: eo quod hoc quod dico *cui*, pro *C* supponit, quod idem *C* subjicitur in conclusione. Nec etiam est inconveniens in tali syllogismo a positione antecedentis inferre ex minori negativa: quia negatio non cadit super totum medium: quinimo pars ipsius medii negatio est: nec inconveniens est ex sic et taliter negativa inferre affirmativam.

In particularibus autem syllogismis duobus primæ figuræ, scilicet tertio et quarto hic communiter notandum, quod universalem propositionem talis syllogismi (majorem scilicet) non est demonstrare sive concludere per circulum: quia si concluderetur, non posset concludi nisi per conclusionem quæ particularis est, et

per conversam minoris, quæ iterum est particularis, et ex utraque particulari non fit syllogismus in aliqua figura: sed particularis circulo demonstratur. Quoniam autem non est demonstrare universalem propositionem in particulari syllogismo, sic probatur. Universalis enim non demonstratur sive concluditur nisi per universales utrasque propositiones: sed conclusio (ex qua proceditur in reflexo syllogismo) non est universalis. Dictum autem est, quod in reflexo syllogismo oporteret fieri ostensionem ex conclusione et altera præmissarum conversa.

Amplius omnino et universaliter in nulla figura fit syllogismus conversa minori propositione quæ particularis est affirmativa: quia si illa conversa accipiatur cum conclusione, quæ et ipsa est particularis, utræque propositiones præmissæ fiunt particulares: et ex talibus in nulla figura est syllogizare. Particularem autem propositionem in syllogismo particulari positam, est ostendere et concludere circulariter. Ostendatur, hoc est, concludatur A majus extreum de aliquo c minori particulariter per medium b, sic, omne b A, quoddam c b, ergo quoddam c A. Si ergo sumatur major propositio conversa, ita dicatur b omni A inesse, et conclusio maneat principalis syllogismi, hujus scilicet, quoddam c A, concluditur minor priors syllogismi, scilicet quod b alicui c inerit, sic, omne A b, quoddam c A, ergo quoddam c b. Sic enim fit prima figura, et A fit medium quod in principali syllogismo fuit majus extreum.

Si autem fit privativus syllogismus particularis sicut in quarto modo primæ figuræ, sic, nullum b A, quoddam c b, ergo quoddam c non est A. Universalem majorem negativam non est demonstrare per circulum: propter hoc quod prius dictum est in tertio modo primæ: quia eadem causæ impediunt et hic et ibi. Sed particularem propositionem affirmativam minorem est vel contingit demonstrare

per circulum. Hoc autem fit ex conclusione et conversa majoris, si similiter convertatur major propositio A B, sicut in universalis syllogismo negativo dictum est, sic scilicet, ut cui alicui non inest A, huic alicui inest B, et syllogizatur sic, cui alicui non inest A, illi alicui inest B, sed c alicui non inest A, ergo c alicui inest B. Nam aliter non potest fieri syllogismus: eo quod negativa est particularis propositio, quæ est conclusio syllogismi principalis, ex qua procedit reflexus syllogismus, quæ cum alia particulari nihil infert: et cum majori conversa negativa ex utraque negativa syllogizaret: quod fieri non potest in aliqua trium figurarum: sic igitur convertenda est major, et fiat circulus.

De his tamen particularibus syllogismis posset aliquis dubitare: quia in affirmativo syllogismo (qui est tertius primæ) non docetursyllogizari nisiminorte, non major, nec conversa majoris, nec conversa conclusionis, et quod major tam in syllogismo affirmativo quam in negativo concludi non potest, satis in prædictis ostensum est: quia utræque est universalis: et universalis concludi non potest: conversa autem conclusionis concludi non posset, nisi per conversionem majoris, quæ in affirmativo non convertitur nisi in particularem: et tune illa cum conclusione (quæ etiam particularis est) sumpta non facit syllogismum. In negativo autem quando convertitur major, et sumitur cum conclusione, concludit minorem: ad concludendum autem majorem vel conversam ejus oporteret, quod particularis vel minor, vel conclusio, vel earumdem conversæ, efficerentur majores in prima figura: quod esse non potest. Et per idem patet quod in universalis modo primæ perfectus est circulus, in modo autem negativo universalis imperfectus. Sed in particularibus modis penitus est circulus diminutus. Adhuc autem circa quartum modum primæ figuræ negativum, si præinducto modo reflectatur in circulum, videtur syllogismus fieri ex particularibus. Adhuc vide-

Dubitatio.

tur concludere conclusionum negativam ex affirmativis : quorum neutrum fieri debet.

**Solutio.** Sed ad hoc (sicut superius dictum est) responderi habet : quia pro certo cum dicuntur, cui alicui non inest A, illi alicui inest B, propositio ista virtutem habet hypotheticæ propositionis conditionalis : et virtus inferendi in tali syllogismo tota concluditur in majori : et ideo non infert per dici de omni et dici de nullo, sed infert a positione antecedentis : et quia concludit minorem quæ est affirmativa, oportet quod transferatur in affirmativam, sicut superius dictum est : et tamen quia hic est particularis syllogismus, hic transferenda in terminos particulares. Superius autem in universali negativo transfertur in terminos non particulares, sed universales : et sub B non potest accipi nisi C per virtutem syllogismi circularis, in quo non debet sumi novus terminus. Nec est inconveniens ex tali particulari concludere et facere eam majorem : quia (sicut dictum est) non infert per dici de omni vel de nullo, sed ex virtute hypothesis a positione antecedentis. Et debent isti syllogismi sic formari : universalis quidem sicut supra dictum est: particularis autem sic, cui alicui ut C non inest A, illi alicui inest B, sed C est cui alicui non inest A, ergo C alicui inest B.

**Dubitatio.** Si autem queritur quare syllogismi sic formati reducuntur ad formam ostensivorum syllogismorum in prima figura? Dicendum quod ille qui fit juxta modum universalem (secundum scilicet primæ figuræ) sic potest reduci, omne C non ens A est B, sed C est C non ens A, ergo omne C est B. Particularis autem qui fit juxta quartum modum primæ figuræ, reduci sic habet in categoricum et simplicem et ostensivum syllogismum, omne C non ens A est B, aliquod C est C non ens A, ergo aliquod C est B: quia cum conclusio affirmativa sit, oportet tam conversam majoris quam conclusionem transferre in affirmativam, et sic syllogizare. Ex his igitur patet qualiter fit circulus in prima figura.

**Solutio.**

### CAPUT III.

*Qualiter circulus fit in secunda figura.*

In secunda autem figura affirmativam propositionem non est ostendere circulo, sed privativam in secunda figura est per circulum ostendere. Prædicativa quidem sive affirmativa in secunda figura non ostenditur hac de causa : quia cum per circulum ostendere sit, cum conclusione et conversa unius alteram syllogizare, oportet quod altera semper esset negativa : quia conclusio in secunda figura semper est negativa : sed ex altera negativa non sequitur conclusio affirmativa : ergo affirmativam non contingit concludere in secunda figura : affirmativa enim non sequitur nisi ex utraque affirmativa.

Contra hoc tamen esse videtur: quia objectiones. in sequentibus ostendetur, quod ex conversa negativæ transposita in affirmativam, syllogizatur affirmativa. Adhuc in modis negativis primæ figuræ syllogizatur affirmativa, in quibus non est utraque negativa: videtur igitur, quod hoc etiam hic fieri possit in secunda figura. Adhuc autem in primo modo secundæ videtur syllogizari affirmativa ex negativa majori transposita in affirmativam, sic, cui nulli inest B illi omni inest A, C autem est cui nulli inest A, ergo omni C inest B.

**solutio.** Ad hæc autem et similia dicendum quod non fit circularis ostensio, nisi ubi conclusio sumitur cum conversa alterius præmissarum ad concludendam reliquam : et hoc modo non potest syllogizari in secunda figura affirmativa secundum circulum. Si autem conversa negativæ transferatur in affirmativam, nihil faciet hoc modo ad circularem ostensionem : in sequentibus in tertio modo syllogizabitur affirmativa, non ex conclusione et conversa majoris transposita in affirmativam, sed ex ipsa majori sic transposita in qua est tota virtus illationis, sicut dictum est: sed sic syllogizare non est circulo ostendere. Et licet sic syllogi-

zetur affirmativa syllogismorum universalium sicut objectum est : non tamen fit hoc secundum circulum, sicut patet ex diffinitione circularis ostensionis, cum ibi sumitur conclusio cum altera præmissarum conversa : quia si sumeretur conversa negativæ transposita in affirmativam, non esset ad propositionum concludendam conclusionem circulariter : sed vel sumitur ipsa propositio translata in affirmativam cum conclusione vel cum conversa conclusionis. Ad id autem quod objicitur de negativis primæ figuræ, dicendum quod aliud est de negativis primæ figuræ, et aliud de negativis secundæ. In prima enim figura ex conclusione et conversa alterius præmissæ syllogizatur reliqua. Sed in secunda figura hoc nihil facit ad propositum conclusio et conversa negativæ : quia ex conclusione negativæ non syllogizatur affirmativa. Causa enim præcisa quare hic non syllogizatur affirmativa, hæc est : quia non fit circularis ostensio nisi ex conclusione et altera præmissarum conversa : ex conclusione autem et conversa non fit hic syllogismus ad propositum in secunda figura. Sic igitur patet quod circularis ostensio non fit de affirmativa propositio ne in secunda figura.

Privativa autem propositio circulariter in secunda figura sic ostenditur : et accipiatur primo in secundo secundæ, in quo major est universalis affirmativa, minor autem universalis negativa sic : sint enim termini **A** **B** **C**, et medium sit **A**, et insit **A** omni **B** in majori, et idem **A** nulli insit **C** in minori propositione, conclusio erit in principali syllogismo, quod nulli **B** inest **C**. Si ergo sumatur conversa majoris (hæc scilicet quæ dicit nulli **A** inesse **B**) cum conclusione quæ dicit nulli **C** inesse **B**, sequitur necessitate syllogistica nulli **C** inesse **A** : fit enim secunda figura in eodem modo, secundo scilicet secundæ figuræ, in quo factus est syllogismus principalis.

Si autem **A** **B** propositio major sit privativa sicut in primo modo secundæ figuræ, et altera propositio minor sit univer-

salis affirmativa sicut in primo modo secundæ figuræ, et altera propositio minor sit universalis affirmativa : tunc in circulo non observabitur eadem secunda figura, sed fit prima figura : in tali enim conjugatione in minori propositione cinerit omni **A**, **B** autem nulli inerit **C**, et sequitur quod **B** nulli inerit **A**, et per conversam illius ulterioris sequitur, quod neque **A** inerit nulli **B**, non ergo fit hic syllogismus ex conclusione et conversa minoris ad majorem concludendam, sed et ex his et conversa majoris. Et attende quod non fit hic circulus observata eadem figura sicut in secundo modo paulo ante factum est. Et hujus ratio est, quia ex conclusione et conversa majoris secundæ figuræ semper fit dispositio figuræ secundæ : sed ex conclusione et conversa minoris semper fit dispositio figuræ primæ, sicut cuilibet patere potest consideranti conversas illarum propositionum, et cum conclusione sumenti eas.

Si autem non universalis sit syllogismus (sicut in tertio et quarto) illa quidem propositio quæ est in toto sive universalis in tertio et quarto, non potest ostendi circulo, propter eamdem causam quæ in præhabitis de syllogismis particularibus primæ figuræ dicta est : sed particularis syllogizatur, et præcipue in quarto, in quo universalis major est prædicativa. Sit principalis syllogismus iste, omne **B** est **A**, aliquod **C** non est **A**, ergo aliquod **C** non est **B** ; sive sic, insit **A** omni **B**, **C** autem non omni insit **A**, conclusio negativa erit propositio **B** **C**, hoc est, quod aliquod **C** non est **B** : tunc ex conclusione et conversa majoris syllogizatur minor in eodem modo ejusdem figuræ sic, omne **A** est **B**, aliquod **C** non est **B**, quæ fuit conclusio : ergo aliquod **C** non est **A**, quæ fuit minor propositio prioris syllogismi. Si ergo sumatur in conversa majoris, quod **B** (ut medium) insit omni **A**, et quod non omne **C** est **B**, sive quod non omni **C** inest **B**, sequitur alicui **C** **A** non inesse, quæ fuit minor, ut diximus, in quarto secundæ figuræ.

Si autem major est universalis et privativa (sicut est in tertio modo secundæ figuræ) non ostendetur minor propositio per conclusionem et conversam majoris quæ est A B, propositio universalis negativa, dicens, nullum B est A; et fiat syllogismus principalis sic, nullum B A, aliquod c est A, ergo aliquid c non est B. Patet quod hic minor propositio affirmativa est, ad quam concludendam exigitur quod utraque præmissarum sit affirmativa. Si enim cum conclusione negativa particularis sumatur conversa majoris, quæ etiam negativa est, sequitur quod aut utraque præmissarum in circulo, aut altera sit negativa: et neutro modo contingit concludere particularem affirmativam qualis est minor: et idcirco non erit circularis syllogismus ad concludendam minorem. Sed hæc minor aliter ostendetur per translationem negativæ in affirmativam, quemadmodum in ante habitis de universalibus syllogismis dictum est in prima figura, sic scilicet quod major universalis negativa transferatur in affirmativam sic, cui alicui non inest B illi alicui inest A, sed c est cui alicui non inest B, ergo alicui c inest A, quæ est minor in principali syllogismo. Sic ergo syllogismus circularis fit in secunda figura. De isto autem tertio secundæ figuræ hoc idem intelligendum quantum ad translationem in affirmativam, quod dictum est in quarto primæ: transfertur enim in terminos particulares, eo quod particulariter concludit.

## CAPUT IV.

*Qualiter in tertia figura fit circularis ostensio.*

In tertia autem figura in universalibus syllogismis (scilicet primo et secundo) quando utræque quidem propositiones universaliter sumuntur, non contingit ostendere cum conclusione assumpta cum conversa alterius præmissarum per se invicem præmissas propositiones. Cujus

causa est, quia universalis propositio non ostenditur sive concluditur, nisi per ambas præmissas universales: sed conclusio quæ in circulo affirmatur cum conversa alterius est particularis, eo quod in tertia figura non concluditur nisi particulariter. Propter quod manifestum est, quoniam omnino sive penitus non contingit ostendere circulariter universalem alteram præmissarum per hanc tertiam figuram.

Objectio.

Si autem quis objiciat contra hoc dicens, quod in terminis convertilibibus contingit syllogizare propositionem universalem in tertia figura. Adhuc autem quia propter convertibilitatem terminorum contingit transferre particularem in universalem, sicut transfertur negativa in affirmativam: ex universalis autem et conversa unius præmissarum potest concludi reliqua. Et dici solet ad hoc quod quamvis termini universalis propositionis convertibiles sint, non tamen propter hoc necesse est quod termini particulares propositionis sint convertibiles: et ideo non possunt particulares propositiones in universales transferri. Posset tamen dici, quod syllogismus circularis salvat in se formam syllogismi simpliciter: unde cum de forma syllogismi simpliciter sit, quod universalis non concluditur nisi ex universalibus: et de forma syllogismi in tertia figura sit, quod non concludat nisi particulariter: non debet syllogismus circularis in aliqua figura universalem propositionem concludere ex altera particulari: nec in tertia figura debet concludere nisi particularem, eo quod nihil debet supponi in syllogismo circulari quod sit oppositum formæ syllogisticæ: supponi tamen potest aliquid quod est oppositum alicui formæ, cuiusmodi est conversio simplex universalis affirmativæ: et ideo quamvis sint termini convertibiles, non tamen debet concludi universalis in tertia figura.

Solutio.

Aliter.

Si autem aliquis dicat, quod eadem ratione potest supponi conversio particularis in universalem, sicut supponitur con-

Objectio.

**Solutio.**

versio simpliciter universalis affirmativæ, Dicendum quod ad hoc quod fiat suppositio alicujus conversionis, oportet quod tantum dicatur per primam, quantum dicitur per secundam vel plus: hoc enim in omni observandum est conversione, ut tantum ponatur per convertentem, quantum ponitur per conversam vel plus. Et sic est in universalis affirmativa conversa simpliciter: sed sic non esset si transferatur particularis in universalem: plus enim ponitur per universalem, quam per particularem: et ideo quamvis utraque istarum translationum transponat formam syllogismi, tamen licet alteram supponere conversionem, scilicet universalis affirmativæ simpliciter, et non licet supponere alteram translationem, scilicet particularis in universalem.

**Objectio.**

Si autem quis opponat quod secundum hanc rationem non deberet supponi translationis negativæ in affirmativam, quia plus ponitur per secundam quam per primam.

**Solutio.**

Et dicendum quod ponitur plus per secundam quam per primam: quia negativa de se simpliciter constantiam terminorum non exigit: tamen prout est in syllogismo circulari, requirit quamdam constantiam terminorum: communicat enim cum affirmativa propositione, cuius termini constantiam habent in altero termino: idem enim dicitur per istam, nullum A est B, et per istam, cui nulli inest A illi omni inest B, secundum quod in circulo accipiuntur. Alio tamen modo dicitur per unam, et alio modo per aliam.

Si autem hæc quidem propositionum universalis sit, illa vero particularis, quandoque quidem erit circularis ostensio propositionis particularis, quandoque vero non erit: quando enim minor est universalis et major particularis, tunc ostenditur circulariter particularis: quando autem major est universalis et minor particularis, tunc circulariter particularis ostendi non potest. Hoc autem ideo dictum est, quia non fit in tali ostensione circulus completus ad ostendendam particularem propositionem, nisi aliquo alio as-

sumpto, sicut paulo post patebit. Primo tamen ostendamus hoc quod dictum est in affirmativis syllogismis. Dicamus igitur quod quando utræque præmissæ in tertia figura affirmativæ sumuntur, et universalis propositio ponitur ad minorum extremitatem: tunc circularis fit ostensio particularis, quæ est major propositio, sicut in tertio tertiae figuræ. Quando autem universalis propositio ponitur ad majorem extremitatem, tunc non potest ostendi propositio particularis per circulum. Et ponamus primo quartum modum, in quo particularis non perfecte per circulum ostenditur, et sit primus sive principalis syllogismus. Insit enim A major extremitas omni c medio: et eidem c alicui sive particulariter insit B minor extremitas: conclusio erit quod aliquod B est A, sic, omne c est A, aliquod c est B, ergo aliquod B est A. Si ergo sumatur conversa majoris, scilicet quod omni A insit C, cum conclusione quæ est, quod alicui B inest A, ostensum est per circulum quod C inest alicui B, sed conversa illius quæ fuit minor prioris syllogismi (quæ est quod aliquod C sit B) et illa quidem non est ostensa, sive immediate per circulum demonstrata, sic, omne A est C, aliquod B est A, ergo aliquod B est C. Hic enim est tertius primæ figuræ: et hæc non est minor, sed conversa minoris: sed ex hac per conversionem sequitur minor, scilicet quod aliquod C est B: et quia ad illam non attingit syllogismus, ideo circulus non est complexus. Unde quod B alicui C insit, non est ostensum per circulum: quamvis necesse sit per conversionem conclusionis, si C inest alicui B, quod etiam e converso B inest alicui C. Sed tamen una conversarum non est idem omnino alii: non enim idem est hoc huic inesse, et e converso aliud isti inesse. Sed assumendum est ad circulum, quod si hoc alicui illi insit particulariter, quod etiam e converso illud isti insit: quia particularis affirmativa convertitur simpliciter. Hoc autem assumpto, tunc non fit syllogismus reflexus ex conclu-

sione et conversa alterius propositionis concludens minorem, sed conversam minoris, ex qua ulterius per conversionem concluditur minor et non per circulum.

In tertio autem modo, in quo major est particularis affirmativa et minor universalis affirmativa, fit ostensio circularis. Fiat enim syllogismus principalis, et insit *b* omni *c* in minori propositione, *A* autem insit alicui *c* in majori: erit circulariter ostendere quod *A* inest alicui *c*, quæ fuit major propositio, quando sumitur conversa minoris (*hæc scilicet*, quod *c* insit omni *b*) et cum hac sumitur conclusio (*hæc scilicet*, quod *A* insit alicui *b*) quia si *c* inest omni *b*, *A* autem inest alicui *b*, sequitur quod necesse est quod *A* insit alicui *c*, et medium in hoc syllogismo circulari est *b*. Et hoc planum est: si enim syllogismus principalis sic fiat, aliquod *c* est *A*, omne *c* *b*, ergo aliquod *b* *A*. Tunc enim ex conversa minoris et conclusione syllogizatur major sic in eodem modo, aliquod *b* est *A*, quæ est conclusio: omne *b* est *c*, quæ est conversa minoris: sequitur major, ergo aliquod *c* est *A*. Sic igitur patet qualiter fit circularis ostensio in affirmativis syllogismis tertiae figuræ particularibus. Ostendamus ergo qualiter fit circularis ostensio in modis negativis particularibus, et ostendamus hoc in quinto modo.

Dicamus igitur quod cum fuerit præmissarum propositionum *hæc quidem* prædicativa sive affirmativa, illa vero privativa, sicut in quinto modo et sexto tertiae figuræ: et quando fuerit universalis quidem prædicativa et minor, particularis autem privativa et major, sicut est in quinto tertiae: tunc per circulum ostenditur altera propositio, major scilicet particularis negativa. Insit enim in minori principalis syllogismi *b* omni *c*, *A* autem alicui *c* particulariter non insit in majori: concluditur in quinto tertiae, quod *A* particulariter non inest alicui *b*. Si ergo sumatur conversa minoris, et dicitur *c* omni *b* inesse, cum conclusione quæ dixit, quod *A* non omni *b* particula-

riter inerat, necesse est alicui *c* non inesse, quæ fuit major principalis syllogismi. In hoc autem circulari syllogismo medium est *b*, cum in principali syllogismo medium fuerit *c*.

In sexto autem modo ubi major est universalis negativa, et minor particularis affirmativa, particularis concludi circulariter non potest, nisi per translationem universalis negativæ in affirmativam, sicut in præhabitis factum est: unde cum privativa sit universalis et major, et minor particularis affirmativa, non ostendetur circulariter altera quæ est particularis minor, nisi sicut in prioribus. Sit enim principalis syllogismus, nullum *c* est *A*, aliquod *c* est *b*, ergo aliquod *b* non est *A*. Tunc ex conversa majoris transposita in affirmativam et conclusione syllogizatur conversa minoris, sed non minor ipsa secundum se, sic, cui alicui non inest *A*, illi alicui inest *c*, sed *b* est cui alicui non inest *A*, ergo *c* alicui inest *c*: ex qua sequitur conversa istius, quod aliquod *c* est *b*, quæ erat minor syllogismi principalis. Aliter autem non contingit, quod ille qui convertit universalem propositionem negativam, et sumit eam cum conclusione, possit circulariter ostendere alteram particularem, scilicet negativam: quia aliter non potest fieri syllogismus circularis, quia minor quæ concludenda est affirmativa, per negativam alteram concludi non potest.

## CAPUT V.

*Qualiter fit circulus in qualibet figura determinatur in communi.*

Ex his autem quæ dicta sunt manifestum est, quia circularis ostensio (quæ est tensio propositionum per se invicem facta) in prima quidem figura fit, aut per tertiam figuram, aut per primam. In modis enim affirmativis (in quibus prædicativa est conclusio) fit talis ostensio per primam figuram. Adhuc etiam in modis negativis ad concludendam circulariter propositio-

nem negativam fit per primam. Sed in eisdem modis negativis ad concludendam circulariter propositionem affirmativam, fit per tertiam figuram : eo quod tunc ad concludendam affirmativam negativa transponitur in affirmativam : sumitur enim cui hoc nulli inest, alterum omni illi inesse. In media autem figura quandoquidem universalis est syllogismus, sicut sunt primus et secundus secundæ figuræ, aliquando fit talis ostensio per ipsam secundam figuram, aliquando autem per primam, et aliquando per postremam siue tertiam. Per primam enim fit ostensio ad concludendam propositionem negativam in primo secundæ. Per secundam autem ad concludendam negativam propositionem sumptam in secundo secundæ. Per tertiam autem ad concludendam affirmativam propositionem sumptam juxta utrumque modum et primum et secundum secundæ figuræ. In modis autem secundæ figuræ particularibus (in quibus particularis est ostensio) fit ostensio talis aut per ipsam secundam figuram, aut per postremam. Per secundam quidem ad concludendum particularem propositionem modi quarti secundæ figuræ. Per tertiam autem ad concludendam propositionem particularem tertii. In tertia autem figura omnes quotquot fiunt circulationes syllogismi, fiunt per ipsam tertiam figuram.

Manifestum etiam est ex dictis, quoniam in tertia et in media figuris omnes circulationes quæ non fiunt per ipsam eamdem figuram, aut non sunt circulares ostensiones, aut si sunt, erunt circuli imperfecti.

**Objectio.** Si quis objiciat contra hoc quod dictum est, syllogismum circularem ad concludendam affirmativam propositionem in secundo primæ fieri per tertiam figuram, eo quod tertia non concludit nisi particulariter, cum illa propositio affirmativa quæ est in secundo primæ, sit universalis. Dicendum quod non intenditur per hoc quod dictum est, quod conclusio fiat per tertiam figuram. Nec etiam intenditur

quod syllogismus ejus disponatur in tertia figura: sed intenditur quod ostensio illius conclusionis fiat per virtutem figuræ tertiae: fit enim ostensio illa quasi hypothetice per virtutem conditionis implicitæ in majori propositione, in qua quidem fit dispositio tertiae figuræ: quia cum dicatur, cui nulli inest a illi omni inest b, significatur in hac propositione dispositio tertiae figuræ, et virtute illius dispositionis fit ostensio quasi a positione antecedentis. Duo enim extrema referuntur ad idem subjectum, cum dicatur, cui nulli inest a illi omni inest b. Et similiter dicendum est de omnibus præhabitibus dispositionibus, in quibus fit translatio negativæ in affirmativam.

Posset etiam dubitari de hoc quod dictum est; quod omnes circulationes in tertia figura factæ, fiunt per eamdem tertiam figuram: hoc enim falsum esse videtur in quarto modo, ubi concluditur propositio altera circulariter per primam figuram. Sed ad hoc dicendum, quod ille syllogismus non simpliciter est circularis, sed incomplete: concludit enim conversam propositionis illius quam concludere deberet: sed completæ circulationes quæ fiunt in tertia figura, fiunt per ipsam figuram tertiam.

Quæri etiam potest, quæ sint ostensiones in secunda et tertia non concludentes in figura propria, quæ circulares non sunt, et quæ sunt circulares, sed incompletæ. Et dicendum ad hoc, quod illæ quæ non fiunt secundum diffinitionem circularis ostensionis (hoc est, ex conclusione et conversa unius præmissarum) non sunt circulares. Tales autem sunt omnes ostensiones secundæ figuræ concludentes propositiones affirmativas, sicut patet ex ante dictis: tales enim omnes fiunt per virtutem tertiae figuræ, sicut ante dictum est. Illæ autem ostensiones quæ fiunt ex conclusione et conversa unius præmissarum, et non possunt nisi conversam propositionis concludendæ ostendere, et non ipsam propositionem concludendam, nisi per conversionem propositionis jam con-

Dubita

Soluti

Dubita

Soluti

clusæ, circulationes sunt quodammodo, sed incompletæ : quia non de se attingunt in redeundo ad idem id a quo fiebat exitus primi syllogismi. Tales autem sunt ostensiones factæ in quarto et sexto tertiaræ, et in primo secundæ figuræ ad concludendam negativam, sicut prædetermini-

natum est. Alia autem quæ hic possent facere dubium, facilia sunt et plana ex his quæjam sæpius dicta sunt. Hæc igitur de circulari syllogismo dicta sufficient, et deinceps dicatur de syllogismo conversivo.



**TRACTATUS III.**

## DE CONVERSIVO SYLLOGISMO.

## CAPUT I.

*Quid sit converttere et conversivus syllogismus.*

De syllogismo autem conversivo (qui in aliquo circulari syllogismo similis est, eo quod ex conclusionis potestate convertitur supra præmissam) post hæc dicemus. Primo dicendum quid convertere: quia scito quid sit convertere, scitur quid per diffinitionem sit conversivus syllogismus. Dicimus igitur quod convertere est eum qui convertit transponendo conclusionem facti sive præsyllogizati syllogismi in oppositum contrarie vel contradictorie: et sic oppositum conclusionis cum altera præmissarum sumendo facere syllogismum ad alterius præmissarum intermissionem. Propter quod semper necesse est ponere oppositum conclusionis loco propositionis interimendæ, ita scilicet quod si major ante facti syllogismi sit interimenda, oppositum conclusionis ponatur cum minori: et si interimenda sit minor, oppositum conclusionis ponatur cum majori: tunc enim syllogizabitur in prima figura, quoniam vel extremum majus medio non inherit quando interimitur major, vel medium non inherit postremo quod est extremum minus, sicut quando per conversivum syllogismum interimitur minor propositio syllogismi ante facti.

Removet dubia. Scito enim qualiter fit conversivus in prima figura, scitur facile qualiter fit et quid in aliis figuris: quia aliæ figuræ oriuntur a prima. Adhuc autem scito

qualiter fit contra modum affirmativum primæ figuræ (in quo extrellum medio inest, et medium postremo universaliter) facile est scire qualiter fit contra modum negativum: quia in illo extrellum medio non inest, et per conversivum ostenditur inesse per oppositum conclusionis. Intentio syllogismi conversivi. Intentio syllogismi conversivi.

Itemovet dubium. Attendendum autem quod quamvis non sequatur hoc, quod si conclusio constituti syllogismi sit falsa, quod ejus contraria sit vera, eo quod contrariae aliquando sunt ambæ falsæ: tamen convertens accipit contraria, eo quod non intendit convertens nisi ostendere consequentiam, quam sufficienter ostendit ostendendo interemptionem alterius ex opposito conclusionis, sive conclusio sit vera, sive falsa: quia contrarium destruitur per contrarium. Unde uno contrariorum posito, necesse est destrui reliquum quoad consequentiam, quamvis ambo sint simul falsa: quia aliter sequeretur omni et nulli inesse quod fieri non potest, sicut saepius ostensum est.

contradi-  
ctione est  
una ratio  
oppositio-  
nis. Differt tamen conclusionem præconstituti syllogismi convertere opposite sive contradictorie: eo quod in contradictione est prima ratio oppositionis: aut convertere eamdem conclusionem contrarie. Dico autem convertere *opposite*, quando sumitur contradictoria conclusionis cum altera præmissarum: *contrarie* autem quando cum altera præmissarum conclusionis ante facti sumitur contraria. Non enim fit idem syllogismus alterutra conclusione sic vel sic conversa. Hujus autem causa patebit per hujus tractatus sequentia. Dico autem opponi quidem *contra-  
dictorie*, ut gratia exempli dicamus, ei quod est omni inesse, opponitur contradictorie non omni inesse: et sicut ei quod est nulli inesse, contradictorie opponitur alicui inesse. *Contrarie* autem dico opponi, sicut ei quod est omni inesse, opponitur nulli inesse: et sic (large sumendo contraria etiam pro subcontrariis) opponitur ei quod est alicui inesse id quod est alicui non inesse.

Talis igitur est syllogismus conversivus ostendens consequentiam prioris syllogismi ostensivi per conversionem conclusionis in oppositam vel contrariam: eo quod destructo consequente destruitur antecedens; conclusio enim est consequens et præmissa est antecedens. Qui quidem syllogismus et utilis est potissi-

mum dialectico ad obviationem et exercitationem. Demonstratori autem utilis est contra cavillatorem consequentiæ. Sophistæ non est utilis in syllogismo peccante in forma, eo quod tunc consequentia non valet: sed in syllogismo peccante in materia in quo consequentia bona est: et si negetur, probatur per syllogismum conversivum. Et est hic syllogismus conversivus diffinitus secundum hoc quod est in primo modo primæ figuræ: quia in illo est in sui esse potissimo, et per hoc quod est in primo modo, facile est scire qualiter est in aliis figuris et modis.

Removet  
dubia.

## CAPUT II.

*Qualiter fit conversivus syllogismus in modis universalibus primæ figuræ tam contrarium quam contradictorium conclusionis accipiendo.*

Ostendimus igitur qualiter fit conversivus syllogismus in singulis figuris, et primo in prima figura, et in universalibus syllogismis tam affirmativo quam negativo: et postea qualiter fit in particularibus modis primæ figuræ. Sit enim in primo modo primæ figuræ ostensum A majoris extremum ostensum sive conclusum de c minori extremo per medium b, sic: omne b A, omne c b, ergo omne c A. Si ergo sumatur contraria conclusionis cum majori facti syllogismi syllogizabitur per secundam figuram contraria minoris sic. Sumatur enim A nulli c inesse, quæ est contraria conclusionis: et sumatur idem A omni b inesse, sicut dixit major syllogismi ante facti: sequitur contraria minoris, hæc scilicet, quod nulli c inerit b, sic, omne b est A, nullum c est A, ergo nullum c b, qui est secundus modus secundæ figuræ. Et si sumatur quidem contraria conclusionis cum minori, sequitur contraria majoris: et hoc est si sumatur in contraria conclusionis A quidem nulli c inesse, et si sumatur b inesse omni c, sicut dixit minor propositio prius facti syllogismi, sequetur per tertiam

figuram quod  $A$  non omni inest  $B$ , quæ est contradictorie opposita majoris: et non sequetur omnino sive universaliter quod nulli  $B$  insit  $A$ , quæ est contraria majoris: sic enim formatur conversivus syllogismus, nullum  $C$  est  $A$ , omne  $C$  est  $B$ , ergo aliquod  $B$  non est  $A$ . Et non sequitur quod nullum  $B$  est  $A$ , eo quod opposita majoris non syllogizatur nisi per tertiam figuram: figura autem tertia non concludit universalem propositionem: et ideo illam propositionem quæ est in primo modo primæ figuræ ad majorem extremitatem (et est propositio major) non est destruere conversive omnino, hoc est, universaliter per contrariam, sed particulariter per contradictoriam: cuius causa, quia major propositio semper interimitur per tertiam figuram: et ideo in conversivo syllogismo interimente majorem necesse est utramque extremitatem accipere relatam, sicut prædicata ad postremam extremitatem prioris syllogismi, quæ medium efficitur in conversivo syllogismo interimente majorem.

Similiter autem est in secundo modo primæ figuræ, in quo privativus fit syllogismus: ostendatur enim in ante facto syllogismo  $A$  nulli  $C$  inesse per medium  $B$ , sic, nullum  $B$   $A$ , omne  $C$   $B$ , ergo nullum  $C$   $A$ . Et accipiat contraria conclusionis cum majori ad interimendum minorem per secundam figuram, sic, nullum  $B$   $A$ , omne  $C$   $A$ , ergo nullum  $C$   $B$ . Hic enim est syllogismus in primo secundæ figuræ. Patet igitur, quod si sumatur  $A$  omni  $C$  inesse in contraria conclusionis, et idem  $A$  dicatur nulli  $B$  inesse, sicut dixit major præcedentis syllogismi: tunc sequitur, quod nulli  $C$  inerit  $B$  quæ est contraria minoris prioris syllogismi. Si autem accipiatur contraria conclusionis cum minori prioris syllogismi, syllogizabitur contradictoria majoris per tertiam figuram, ita quod et  $A$  major extrémitas, et  $B$  minor extremitas sumantur inesse omni  $C$  medio: syllogizabitur per primum modum tertiae figuræ, quod  $A$  inerit alicui  $B$ , quæ est contradictoria majoris prioris syl-

logismi, sic, omne  $C$   $A$ , omne  $C$   $B$ , ergo quoddam  $B$   $A$ , quæ contradicit primæ quæ dixit quod nullum  $B$   $A$ ; major enim in conversivo syllogismo non interimitur nisi per contradictoriam: eo quod per tertiam figuram non concluditur nisi particularis.

Si autem conclusio non convertatur in contrariam, sed in oppositam per contradictionem, non possunt tunc syllogismi conversivi ad interimendum majorem vel minorem fieri universales, sicut universales sunt prius facti syllogismi: eo quod altera propositio quæ est contradictoria conclusionis, est particularis. Sit enim prius factus syllogismus in primo primæ affirmativus et universalis sic, omne  $B$   $A$ , omne  $C$   $B$ , ergo omne  $C$   $A$ . Convertatur conclusio in contradictoriam sic, aliquod  $C$  non est  $A$ , et hæc sumatur cum majori prioris syllogismi ad interimendum minorem syllogizando in quarto secundæ, sic, omne  $B$   $A$ , aliquod  $C$  non est  $A$ , ergo aliquod  $C$  non est  $B$ , quæ est contradictoria minoris quæ dicit omne  $C$  esse  $B$ . Si autem eadem contradictoria conclusionis sumatur cum minori, syllogizabitur contradictoria majoris per tertiam figuram, sic, aliquod  $C$  non est  $A$ , omne  $C$   $B$ , ergo aliquod  $B$  non est  $A$ . Hic est enim syllogismus in quinto tertiae. Patet igitur, quod si in tali conversione sumatur in contradictoria conclusionis  $A$  non omni  $C$  inesse, et idem  $A$  sumatur omni  $B$  inesse (quæ est major prioris syllogismi) concludetur  $B$  non omni  $C$  inesse per secundam figuram quæ est contradictoria minoris. Et si  $A$  quidem sumatur non omnic inesse (quæ est conclusionis contradictoria),  $B$  autem sumatur omni  $C$  inesse, quæ est minor prioris syllogismi, concludetur per tertiam figuram, quod  $A$  non inest omni  $B$ , quæ est contradictoria majoris.

Similiter autem est in secundo modo primæ figuræ, in quo privativus est syllogismus: quod sic patet: quia si  $A$  alicui  $C$  inest (quod dicit contradictoria conclusionis negativi syllogismi) et dicatur  $A$  nulli  $B$  inesse, sicut dicit major prioris

syllogismi : sequitur quod  $b$  alicui  $c$  non inest, quæ est contradictoria minoris : et fit syllogismus in secunda figura, sic, nullum  $b$   $a$ , aliquod  $c$   $a$ , ergo aliquod  $c$  non est  $b$ . Et non sequitur simpliciter sive universaliter, quod nullum  $c$   $b$ , quia altera propositio in conversivo syllogismo fuit particularis : universalis autem conclusio non sequitur nisi ex utraque universalis. Et si sumatur  $a$  quidem alicui  $c$  inesse (quæ est eadem conclusionis contradictoria),  $b$  autem omni dicatur inesse  $c$ , sicut dixit minor prioris syllogismi : sequitur quod  $a$  inheret alicui  $b$ , quæ est contradictoria majoris.

## CAPUT III.

*De conversivis syllogismis particularibus  
primæ figuræ.*

In particularibus autem primæ figuræ conversivis syllogismis, quando quidem opposite per contradictionem convertitur conclusio prioris syllogismi, interimuntur utraque propositiones præmissæ prioris syllogismi : quando autem conclusio convertitur contrarie (ita quod contraria conclusionis sumitur) neutra præmissarum interimitur. Dico autem *contrariam* large accipiendo contrariam, ita quod subcontraria dicatur contraria. Et hujus ratio est, quia in tali conversione non accedit interimere præmissas, sicut accidebat in universalibus syllogismis quando contraria conclusionis accipiebatur : eo quod conclusio deficit ab utilitate : propter quod vere contrariæ nunquam sunt simul veræ : subcontrariæ autem aliquando sunt simul veræ. Quia igitur conclusio deficit secundum conversionem, ideo non potest interimere præmissas. Unde non potest concludi omnino sive universaliter interim altera præmissarum : ostendatur enim  $a$  de aliquo  $c$  per tertium primæ, sic, omne  $b$   $a$ , quoddam  $c$   $b$ , ergo quoddam  $c$   $a$ . Ergo si sumatur  $a$  nulli  $c$  inesse (quæ est conclusionis contradictoria) et si sumatur quod  $b$  alicui  $c$  inest,

sicut dicit minor : sequitur quod  $a$  alicui  $b$  non inheret per sextum tertiaræ, sic, nullum  $c$   $a$ , quoddam  $c$   $b$ , ergo quoddam  $b$  non est  $a$ , quæ est contradictoria majoris. Et si sumatur  $a$  nulli  $c$  inesse quæ est conclusionis contradictoria, et dicatur quod idem  $a$  inest omni  $b$ , sicut dixit major prioris syllogismi : concludetur quod nulli  $c$  inheret  $b$ , quæ est contradictoria minoris, quæ dixit aliquod  $c$  esse  $b$ , et est syllogismus in primo secundæ figuræ. Propter quod patet quod conclusione conversa in contradictoriam et cum altera præmissarum sumpta, utræque præmissæ per suas contradictorias auferuntur sive interimuntur.

Si autem conclusio convertatur in contrariam (hoc est, subcontrariam) neutra præmissarum interimuntur : et hoc estideo, quia si contraria sive subcontraria conclusionis accipiatur cum majori propositione, concludet particularē negativam, quæ non interimit minorem, quia ambæ simul possunt esse veræ : nam si  $a$  alicui  $c$  non inest (quæ est conclusionis subcontraria) et si dicatur  $a$  omni  $b$  inesse (sicut dixit major), sequitur quod  $b$  alicui  $c$  non inest : sed per hanc non interimuntur minor quæ ex principio prioris syllogismi dixit aliquod  $c$  esse  $b$ , quia simul possunt esse veræ : quia in contingenti materia  $b$  contingit alicui  $c$  inesse, et idem  $b$  alicui  $c$  contingit non inesse. Propositione autem majori (quæ est universalis  $a$   $b$  dicens, quod omne  $b$   $a$ ) non fit syllogismus ad interimendum ea. Si enim sumatur subcontraria conclusionis, et dicatur quod  $a$  alicui  $c$  non inest, et jungatur cum minori quæ dicit quod  $b$  alicui  $c$  inest, neutra propositionum in conversivo syllogismo universalis, sed ambæ particulares, ex quibus nihil sequitur in aliqua figura.

Similiter autem in quarto primæ (in quo est privativus et particularis syllogismus) quoad hoc quod conclusio conversa contradictorie et juncta cum altera propositione interimit utramque. Si autem convertatur in subcontrariam, neu-

tram destruit præmissarum. Fiat enim syllogismus in quarto primæ, sic, nullum  $B A$ , quoddam  $C B$ , ergo quoddam  $C$  non est  $A$ ; et sumatur contradictoria conclusionis, hæc scilicet, omne  $C A$  cum majori, sequitur interemptio minoris: et sumpta cum minori, sequitur interemptio majoris, sicut per se patet. Si autem sumatur  $A$  alicui  $C$  inesse, quæ est conclusionis contraria sive subcontraria, et jungatur cum altera præmissarum, non destruitur: et hujus est eadem demonstratio quæ dicta est in tertio modo primæ, qui est affirmativus syllogismus: quia si sumatur cum majori, concludet subcontrariam minoris quæ non interimit eam.

Si autem accipiatur cum minori, ambæ præmissæ fiunt particulares, et ex illis nihil sequitur syllogistice. Est autem hic generaliter notandum, quod in conversivo syllogismo qui fit circa primam figuram, generaliter interimitur major per tertiam figuram: minor autem interimitur syllogizando per secundam figuram: et quod semper accipitur oppositum conclusionis in conversivo syllogismo propositionis interimenda.

Sunt autem circa primam figuram duodecim syllogismi conversivi, qui sic accipiuntur. Aut enim accipitur contraria conclusionis, aut accipitur contradictoria ejusdem. Si accipitur contraria: aut syllogismus ante factus est universalis, aut particularis. Si enim particularis sit, per conversivum syllogismum non interimitur aliqua præmissarum. Si autem sit universalis: tunc aut est affirmativus syllogismus juxta modum primum, aut negativus juxta modum secundum. Si est juxta modum primum, sic sunt duo syllogismi conversivi, unus scilicet ad interimendum majorem, alter autem ad interimendum minorem. Similiter sunt duo juxta modum secundum: unus ad interemptionem majoris, et alter ad interemptionem minoris: et sic accipiendo contrariam conclusionis quatuor sunt syllogismi conversivi. Si autem accipiantur contradictoria conclusionis: aut ergo

*Nota bene  
hic tria dic-  
ta.*

syllogismus ante factus est universalis, aut particularis. Si est universalis, aut per modum primum, aut secundum secundum. Si juxta primum, sic iterum sunt duo: unus ad interimendum majorem, et alter ad interimendum minorem. Et si est juxta modum secundum: sic et eodem modo sunt duo. Si autem syllogismus ante factus sit particularis: aut ergo est conversivus syllogismus juxta tertium, aut juxta quartum. Et juxta tertium quidem sunt duo, et juxta quartum iterum duo. Et ita sunt octo syllogismi supposita contradictoria conclusionis: supposita autem contraria sunt quatuor: et sic duodecim in universo.

#### CAPUT IV.

*De secundæ figuræ conversivis syllogis-  
mis tam particularibus quam univer-  
salibus.*

In secunda autem figura eam quidem propositionem quæ est ad majorem extremitatem (et est major in syllogismo ante facto) non est sive contingit interimere contrarie, hoc est, contrariam conclusionis in universalibus syllogismis cum minori assumendo, quolibet modo sive quocumque modo facta conversione conclusionis: sive scilicet assumendo contrariam conclusionis sive contradictoriam. Cujus causa est, quia conclusio conversivi syllogismi interimentis majorem semper fit in tertia figura: eo quod sicut in prima figura, ita et in secunda major non interimitur nisi per tertiam figuram: sed in tertia figura non fit syllogismus universalem habens conclusionem. Contraria autem universalis conclusionis est universalis; et ideo contraria majoris in universalibus syllogismis secundæ figuræ concludi non potest per conversivum syllogismum: alteram autem propositiōnem, scilicet minorem in duobus primis universalibus syllogismis similiter interimemus conversione. Dico autem *simili-  
ter*, quia si conclusio convertitur contra-

rie, fit interemptio minoris contrarie (hoc est, per contrariam minoris). Si autem opposite convertitur conclusio in contradictoriam, fit destructio minoris per suam contradictoriam.

Hoc autem quod dictum est, ostendatur in modis singulis secundæ figuræ, et primo in universalibus, deinde particularibus. In universalibus autem hoc ostendendo incipiamus a modo secundo secundæ figuræ: quia in illo prima est universalis affirmativa, et secunda universalis negativa: in primo autem modo e converso est prima negativa, et secunda affirmativa, et ambæ universales.

Ponamus enim A medium omni B inesse, et idem A dicamus nulli inesse C, conclusio erit quod nullum C est B, sic, omne B A, nullum C A, ergo nullum C B. Si ergo sumatur contraria conclusionis hujus quæ dicit, quod omne C est B et propositio major maneat (hæc scilicet, omne B A) syllogizatur contraria minoris, quod scilicet A omni C inerit: tunc enim fit prima figura sic, omne B A, omne C B, ergo omne C A. Hic est primus modus primæ figuræ. Si autem contraria conclusionis sumatur cum minori propositione, per tertiam figuram syllogizatur contradictoria majoris et non contraria; cuius exemplum est, quod sumatur contraria conclusionis, quod scilicet B inest omni C, et apponatur minor, scilicet quod A nulli C inest: sequitur quod A non omni inest B, sic, nullum C A, omne C B, ergo aliquod B non est A. Hic enim est secundus modus tertiae figuræ.

Si autem non contrarie sed opposite per contradictionem convertatur conclusio, eadem contradictoria accepta cum majori, syllogizabit contradictoriam minoris; et accepta cum minori, syllogizabit contradictoriam majoris, sicut patet in eodem secundo modo secundæ figuræ. Si enim opposite per contradictionem convertatur conclusio B C prioris syllogismi, tunc propositio major quæ est A B similiter ostendetur, sicut prius: A C autem quæ propositio minor, ostendetur

*Removet  
dubium.*

opposite, hoc est, per suam contradictoriæ: nam si B inest alicui C (sicut dicit conclusionis contradictoria) et assumatur minor quæ dicit quod A nulli C inest: sequitur quod A alicui B non inerit, quæ est contradictoria majoris, sic, nullum C est A, quoddam C est B, ergo quoddam B non est A. Eadem autem sumpta cum majori, syllogizabit contradictoriam minoris, sic, omne B A, quoddam C B, ergo aliquod C est A, quæ est contradictoria minoris.

Unde rursum formando eumdem syllogismum ad interimendum minorem sumatur contradictoria conclusionis: quia si detur B alicui C inesse, hæc est enim conclusionis opposita, A autem dicatur inesse omni B, quæ est major: sequitur quod A inerit alicui C, quæ est contradictoria minoris, sic, omne B A, aliquod C B, ergo aliquod C A. Hic est syllogismus in tertio modo primæ figuræ. Similiter autem ostendetur in primo modo secundæ figuræ, in quo e converso se habent propositiones ad modum secundum: est enim in primo major negativa universalis, et in secundo minor negativa universalis.

Si autem in parte sive in particulari fiat syllogismus, et conclusio convertatur contrarie, quia hoc vocamus in subcontrariam converti, neutra propositionum præmissarum prioris syllogismi interimitur per talem conversivum syllogismum, quamvis fiat syllogismus, quemadmodum etiam est in particulari syllogismo primæ figuræ. Sed si convertatur conclusio opposite (hoc est, in sibi contradictorie oppositam) et jungatur cum altera præmissarum, utraque præmissæ interimuntur per syllogizatas sibi contradictorias. Et gratia exempli formetur tertius secundæ figuræ sic, nullum B A, aliquod C est A, ergo aliquod C non est B. Si enim ponatur in majori A medium nulli B majori extremo inesse, conclusio erit B C propositio, hoc est, quod quoddam C non est B, hic enim est tertius figuræ secundæ. Si ergo convertatur conclusio in

subcontrariam, ita quod dicatur **B** alicui **C** inesse, et **A** **B** propositio major maneat, quæ dicit nullum **B** esse **A**, conclusio quæ sequitur erit quod **A** alicui **C** non inest. Sed per illam non interimitur minor quæ posita est ex principio altera esse præmissarum prioris syllogismi: contingit enim **A** alicui **C** inesse, et alicui **C** non inesse in contingentia materia.

Rursum si subcontraria conclusionis jungatur cum minori, ut si dicatur quod **B** inest alicui **C**, quæ est subcontraria conclusionis: et dicatur **A** inesse alicui **C**, quæ est minor prioris syllogismi: tunc non erit syllogismus, quia ambæ præmissæ sunt particulares, et neutrum eorum (quæ sumpta sunt pro præmissis) est universale: propter quod **A** **B** major propositio non potest interimi per talem conversionem conclusionis.

Si autem in eodem modo tertio secundæ figuræ conclusio convertatur opposite in suam contradictoriam, interimuntur utræque propositiones prioris syllogismi per conversive syllogizatas suas contradictorias: nam si convertatur conclusio quæ dicit quoddam **C** non esse **B**, in suam contradictoriam universalem affirmativam: et dicatur **B** inesse omni **C**, et jungatur cum majori quæ dicit **A** nulli **B** inesse, sequitur contradictoria minoris, quæ dicit aliquod **C** **A** esse: sequitur enim quod nulli **C** inest **A**; sic autem facile est formare hujusmodi syllogismos.

Rursum si **B** omni **C** dicatur inesse (quæ est contradictoria conclusionis) et jungatur cum minori quæ dicit **A** alicui **C** inesse: sequitur quod alicui **B** inest **A** per tertiam figuram, quæ est contradictoria majoris. Eadem est demonstratio in conversivo syllogismo in quarto secundæ figuræ, in quo major est universalis prædicativa sive affirmativa. Notandum ergo est hic quod in secunda figura semper per conversivum syllogismum interimitur major propositio per tertiam figuram, minor autem semper per primam. Item notandum quod ubique oppositum con-

*Nota regu-  
las.*

clusionis ponendum est pro minori in syllogismo conversivo.

Notandum etiam quod sunt in hac figura duodecim conjugationes conversivi syllogismi. Aut enim sumitur contraria conclusionis, aut contradictoria. Si contraria: aut in syllogismo universali, aut particulari. Si in particulari sumitur contraria, neutra præmissarum interimitur. Si est circa universalem: aut ergo juxta modum primum, aut juxta secundum. Si juxta primum, sic sunt duo. Et si juxta secundum, sic sunt alii qui fiunt quatuor supponendo contrariam conclusionis in modo universalis. Adhuc si supponatur contradictoria: hoc iterum est aut juxta syllogismum universalem, aut juxta particularem. Si universalis aut est primus, et circa illum sunt duo: et si est secundus, circa illum sunt iterum duo. Si autem est circa particularem: tunc sunt duo juxta tertium, et duo juxta quartum. Et sic supposita contradictoria fiunt hic octo conversivi syllogismi, qui cum aliis quatuor faciunt hic in universo duodecim syllogismos conversivos, sicut et in prima figura duodecim fuerunt.

## CAPUT V.

*De conversivis syllogismis in tertia figura tam universalibus quam particularibus, et tam affirmativis quam negativis.*

In tertia vero figura regulariter attendendum est, quod quando quidem contrarie sive subcontrarie convertitur conclusio, neutra propositionum præmissarum interimitur secundum aliquem syllogismum qui fit in tertia figura. Quando autem conclusio ante facti syllogismi convertitur opposite in contradictoriam, utræque propositiones interimuntur: et hoc in omnibus modis tertiae figuræ. Quod autem hoc verum sit, probatur per singulos modos: sed primo hoc ostenditur in modis affirmativis, deinde in nega-

tivis, et affirmativis primo in universalibus, et deinde in particularibus.

Sit enim in primo modo tertiae ostensum sive conclusum A majus extremum alicui B inesse, et medium sit sumptum C, et sint ambae præmissæ universales propositiones et affirmativæ, sic, omne C est A, omne C est B, ergo aliquod B est A : hic enim est primus tertiae. Si ergo sumatur subcontraria conclusionis quæ dicit A alicui B non inesse, et sumatur minor quæ dicit B omni C inesse, non fit syllogismus ad majorem interimendam, quæ dicit quod omne C est A, quia sic quidem non fit dispositio primæ figuræ, ita quod major est particularis : quod in prima figura esse non potest : et sic major non interimetur per primam figuram.

Adhuc autem neque fit syllogismus si sumatur subcontraria conclusionis, hæc scilicet, quod A alicui B non inest cum majori, quæ dicit quod omni C inest A, non erit conversivus syllogismus ejus propositionis interemptivus, quæ est B C, hoc est, quæ dicit omne C esse B. Aut enim subcontraria conclusionis erit major, aut minor. Si major : tunc fit dispositio secundæ figuræ majori existente particulari, quod non contingit. Aut erit minor, et tunc erit syllogismus, sed non interimit majorem, sed ejus conversam : tunc enim sic syllogizabitur, omne C A, aliquod B non est A, ergo aliquod B non est C, quæ non est opposita minori, sed conversa ejus. Minor enim fuit, omne C est B, quæ convertitur in hanc, aliquod B est C, et huic opposita subcontrarie est hæc, aliquod B non est C.

Similiter autem ostendetur regula dicta, quod scilicet contraria assumpta non interimitur aliqua præmissarum in modis particularibus affirmativis, tertio scilicet et quarto tertiae figuræ, in quibus non universales sunt ambæ præmissæ, sed altera particularis. In tertio enim modo si accipiatur subcontraria conclusionis cum majori ad interimendum minorem, ambæ præmissæ in conversivo syllogismo

erunt particulares, ex quibus nihil sequitur. Si autem subcontraria conclusionis accipiatur cum minori ad interimendam majorem, tunc erit prima figura, et major erit particularis : et sic iterum non valet syllogismus. Si autem in quarto modo tertiae accipiatur subcontraria conclusionis cum minori, ambæ erunt particulares : et sic inutilis est conjugatio. Si autem accipiatur cum majori : aut ergo subcontraria conclusionis fiet major, aut minor. Si minor, erit quidem syllogismus, sed non interimet majorem. Si autem erit major contraria sive subcontraria conclusionis, tunc erit dispositio secundæ figuræ, ita quod major est particularis : et talis conjugatio iterum est inutilis. Et sic patet quod in syllogismis affirmativis tertiae figuræ nunquam interimitur aliqua præmissarum assumpta contraria sive subcontraria conclusionis : aut in tali conversione necesse est utræque præmissas fieri particulares ex tali conversione conclusionis : aut necesse est universalem propositionem fieri, et poni ad minorem extremitatem et fieri minorem propositionem, et particularem poni ad majorem, quod in prima et secunda figuris non contingit secundum utilem conjugationem.

Si autem conclusio convertatur opposite in suam contradictoriam, utræque præmissæ interimentur : quod quidem primo ostendatur in modis affirmativis, et postea in negativis. In modis autem affirmativis ostendatur primo in modo universalis primo tertiae : resumatur enim superius factus syllogismus in primo tertiae, hic scilicet, omne C A, omne C B, ergo quoddam B A, et sumatur contradictoria conclusionis, hæc scilicet, nullum B A cum minori quæ dicit, omne C est B, concludetur per primam figuram contraria majoris, hæc scilicet, quod A nulli C inest, hoc est, quod nullum C est A, quæ est contraria hujus, omne C est A, quæ fuit major prioris syllogismi. Rursum si A quidem nulli dicatur inesse B in contradictionia conclusionis, et sumatur cum ma-

jori quæ dicit, quod omne c est a, sequitur conclusio per secundam figuram, quod b nulli inest c quæ est contraria minoris.

Similiter autem est in modis particularibus affirmativis tertiae figuræ : et hoc est planum in modo quarto tertiae figuræ : fiat enim syllogismus in quarto tertiae, sic, omne c a, aliquod c b, ergo aliquod b a. Et sumatur contradictoria conclusionis, hæc scilicet quæ dicit, quod a nulli b inest, sive quod nullum b est a, et jungatur cum minori prioris syllogismi, et hæc fiat major : syllogizatur contradictoria per primam figuram majoris, sic, nullum b est a, aliquod c est b, ergo aliquod c non est a, quæ est contradictoria hujus, omne c est a, quæ fuit major prioris syllogismi. Unde si a nulli b inest (ut dicit conclusionis contradictoria) et si b inest alicui c (ut dicit minor quarti modi tertiae), sequitur quod a alicui c non inerit quæ est contradictoria primæ. Si autem a quidem nulli inest b quæ est conclusionis contradictoria, et idem a inest omni c, ut dicit major prioris syllogismi, sequitur ex his duabus (contradictoria scilicet conclusionis et majori) quod nullum c est b, quæ est contradictoria minoris per secundam figuram, sic, nullum b a, omne c a, ergo nullum c b ; est enim primus modus secundæ figuræ. Quod autem diximus de quarto modo tertiae, omnino similiter verum est etiam de tertio modo tertiae, sicut cuiilibet etiam per se patere potest accipienti contradictoriam conclusionis et copulanti eam cum majori et cum minori : tertius enim et quartus in qualitate et quantitate propositionum non differunt, sed in positione sola, quia tertius habet majorem particularem affirmativam et minorem universalem affirmativam, quartus autem e converso majorem habet universalem affirmativam et minorem particularem affirmativam.

Similiter autem verificatur quod dictum est de conversione conclusionis in contradictoriam, si privativus fiat syllogismus : et hoc primo monstratur in modo universalis qui est secundus tertiae :

fiat enim syllogismus in secundo tertiae, sic, nullum c a, omne c b, ergo quoddam b non est a : quia si ostendatur sive concludatur a alicui b non inesse, et sit propositio minor prædicativa, quæ est propositio b c, dicens quod omne c est b, a c. autem propositio major sit negativa, quæ dicit nullum c esse a, sic enim fiebat secundus modus tertiae figuræ.

Quando quidem ergo contrarium sive subcontrarium sumitur conclusioni, non erit syllogismus : quia si accipiatur cum majori, et fiat major contraria conclusionis, erit secunda figura majorem habens particularem : et hoc est inutile. Si autem fiat minor, erit quidem syllogismus, sed non interimet minorem, sed interimet minoris conversam : nam si in subcontraria conclusionis dicatur a alicui b inesse, et in minori dicatur b inesse omni c, non fit syllogismus ejus propositionis quæ est a c, quæ fuit major dicens quod nullum a c : sic enim syllogizabitur, omne b c, aliquod b a, ergo aliquod a c, quæ est conversa ejus quæ dixit omne c esse a.

Neque iterum fiet syllogismus si a dicatur alicui b inesse in subcontraria conclusionis, et jungatur cum majori quæ dixit nulli c inesse a ; non fit syllogismus propositionis minoris quæ dicitur b c, quæ dicit omne c esse b, sed fit syllogismus ad conversam ipsius, sic, nullum c a, aliquod b a, concludetur per tertium secundæ quod aliquod b non est c, quæ est conversa ejus minoris quæ dixit omne c esse b. Propter quod patet quod tali facta conclusionis conversione in subcontraria, non interimuntur propositiones præmissæ per conversivum syllogismum.

Quando vero in conversione conclusionis sumitur contradictorie oppositum, ambæ præmissæ interimuntur in negativis syllogismis tertiae figuræ : cuius exemplum est, quod si a omni b dicatur inesse in contradictoria conclusionis negativi syllogismi secundi modi tertiae figuræ, et b dicatur omni c inesse, sicut dicit minor secundi : ex illis duabus concluditur in

primo modo primæ figuræ, quod A inerit omni c, quæ est contraria majoris quæ dixit quod A nulli c inerat.

Rursum in eodem modo si dicatur A omni b inesse (quæ est conclusionis primæ contradictoria) et jungatur cum majori quæ dicat A nulli c inesse, sequitur per secundam figuram quod b nulli inest c, sic, omne b A, nullum c A, ergo nullum c b, hic est enim secundus figuræ modus : et hæc est contraria minoris quæ dixit quod omni c inerat b.

Similiter autem fit demonstratio dictarum de conversione conclusionis regulärum in modis particularibus, in quibus non ambæ propositiones sunt universales : et hoc planum est in sexto modo tertiae figuræ, qui constat ex majori universal negativa et minori particulari affirmativa, concludens particularem negativam. Sit enim A c propositio major universalis privativa, dicens nullum c A, altera autem sit particularis et prædicativa, dicens quoddam c esse b, concludetur in sexto tertiae quod quoddam b non est A ; ergo si sumatur contradictoria conclusio nis dicens quod A omni b inest, et jungatur cum minori quæ dicit quod b alicui c inest, concludere accidit ex conclusione per primam figuram, quod A alicui c inerit, quæ est contradictoria majoris quæ dixit quod nullum c est A.

Rursum autem in eodem modo si in contradictoria conclusionis dicatur quod A inest omni b, et jungatur cum majori quæ dixit quod nulli c inest A, vel quod nullum c est A, sequitur per secundam figuram quod b nulli ci nerit, sic, omne b A, nullum c A, ergo nullum c b. Et est secundus modus secundæ figuræ.

Si autem fiat conversio conclusionis in subcontrariam, et dicatur subcontraria A alicui b inesse, ita quod aliquod b est A, et jungatur cum minori in affirmativo particulari syllogismo, sicut in quarto tertiae, quæ dicit b alicui c inesse, non fit syllogismus : quia ambæ præmissæ sunt particulares.

Neque iterum fit syllogismus assumpta

subcontraria conclusionis, quæ dicit ali cui b inesse A, et juncta cum majori quæ dicit nulli c inesse A, nec sic enim fit syllogismus. Aut enim illa conclusionis subcontraria erit major, aut minor. Si erit major : tunc erit secunda figura, et major erit particularis, quod esse non potest. Si autem minor, erit quidem syllogismus, sed per eum minor non interimetur : cujus causa superius dicta est. Propter quod patet quod illo modo, quando in oppositum contradictorie convertitur conclusio, ambæ interimuntur præmissæ. Sie autem sive alio modo quando in subcontrariam conclusio convertetur, non interimuntur præmissæ : et hoc quod dictum est de modo sexto, etiam de quinto est intelligendum.

Attendendum autem quod in ista tertia figura duodecim sunt conjugationes syllogismi conversivi sicut et in prima et in secunda figura, qui sic sunt accipiendi. Aut enim supponitur contraria sive subcontraria conclusionis, aut contradictoria. Si subcontraria, sic nunquam erit in hac figura conversivus syllogismus, cuius saepius est assignata causa. Si autem contradictoria : hoc erit vel in modis negativis, vel in modis affirmativis. Si in affirmativis : aut igitur juxta modum universalem, aut juxta modos particulares. Si juxta modum universalem sunt duo conversivi syllogismi : unus intermens majorem, et alter minorem. Si juxta modos particulares, hoc est dupliciter. Aut enim est contradictoria particularis conclusæ per tertium modum, et sic sunt duo conversivi syllogismi : ad majorem unus, et ad minorem alias. Aut est contradictoria particularis conclusæ per quartum modum : et sic iterum et eodem modo sunt duo : et sic juxta modos affirmativos sex sunt syllogismi. Si autem supponitur contradictoria conclusionis negativæ : aut est circa modum universalem, aut circa modum particularem. Si circa modum universalem : sic sunt duo modi, ut dictum est, juxta secundum modum accepti. Si autem sunt juxta

modos particulares: aut juxta quintum, aut juxta sextum, et juxta utrumque sunt duo modi, et sic juxta modos negativos sunt sex modi conversivorum syllogismorum: et sic fiunt in uniyerso duodecim. Ex quo patet quod in omnibus figuris æquales sunt numero conversivi syllogismi.

Ex omnibus autem his quæ in hoc tractatu dicta sunt, constat et manifestum est, quomodo conclusione conversa in contraria vel oppositam in unaquaque figura fit conversivus syllogismus, et quando est contrarius propositioni interimendæ, et quando opponitur contradictorie. Et manifestum est, quoniam in prima figura fiunt syllogismi conversivi per medium figuram, et per postremam: interimitur enim major in prima per tertiam, minor autem interimittitur per secundam: et ideo patet quod propositio quæ est ad minorem extremitatem in prima figura, semper interimittitur per medium figuram: quæ autem ad majorem, semper interimittitur per tertiam sive postremam figuram. In secunda autem figura fit interemptio, aut per primam figuram, aut per postremam: propositio enim quæ est ad minorem extremitatem, semper interimittitur per primam figuram: quæ vero est ad majorem, semper interimittitur per postremam. In tertia vero figura fit interemptio per primam figuram, et per medium: quæ enim est ad majorem extremitatem, semper interimittitur per medium. Ex dictis ergo jam patet quid est convertere, et quomodo fit conversio in unaquaque figura, et quis sit syllogismus conversivus, manifestum est.

**Dubitatio.** Si autem quæritur causa, quare in prima figura destruitur major per tertiam figuram, et minor per secundam? Dicendum quod hoc est ideo, quia oppositum

**Solutio.**

conclusionis et minor communicant in subjecto, quæ communicatio in termino medio facit dispositionem tertiae figuræ: oppositum autem conclusionis et major communicant in prædicato, quæ communicatio secundæ figuræ facit dispositionem.

Similiter potest quæri quare in secunda figura interimittur major per tertiam et minor per primam? Et ad hoc similiter dicendum quod hoc ideo est, quia minor et oppositum conclusionis communicant in subjecto. Major autem et oppositum conclusionis communicant in prædicato: et sic faciunt primæ figuræ dispositionem, sicut cuilibet patere potest.

Similiter quæritur quare major in tercia interimittur per primam, et minor per secundam? Et dicendum quod hoc est ideo, quia oppositum conclusionis et minor faciunt dispositionem primæ figuræ: oppositum autem et major in prædicato communicant: et ideo faciunt secundæ figuræ dispositionem.

Quæri etiam potest quare oppositum in prima figura semper ponitur loco propositionis interimendæ, in secunda autem figura semper ponitur loco minoris propositionis, in tertia vero semper ponitur loco majoris? Et ad hoc dicendum quod hoc est ideo, quia si aliter ordinarentur propositiones cum opposita, aut non fieret syllogismus: aut si fieret syllogismus, propositio conclusa ad interimendum præmissam non communicaret cum illa propositione quam interimittit in utroque termino ad eundem ordinem, sed ad ordinem commutatum, et sic illa conclusa non esset opposita propositioni interimendæ: quod non esset conveniens in syllogismo conversivo.

**Dubitatio.**

**Solutio**

**Dubitatio.**

**Solutio**

**Dubitatio.**

**Solutio.**

# TRACTATUS IV

## DE SYLLOGISMO PER IMPOSSIBILE.

### CAPUT I.

*Quid syllogismus per impossibile, et in quo differat, et in quo conveniat cum syllogismo conversivo.*

Differentia inter syllogismum conversivum, et per impossibile. Post syllogismum conversivum tractandum est de syllogismo per impossibile: quia syllogismus conversivus procedit ex conclusionis opposito prius syllogizatae, syllogismus autem per impossibile procedit ex opposito conclusionis prius non praesyllogizatae actu, nisi forte potentialiter et habitualiter. Dicamus igitur quod per impossibile syllogismus ostenditur quando contradictio sive contradictoria ponitur ex consensu respondentis pro praemissa, et assumitur altera propositio prioris syllogismi major vel minor manifeste et secundum rem ipsam innegabiliter vera. Et quamvis conclusio ostendatur in syllogismo, et non ipse syllogismus, tamen hic dicimus quod syllogismus *ostenditur*: quia in syllogismo per impossibile ex opposito conclusionis ostenditur conclusio prius conclusa sequi: et sic syllogismus in suo effectu, hoc est, conclusionis prius conclusae ostenditur esse bonus. In syllogismo enim tali syllogismus ostenditur esse concludens hoc quod intenditur. Et cum dicitur *quando* non intelligitur, quod adverbium, *quando*, de substantia fit diffinitionis per impossibile, sed quando denotat tempus quod est mensura factionis sive formationis talis syllogismi.

Removet dubium.

Quod autem dicitur quod syllogismus Objectio. ostenditur, et tamen nullus jam ante factus actualiter syllogismus ponitur: et similiter hoc quod dicitur, quando conclusionis contradicatio, cum nulla sit facta actualiter conclusio: et similiter quod dicitur quod assumitur altera propositio, cum nulla propositio sit proposita ante syllogismum. Ideo dicitur quod conclusio Solutio. quidem et syllogismus non sunt ante facti, vel etiam propositio proposita actualiter, sed habitualiter secundum ipsius rei naturam. Unde in syllogismo per impossibile supponitur contradictoria conclusionis habitualiter conclusae, et propositio habitualiter proposita sumitur syllogismi ante habitualiter facti: et haec propositio debet esse manifeste vera, quia sumi non posset ad conclusionem inconvenientis in secundo syllogismo qui per impossibile dicit ad inconveniens, ex quo inconvenienti reducitur respondens ad concessionem conclusionis prius factae habitualiter vel actualiter. Similiter autem per hoc quod dicitur altera propositio assumi, cum non sit altera nisi in syllogismo, et in syllogismo non sit nisi sit copulata ad unum medium cum contradictoria data. Oportet quod propositio altera cum contradictoria data in altero termino (qui medium est) conveniat: quia aliter ex illis duabus non fieret syllogismus. Hoc igitur modo intelligenda est inducta diffinitio, quod scilicet per impossibile syllogismus ostenditur, quando in formatione syllogismi contradictoria conclusionis prius actualiter vel habitualiter syllogizatae, ponitur data a re-

Nota pro intentione diffinitionis syllogismi per impossibile.

spondente, et assumitur (per manifestam rei veritatem et per medii convenientiam) altera propositio prius habitualiter ad priorem conclusionem proposita, et ex his duabus concluditur inconveniens, quod cogit respondentem concedere intentam conclusionem, per hoc principium quod est, de quolibet est affirmatio vel negatio vera.

*Quinque sunt differentiae inter syllogismum conversivum et ad impossibile deducentem.*

Unde quinque differentias habet ad conversivum syllogismum, quarum prima est, quod conversivus syllogismus fit ex præsyllogizato opposito hypothesis: syllogismus autem per impossibile non de necessitate fit ex præsyllogizato opposito hypothesis: conversivus enim accipit oppositum actu conclusi, et syllogismus per impossibile pro hypothesis accipit oppositum concludendi. Secunda est, quod conversivus fit supponendo tam contrarium quam contradictorium hypothesis: syllogismus autem per impossibile fit supponendo contradictorium hypothesis tantum. Tertia est, quod conversivus ostendit consequentiam prioris syllogismi tantum: syllogismus autem per impossibile ostendit intentum fieri, et per conclusionem eximpossibili conclusam ostendit propositum esse verum. Quarta est, quod id supponitur in syllogismo conversivo, cuius oppositum concluditur in syllogismo ad impossibile, et e converso id supponitur in syllogismo ad impossibile, cuius oppositum concluditur in syllogismo conversivo. Quinta est, quod conversivus indifferenter supponitur vel verum vel falsum, et concludit indifferenter verum vel falsum: syllogismus autem ad impossibile supponit et concludit semper falsum.

Hic autem syllogismus ad impossibile fit in omnibus figuris: eo quod iste syllogismus similis est conversioni conversivi syllogismi in multis, sicut patebit statim. Sed in hoc differt a conversivo (ut diximus) quoniam convertitur, hoc est, conversio fit, et conversivus syllogismus, jam facto syllogismo priori secundum actum: quia aliter conclusio (quæ convertenda est) haberetur, et fit jam secun-

dum actum sumptis utrisque propositionibus, quarum oppositum syllogizat conversivus: sed in syllogismo ad impossibile deductio ad impossibile fit etiam non actu præsyllogizato eo quod positum sine ea conclusione quæ ponitur esse vera a syllogizante, sed secundum rem ipsam manifestato quoniam est verum: et si detur oppositum, deducitur ad impossibile respondens, qui hoc dedit.

Sed in utroque tam conversivo quam per impossibile est convenientia in hoc quod termini secundum aliquid similiter se habent in hoc, quod in utroque sumuntur oppositum conclusionis, et in hoc, quod eadem sumptio utrorumque, sicut patet in exemplo. Sit enim A syllogizatum in prima figura, sic de omni B, hoc est, quod omne B est A per medium C, sic, omne C A, omne B C, ergo omne B A. Si ex opposito supponatur A non omni vel nulli B inesse, hoc est, sumatur contraria vel contradictoria conclusionis, et accipiatur major prioris syllogismi, hæc scilicet, quod A inest omni C cum contraria vel contradictoria conclusionis quod fuit: et secundum ipsam veritatem manifestum sequitur ex his duobus combinatis, quod necesse est quod C aut nulli aut non omni insit B, quæ est vel contraria vel contradictoria minoris quæ dixit omne B esse C: hoc autem cum sit impossibile, quia prius datum est quod omne B est C, et nec contraria, nec contradictoria possunt simul esse vera: propter hoc sequitur quod falsum sit oppositum conclusionis quod sumptum est per hypothesis A respondente sive adversario: et ex hoc ulterius concluditur quod oppositum hypothesis sit verum, quod est conclusio intenta. Similiter autem in aliis figuris, tertia scilicet, et secunda, quæcumque in omnibus figuris suscipiunt conversionem conclusionis in oppositum, illa etiam in omnibus figuris suscipiunt per impossibile syllogismum.

Circa hæc tamen quæ dicta sunt, attendendum est quod iste syllogismus (qui est per impossibile) et ad demonstratio-

nem pertinet in quantum cum cavillatore disputat, qui negat principia: hunc enim convincere non poterit ostensive probando principia, quia non habent priora: et oportet ex effectu et posterioribus tunc procedere, et ex dato a cavillatore ad inconveniens deducere, et ab illo redire ad intentum. Utitur enim demonstrator omni differentia sive specie demonstrationis, et ideo utetur syllogismo per impossibile: quia species quædam est demonstrationis, qua præcipue utitur contra cavillatorem negantem principia, sicut patet in quarto *primæ philosophiæ*, ubi per impossibile probantur principia. Est etiam utilis hic syllogismus dialectico, in quantum est obviativus protervo respondenti, et præcipue secundum quod dicit ad manifeste falsum: et si non ducat ad manifeste falsum, potest proterviens resistere dicendo quod non sit falsum quod pro falso conclusum. Et propter hoc solum dicit Aristoteles in octavo *Topicorum*, quod syllogismo ad impossibile non multum est utile uti dialectico. Omnis autem Philosophus utitur syllogismo tali in demonstratione suorum principiorum contra cavillantem principia, sicut dictum est.

*Removet dubium.* Notandum etiam quod in præhabitatis tam circularis syllogismus quam conversivus ex suis actibus diffiniti sunt, hoc est, ex eo quod est convertere, et ex hoc quod est circulationem facere: et hoc ideo est, quia isti ambo exigunt ante se factum syllogismum perfectum, cuius substantia secundum se manifesta non est, sed oportet substantias eorum ex suis actibus propriis cognoscere: et ideo per actus suos diffiniti sunt. Syllogismus autem per impossibile non exigit ante se factum syllogismum: et ideo secundum seipsum in sua substantia noscibilis est et diffinibilis: et ideo non per actum, sed per suam substantiam secundum seipsum diffinitur.

Attendum est etiam quod in conversivo syllogismo potest supponi tam contrarium conclusionis, quam oppositum contradictorio: et hoc ideo est, quia

ostendit consequentiam, et fundat se in hoc principio, quod si destruto consequente destruitur antecedens, tunc necessario consequens sequitur ad antecedens: et quia hoc probatur tam contrario supposito, quam contradictorio (nec contraria enim nec contradictoria simul stant in veritatem) ideo accipit utrumque horum ab hypothesi respondentis. Hic autem syllogismus qui est per impossibile, non probat consequentiam, sed conclusionem intentam: et ideo oportet quod interempto uno, sequatur aliud esse verum: quod non potest fieri nisi sumpto contradictorie opposito: quia non est oppositio dividens verum vel falsum nisi illa: et ideo contrarium non sumit.

Si autem quis objiciat contra ea quæ dicta sunt, quod paulo ante ex dictis secundum Aristotelem dictum est, quod supponitur aliquando contrarium per hypothesim in syllogismo per impossibile, sicut et in conversivo. Dicendum est ad hoc quod bene concluditur aliquid impossibile, quando supponitur contrarium: sed per hoc non necessario concluditur intentum: quia quamvis in quadam materia (sicut in necessaria) nec sint simul vera, nec simul falsa: tamen forma argumentandi non valet, si unum contrariorum est falsum, quod reliquum propter hoc sit verum: sed solum tenet hoc in oppositis secundum contradictionem. Hæc igitur de diffinitione syllogismi per impossibile dicta sunt.

Objectio.

Solutio.

## CAPUT II.

*Qualiter fit syllogismus per impossibile: et quod universalis affirmativa per impossibile non probatur in prima figura.*

Dicamus igitur qualiter fit syllogismus per impossibile in omnibus figuris, et primo qualiter fit in prima. In prima autem primo ostendamus, quod universalis affirmativa per impossibile non ostenditur in prima figura.

Incipientes igitur dicimus, quod aliæ quidem propositiones omnes, sive problemata omnia, universalia et particula-ria, et affirmativa et negativa, per im-possible ostenduntur in omnibus figuris. *Aliæ* dico ab universalis affirmativa. Uni-versalis enim prædicativa per impossibile bene monstratur in media, et in tertia figura: sed in prima universalis affirma-tiva monstrari non potest: quia assumpto con-trario vel contradictorio conclusionis cum altera propositione, aut non fit syl-logismus secundum utilem conjugatio-nem, aut si fit, non valet ad demon-stratum propositum. Hoc autem sic proba-tur. Si enim in prima figura debeat os-tendi, quod omne *B* est *A*, aut sub hypo-thesi ponitur ejus contraria, aut contra-dictoria. Si contradictionia, non erit syl-logismus omnino in prima figura: aut enim accipietur altera propositio supra prædicatum hypothesis quod est *A*, aut accipietur sub subjecto quod est *B*. Si pri-mo modo: aut sumetur propositio uni-versalis, aut particularis, et aut affirma-tiva, vel negativa: his enim quatuor modis et non pluribus contingit accipi pro-positionem supra prædicatum hypothesis, vel sub subjecto ipsius. Et si aliquo istorum quatuor modorum sumpta erit propositio supra prædicatum hypothesis, tunc oportet quod hypothesis minor sit in syllogismo, et sumpta propositio su-pra prædicatum erit major: et hoc modo non est utilis conjugatio in prima figura: quia hypothesis quæ est propositio minor, erit negativa, quod in prima figura esse non potest. Sic ergo patet quod non erit syllogismus, si pro hypothesis supponatur contradic-tio conclusionis intentæ. Si autem accipiatur contraria ipsius conclusionis pro hypothesis: tunc iterum altera propositio sumetur, aut sub subjecto hypothesis, aut supra prædic-a-tum ipsius. Si accipiatur sub subjecto: tunc hypothesis erit major propositio: et tunc aut accipietur negativa, aut affir-mativa. Si negativa, non erit in prima figura syllogismus: quia illa sumpta erit

minor in syllogismo: et hoc modo non fit syllogismus in prima figura: et hoc est verum sive sit negativa universalis, sive particularis. Si autem sumitur affir-mativa: aut universalis, aut particularis: et tunc poterit esse syllogismus in se-cundo modo si universalis sumitur: sed non erit ad propositum: quia quamvis interimatur hypothesis, tamen ex hoc non potest concludi propositum esse verum: quia quamvis unum contrariorum sit fal-sum, non oportet reliquum esse verum: contingit enim ambo simul esse falsa. Si autem accipiatur particularis, non erit syllogismus: quia major in prima figura non potest esse particularis. Si vero acci-piatur supra prædicatum hypothesis: tunc hypothesis erit minor propositio et negati-va: et talis conjugatio in prima figura est inutilis. Manifestum est igitur, quod quocum-que modo accipiatur altera propositio ad hypothesis, non fiet syllogismus ad os-tendendam universalem affirmativam per im-possible in prima figura. Ex omnibus autem dictis facile est intelligere quod dicit Aristoteles, quod si ponatur per hy-pothesim *A* aut non omni *B* aut nulli *B* inesse: quorum unum est contradic-to-rium, et alterum contrarium ad hanc conclusionem (omne *B* est *A*), et assumatur alia propositio ad hanc hypothesis quolibet modo, sive sumpta sub subjecto hypothesis aliquo quatuor modorum, sive supra prædicatum una quatuor dictorum modorum, sive sumatur universaliter, ut omni *A* inesse *C*, hoc enim est sub subjeeto, sive sumatur *B* inesse omni *D* quod est supra prædicatum. Si enim tantum et non aliter fit prima figura, scilicet aut su-mendo sub subjecto, sive supra prædic-a-tum: quia aliter medium non erit in toto primo, et postremum in toto medio: quia haec sola dispositio facit primam figu-ram. Si ergo supponatur contradictionia universalis affirmativæ quæ est, omne *B* est *A*, ut si dicatur *A* non omni *B* inesse, non fit syllogismus in prima figura quo-cumque modo sumatur assumpta cum

hypothesi propositio, sicut jam ante probatum est. Si autem supponatur contraria ejus (quæ est nulli  $B$  inesse  $A$ ), si altera propositio sumatur cum hypothesi quæ est  $B$  c minor propositio affirmativa, potest quidem esse syllogismus in secundo vel quarto modo primæ figuræ ostendens falsum esse quod est in hypothesi suppositum, sed non per hoc ostendetur propositum: nam si ponatur  $A$  nulli  $D$  inesse,  $D$  autem dicatur omni  $B$  inesse in minori, sequitur per secundum primæ quod  $A$  nulli  $B$  inest, quæ est contraria majoris. Hoc autem fit impossibile et falsum: quia contraria non stant simul in vero: bene sequitur quod falsum est quod nulli  $B$  insit  $A$ , quod dedit hypothesis. Sed non sequitur ex hoc, quod si nulli inesse sit falsum, quod ejus contrarium (quod est omni inesse) sit verum: quia contraria possunt esse ambo simul falsa. Si autem assumatur propositio quæ est  $C$   $A$  (quæ fuerat major in priori syllogismo), tunc non fit syllogismus, etiam quando supponitur contradictoria conclusionis (quæ est non omni  $B$  inesse  $A$ ), quia minor erit negativa: propter quod manifestum est, quoniam omni inesse sive universalis affirmativa nullo modo ostenditur per impossibile in prima figura.

**Dubitatio.** Potest tamen esse quæstio, quare universalis affirmativa non ostenditur per impossibile in prima figura, sed in aliis, et quomodo sit hoc intelligendum? Universalis enim affirmativa non ostenditur nisi in prima figura, et non in secunda, vel tertia, ut dudum in ante habitis ostensum est. Adhuc autem conversivus in prima figura est ad ostendendum universalem affirmativam in prima figura: et dictum est quod syllogismus per impossibile similis est conversivo.

**Solutio.** Ad hæc autem dicendum quod universalis affirmativa (sicut dictum est) non demonstratur per impossibile in prima figura: et hujus causa est quæ dicta est: quia supposita conclusionis opposita vel contraria, aut non erit syllogismus, aut non erit ad propositum inferendum. Et

quod dicitur quod universalis affirmativa non syllogizatur, nisi in prima figura, Dicendum quod non demonstratur per impossibile in prima figura, nec per impossibile est syllogizata, sed ex opposito ejus syllogizatur falsum aliquod, mediante quo habetur propositum: et sic syllogismus falsi illius non habetur in prima figura ad propositum, sed fit in secunda vel tertia figura. Si autem illa universalis syllogizata concluderetur solum in prima figura, non concluderetur in secunda et tertia figura. Ad hoc autem quod dicitur de conversivo syllogismo, dicendum quod si demonstratur universalis affirmativa in prima figura, et deinde fiat conversio, syllogismus conversivus erit per aliam figuram quam per primam: et similiter in syllogismo per impossibile. Si enim debeat monstrari universalis affirmativa per impossibile, oportet quod syllogismus concludens falsum fiat per aliam figuram a prima. Unde similes sunt in hoc conversivus et syllogismus per impossibile: semper tamen syllogismus concludens universalem affirmativam fit per primam figuram.

Quamvis autem syllogismus per impossibile procedat non ex præsyllogizato, sed ex manifeste falso dato per hypothesis, tamen adhuc oportet respondentem ad manifestius falsum deduci: quia quædam secundum rem manifeste falsa, nobis aliquando sunt immanifesta et ignota; quod per hoc patet, quia cavillator etiam negat aliquando principia, et supponit opposita principiorum: et quoad hoc præcipue necessarius est syllogismus per impossibile. Si enim positum esset ita a nobis, sicut in re est falsum, non oportet ulterius ad inconveniens aliquod deducere. Sic ergo ostensum est quod in prima figura non ostenditur universalis affirmativa.

## CAPUT III.

*Qualiter per impossibile aliæ ab universalis affirmativa demonstrantur in prima figura.*

Propositiones particulares quæ dicunt non omni b inesse a, et propositiones universales negativæ, sicut illa quæ dicit nulli b inesse a, et similiter particularis negativa quæ dicit non omni b inesse a, ostenduntur per primam figuram in syllogismo per impossibile. Supponatur enim in hypothesi conclusio, nulli b inesse a, b autem in majori sit sumptum omni aut alicui c inesse : sequitur in secundo primæ, quod necesse est a nulli c inesse, aut in quarto primæ, quod necesse a non omni c inesse. Hoc autem est impossibile quia non stat simul cum hac, omni c inesse a, quæ fuit major prioris syllogismi : quare debet poni et verum esse et manifestum nobis quod alicui c inest a. Propter quod si hoc quod suppositum est falsum est (quod scilicet nulli c in sit a), necesse est propositum esse verum, scilicet quod necesse est a alicui b inesse: quia hoc est ejus contradictorium : et si unum contradictorium est falsum, reliquum de necessitate est verum.

Contrarium pro subcontrario. Si autem ad a majorem extremitatem sumatur altera propositio (hoc est, supra prædicatum hypothesis sumatur propositio major, quæ sumitur cum conclusione data ad destructionem minoris) non erit syllogismus : neque quando contrarium, hoc est, subcontrarium conclusioni supponimus, ut alicui b non inesse a, quia tunc minor in prima figura erit negativa. Hæc est Aristotelis sententia, et potest colligi sic ad ostendendam particularem affirmativam, quæ est, aliquod b est a, supposita ejus contradictoria quæ est, nullum b est a, et altera propositione accepta sub subjecto affirmative sive universaliter sive particulariter, erit ad propositum syllogismus. Si sumatur affirmativa universalis, erit syllogismus per se-

cundum modum primæ. Si autem sumatur particularis affirmativa, erit syllogismus in quarto primæ. Et hoc etiam cuilibet per se patet : sic, nullum b a, omne c b : vel sic nullum b a, quoddam c b. Similiter intelligendum quod si accipiatur negativa sub subjecto hypothesis, non esset syllogismus, propter hoc quod ultraque erit negativa : et propter hoc, quia minor in prima figura erit negativa, quod esse non potest. Ex his igitur manifestum est quod in syllogismo per impossibile oppositum contradictorie et non contrarium sive subcontrarium est sumendum.

Rursum ad ostendendum per syllogismum per impossibile universalē negativam, supponatur contradictoria ipsius, hæc scilicet, aliquod b est a, quæ contradicit huic, nullum b est a ; et accipiatur alia propositio supra prædicatum hypothesis (sive affirmativa sive negativa) quæ erit universalis, quæ sit, quod omne a est c, sequitur quod necesse est quod aliquod b sit c, et erit syllogismus in tertio vel quarto primæ. Si enim accipiatur universalis affirmativa, erit in tertio : si autem universalis negativa, erit in quarto : et cum conclusio sit incompossibilis præmissis, et cum eis stare non possit, relinquitur quod ejus contradictoria sit vera, quæ est, nullum b est a : sic autem formantur syllogismi. Detur enim oppositum ejus quod est, nullum b a, hoc est, quoddam b a, et supra prædicatum sumpta sit hæc, omne a est c, necesse est tunc c alicui b inesse, sic, omne a c, quoddam b a, ergo quoddam b c. Similiter autem et si a c propositio sit sumpta primativa, sic, nullum a c, quoddam b a, ergo quoddam b non est c. Si autem sub subjecto (quod est b) sumpta sit propositio, non erit syllogismus : quia sic semper major erit particularis : quod non potest esse in prima figura.

Si autem contrarium et non contradictorium universalis negativæ supponatur, syllogismus quidem erit in forma et figu-

Corolla  
rium.

ra syllogismi, et impossibile erit quod concluditur. Sed non per hoc ostenditur propositum : quia non sequitur quod si una contrariarum est falsa, quod reliqua sit vera : quia contraria aliquando sunt ambo falsa : cuius exemplum est, quod supponatur *a* omni *b* inesse quod est contrarium ejus quod est nulli *b* *a* inesse, et in altera propositione sumpta sit *a* inesse omni *c*, ergo necesse est *c* omni *b* inesse, quod est contrarium ad nulli *b* inesse *c*; et ideo sequitur quod ejus sit falsum contrarium quod est omni *b* inesse *a*, et ideo non omni *b* inest *a*; sed ex hoc non sequitur propositum, quod scilicet nulli *b* in sit *a*, quia nulli non sequitur ad non omni.

Ad ostendendum autem non omni *b* inesse *a* (quae est particularis negativa) supponendum est contradictoriam et non contrariam, hanc sicilicet omni *b* inesse *a*, et accipiatur supra prædicatum altera propositio universalis sive affirmativa sive negativa : vel si sub subjecto hypothesis accipiatur propositio universalis, aut particularis, erit syllogismus ad propositum, uno scilicet modo per primum modum, si accipiatur universalis affirmativa : alio autem modo per secundum, si accipiatur universalis negativa : tertio modo per tertium, si accipiatur particularis affirmativa sub hypothesi. Si autem accipiatur supra hypothesis propositio particularis sive sub hypothesi accipiatur negativa, non erit syllogismus : quia primo modo major erit particularis, secundo autem modo minor erit negativa : cuius exemplum est, quia si *a* omni *b* dicitur inesse in contradictoria, et *c* dicatur inesse omni *a* in assumpta supra hypothesis propositione, sequitur in primo primæ quod *c* inest omni *b*. Propter quod si hoc est impossibile, sequitur quod falsum est quod pro vero suppositum fuit, scilicet quod quoddam *b* non est *c*.

Similiter autem fit syllogismus per impossibile si subjecto hypothesis quod est *b*, sumpta sit altera propositio quæ cum dicto contradictorio combinatur : sed

tunc fit in tertio modo syllogismus. Similiter autem fit syllogismus per impossibile, si privativa sumpta sit unialis propositio supra prædicatum hypothesis, sicut *a* propositio quæ dicit nullum *c* *a* : sic enim iterum fit syllogismus in secundo modo primæ figuræ. Si autem ad *b* quod est subjectum hypothesis, ita quod sub ipso sumatur negativa propositio, nihil ostendetur syllogistique : quia sic minor erit negativa, quod in prima figura esse non potest.

Si autem ad ostendendum per impossibile particularem negativam non supponatur omni quod est contradictorium, sed supponatur alicui inesse quod est ejus contrarium sive subcontrarium : tunc ex tali combinatione non ostendetur, quoniam non omni quod est contrarium vel subcontrarium, sed ostendetur per impossibile, quoniam nulli quod est contradictorium ad alicui inesse. Si enim *a* inest alicui *b*, *c* autem inest omni *a*, sequitur quod alicui *b* inerit *c*, et si hoc est falsum et impossibile tunc falsum est alicui *b* inesse *c*, cui æquipollit hæc, nulli *b* inesse *c* : hæc ergo erit vera, nullum *b* est *a* : hoc autem ostendo simul cum illo cointerimitur verum. Positum est enim quod *a* alicui *b* inerat et alicui non inerat : quia subcontrariæ possunt simul esse veræ : et si nulli inest, cum hoc non potest stare alicui inesse, alicui autem non inesse, omnis enim syllogismus ad impossibile interimit falsum ; sed hic syllogismus interimit verum : ergo non proprie est syllogismus ad impossibile. Si enim supponatur pro hypothesis aliquod *b* non esse *a*, quæ est contraria hujus, aliquod *b* esse *a*, et accipiatur cum illa alia propositio, et ex his syllogizetur, interimetur hæc hypothesis aliquod *b* esse *a*, et ostendetur nullum *b* esse *a*. Sed si hoc sequitur tunc interimitur verum : hæc enim hypothesis (scilicet aliquod *b* esse *a*) vera est, et verificatur cum principali conclusione, hac scilicet, aliquod *b* non esse *a*, quia subcontrariæ simul verificantur.

Amplius autem hoc etiā alia probatur ratione: quia in syllogismo per impossibile falsum quod sequitur, accidere debet propter ipsam falsi hypothesim: sed sic non accidit si supponatur particularis negativa: ergo ex tali suppositione non fiet syllogismus ad impossibile: falsa enim erit coassumpta cum contradictoriā conclusionis. Cujus probatio est: quia ex quo ex ea sequitur falsum, ipsa erit falsa, et non vera: quia ex veris non contingit falsum syllogizare: nunc autem verum est quod sequitur, quia subcontrariæ sunt simul veræ aliquando: patet autem quod ea quæ sequitur vera est, quia A inest alicui B et alicui non inest: propter quod patet quod non est assumenda contraria conclusionis sive subcontraria in probatione particularis negativæ quæ est alicui inesse, sicut aliquod B esse A, sed contradictoria supponenda est quæ est omni inesse.

Similiter autem est (quantum ad modum probationis) in particulari accepta cum signo particulari sequente negatione, et ejus quæ est cum signo universalis præcedente negatione, propter æquipollentiam: alicui enim non inesse, aut non omni inesse, aut idem sunt in æquipollentia, aut si non penitus idem sunt in modo significandi, tamen eadem propter æquipollentiam est utrisque demonstratio.

Ex omnibus autem quæ dicta sunt, manifestum est quoniam non semper contrarium, sed oppositum contradictorie semper supponendum est in omnibus syllogismis qui sunt per impossibile: sic enim sumpto contradictorio, necessarium erit quod sequitur quantum ad conclusiōnem intentam: et axioma, hoc est, principium per quod probatur syllogismus Axioma cui per impossibile, erit probabile apud omnines sapientes acceptum, et hoc est, quia de omni est affirmatio vel negatio vera: ostensio ergo per syllogismum per impossibile, quia non vera est negatio, statim sequitur quod necesse est affirmationem veram esse. Et rursum si aliquis non po-

nat veram esse affirmationem, continue constat veram esse negationem: contrarium vero supponendo neutro modo contingit sive sequitur ratum esse: neque enim sequitur necessario quod si nulli inesse est falsum, quod omni inesse sit verū, quia possunt esse ambo falsa: neque etiam est probabile, ita quod sapientibus videatur, quod scilicet si alterum contrariorum est falsum, quod reliquum sit verum.

Manifestum est ergo, quoniam in prima figura aliæ quidem ab universali affirmativa propositiones omnes ostenduntur per syllogismum per impossibile. Universalis autem affirmativa per impossibile non ostenditur in prima figura.

Est autem hic attendendum quod in syllogismo per impossibile in prima figura semper accipienda est una propositio supra hypothesim, et altera sub ipsa: quia aliter non fieret dispositio primæ figuræ, in qua propositiones se habent ad invicem sicut pars ad totum.

Adhuc autem notandum quod hoc quod dictum est, quod universalis negativa non potest probari supponendo contrarium, sic intelligendum est, quod quamvis probari possit per contrarium quod est falsum, non tamen ita potest probari quod ex illo inferatur propositum esse verum: quia non sequitur si unum contrariorum sic falsum, quod reliquum sit verum.

Adhuc autem videtur dubium esse quod dictum est, quod scilicet particularis negativa ostendi non potest supponendo subcontrariam ipsius: hoc enim videtur falsum: quia dictum est quod supposita particulari affirmativa ostenditur nullum B esse c, sic, omne A est c, aliquod B est A, ergo aliquod B est c: sed hoc falsum: ergo falsa hypothesis: ergo ejus oppositum verum, hoc scilicet, nullum B est c: sed sequitur, si nullum B est c, aliquod B non est c, quare ostendetur per impossibile particularis negativa. Et hoc quidem est verum: sed sic non ostenditur convenienter ad propositum: non enim supponit Declaratio unius supra dicti. Dubitatio. Solutio.

falsum et incompossibile proposito, sed potius supponit verum et proposito compossibile: neque concludit falsum propter hypothesis: et ideo in tali ostensione non salvantur conditiones syllogismi per impossibile.

Est autem hic notandum, quod in prima figura in syllogismo per impossibile sunt octo conjugationes, quae sic accipiuntur. Si enim per primam figuram ostendi debeat aliquid per impossibile: aut ergo ostendetur conclusio affirmativa, aut negativa. Si affirmativa: aut universalis, aut particularis: si affirmativa universalis, aut penitus non erit syllogismus, aut si sit, non erit ad propositum. Si autem ostendenda sit affirmativa particularis, supponenda est ejus contradictoria, scilicet universalis negativa: et tunc negativa propositio aut sumitur supra hypothesis, aut sub ea. Si supra eam: aut universalis, aut particularis: et hoc aut affirmativa, aut negativa. Sed nullo dictorum modorum est syllogismus: quia hypothesis cum sit negativa, non poterit esse minor in prima figura. Si autem accipiatur reliqua propositio sub hypothesis: aut universalis, aut particularis. Si universalis: aut affirmativa, aut negativa. Si sumatur affirmativa et universalis, erit syllogismus ad propositum in secundo primæ. Si autem negativa, non erit syllogismus: quia minor non erit negativa. Si autem sub hypothesis sumatur particularis: aut affirmativa, aut negativa. Si affirmativa, sic erit syllogismus ad propositum in quarto primæ. Si autem negativa, non erit syllogismus. Et sic patet quod octo sunt combinationes, sed tantum duæ sunt utiles.

Ad ostendendam autem particularem negativam, oportet quod ejus contradictione supponenda sit universalis affirmativa: et si supra illam accipiatur reliqua propositio: aut accipietur universalis, aut particularis. Si universalis: aut affirmativa, aut negativa. Si universalis affirmativa, erit syllogismus in primo primæ. Si autem negativa universalis sumatur, erit

syllogismus in secundo primæ. Si autem supra hypothesis sumatur particularis: tunc non erit syllogismus, quia major erit particularis. Si autem accipiatur sub hypothesis: aut universalis, aut particularis. Si universalis: aut affirmativa, aut negativa. Si affirmativa, erit syllogismus in primo modo primæ. Si autem negativa universalis sumatur, non erit syllogismus, quia minor erit negativa. Si autem reliqua propositio sumpta sit particularis: aut affirmativa, aut negativa. Si particularis affirmativa, erit syllogismus in quarto primæ. Si autem negativa, non potest esse syllogismus: eo quod minor in prima figura erit negativa. Et sic octo sunt hic conjugationes, sed tantum duæ utiles ad concludendam particularem affirmativam per primam figuram.

Si autem conclusio concludenda sit negativa: aut erit universalis, aut particularis. Si est universalis, supponenda contradictoria ejus erit particularis affirmativa. Sed si sub illa accipiatur reliqua propositio, sive universalis, sive particularis, sive affirmativa, sive negativa, nullo modo erit syllogismus: quia major erit particularis. Si autem supra hypothesis reliqua sumatur propositio: aut sumpta erit universalis, aut particularis: et aut affirmativa, aut negativa, et utroque modo erit syllogismus ad propositum: cum affirmativa quidem in tertio, cum negativa autem in quarto. Si autem reliqua sumpta est particularis supra hypothesis sumpta: aut affirmativa, aut negativa, non erit syllogismus: quia ex particularibus nihil sequitur. Et sic sunt hic octo conjugationes, sed duæ utiles tantum.

Si autem conclusio ostendenda sit particularis negativa, ejus contradictione supponenda erit universalis affirmativa, supra quam si accipiatur reliqua propositio, aut erit universalis, aut particularis. Si universalis: aut affirmativa, aut negativa. Si affirmativa, erit syllogismus in primo primæ. Si autem negativa universalis, erit syllogismus in secundo primæ. Si autem reliqua sumpta sit particularis,

non erit syllogismus: quia major erit particularis. Si autem reliqua sit accepta sub hypothesi: aut erit universalis, aut particularis. Si universalis et affirmativa, erit syllogismus in primo primæ. Si autem universalis et negativa, non erit syllogismus: quia minor erit negativa. Si autem sit particularis et affirmativa, erit syllogismus per tertium primæ. Si autem particularis negativa, non erit syllogismus: quia minor erit negativa. Patet igitur quod in prima figura sunt octo conjugationes: utiles autem sunt quatuor tantum. Octo igitur sunt utiles in prima figura conjugationes, duæ scilicet ad ostendendum particularem affirmativam, et duæ ad ostendendum universalem negativam, et quatuor ad ostendendam particularem negativam.

*Removet dubium.* Attendum etiam quod quia syllogismus conversivus fit ad syllogismum ante se factum, qui in modis et figuris diversificatur, ideo non potuit sufficienter determinari nisi deducendo eum per omnes modos syllogismorum in tribus figuris: quia vero syllogismus per impossibile non præsupponit sibi syllogismum ante factum, sed tantum conclusionem datam, ideo non secundum ordinem modorum, sed secundum ordinem conclusio- num determinatur sufficienter, scilicet cum ostensum est qualiter universalis affirmativa et universalis negativa, et particularis affirmativa et particularis negativa per impossibile demonstrantur.

#### CAPUT IV.

*Quid et qualiter ostenditur per impossibile in secunda figura.*

In media autem figura et in postrema sive tertia cum aliis conclusionibus etiam hoc ostenditur per impossibile quod est universale affirmativum. Ponatur enim A non omni B inesse, quod est contradictorium universalis affirmativæ, quæ dicit omne B esse A: sumptum sit autem extra pro reliqua propositione sub prædicato

hypothesis pro manifeste vero omni c inesse A, ergo si B quidem non omni dicatur inesse A, et idem A dicatur omni inesse c in assumpta propositione, sequitur per quartum secundæ, quod non omni B inest c. Sic si debeat demonstrari quod omne B est A, supponatur contradictorium, scilicet quod aliquod B non est A, et assumatur manifeste vera, hæc scilicet, quod omne c est A, et syllogizetur sic, omne c est A, aliquod B non est A, ergo aliquod B non est c. Hoc autem impossibile: quia pro manifesto suppositum est quod omne B est c, propter quod falsum est quod est suppositum pro hypothesi, scilicet quod non omne B est A.

Si autem supponatur contrarium universalis affirmativæ quæ probanda est, erit quidem syllogismus concludens falsum et impossibile, sed non potest ostendi per talem syllogismum propositum: quod patet, quia supponatur nulli B inesse A, (quod est contrarium ad omni B inesse A), sumatur autem manifeste vera, quod omni c inest A, sequitur quod nulli B inest c: hoc autem est impossibile, et ideo falsum est nulli B inesse c. Sed non sequitur ulterius, si contrarium est falsum (quod est nulli inesse) quod ejus contrarium est verum (quod est omni inesse), quia contraria simul possunt esse falsa. Si enim sic procedatur in secundo secundæ, omne B A, nullum c A, sequitur quod nullum c B.

Ad demonstrandum autem particularem affirmativam in secunda figura, hanc scilicet, quoniam alicui B inest A (hoc est, quod aliquod B est A), sumatur contradictorium ejus, et ponatur in hypothesi A nulli B inesse (hoc est, quod nullum B est A), et assumatur manifeste verum, hoc scilicet, quod omni c inest A (hoc est, quod omne c est A) sequitur igitur ex his duabus in secundo secundæ quod necesse est c nulli B inesse: propter quod si hoc est impossibile et falsum, ejus contradictorium erit verum, scilicet quod necesse est alicui B inesse c. Si autem ad proban-

dam particularem affirmativam supponatur ejus contraria sive subcontraria, quæ est alicui non inesse, non potest probari particularis affirmativa : quoniam eadem obstant quæ obstabant in prima figura, scilicet quod suppositum non necessario est falsum, nec est etiam incompossibile proposito : quia subcontraria possunt esse simul vera : et quia non accidit falsum propter hypothesim falsam.

Similiter autem in secunda figura ostenduntur conclusiones negativæ : monstratur enim universalis negativa per impossibile in secunda figura sic. Rursum enim si supponatur à alicui b inesse (quod est contradictorium ad universalem negativam, hanc scilicet nullum b est a) et assumatur manifeste verum, et hoc sit quod nullum c est a, sequitur in tertio modo secundæ, quod c non insitalicui b, sic, nullum c est a, aliquod b est a, ergo aliquod b non est c. Hoc autem falsum, quia dictum est quod omni c inherat b, sive quod omne c est b, ergo falsum est quod suppositum est in hypothesi : ergo ejus contradictorium est verum, hoc scilicet, quod nullum b est a, sive quod neli b inheret a.

Si autem ostendenda sit particularis negativa, et haec scilicet, quoniam non omni b inest a, sive quod quoddam b non est a, accipiatur ejus contradictorium, hoc scilicet quod ponatur quod omni b inest a, et assumatur manifeste verum in negativa, haec scilicet, quod nulli c inest a, sequitur per impossibile quod necesse est c nulli b inesse : syllogizatur enim in primo modo secundæ, sic, nullum c a, omne b a, ergo nullum b c. Hoc autem impossibile : propter quod sequitur quod verum est ejus contradictorium quod est non omne b esse c, vel aliquod b non esse c.

Manifestum est ergo quod omnium conclusionum syllogismi per medium fiunt figuram : quia et concluditur per eam universalis affirmativa et universalis negativa, et particularis affirmativa et particularis negativa.

Est autem hic attendendum quod in

syllogismo per impossibile propositio manifeste vera (quæ extrinsecus assumitur) semper sumitur sub prædicato hypothesis. Et hujus causa est, quia propositiones dispositæ ad secundam figuram communicant in prædicato : et ideo sub illo oportet assumere.

Adhuc notandum quod non oportet docere supponere contrariam negativarum conclusionum, sicut determinata est suppositio contrariarum ad affirmativas conclusiones : quia idem modus est utrobius, et per unum intelligitur reliquum.

Removet  
dubium.

Notandum etiam quod octo fiunt hic in secunda figura syllogismi per impossibile. Si enim demonstratur conclusio per impossibile in secunda figura : aut erit conclusio affirmativa, aut negativa. Si affirmativa : aut universalis, aut particularis. Si universalis, supponatur ejus contradictoria quæ est particularis negativa, sub cuius prædicato oportet accipere manifeste verum, eo modo quo prædictum est in formatione syllogismorum. Si autem accipiatur particularē : aut affirmativum, aut negativum : et hoc aut fiet major, aut minor: et nullo modo erit syllogismus, quia ex particularibus nihil sequitur : et ideo si particularē assumatur cum contradictorio, non fit syllogismus. Si autem universale sumatur : aut erit affirmativum, aut negativum : et sive illud fiat major sive minor, non erit syllogismus. Si enim negativum sumatur, non erit syllogismus, quia ex omnibus negativis nihil sequitur. Si autem sit affirmativa, non erit syllogismus, quia major debet esse universalis in secunda figura : tunc enim hypothesis erit major propositio quæ est particularis. Si autem assumptum sit universale affirmativum et fiat major, erit syllogismus in quarto modo secundæ. Octo igitur sunt hic conjugationes, sed tantum unica utilis est ad demonstrandum universalem affirmativam.

Si autem ostendi debeat particularis affirmativa, supponatur contradictoria universalis negativa, et accipiatur sub

prædicato universaliter, vel particulariter. Si universaliter et negative, erunt duæ conjugationes inutiles : quia ex negativis nihil sequitur. Si autem sumatur universaliter et affirmative : aut ergo hypothesis erit major, et reliqua propositio minor, et erit syllogismus ad propositum in primo secundæ : aut sumatur e converso, erit syllogismus ad propositum in secundo modo secundæ. Si autem sub prædicato hypothesis accipiatur particularis negativa, erunt duæ conjugationes inutiles sicut prius. Si autem sumpta sit particularis affirmativa : aut ergo hypothesis fit minor, et particularis assumpta major, et tunc non erit syllogismus, quia major fit particularis : aut e converso, et erit syllogismus ad propositum in tertio secundæ. Octo ergo sunt hic conjugationes, sed tantum tres ad propositum utiles.

Si autem conclusio demonstranda sit negativa : aut universalis, aut particularis. Si universalis, supponatur contradictio particularis scilicet affirmativa, et assumatur alia sive reliqua propositio : et hæc erit aut universalis, aut particularis. Si particularis, nullo modo erit syllogismus, propter causam quæ dicta est. Si autem est universalis et affirmativa, iterum non erit syllogismus : quia in secunda figura ex affirmativis nihil sequitur. Si autem est universalis negativa, erit universalis si ipsa sit major et hypothesis minor, et erit in tertio secundæ. Et ita patet quod sunt hic octo combinationes, sed omnes inutiles præter unam.

Si autem ostendi debeat particularis negativa, supponitur contradictio universalis affirmativa, et assumatur alia propositio : et hæc erit aut universalis, aut particularis. Si est universalis et affirmativa, sunt duæ conjugationes inutiles. Si autem negativa sumatur, erunt utiles duæ conjugationes, juxta primum modum una, et juxta secundum modum alia. Si autem assumatur subcontraria particularis affirmativa, erunt duæ utiles. Si autem assumatur particularis negativa, erit utilis majori existente universalis, et non

aliter. Et sic sunt hic octo conjugationes, sed tantum tres utiles. Sunt igitur conjugationes hic omnes inutiles præter octo, quarum una ostendit universalem affirmativam, et tres particularem affirmativam, et una universalem negativam, et tres particularem negativam.

## CAPUT V.

*Qualiter fitsyllogismus per impossibile in tertia figura.*

Similiter autem fit syllogismus per impossibile ad conclusiones demonstrandas per ultimam figuram : ad ostendendam enim universalem affirmativam (quæ est, omne *B* est *A*) ponatur contradictoria ejus quæ est, aliquod *B* non est *A*, quæ dicit alicui *B* non inesse *A*, et assumatur sub subjecto hypothesis manifeste verum, hæc scilicet, omne *B* est *C*, sive *C* inesse omni *B*, et sequitur per quintum tertiae quod *A* alicui *C* non inest, sic, aliquod *B* non est *A*, omne *B* est *C*, ergo aliquod *C* non est *A*. Si ergo hoc impossibile falsum est, quod positum fuit (scilicet *A* alicui *B* non inesse), ergo ejus contradictorium est verum, quod est omni *B* inesse *A*, sive quod omne *B* est *A*, quod idem valet.

Si vero ad universalem affirmativam supponatur contrarium (quod est nulli *B* inesse *A*), syllogismus quidem erit concludens impossibile, sed per eum non ostenditur propositum esse verum : quia non sequitur, si unum contrariorum sit falsum, quod reliquum sit verum : et est eadem ratio quæ in prioribus.

Si vero ostendi debeat particularis affirmativa in tertia figura quæ est alicui *B* inesse *A*, sive quod aliquod *B* est *A*, eadem ponenda est hypothesis, scilicet quod supponatur contradictoria, quod hæc scilicet, nullum *B* est *A*: nam si *A* nulli *B* inest, et assumatur manifeste vera particularis affirmativa, hæc scilicet, quod alicui *B* inest *C*, sequitur in sexto tertiae quod *A* non omni inest *C*, sive quod aliquod *C* non est *A*. Si autem hoc est fal-

sum, ejus contradictorium est verum, scilicet quod  $\alpha$  inest alicui  $\beta$ , sive quod aliquod  $\beta$  est  $\alpha$ : hoc enim contradicit ad id quod est omne  $\beta$  non esse  $\alpha$ . Si autem supponatur ejus subcontraria, non erit syllogismus, sicut in ante habitis saepe dictum est.

Conclusiones etiam negativae ostenduntur in tertia figura: universalis enim negativa sic ostenditur: sicut si debeamus ostendere hanc conclusionem, quoniam nulli  $\beta$  inest  $\alpha$ , supponatur contradictorium ejus quod est alicui  $\beta$  inesse  $\alpha$ , sumptum autem sit pro vero extrinsecus quod omni  $\beta$  inest  $\alpha$ , syllogizatur in tertio tertiae quod necesse est  $\alpha$  alicui  $\beta$  inesse. Si autem hoc impossibile, contradictorium est verum, scilicet quod datum fuerat, hoc scilicet, nulli  $\beta$  inesse  $\alpha$ , et illius contradictorium est falsum, quod est alicui  $\beta$  inesse  $\alpha$ . Si autem in tali ostensione universalis negativae supponatur contrarium et non contradictorium, hoc scilicet, omni  $\beta$  inesse  $\alpha$ , non ostendetur propositum, sicut saepius habitum est.

Si autem ostendenda sit particularis negativa, sicut haec, non omni  $\beta$  inest  $\alpha$ , haec eadem sumenda est hypothesis, supponendo scilicet contradictorium: nam si  $\alpha$  omni  $\beta$  inest (sicut dicit hypothesis contradictionis) et iterum  $\beta$  inest omni  $\beta$  (sicut dicit extrinsecus assumpta sub subjecto hypothesis), sequitur in primo tertiae quod  $\alpha$  alicui inest  $\beta$ : hoc autem cum non sit (quia stare non potest), patet quod falsum est quod positum est, quod omni  $\beta$  inest  $\alpha$ . Si autem hoc est falsum, ergo contradictorium verum est, quod est non omni  $\beta$  inesse  $\alpha$ , sive aliquod  $\beta$  non est  $\alpha$ . Si autem in tali ostensione particularis negativae supponatur ejus subcontraria quae est alicui  $\beta$  inesse  $\alpha$ , eadem sequuntur quae saepius in prioribus dicta sunt, et non ostenditur propositum.

Manifestum ergo est ex his quae dicta sunt, quod in omnibus syllogismus qui fiunt per impossibile, oppositum contradictorie supponendum est. Palam etiam

est ex dictis, quoniam etiam in media figura ostenditur quodammodo universalis affirmativa, et etiam in postrema: quia licet universalis affirmativa non concludatur in media et in tertia, tamen per syllogismum ad impossibile devenitur in ostensionem ipsius. Est autem hic notandum quod in tertia figura non assumitur nisi sub subjecto hypothesis: ideo quia propositiones constituentes tertiam figuram debent communicare in subjecto: et ideo oportet idem subjectum esse in hypothesis et in vero extrinsecus assumptione.

Notandum est etiam, quod hic sunt duodecim syllogismi, qui sic accipiuntur. Si enim debeat ostendi conclusio universalis affirmativa, supponatur contradictoria quae est particularis negativa: et quando cum illa assumitur verum extrinsecus, aut est universale, aut particularē. Si particularē, hoc fit quatuor modis, sed nullo modo erit syllogismus, quia nihil sequitur ex particularibus. Si autem sumitur universale et negativum, hoc fit duobus modis, sed iterum non est syllogismus, quia minor in tertia non potest esse negativa. Si autem universale et affirmativum sumatur, erit syllogismus ad propositum, si minor sit affirmativa, et non aliter: et sic unicus est syllogismus ad ostendendam universalem affirmativam.

Si autem ostendi debeat particularis affirmativa, supponatur contradictoria quae est universalis negativa: et tunc propositio extrinsecus assumpta, aut erit universalis, aut particularis. Si est universalis et negativa, due fiunt inutiles conjugationes. Si autem est universalis et affirmativa, erit utilis quando minor est affirmativa, et non aliter. Si autem assumatur particularis, per omnia similiiter erit. Unde hic sunt duo syllogismi.

Si autem debeat ostendi universalis negativa, supponatur contradictoria particularis affirmativa, cum qua si sumatur particularis, nullo modo erit syllogismus. Si autem cum ipsa sumatur universalis, aut erit affirmativa, aut negativa. Si af-

firmativa: aut erit major, et tunc erit quartus modus tertiae: aut erit minor, et tunc erit modus tertius tertiae: et ambo sunt ad oppositum ostendendum. Si autem sumatur universalis negativa, erit syllogismus ad propositum quando minor est affirmativa: et sic sunt hic tres syllogismi.

Si autem ostendi debeat particularis negativa, supponatur contradictoria universalis affirmativa, et omnibus modis erit syllogismus ad propositum, nisi duobus modis, scilicet quando minor est negativa universalis, vel particularis, sicut in formatione syllogismorum prius posita patet. Sic igitur sunt hic sex conjugationes utiles. Patet igitur quod hic non sunt nisi duodecim utiles conjugationes: una scilicet ad ostendendam universalem affirmativam, duæ autem ad ostendendam particularem affirmativam, tres vero ad ostendendam universalem negativam, sex autem ad ostendendam particularem negativam.

## CAPUT VI.

*De differentia syllogismi per impossibile et ostensivi, et de convenientia eorumdem.*

Diffrt autem ea demonstratio quæ est ad impossibile, ab ea demonstratione si-  
ve ostensione quæ est et dicitur ostensi-  
va. Et prima differentia inter eas accipi-  
tur ex parte propositionum. Demonstratio enim ad impossibile primo ponit et supponit hoc quod vult interimere: per hoc enim deducit ad indubitate falsum, et sic procedit ex falso positio in altera præmissarum. Ostensiva autem demon-  
stratio incipit ab indubitabilibus (hoc est, positis et concessis propositionibus et veris) et procedit ad probationem dubitatae conclusionis. Et sic convenient in hoc, quod utræque istæ demonstrationes (et

ostensiva scilicet, et ad impossibile) su-  
munt in syllogismo propositiones indu-  
bitabiles<sup>1</sup>. Sed hæc quidem, ostensiva scilicet, sumit indubitabiles ut veras, ex quibus est syllogismus. Illa vero quæ est ad impossibile, sumit unam illarum sic indubitablem, et alteram indubitabiliter falsam, quæ est contradictoria datæ con-  
clusionis. Et quod dicimus indubitabiles esse propositiones in ostensiva, intelligi-  
mus quantum ad ponentem, quia ponit esse notas et indubitabiles: quia aliter non probaretur per eas ignota et dubitata conclusio.

Alia autem differentia est in conclusio-  
nibus: quia huic quæ est ostensiva, non  
necessæ est ante syllogismum notam esse  
conclusionem: neque necessæ est prius  
opinari de conclusione, utrum est vel non  
est, sive utrum est vera, vel falsa, quod  
idem est: quia ad hoc fit syllogismus os-  
tentivus, quod nota fiat conclusio, et quod  
cadat in opinione utrum est vel non: et  
ideo ante syllogismum conclusio est ut  
ignota. In syllogismo autem ad impossi-  
bile necessæ est præcognitam esse con-  
clusionem, quoniam non est, sive quia  
falsa est<sup>2</sup>: quia aliter ex ipsa ad majus  
inconveniens non procederet.

Secundum convenientiam autem com-  
parantur: quia in ostensiva et per impos-  
sibile nihil differt aut affirmativam, aut  
negativam esse conclusionem: sed simi-  
liter se habent ad invicem istæ duæ in  
hoc demonstrationes, quia utræque habet  
tam affirmativam, quam negativam con-  
clusionem: quia omnis conclusio sive af-  
firmativa sive negativa, quæ ostensive  
ostenditur, eadem in eisdem terminis de-  
monstratur etiam per impossibile: et e  
converso omne quod monstratur per im-  
possibile, ostenditur etiam in eisdem ter-  
minis ostensive. Hoc autem sic probatur:  
quia quando syllogismus per impossibile  
fit in prima figura, tunc ostensive id quod  
verum et intentum ad probandum syllo-

Removet  
dubium.

<sup>1</sup> Ex quo patet quod duplex est propositio indubitabilis, scilicet vera et falsa.

<sup>2</sup> Capit quod non est pro falso, juxta illud I Poster.: *Quod non est, non est scire.*

gizatur in media vel tertia figura. Privativa quidem conclusio per impossibile conclusa in prima, ostensive concluditur in media quæ non habet nisi negativas conclusiones. Praedicativa autem syllogizata per impossibile in prima, ostensive concluditur sive probatur in tertia sive postrema. Quando autem in media figura per syllogismum ad impossibile aliquid probatur, tunc id quod verum est et intentum, ostensive concluditur in prima figura per omnes propositiones. Quando vero in postrema fit syllogismus per impossibile, tunc quod verum est, ostensive concluditur in prima et media : affirmativa quidem in prima, et negativa conclusio ostensive concluditur in media quæ non habet nisi negativam conclusionem.

Dubitatio.

Si autem queritur quare per impossibile syllogizatum in una figura, non potest in eisdem terminis ostensive concludi in eadem, sed in alia ? Dicendum quod hoc est ideo, quod syllogismus ostensivus qui concludit intentam conclusionem, semper procedit ex opposito conclusionis syllogismi ad impossibile et altera præmissarum : non potest autem ex opposito conclusionis et altera præmissarum fieri ejusdem figuræ dispositio, sed sit dispositio terminorum ad alteram figuram : et ideo syllogismus per impossibile et ostensivus in eisdem terminis ordinati ad eamdem conclusionem intentam, non possunt esse in eadem figura. Si enim syllogismus ad impossibile fiat in prima figura, ostensivus fiet ex opposito conclusionis ejus et una præmissarum : sed conclusio cum minori facit tertiam figuram, conclusio autem cum majori facit figuram secundam. Similiter facto syllogismo ad impossibile in secunda figura, ex opposito conclusionis cum minori fiet tertia figura, et eodem opposito sumpto cum majori fiet prima figura. Similiter facto syllogismo ad impossibile in tertia figura, ex opposito conclusionis cum minori fiet prima figura : ex eodem autem conclusionis opposito sumpto cum majori fiet figura secunda.

Solutio.

Si autem queritur, utrum negativa Dubitatio. ostensa per impossibile in prima, non possit ostensive syllogizari in secunda ? Dicendum quod universalis negativa per impossibile ostensa in prima, tantum per secundam syllogizatur ostensive. Particularis autem negativa syllogizata per primam per impossibile, tam per secundam quam per tertiam concluditur ostensive. Cujus est duplex causa. Una quidem, quia universalis non concluditur per tertiam, sed particularis. Alia autem est, quod propinquius est respiciendo ad hypothesis demonstrare particularem, quam quamcumque aliam conclusionem. Si enim ostendatur universalis per impossibile in prima, hypothesis erit particularis : et ita verum assumptum erit propositio major, ex qua et opposito conclusionis erit secundæ figuræ dispositio. Si autem ostendatur per impossibile particularis negativa in prima figura, hypothesis erit tam major aliquando quam minor aliquando : et similiter erit tam major quam minor vera propositio assumpta : et ideo oppositum conclusionis cum vero assumpto aliquando constituit secundam figuram et aliquando tertiam.

Si autem adhuc queritur de particula- Dubitatio. ri affirmativa conclusa per impossibile in prima, an alibi quam in tertia possit in eisdem terminis ostensive syllogizari ? Dicendum quod non : per secundam enim non concluditur nisi negativa : et etiam ideo quia ad ostendendam particularem affirmativam hypothesis est universalis negativa, quæ solum major erit in prima figura : et ita vera propositio assumpta erit minor propositio, ex qua et conclusio non nisi tertia constituitur figura. Solutio.

Notandum etiam quod quia universalis affirmativa per impossibile non probatur in prima figura, ideo consequentius est ostendere quæ dicta sunt per universalem negativam per impossibile conclusionem in prima, quam aliter : et quia universale est ante particulare, ideo prius ostenditur in universali negativa, quam in particulari negativa : post universalem Removet dubium.

autem negativam ostenditur in particulari negativa propter earum conformitatem in qualitate : ultimo autem in particulari affirmativa. In aliis autem figuris e converso est : quia in illis ostenditur per impossibile universalis affirmativa. Adhuc autem negativæ per impossibile demonstratæ in prima figura, si sunt universales, ostensive concluduntur in secunda : et particularis affirmativa per impossibile ostensa in prima, ostenditur ostensive in tertia : sed secunda figura præcedit tertiam : et ex his sumitur ordo procedendi in conclusionibus istis.

**Dubitatio.** Adhuc autem quæri potest, utrum tantum per primam concludi possunt ostensive conclusiones per impossibile probatae in secunda figura ? Et ad hoc dicendum quod universalis ostensa per impossibile in secunda, tantum in prima syllogizatur ostensive in eisdem terminis.

**Solutio.** Particularis autem syllogizata per impossibile in secunda, ostensive probari potest et in prima et in tertia : et hoc cuilibet etiam per se potest patere consideranti : quia tantum particularis concluditur in tertia : et quia opposita conclusionis particularis est universalis quæ potest esse tam major quam minor in secunda figura : oppositum autem conclusionis universalis est particularis, quod non potest esse ejus minor in secunda figura.

**Dubitatio.** Similiter autem potest quæri de conclusionibus per impossibile demonstratis in tertia figura, utrum scilicet affirmativa ostensive concludantur tantum per primam et negativæ tantum per secundam ?

**Solutio.** Et dicendum ad hoc quod affirmativa ostensa per impossibile in tertia solum ostensive syllogizatur in prima, sicut patet ex prædictis : quia affirmativa non syllogizatur in secunda. Sed negativa per impossibile ostensa in tertia, potest ostensive syllogizari tam in prima quam in secunda.

**Dubitatio.** Si autem quæritur, utrum idem sit syllogizare conversive et ad impossibile, eo quod uterque syllogismus accipit oppositum conclusionis ? Dicendum quod non :

quia conversivus syllogismus contentus est una conclusione : syllogismus autem ad impossibile duas habet conclusiones. Adhuc autem quia conversivus accipit pro opposito conclusionis tam verum quam falsum : sed demonstratio per impossibile semper accipit falsum : unde in plus est conversive syllogizare, quam ostendere per impossibile : sequitur enim ad ipsum, et non convertitur.

## CAPUT VII.

*De ostensione eorum quæ dicta sunt per formationem syllogismorum.*

Ostendamus igitur ea quæ dicta sunt, et primo quod negativa per impossibile probata in figura prima, ostensive syllogizatur per figuram secundam : quia ex hypothesi et vero assumpto supra ipsam fit syllogismus in tertio primæ, sic, omne A c, aliquod B A, ergo aliquod B C ; sed hoc est falsum : ergo oppositum hypothesis est verum, hoc scilicet, nullum B A. Deinde ex opposito falsæ conclusionis et vero assumpto prius syllogizatur ostensive propositum in secundo secundæ, sic, omne A C, nullum B C, ergo nullum B A.

Sit enim ostensum A nulli B inesse aut A non omni B inesse : prima enim est universalis negativa quæ concluditur in secundo primæ, non omni autem concluditur in quarto primæ : et sit horum quodcumque ostensum per primam figuram : ergo hypothesis sumens oppositum ejus quod ostensum est, erat alicui B inesse A, quod est oppositum ad nulli, c autem sumebatur omni A inesse pro manifeste vero, et sumebatur nulli inesse B ; sic enim fiebat syllogismus, et sequebatur impossibile : ex tali autem terminorum dispositione fiebat media figura hōc modo, si C A quidem omni inest, et A nulli inest B, et manifestum est quod concluditur ex his quoniam nulli B inest A in secundo secundæ, sic, omne A C, nullum B C, ergo nullum B A. Et attende quod syllogismus ad impossibile semper fit ex hypothesis

oppositæ conclusionis et vero assumpto, et concludit manifeste falsum. Syllogismus autem ostensivus ad eamdem conclusionem semper fit ex eodem vero assumpto et opposito falsæ conclusionis : et istæ tres propositiones sunt materia horum duorum syllogismorum.

Ostendamus etiam qualiter particularis negativa ostensa per impossibile in prima, ostensive syllogizatur per secundam. Similiter enim sicut diximus de nulli syllogizato in prima per impossibile, dicimus de non omni vel alicui non ostendo in prima per impossibile : nam hujus oppositum quod est hypothesis data, est omni inesse, sicut ejus quod est non omne b esse a vel aliquod b non esse a, oppositum quod sumit hypothesis est omne b esse a, c autem medium sumebatur pro manifeste vero, a quidem omni inesse b in majori, b autem non omni inesse c in minori. Et hoc patet sic : quia sumpta hypothesis contradictione, et accepto vero extrinsecus supra hypothesis fiet syllogismus ad impossibile per primam primæ, sic, omne a c, omne c a, ergo omne b c, quod est manifeste falsum. Deinde ex opposito conclusionis et vero assumpto ostenditur propositum in quarto secundæ, sic, omne a c, quoddam b non est c, ergo quoddam b non est a. Si autem verum extrinsecus sumatur supra hypothesis negativam, fiet syllogismus ad impossibile in secundo primæ, et syllogismus ostensivus in tertio secundæ ad eamdem conclusionem. Similiter autem fit ostensio per impossibile in prima, et ostensive in secunda, si major propositio quæ est a c sit privativa, sicut in secundo et quarto primæ : sic enim sumendo oppositum conclusionis syllogismi per impossibile et verum prius assumptum, fit media figura.

Rursum particularis affirmativa per impossibile ostensa in prima, ostensive syllogizatur in tertia. De universali enim affirmativa non dicimus : quia non ostenditur per impossibile in prima. Sit enim ostensum per impossibile in prima alicui

b inesse a, tunc hypothesis contradictoria erit nulli b inesse a, b autem sumebatur omni c inesse (hoc est verum extrinsecus sumptum) et a sumebatur omni vel alicui c inesse : sic enim et non aliter sequebatur impossibile. Hæc autem terminorum dispositio facit postremam figuram : et manifestum est ex his quod sequitur a alicui b inesse, sive quod aliquod b est a. Similiter autem fit quando ponitur alicui c inesse b, vel alicui b inesse a ; hoc autem sic patet, quia ad ostensionem particularis affirmativæ per impossibile conclusæ in prima figura, sumpta contradictoria et assumpto vero extra sub hypothesi affirmativa et universali, erit syllogismus ad impossibile in secundo primæ sic, nullum b est a, omne c est b, ergo nullum c est a, sed hoc falsum. Ex opposito autem conclusionis et eodem vero syllogizatur ostensive oppositum majoris in tertio modo tertiae figuræ sic, aliquod c est a, omne c est b, ergo aliquod b est a. Si autem verum acceptum sub hypothesi sit particulare affirmativum, erit syllogismus ad impossibile in quarto primæ, et ostensivus in quarto tertiae, sicut cuiilibet per se patere potest : si enim tam a quam b insit c subjecto universaliter, sequitur per primum tertiae quod a insit alicui b : similiter si alterum insit c universaliter, et reliquum particulariter, sequitur idem per tertium vel quartum ejusdem tertiae figuræ.

Ostensum est igitur, quod quando impossibile syllogizatum est in prima figura, quod verum ostensive syllogizatur in media, aut in postrema : privativum quidem in media, praedicativum autem in postrema. Ostendamus ergo secundam propositionem in superioribus suppositam, hanc scilicet, quod quando in media figura fit syllogismus ad impossibile, verum erit ostensive ostensum in prima in affirmativis propositionibus. Ostendamus autem primo in universalii affirmativa quæ per impossibile ostenditur in secunda figura.

Rursum enim sit per impossibile pro-

batum in media figura A omni B inesse, sive quod omne B est A, ergo contradictoria per hypothesisum sumpta sit A non omni B inesse, vel alicui B non inesse A, sed sumptum verum manifestum in altera propositione est A omni C inesse, et C inesse omni B, sic enim sequitur impossibile. Hæc autem dispositio terminorum facit primam figuram, si A omni inest C, et C omni inest B, sic, omne C A, omne B C, ergo omne B A.

Similiter se habet quoad mutationem figuræ, et si alicui B ostensum sit inesse A, tunc enim hypothesis contradictoria erit nulli B inesse A; sumptum autem est in præcedenti syllogismo A omni C inesse, et C alicui B, sicut fit syllogismus in tertio primæ concludens particularem affirmativam: si enim hypothesis sit minor in syllogismo ad impossibile quo ostenditur universalis affirmativa in secunda, erit syllogismus ad impossibile in secundo secundæ: ex opposito autem falsæ conclusionis et eodem vero erit syllogismus ostensivus in tertio primæ. Idem autem est in conclusionibus negativis. Si enim privativus fiat syllogismus ad impossibile in universalis negativa: tunc hypothesis contradictorii sumpta erit A alicui B inesse: hoc enim contradictorium est ad nulli: sumptum autem verum in syllogismo est nulli C inesse A, et omni B inesse C. Ex hac autem dispositione fit prima figura.

Et in particulari negativa similiter est. Si enim non universalis sit syllogismus ad impossibile in secunda figura, sed per impossibile sit ostensum A alicui B non inesse: nam tunc erit contradictoria hypothesis omni B inesse A: sumptæ autem propositiones manifestæ veræ sunt A nulli B inesse, et C inesse alicui B, tali enim dispositione terminorum fit prima figura: ex hypothesis enim (quæ est oppositum particularis affirmativæ negatum) et vero negato assumpto pro majori syllogizatur falsum in tertio secundæ; ex opposito autem falsæ conclusionis, et eodem vero syllogizatur ostensive verum intentum

per quartum primæ: et hoc facile patet formando syllogismos in terminis A B C.

Tertia autem propositio superius proposita est, quod quando in postrema figura fit syllogismus ad impossibile, quod verum est syllogizatur ostensive in prima et in media: affirmativa quidem in prima, privativa autem in media. Ostendamus autem primo quod affirmativa per impossibile demonstrata in tertia, ostensive syllogizatur in prima.

Rursus enim incipientes dicimus, quod in tertia figura per impossibile ostensum sit A omni B inesse, sive quod omne B sit A: ad hoc ergo per impossibile concludendum hypothesis quidem fuit non omni B inesse A, sumptum autem verum adjunctum hypothesis fuit C inesse omni B, et A inesse omni C, sic enim sequebatur impossibile quod dictum est. Talis autem terminorum dispositio est prima figura: ex hypothesis enim et vero assumpto supra subjectum hypothesis syllogizatur falsum in quinto tertiae. Ex opposito autem falsæ conclusionis et eodem vero ostenditur propositum in tertio primæ.

Attendendum est autem hic, quod hucusque nos exponendo tres supra inductas propositiones secundum sententiam Aristotelis in *Prioribus* (quæ tres propositiones præmissæ sunt duorum syllogismorum) semper posuimus primo hypothesisim, secundo verum assumptum, et tertio oppositum conclusionis falsæ. Deinceps autem mutato ordine, primo ponemus hypothesisim, secundo oppositum conclusionis falsæ, et tertio verum assumptum.

Similiter autem in tertia figura est in particulari affirmativa ostensa per impossibile, sicut si in aliquo particulari sit demonstratio per impossibile in tertia figura: quia ex opposito ejus et vero assumpto concluditur falsum in sexto tertiae: ex opposito autem illius falsi et eodem vero ostenditur propositum in tertio primæ: nam hypothesis contradictorii ad particulare affirmativum fuit (nulli B inesse A), sumptum autem in syllogismo erat

(c alicui b inesse, et a inesse omni c), et hæc dispositio facit primam figuram.

Similiter ostenditur quod negativa ostensa per impossibile in tertia, ostensive syllogizatur in secunda : et hoc primo ostenditur in universalis negativa. Si enim privativus sit syllogismus ad impossibile ostendens universalem negativam, et si ostensa sit universalis negativa per impossibile, sicut nulli b inesse a, hypothesis contradictorii erit a alicui b inesse, sive quod aliquod b est a : sumptum autem in syllogismo est in majori quod nulli a inest c et quod c inest omni b. Hæc autem dispositio facit medium sive secundam figuram : sumpta enim contradictoria universalis negativæ cum vero extrinsecus posita pro majori propositione erit syllogismus falsus in quarto tertiae, sic, omne b est c, aliquod b est a, ergo aliquod a est c. Sed hoc falsum. Ex opposito autem hujus conclusionis falsæ et vero assumpto ostensive syllogizatur propositum in primo secundæ, sic, nullum a est c, omne b c, ergo nullum b a.

Similiter autem est in particulari negativa quando non est universalis demonstratio quæ est ad impossibile in tertia : nam hypothesis contradicens particulari negativæ huic (quoddam b non est a) erit hæc (omne b esse a), sumptum verum in syllogismo est c quidem nulli inesse a, b autem alicui inesse c, hoc est, quod aliquod c sit b : sic enim syl-

logizatur falsum in tertio tertiae, sic, aliquod b est c, omne b a, ergo aliquod a c. Quod falsum est. Deinde ex opposito istius falsæ conclusionis et eodem vero syllogizatur propositum in tertio secundæ, sic, nullum a c, aliquod b c, ergo aliquod b non est a. Hæc enim est media figura.

Manifestum est ergo ex his quæ dicta sunt de tribus propositionibus inductis, quoniam per eosdem terminos est demonstrare omnem conclusionem sive propositionem et ostensive et per impossibile. Similiter autem erit cum fiunt syllogismi ostensivi. Hos enim erit ad impossibile deducere in sumptis eisdem terminis quando sumpta fuerit propositione opposita conclusioni cum vero assumptione. Cujus causa est, quod iidem et similes fiunt syllogismi qui sunt per impossibile, his qui sunt syllogismi per conversionem sive conversivi, de quibus in ante habitis dictum est: propter quod statim per conversionem habemus etiam figuram per quas unumquodque conclusorum ad impossibile et ostensive erit demonstrare.

Palam est igitur, quoniam omnis propositio ostenditur per utrosque modos, per impossibile scilicet, et ostensive : et non contingit alterum istorum separari ab altero, quamvis ambo syllogismi non in eadem fiant figura.



# TRACTATUS V

## DE SYLLOGISMO EX OPPOSITIS, QUI EST SYLLOGISMUS EX INCOMPOSSIBILIBUS, CUM OMNES PRÆHABITI SYLLOGISMI SINT EX PROPOSITIONIBUS COMPOSSIBILIBUS.

### CAPUT I.

*Quot sunt genera oppositionum, et quod  
in prima figura non sit syllogismus ex  
oppositis.*

In qua autem figura contingit ex oppositis propositionibus syllogizare, et in qua non contingit, post hæc est dicendum: eo quod jam determinatum est de syllogismis in quibus potest ex non oppositis, sed compossibilibus propositionibus syllogizari. Hoc autem qualiter et ex qualibus et in qua figura fiat hujusmodi syllogismus, sic erit manifestum, ut statim dicetur.

Dico autem distinguendo oppositas propositiones, alias esse secundum rem, et alias secundum locutionem. Secundum rem quidem oppositæ sunt quæ a se invicem removentur, ita quod simul non possunt. Secundum locutionem autem dico oppositas quæ quamvis secundum rem simul esse possunt in esse, tamen in sermone differunt per affirmationem et negationem. Et hoc modo loquendo, quatuor sunt modi oppositionum: sic enim omni inesse, et nulli inesse opponuntur ut contrariæ propositiones. Secunda oppositio est ejus quod est omni inesse, et non omni inesse: et hæc est oppositio contradictioris. Et secundum locutionem in modo significandi differt ab illa alicui inesse, et nulli inesse, quamvis secundum rem et

Modi oppo-  
sitionum se-  
cundum vo-  
cem sunt  
quatuor.

æquipollentiam ad idem referatur genus oppositionis. Quartum secundum locutionem genus oppositionis est alicui et non aliqui inesse: quod facit genus oppositionis quod subcontrarietas vocatur: quod tamen secundum rem non est species oppositionis, quia subcontraria simul stant in esse et vero. Contraria autem quæ sunt falsa, in nullo stant simul: quia in falso simul esse, est in nullo simul esse: quia falsum non est. Secundum veritatem igitur (si modus locutionis ad rem referatur) tria sunt genera oppositarum propositionum quæ simul stare non possunt: nam alicui inesse et non alicui inesse cum sint subcontraria, et simul in vero et in esse stare possunt, secundum modum vero loquendi, quo propositio affirmativa opponitur in modo loquendi negative, opponuntur solum et non secundum rem.

Nos autem non facimus mentionem de privative oppositis, et de relative oppositis: quia illa genera oppositionis sunt in incomplexis, ex quibus non potest fieri syllogismus. Hæc autem tria genera oppositionis oppositas et incompossibilis faciunt propositiones, quarum ordine in figura et modo fit syllogismus speciale in concludendo habens potestatem.

Harum autem trium oppositionum illas quæ sunt ambæ universales et opponuntur per affirmationem et negationem, dicimus esse contrarias, eo quod materialem habent oppositionem: sicut cum dicimus universaliter affirmando omnem discipli-

Subcontra-  
ria non sunt  
opposita in  
sed vero  
tantum.

Removet  
dubium.

Quæ sunt  
contrariæ  
propositio-  
nes et quæ  
contra-  
riæ.

nam esse studiosam, et universaliter negando nullam disciplinam esse studiosam. Alias autem duas oppositiones (quæ formaliter opponuntur) dicimus esse simpliciter oppositas, quod est contradictorie opponi, ut omni et non omni, et aliqui et nulli. Sic igitur satis dictum est de oppositione propositionum incompossibilium ex quibus fit syllogismus. Qualiter autem fiat per tres figuras, sic intelligendum est.

Dicimus igitur, quod in prima figura propter ordinem medii et extremorum (quorum nihil ut subjectum vel prædicatum ad idem ordinatur, cum opposita semper velint esse circa idem) non potest fieri syllogismus ex oppositis contrarie vel contradictorie in prima figura. Hoc autem patet: quia si esset in prima figura talis syllogismus: aut esset affirmativus, aut negativus. Affirmativus autem in prima figura esse non potest: quia in affirmativo syllogismo utrasque præmissas oportet esse affirmativas: sed oppositæ propositiones (secundum omnem modum oppositionis prædeterminatum) sunt oppositæ ut affirmatio et negatio: quia semper una est affirmativa, et altera negativa. Ex talibus igitur non potest fieri syllogismus affirmativus. Privativus autem similiter ex oppositis propositionibus in prima figura esse non potest: quia oppositio propositionum est quando idem prædicatum de eodem subjecto affirmatur et negatur: oppositæ enim propositiones idem prædicatum de eodem subjecto et prædicant et denegant. In prima autem figura medium non dicitur de utrisque extremis ut idem: sed de altero quidem extremo in privativo syllogismo negatur, et idem de alio extremo prædicatur in affirmativa propositione: idem autem de uno prædicari et de altero negari non sunt opposita, neque incompossibilia. Patet igitur quod in prima figura non potest esse syllogismus ex oppositis.

**Dubitatio.** Si autem quis quærat, propter quam causam syllogismus negativus ex oppositis non potest esse in prima figura, cum

prima figura sit origo figurarum ad quam reducitur omnis syllogismus: et ita videatur quod si non fit in prima figura, nec in aliis fieri potest. Adhuc autem si syllogismus ex oppositis fiat in primo secundæ, conversa majori propositione erit syllogismus in secundo primæ: et adhuc erunt propositiones oppositæ. Adhuc autem sic syllogizando, nullum risibile est homo: omnis homo est risibile: ergo nullus homo est homo: erunt præmissæ incompossibiles et oppositæ: et sic videatur quod possit ex oppositis syllogizari in prima figura.

Dicendum autem ad hæc, quod oppositio dupliciter potest considerari: habet enim in se duo, scilicet incompossibilitatem et repugnantiam. Potest ergo considerari prout comprehendit utrumque istorum: et sic potest ex oppositis syllogizari in prima figura: sed hoc modo non fit hic sermo de oppositis. Potest etiam accipi oppositio proprie prout consistit in modo et forma propria oppositionis: et hoc est quando idem de eodem, et secundum idem affirmatur et negatur. Hoc autem contingit dupliciter, ut scilicet idem utrobique subjiciatur, et secundum rem, et secundum vocem: vel idem sit secundum rem, et non secundum vocem. Primo modo sunt opposita per se. Secundo autem sunt opposita secundum accidentis. Sic autem in secundo modo oppositionis se habent ad invicem superius et inferius, aut e converso inferius et superius. Neutro autem modo ex oppositis fit in prima figura syllogismus.

Ad primum ergo dicendum quod licet omnes syllogismi oriuntur a prima figura secundum figuram: tamen in hac vel illa materia propositionum potest syllogismus fieri in aliis figuris, et non in prima.

Ad secundum autem patet solutio ex dictis. Ad tertium autem dicendum quod contraria et opposita per accidentis non faciunt dispositionem primæ figuræ. Probatur, quia relatio duorum prædicatorum ad unum subjectum (si prædicata sunt opposita) facit dispositionem figuræ ter-

Solutio.  
Oppositio  
dupliciter  
potest consi-  
derari.

tiæ, et unius prædicti ad duo subjecta facit dispositionem figuræ secundæ : et talis relatio duorum ad unum facit propositiones oppositas: et hoc in prima figura esse non potest, ubi unum refertur ad unum ut subjectum, et ad alterum ut prædicatum : et hoc nullo modo faciunt propositiones oppositæ.

**Objectiones.** Sunt autem qui objiciunt, quod syllogismus ex oppositis non sit syllogismus propter hoc: quia diffinitio syllogismi non videtur convenire syllogismo ex oppositis: syllogismus enim est oratio in qua quibusdam positis et concessis aliud evenit ex necessitate. Oppositæ autem propositiones a nullo ponuntur et conceduntur. Aliud etiam adducunt ad hoc quod in syllogismo sunt tres termini ad minus, in syllogismo ex oppositis non sunt nisi duo. Et si dicatur quod duo sunt secundum substantiam, et tres secundum rationem, eadem ratione sunt quatuor: quia sicut multiplicatur extremum unum et alterum secundum rationem, et ita etiam sunt sex: quia multiplicatur et medium. Adhuc secundum hoc ex uno posset fieri syllogismus, si unum secundum rationem multiplicatur in duo, et duo in tria. Adducunt etiam, quod non datur ars syllogizandi nisi ad utilitatem alicujus Philosophi. Syllogismus autem ex oppositis ad nullum videtur pertinere Philosophum: nec enim ad dialecticum pertinet, quia fidem nullam facit: nec ad demonstratorem, quod ex veris non procedit, nec ex conclusionis opposito sicut demonstratio ad impossibile: nec ad sophisticum videtur pertinere, cum ex necessitate concludat.

**Solutio.** Ad hæc autem et hujus modi non est difficile respondere. Dicendum enim quod syllogismus ex oppositis syllogismus est, et est in ipso potestas specialis syllogizandi in figura et modo. Et quod dicitur de diffinitione syllogismi, dicendum quod propositiones sunt positæ in figura et modo, et sunt concessæ non simpliciter ad acquiescendum ei quod dicitur per propositiones: sed concessæ sunt ad com-

parationem alterius, ut ex concessione minoris inconvenientis ostendatur majus inconveniens: et hæc est concessio positionis propter aliud non propter seipsum. Dicendum etiam quod sunt in duabus propositionibus syllogismi ex oppositis duo termini secundum substantiam, et tres secundum rationem: sicut enim videmus quod punctum continuans unum est secundum substantiam, et duo ratione mediæ continuant, ita medium in syllogismis unum est secundum substantiam et rationem, extrema tamen diversa aut secundum substantiam, aut secundum rationem ad minus. Extremum enim multiplicabile est secundum rationem, medium autem non: quia medium in ratione mediæ semper manet. Et ideo ista multiplicatio non procedit in quatuor: quia unum extremum potest in dupli ratione esse, et hoc non convenit medio. Nec fieri potest ex unico termino secundum substantiam syllogismus: quia ille non haberet conclusionem diversam a præmissis in altero termino qui est medium. Medium autem nunquam intrat in conclusionem. Perlinet autem hic syllogismus ad dialecticum obviando disputanti: sic enim intendit ex minori inconvenienti dato deducere majus inconveniens: et in hoc maxime utitur syllogismo ex oppositis; quia aliquando a respondentे conceduntur implicite opposita. Pertinet autem principalius ad demonstratorem contra cavillatorem disputantem: quia, ut in quarto *primæ philosophiæ* dicitur, concedit opposita: dicit enim quod contradictionia simul vera sunt: et ex hoc concessa deducitur ad majus inconveniens.

Cui artifici  
sit utilitas  
syllogismus  
ex oppositis.  
  
Si autem quæritur de hujus syllogismi dispositione, hoc est, in qua figura sit: hoc enim dubium est: quia cum idem subjiciatur in ipso in utraque propositione, syllogismus videtur esse in tertia figura: et cum idem prædicetur in utraque, videatur esse syllogismus in secunda figura.

Sed dicendum quod si consideretur materia istius syllogismi antequam pertractetur ad conclusionem, indifferenter

se habet ad secundam figuram, et tertiam : sed postquam ad concludendum pertractata est et ordinata, tunc appareat in qua figura est : concluditur enim semper extremitas de extremitate : et ideo si concludat de subjecto extremitatem de extremitate est in tertia : si autem de prædicato concludat extremum de extremo, tunc erit in secunda figura.

## CAPUT II.

*Qualiter fit syllogismus ex oppositis in secunda figura.*

Ostendamus igitur qualiter in media figura ex oppositis fit syllogismus. Dicimus igitur quod in media figura et ex oppositis contradictorie et ex contrariis fit syllogismus : et hoc primo ostendamus in secundo secundæ figuræ : quia in illo magis est manifestum. Sit enim bonum sive studiosum in quo est a signum : disciplina autem sit in quo est b, et in quo est c, quia in syllogismo ex oppositis necesse est unum terminum bis sumi secundum rationem. Si ergo aliquis in majori propositione sumpsit nullam disciplinam esse studiosam : tunc a inest omni b in majori, et inest nulli c in minori : propter quod concluditur quod b nulli c inest, sic, omnis disciplina est studiosa : nulla disciplina studiosa : ergo nulla disciplina est disciplina. Hoc idem ostenditur in oppositis per accidens : quæ autem sint opposita per accidens in anteriori capitulo dictum est.

Similiter enim fit syllogismus in secundo secundæ, si in majori propositione aliquis sumpsit omnem disciplinam esse studiosam, et in minori sumpsit medicinam esse disciplinam non studiosam. In tali enim terminorum dispositione a quidem inest omni b, ita quod omne b est a, quia omnis disciplina studiosa. Idem autem a nulli inerit c, quia nulla medicina studiosa : cum tamen sit disciplina : et ideo sequitur quamdam disciplinam non esse disciplinam : formatur enim sic syl-

logismus, omnis disciplina studiosa : nulla medicina studiosa : ergo nulla medicina est disciplina. Ex hoc autem per quartum primæ sequitur, quod cum aliqua disciplina sit medicina, aliqua disciplina non est disciplina.

Hoc autem modo ostenditur etiam, quod syllogizatur ex oppositis in primo secundæ, et hoc in contrariis secundum accidens ostenditur, sic. Si enim aliquis accipit a quidem omni inesse c in minori propositione, et sumatur idem a nulli b inesse in majori propositione, et sit (sic ut prius positum est) b disciplina, c autem sit medicina, a vero sit opinio : sic enim nullam disciplinam esse opinionem sumens in majori propositione sumpsit in minori quamdam disciplinam esse opinionem : et formatur sic syllogismus in primo secundæ, nulla disciplina est opinio : omnis medicina est opinio : ergo nulla medicina est disciplina. Ex hoc autem (cum aliqua medicina sit disciplina) sequitur quod aliqua disciplina non sit disciplina. Hic autem modus nunc dictus differt a prius dicto in terminorum conversione ad oppositas qualitates : quia prius dictus minorem habuit negativam et majorem affirmativam, iste autem e converso minorem habet affirmativam et majorem negativam : prior enim syllogismus habuit affirmativum ad b majorem extremitatem : nunc autem secundo positus, habet affirmativum ad c minorem extremitatem.

Similiter autem ex oppositis propositionibus fit syllogismus in particularibus, quando non sunt ambæ propositiones universales, sed altera particularis. Hoc autem per se cuilibet patere potest, et in tertio secundæ et in quarto, si sumantur oppositæ propositiones, una universalis, et altera particularis. Semper enim medium est in secunda figura, quod ab altero quidem extremo negative dicitur, sive removetur, de altero vero extremo dicitur affirmative : propter quod continet opposita de se concludi : verum hoc non contingit semper et omni modo sive

quocumque modo sumptis oppositis, sed hoc modo tantum et non aliter, si sic se habent opposita quæ sunt sub medio, ut vel eadem sint re et nomine, et tunc fit syllogismus ex oppositis per se : vel quod sint se babentia ut totum et pars, sive ut superius et inferius, et tunc fit syllogismus ex oppositis per accidens. Aliter autem sumptis quæ sunt sub medio est impossibile fieri syllogismum ex oppositis : quia non erunt propositiones in syllogismo ullo modo, aliter sumptæ contrarie, vel oppositæ. Oportet autem in syllogismo ex oppositis, aut esse contrarias, aut oppositas.

### CAPUT III.

#### *Qualiter fit syllogismus ex oppositis in tertia figura.*

In tertia vero figura affirmativus quidem syllogismus nullo modo erit ex oppositis propositionibus, propter prædictam causam in prima figura : quia scilicet in affirmativo syllogismo, oportet ambas esse affirmativas : in oppositis autem propositionibus altera semper est negativa. Negativus autem syllogismus ex oppositis erit in tertia figura tam in universalibus syllogismis, sicut in secundo tertiae, quam in non universalibus sicut in quinto et sexto. In universal autem syllogismo, secundo scilicet tertiae : sit enim disciplina in quo est **B** pro majori extremitate, et in quo est **C** pro minori extremitate : medicina autem sit in quo est **A**, et sit medium. Si ergo sumatur in majori omnem medicinam esse disciplinam, et nullam medicinam esse disciplinam, ita quod universalis negativa sit major, et universalis affirmativa sit minor : tunc qui sic syllogizat sumpsit **B** inesse omni **A** in minori, et sumpsit **C** nulli **A** inesse in majori : quare sequitur quod quædam disciplina non est disciplina, sic, nulla medicina est disciplina : omnis medicina est disciplina : ergo disciplina non est disciplina.

Similiter autem est in particularibus

syllogismis, si non universalis accipiatur **B** a major propositio sicut fit in sexto tertiae. Nam si est quædam medicina disciplina in minori propositione, et rursum nulla medicina disciplina in majori propositione, accidit in conclusione disciplinam quamdam non esse disciplinam per sextum tertiae, sic, nulla medicina est disciplina : aliqua medicina est disciplina: ergo aliqua disciplina non est disciplina.

Idem autem est in quinto. In hoc autem est differentia ad syllogismum universalem, quod terminis in utraque propositione universaliter sumptis propositiones sunt contrariæ. Si autem particularis sit altera propositionum, sunt oppositæ per contradictionem. Hoc enim observandum est quod in tota generatione syllogismorum ex oppositis universales syllogismi fiunt ex contrariis propositionibus : particulares autem syllogismi fiunt ex oppositis contradictorie.

Secundo etiam notandum, quod oportet scire, quoniam contingit quædam sic opposita sumere, secundum quod prius determinatum est in capitulo præcedenti : quia secundum alia genera oppositionum non fit syllogismus ex oppositis, nisi secundum contrarietatem vel secundum contradictionem : ex quibus est inferre ex uno oppositorum concesso reliquum per conclusionem per syllogismum, vel per præter necessarias propositiones : sicut si dicamus omnem disciplinam esse studiosam, et rursus in altera propositione nullam disciplinam esse studiosam : aut in particularibus syllogismis omnem disciplinam esse studiosam, et in alia propositione aliquam disciplinam esse non studiosam : quod non solet latere aliquem, quia oppositiones illæ non latent cum maxime opponantur : non enim semper per eumdem syllogismum sumitur oppositum, sed etiam per alias interrogations erit sumere oppositum, quæ sunt præternecessariae propositiones, quemadmodum in *Topicis* dictum est.

Ad multiplicationem autem syllogismo-

rum ex oppositis notandum est, quoniam cum sint tres affirmationum sive affirmativarum propositionum oppositiones negativæ sive modi oppositionum : quia ad omni opponitur nulli contrarie, et ad omni opponitur non omni, et ad alicui opponitur nulli contradictorie, sexies sive sex modis accidit sumere opposita : quia tribus modis affirmatio erit major et negatio minor, et tribus modis erit e converso, scilicet aut omni et nulli, aut omni et non omni, aut alicui et nulli : et contingit hoc converti in terminis in minorem et majorem, ut a inest omni b affirmativa posita in majori, et nulli c negativa posita in minori : aut e converso a nulli c negativa in minori, aut huic quidem omni in una propositione, illi vero non omni in altera propositione : et rursus hoc convertitur secundum transpositionem propositionum et terminorum. Similiter fit in tertia figura sicut in secunda : propter quod ex dictis jam manifestum est quoties sive quot modis, et in quibus figuris fit syllogismus sive contingit fieri syllogismum per oppositas propositiones.

**Objectio.** Posset tamen aliquis dubitare de hoc quod dictum est, quod sex sunt combinationes sive conjugationes in secunda, et sex in tertia : quia hoc videtur falsum : quia non fit syllogismus in secunda figura majori existente particulari, nec in tertia fit syllogismus minori existente negativa. Ad quod quidem dicendum quod sex sunt conjugationes syllogismi ex oppositis, sicut dictum est : sed quædam earum sunt inutilles, et quædam utiles sunt.

**Dubitatio.** Si autem quæritur de numero conjugationum inutilium in secunda figura et tertia, Dicendum quod omni inesse et nulli inesse faciunt duas conjugationes. Aut enim major est negativa, et minor affirmativa, et est primus modus secundæ : aut e converso, et est modus secundus secundæ figuræ. Iterum cum omni inesse et non omni inesse faciunt duas. Aut enim major est universalis et minor particularis, et tunc est quartus secundæ :

aut e converso, et est inutilis conjugatio in secunda figura. Adhuc nulli inesse et alicui inesse faciunt duas, quarum una facit tertium secundæ quæ habet maiorem universalem negativam et minorem particularem affirmativam. Illa autem quæ est e converso, inutilis est. Et sic in secunda figura sunt quatuor syllogismi ex oppositis. In tertia autem etiam sunt sex conjugationes, sed tantum tres utiles, scilicet quæ habent minorem affirmativam. Et hoc modo in universo sunt nisi septem syllogismi ex oppositis.

Differt autem syllogismus ex oppositis ab illo qui est ex falsis : quia in syllogismo qui est ex falsis, contingit verum syllogizare, quemadmodum in ante habitis dictum est prius. In syllogismo autem ex oppositis nunquam contingit verum syllogizare, sed semper falsum : semper enim fit syllogismus in conclusione contrarius rei, hoc est, contrarius illi modo secundum quem se habet res : ut si est bonum secundum rem, per syllogismum ostenditur esse non bonum : aut si est animal, ostenditur esse non animal : eo quod ex oppositis contradictorie est syllogismus, quæ vera simul esse non possunt : et in syllogismo ex oppositis termini subjecti sive positi pro extremitatibus : aut idem sunt, aut unus se habet ad alium ut totum, et aliis ad istum ut pars : quæ secundum rem a se invicem removeri non possunt : et ideo falsum est quod concluditur, quod unus ab alio removeatur. Convenientiam autem inter hos syllogismos, ex falsis scilicet et ex oppositis, assignare non operet : quia multum convenienter, et convenientia eorum est manifesta.

Palam etiam est ex omnibus quæ dicta sunt, quoniam in talibus paralogismis (qui sunt syllogismi ex oppositis) nihil prohibet fieri hypothesim contradictionis : quia nihil prohibet, quod respondens concedendo opposita implice vel explicite ducatur ad majus inconveniens, scilicet quod idem de seipso negetur, quod maximum est inconveniens : et per

Removet  
dubium.

hoc dicatur ad hypothesis quam primo concessit, quando concessit opposita contradictione: quia ex hoc convincitur quod hypothesis est falsa quam concessit. Et hoc est sicut si ducatur ad hoc quod numerus impar non est impar: quia ex oppositis propositionibus quas concessit respondens, fuit syllogismus ex hypothesi primæ contrarius, in hoc quod ad majus deduxit et evidentius inconveniens. Si ergo respondens sumpserit et concesserit hujusmodi opposita simul impli-  
cite vel explicite, erit, sicut dictum est, per majus inconveniens hypothesis contradic.  
tio.

Oportet autem considerare adhuc, quoniam sic quæ simul sint contraria, non est syllogizare ex syllogismo uno, ut scilicet sit conclusio unius et ejusdem syllogismi concludens, quod idem est bonum et non bonum, vel e converso, aut aliud quid tale, in quo idem a se removeatur, nisi statim hujusmodi in majori propositione sumatur, in qua ad majorem extremitatem opposita copulentur, sic, omne animal est album et non album: homo est animal: ergo homo est album et non album. Alter autem duos syllogismos oportet esse, quorum unus concludit unum oppositorum, et alius concludit reliquum: sicut si sumatur et ponatur, quod omnis disciplina est opinio et non opinio: deinde assumere in majori, quod medicina est quædam disciplina: et fiat syllogismus in secundo tertiae, sic, nulla medicina est opinio: omnis medicina disciplina: ergo aliqua disciplina non est opinio. Quemadmodum fiant redargutio-  
nes ex duobus syllogismis: primo syllogizante unum quod concedit respondens, et secundo syllogizante oppositum quod est redargutio prius concessi. Hi autem syllogismi paralogismi dicuntur: quia

concludunt ex falsis, sicut aliquando fit in sophisticis: et præcipue quia tali syllogismo demonstratur contra cavillantem principia: et quia ex propriis procedit, ex falsis falsa concludens, cum ex primis et veris concludere deberet, dicitur et est paralogismus disciplinæ.

Patet etiam ex predictis, quod esse contrarias sive oppositas propositiones ad syllogismum ex oppositis pertinentes, alio modo quam hoc modo qui dictus est et quemadmodum diximus, non est pos-  
sibile. Hoc autem dictum est prius. At-  
tendendum autem quod accipiendo syllo-  
gismum ex falsis communiter prout syl-  
logismus ex falsis potest concludere ve-  
rum vel falsum, sive conclusionem ve-  
ram vel falsam, sic sub syllogismo ex  
falsis continetur syllogismus ex oppositis.  
Sic autem syllogismus ex falsis non est  
superius determinatus. Accipiendo autem  
syllogismum ex falsis prout concludit ve-  
rum tantum ex falsis (sicut in præhabitibus  
determinatum est de ipso) sic non conti-  
net sub se syllogismum ex oppositis.

Quomodo  
syllogismum  
ex oppositis  
continetur  
sub syllogis-  
mo ex fa-  
sis, et quo  
modo non

Objectio

Adhuc autem notandum circa hoc quod dictum est, quod syllogizantur aliquando opposita per syllogismum unum, scilicet quando opposita impli-  
cantur circa unam extremitatem: hoc enim videtur esse falsum: quia talis pro-  
positio plura habet prædicata ex quibus non fit unum, et ideo est plures, et ex talibus propositionibus non fit syllogismus:  
ergo nec syllogismus unus. Ad hoc au-  
tem dicendum, quod ex propositione in  
qua implicantur plura circa unum (cum simpliciter habeat plura prædicata) potest fieri syllogismus unus hoc modo unitatis  
quo propositio est una: et sicut propositio  
resolubilis est in duas, ita et talis syllo-  
gismus in duos resolubilis est syllogis-  
mos.

Solutio.

**T R A C T A T U S   V I**

**DE PECCATO CONTRA SYLLOGISMUM CIRCULAREM, QUOD EST  
PRINCIPII PETITIO.**

**CAPUT I.**

*Quid sit diffinitive petitio ejus quod est  
in principio, et quot modis fiat.*

Determinatis autem jam potestatibus syllogismi et modis syllogismorum ex hypothesi, jam tractandum de peccatis quæ fiunt circa dictos modos syllogismorum qui induci sunt. Inter peccata autem ista, primum est peccatum quod est *petitio principii*, quod accidit circa syllogismum circularem : et de hoc primum est determinandum. Determinemus ergo primum quid sit, et quot modis fiat. Investigando autem quid sit accipiamus primo genus ipsius dicentes, quod id quod est in principio petere et accipere, ut in genere sit sumere est (in eo quod est) per id quod sumitur non demonstrare propositum : unde in genere petere quod est in principio est aliquid tale ad probandum accipere, per quod proposita conclusio non nata est demonstrari syllogistice vel ostendi.

Hoc autem quod est sic petere id quod est in principio, accidit multipliciter. Primo quidem modo, si tale aliquid accipitur per quod omnino propositum non syllogizatur : quia penitus idem est ei quod syllogizari debet, et non habet rationem inferendi et probandi propositum ut si dicam, homo est animal, per hoc quod homo est animal, et hoc est quod idem est cum proposito et nomine et re et ratione. Secundus modus est, si pro-

positum syllogizatur per ignotiora, ita quod conclusio conclusa magis nata sit esse principium ad concludendam præmissam, quam præmissa sit ad concludendam conclusionem : ut si syllogizetur, quod stellæ meridianæ (per hoc quod sunt velocioris motus stellis aquilonaribus) sunt minores secundum quantitatem circuli super horizontem : hoc enim est ignotius, quam quod stellæ meridianæ sunt velocioris motus per hoc quod sunt majoris circuli, et in eodem tempore transeunt spatium majus, in quo aquilonares transeunt spatium minus. Ad idem redit si aliquid demonstratur per similiter sive æqualiter ignota, ut quando aliquid ostenditur per hoc quod est idem ipsi, et si non nomine et ratione, tamen convertibilitate est idem ipsi : ut si homo risibilis esse monstretur per hoc quod est aptus natus ridere, et non per hoc quod est animal admirativum. Tertio autem modo fit hoc, si per posteriora sua aliquid demonstretur : sicut si contingat, quod parallelas non concurrere monstretur per hoc quod ubique in tota positione æqualiter distant, bene demonstratur : si autem e converso fiat, quod scilicet ubique æqualiter in tota positione distant per hoc quod est non concurrere, ignotum per ignotius demonstratur. Demonstratio enim est ex notioribus et prioribus : vel simpliciter, et hæc est vera demonstratio : vel quoad nos, et hæc est demonstratio quædam.

Horum autem trium simpliciter acceptum nihil est petere ea quæ ex principio

simpliciter, quamvis petatur principium forte quoad aliquid, hoc est, quamvis petatur id quod ex tali principio (quale ad demonstrandum assumitur) probari secundum naturam non potest. Aliam igitur divisionem faciendo dicamus, quod quia quædam sunt nata per seipsa cognosci, alia vero per alia et non per seipsa: nam principia nata sunt cognosci per seipsa, hoc est, sua propria luce consensum audientis in sui inclinant consensum. Dignitas enim est, ut dicit Boetius, quam quisque probat auditam. Alia autem sunt nata cognosci per alia, et illa sunt quæ sunt sub principiis, non sicut genus sub specie, sed sicut principiatum et causatum sub principio et causa, quod non nisi luce principiorum cognoscitur et non luce propria.

Unde prima conditio petitionis principii est, quando id quod non per se natum est cognosci, conatur ostendere sicut sit natum cognosci per seipsum, et ad sui ostensionem non assumit aliud quo probetur, sed sine probatione per alterum petit illud concedi a respondente sicut si sit principium: tunc petit quod est in principio. Hoc autem dupliger fit. Uno quidem modo in quo maxime est petitio principii, sic ut statim proponat idem nomine et re et ratione ad sui ipsius probationem: quod tamen natum est non per se, sed per aliud cognosci, et per illud probet vel dicat se probare quod positum est sive propositum. Secundus autem modus est, quo contingit petere principium transgredientes ad alia quæ sunt antecedentia vel consequentia propositum, et quando sumuntur talia in illis quæ nata sunt per illud quod propositum est, ostendi potius quam propositum ostendatur per ipsa, et si conetur propositum ostendere per illa quæ ostenduntur per propositum. Cujus exemplum est sicut si **a** ostendatur per **b**, et **b** per **c**, **c** autem natum sit ostendi per **a** quod fuit principium, hoc est, a principio propositum: tunc enim accedit sive sequitur idem per se ostendi in tali probatione: quia si **a** os-

tenditur per **c**, **c** prius est **a**, et si ostenditur **c** per **a**, **a** prius est **c**, et sic est prius et posterius seipso. Adhuc si **a** per **b** ostenditur, et per **c** ostenditur **b**, virtus probandi (qua **b** probat **a**) est ex **c**, et si **c** ostenditur per **a**, virtus (qua **b** et **a** ostenditur per **c**) est ex **a**, et sic virtus probandi **a** est ex seipsa, ita quod **a** probatur per **a**.

Quod faciunt illi in geometricis qui parallelas arbitrantur scribere et ex distantia descripta probare, quod non concurrunt: parallelæ enim ex hoc quod aequidistantes et directe in continuum protrahuntur, non concurrunt: unde si quis e converso dicat parallelas ex hoc esse parrallelas, quia non concurrunt, effectum inducit ad causæ probationem, qui effectus notus est probari per causam. Idem enim quod nunc dictum est, latet eos ipsos qui talia sumunt quæ per principium nata sunt ostendi, quæ non valent demonstrare propositum: eo quod posteriora sunt proposito, et potius probantur per propositum, quam e converso propositum per ipsa: quia non valent demonstrare, quod non concurrunt si primo non ponantur esse parallelæ. Propter quod sic priora ex posterioribus syllogizantibus accedit per rationem argumentationis singulum dicere sic vel sic esse propter hoc quod est singulum: et si est, est: et si non, non est: et ita sunt singula probata ex seipsis. Et ex hoc sequitur quod omnia sint per se nota, quod est impossibile, quia sic omnia essent principia et nihil esset principiatum. His ergo duobus modis petitur id quod est in principio: et ideo petere id quod est in principio, est idem ad probationem sui ipsius assumere statim nomine idem et ratione, vel ad aliud transgrediendo quod non probat nisi principii virtute, sicut dictum est.

Hoc autem qualiter fiat in prima figura, primo declaremus: in prima enim figura medium est in toto primo et postremum est in toto medio. Ostendamus autem qualiter in prima figura petitur prin-

cipium in majori propositione dicentes, quod si aliquis dubitet de hac con-  
clusione, quoniam A inest C, sive quod C est  
A, et sit sic syllogizata, omne B est A,  
omne C est B, ergo omne C est A. Dubi-  
tet autem similiter de majori, hac scilicet  
quoniam A inest B, sive quod omne  
B est A, et petit sine probatione A inesse  
B, sive quod omne B est A: ex tali proces-  
su non est manifestum si petit id quod  
est in principio. Sed manifestum est,  
quod in tali processu nihil demonstravit:  
non enim potest esse principium demon-  
strationis positum in ipsa demonstratione  
pro majori quod similiter sive æqualiter  
est incertum conclusioni: quia non de-  
monstratur minus notum nisi per magis  
notum. Si autem in tali syllogismo qui  
est primus primæ figuræ, B medium ad C  
minorem extremitatem sic se habet, ut B  
idem sit cum C substantia et diffinitione,  
aut palam sit, quoniam convertuntur B et C,  
sicut homo et risibile, aut quod inest  
unum alteri sicut sunt idem quæ acciden-  
te convertibili sunt eadem: tunc procul  
dubio petet quod est in principio: quia  
tunc sicut per B probatur A de C, ita per  
C probatur A de B, quæ est major probata  
per conclusionem et conversionem minoris,  
sicut conclusio probatur per majorem,  
sic, omne C A, omne B C, ergo omne B A.  
Monstrabit ergo per illa (hoc est, conclu-  
sionem et minorem) quoniam A inest B  
quæ fuit major, si B et C convertantur:  
nunc autem si non convertantur, hoc pro-  
hibet principii petitionem: sed non pro-  
hibet petitionem principii modus talis  
terminos sumendi. Si autem hoc faciant  
aliqui, quod termini medium et minor  
extremitas convertantur: tunc fiet quod  
dictum est, petitio scilicet principii, et  
convertent syllogismum in probationem  
majoris per eosdem tres terminos ex con-  
versa minoris cum conclusione sumpta  
syllogizando majorem: quia sic major  
probabit conclusionem, et conclusio ma-  
jorem: et sic sequitur in secundo modo  
petitionis principii, quod major probatur  
per majorem.

Similiter fit petitio principii in prima  
figura in minori propositione. Similiter  
enim est (petitio principii scilicet) si ad  
probationem ejusdem conclusionis qua  
probatur A de C per B, sumpserit minor  
æque dubiam conclusioni, scilicet  
quod sumat B inesse C, hæc enim fuit mi-  
nor: et si similiter vel æqualiter incer-  
tum B inesse C sicut A inesse C, non qui-  
dem ex hoc dicetur petere id quod est in  
principio: sed certum est quod non de-  
monstratur propter causam quæ ante di-  
cta est. Si autem idem sit A minor extre-  
mitas, et B medium, aut sint se habentia  
in eo quod convertuntur ad invicem, aut  
in eo quod accidente aliquo sequitur ge-  
neraliter A ad B, et e converso: tunc pro-  
pter eamdem causam (quæ dicta est) pe-  
tet id quod est in principio: quia scilicet  
sicut per minorem probavit conclusionem,  
ita ex conclusione et conversa majoris  
concludet minorem: et sic idem probatur  
per seipsum. Dictum est enim a nobis jam  
in ante habitis quid valet in secundo mo-  
do id quod est petere id quod est in prin-  
cipio: dictum est enim quod quando per  
seipsum monstrat aliquid quod non est  
per se monstrandum nec per se manife-  
stum, est id quod est in principio petere.  
Si ergo petitus est id quod est in principio,  
est per seipsum monstrare quod non per  
se manifestum. Hoc autem est sive con-  
tingit non ostendere quando similiter du-  
bia sunt principia syllogismi, sicut con-  
clusio quæ monstratur: et id per quod  
monstratur, est idem in eo quod ipsa sunt  
eadem eidem, quia convertuntur: vel  
eadem medium et extrema quæ de se in-  
vicem concluduntur per medium: vel in  
eo sunt idem, quod idem accidens est  
ejusdem et eisdem inesse sumitur: tunc  
fiet petitio ejus quod est in principio. Si  
autem in principio petere, est per seip-  
sum monstrare quod non per se mon-  
strandum est, sed per aliud: quia non est  
per se manifestum. Hoc autem quod di-  
ctum est, non ostendere contingit quando  
similiter vel æqualiter dubia sunt quod  
ostenditur sive monstratur ut conclusio,

et per quod monstratur sicut altera præmissarum vel ambæ. Contingit autem duplice, scilicet vel in eo quod eadem eidem convertuntur in altera propositione, vel in hoc quod idem eisdem inesse sumitur, sicut in prima figura, in qua tam major extremitas quam medium inesse ponuntur minori extremitati: et hæc si fuerint eadem, oportet quod termini majoris convertantur cum minori: in prima enim figura sumitur major extremitas inesse tam medio quam postremo: quæ si sint eadem, oportet quod termini minoris convertantur: sic enim fit minor propositio ex medio et postremo.

Et quod nunc dictum est de prima figura, commune est ad secundam et tertiam, si inesse sumatur communiter ad hæc duo, scilicet ad modum quo prædicatum inest subjecto, et ad modum quo e converso subjectum inest prædicato. Et sic per hoc quod dictum est (in hoc quod eadem eidem, et in hoc quod idem eisdem inest) intelligitur convertibilitas terminorum, in hoc scilicet quod termini majoris propositionis convertuntur vel minoris. Sic ergo, sicut dictum est, fit petitio principii. In media autem figura et in tertia utrinque sive utroque modo contingit terminorum convertibilitas, tam in majori, quam in minori: et sequitur quod contingit id quod est in principio petere tam in media, quam in tertia figura. Sed in hoc est differentio, quod in prædicativo syllogismo propter dictam convertibilitatem contingit in prima figura et tertia, sed in negativo contingit in secunda figura. Quando autem negativæ sunt propositiones et negativi syllogismi, tunc petitur quod est in principio quando eadem removentur ab eodem, hoc est, quando idem removetur ab eisdem. In negativo enim syllogismo fit petitio principii petendo negativam, quando alterius propositionis quæ est affirmativa termini convertuntur: quando enim eadem removentur ab eodem, fit petitio principii in modo negativo in quo major est affirmativa, et termini ejus sunt con-

vertibiles, sicut in secundo et quarto secundæ figuræ. Per hoc autem cointelligitur, quod etiam fit petitio principii, quando ponitur idem removeri ab eisdem sicut in modo negativo in quo minor est affirmativa, et termini ejus convertibles, sicut in secundo primæ, et in primo secundæ: quia eadem removeri ab eodem contingit in secunda figura, ubi major est affirmativa, si termini majoris convertantur: ibi enim removetur tam medium quam major extremitas a minori extremitate: et ideo si convertuntur termini majoris, oportet quod idem removeatur ab eisdem. Idem autem removeri ab eisdem contingit ubi major est negativa, si termini minoris (quæ affirmativa est) convertuntur: ibi enim removetur primum tam a medio quam a minori extremitate, quæ convertuntur si termini minoris convertantur. Patet ergo, quod non similiter petuntur utræque propositiones in negativo syllogismo: propositio enim negativæ potest peti quando termini affirmativæ propositionis convertuntur, et est evidens principii petilio: sed non similiter est evidens petitio principii, quando petitur affirmativa: quia termini negativæ non convertuntur sicut termini affirmativæ, eo quod termini negativæ propositionis habent quamdam inter se oppositionem. Sic igitur fit petitio principii in prima et tertia figura.

Similiter autem fit petitio principii etiam in media figura in modo negativo, sicut in aliis figuris: eo quod non convertuntur termini secundum negativos syllogismos, in hoc quod non convertuntur sicut in affirmativis propositionibus: quia, sicut diximus, non similiter fit petitio principii secundum utrasque propositiones. Sic ergo fit petitio principii in omnibus figuris.

Petitio tamen principii (sicut nunc determinatum est de ipsa) in demonstratis est secundum veritatem: quia ibi et re et ratione idem petitur: quia sic habent esse demonstrativa. In dialecticis autem fit petitio principii secundum opi-

nionem: quia ibi sufficit idem esse secundum opinionem. Sic ergo fit petitio <sup>i petitione principii</sup> principii. Ex hoc autem patet quod de <sup>aliter</sup> petitione principii aliter determinandum <sup>me deter-</sup> minatur in est in *Elenchis*, et aliter in *Topicis*, et <sup>versis loca parti-</sup> aliter hic in *Prioribus Analyticis*. In sophisticis enim determinatur ut pars principalis sophisticorum locorum: quia est unum de principiis illius scientiae. In *Topicis* autem et hic non tanquam intentum principaliter, sed tanquam vitium quod cavendum est.

<sup>Quomodo fierunt per-</sup> Si autem quæritur quæ sit differentia <sup>no principii</sup> inter petitionem principii secundum veritatem et secundum opinionem. Dicendum quod petitio principii secundum veritatem est, quando non per se notum secundum rem et veritatem ut per se notum sumitur. Secundum opinionem autem est, quando non per se notum secundum opinionem respondentis ut per se notum sumitur: et quia cadit in syllogismo circulari, qui modus ratiocinandi hic determinatur, ideo hic habet determinari, quamvis demonstratori ut instrumentum præparetur: quia a principio dictum est, quod intentio finalis est circa disciplinam demonstrativam.

## CAPUT II.

### *De exclusione duorum quæ sunt circa petitionem principii.*

Circa ea autem quæ dicta sunt, primo quidem notandum est, quod cum dicitur, quod in petitione principii non ostenditur propositum (cum tamen in petitione principii ex necessitate concludatur sicut in *alio syllogismo*)<sup>1</sup> intelligendum est hoc, quod ad hoc quod ostendatur propositum, oportet quod præmissæ natæ sint ostendere, et notam facere propositam conclusionem cum hoc quod

concludunt de necessitate modi et figuræ: et hoc deficit in petitione principii. Adhuc autem cum dicitur non demonstrari propositum quando id quod prius est per posteriora ostenditur, quod tamen semper contingit quando causa per effectum ostenditur, intelligitur quod non ostenditur sic propositum simpliciter, sed cui vel alicui (sive quoad nos) hoc modo propositum potest ostendi. Similiter cum dicitur quod non fit petitio principii, quando ignotum per æque ignotum ostenditur, intelligitur quod non ex hoc fit petitio principii, sed potius ex hoc quod idem non notum per se ut notum per se sumitur, cui accedit æque ignotum esse.

Adhuc autem notandum quod quamvis principia cognoscamus in quantum terminos scimus: quia tamen termini sunt substantialis causa materialis principiorum, sciendo ea per terminos, scimus ea per se ipsa: et si etiam inductione probentur, non probantur per alia quam quæ in ipsis sunt. Boetius tamen dicit, quod de se nota sunt et approbantur ab omni bene dispositum habente intellectum, quamvis forte alicui indisposito per inductionem quoad sensum ostendantur: nec est inconveniens idem esse notius et ignotius seipso secundum rationes diversas: et hoc modo nihil prohibet principia in suis partibus materialibus considerata notiora esse seipsis consideratis in esse totius complexi secundum compositionem alicujus de aliquo. Attendum etiam quod petitio principii fit, ut diximus, quando non per se notum ostendi ut per se notum accipitur: quia aliter in principiis quæ seipsa ostendunt et sunt nata per se ipsa cognosci, fieret petitio principii. Quamvis etiam effectus demonstretur per causam, et eadem causa per eumdem effectum sit nata demonstrari: tamen non fit petitio principii, quia causa non est nata demonstrari per

<sup>1</sup> In petitione principii est necessitas illationis sicut in aliis syllogismis. Ex quo sequitur quod non peccat contra syllogismum simplici-

ter, sed contra syllogismum probativum, de quo tamen est considerandum. P. J.

effectum secundum eamdem speciem demonstrationis.

**Objectio.** Si autem aliquis objiciat dicens, quod in circulari syllogismo videtur fieri petitio principii. In syllogismo enim circulari sic se habent termini et propositiones, quod una est æque dubia conclusioni, et termini alterius convertuntur. Sed dicendum ad hoc, quod si in syllogismo circulari supponatur propositio æque dubia conclusioni quæ non est nata nosci per se, procul dubio fit petitio principii.

Si autem sumatur propositio immediata, et per se nota ad ostendendum effectum, et convertatur et fiat circularis ostensio, non fit petitio principii: quia non accipitur propositio æque dubia conclusioni secundum veritatem: et etiam ideo quia idem ostendit se, quod natum est ostendere seipsum.

**Petitio principii in syllogismis fit quandoque evidenter et quandoque non evidenter.** Sciendo etiam quod in omni figura et in omni modo in quo fit syllogismus circularis (sive universalis sive particularis, sive affirmativus sive negativus) potest incidere petitio principii, si sumatur aliquid quod non est per se notum ut per se notum, sed aliquando hoc fit evidenter, et aliquando minus evidenter. *Evidenter* quidem, quando ex conversa conclusionis et altera præmissarum absque aliquo alio syllogizatur conversa reliqua. *Non tam evidenter* autem fit, quando ad hoc indiget aliquo alio, sicut transpositione negativæ in affirmativam. Et quando superius dictum est secundum Aristotelem quod non similiter in negativo syllogismo petitur utraque propositio, sic intelligitur quod negativa petitur evidenter si termini affirmativæ convertantur, sed affirmativa minus evidenter petitur, eo quod ad conversive syllogizandum oportet negativam transponi in affirmativam.

**Dubitatio.** Si autem queritur quot modis petitur principium in qualibet figura? Dicendum quot in prima figura in modo primo duplificiter petitur: et hoc evidenter: petitur enim major et petitur minor. In secundo autem modo similiter bis petitur, sed

major petitur evidenter, minor autem latenter. In tertio autem modo semel petitur tantum, scilicet minor si termini majoris convertuntur. Similiter in quarto modo semel petitur: non tamen evidenter: petitur enim in minori propositione. Sic igitur in prima figura sexies fit petitio principii, sed quatuor modis evidenter, duobus autem inevidenter, sicut ibidem fit circularis ostensio. In secunda autem figura tripliciter fit petitio principii sicut et circulatio, sed in secundo et quarto evidenter, in primo autem non evidenter. In tertia autem figura in quatuor, scilicet in tertio et quinto evidenter, in quarto autem et sexto non evidenter: et hoc fit semper petendo particularem propositionem.

Patet igitur quod tot modis principium petitur, quot modis circulariter ostenditur. Patet etiam quod in modis universalibus negativis fit principii petitio in utraque propositione, sicut et in modis universalibus affirmativis. Patet etiam quod in modis particularibus nunquam fit petitio principii petendo propositionem universalem, sed petendo particularem: cuius causa est, quod universalis non syllogizatur ex particularibus. In modis autem universalibus tertiae figuræ omnino non petitur quod est in principio sicut nec circulariter syllogizatur in eisdem.

### CAPUT III.

*De modis ejus quod est non propter hoc accidere falsum.*

Vitium autem secundum quod est *non propter hoc accidere falsum* (quod dicitur accidere sive sequi) et quod sæpe in disputationibus respondentibus opponentibus solemus dicere, primum et principaliter est in syllogismis qui fiunt ad impossibile, in quibus primum supponitur falsum, ex quo dicitur sequi aliud falsum quod est majus inconveniens quam primum: quando quidem falsum (quod secundo concluditur ex falso dato) est ad

Quot modi  
in secunda  
figura et  
quot in ter-  
tia.

contradictionem ejus falsi quod demonstratum est in syllogismo qui primo fuit ad impossibile. Secundum enim falsum (per hoc quod est majus quam primum) contradicit primo : quia ostendit ipsum esse falsum et non esse concedendum. Hoc autem ex hoc patet : quia ille qui non contradicit (hoc est, qui non contradicere intendit ad hypothesis primo positam) nunquam disputando dicit quod falsum sive falsa conclusio non sequitur propter hoc quod positum est : quia ille non disputat ad aliquam hypothesis : sed si sequitur falsum, dicit indeterminate quod falsum aliquod positum est in præmissis, et non dicit non accidere falsum vel accidere propter hypothesis determinatam : et ideo non dicitur hoc in ea demonstratione quæ ostendit sive in ostensiva : ostensiva enim non ponit primo hypothesis cui contradixit ille qui syllogizat ad impossibile.

Amplius autem ad idem est alia ratio : quia quando aliquid interimitur ostensiva demonstratione, secundum rem syllogizatur per tres terminos, sicut si syllogizatur per A B C, et syllogizatur aliquid falsum esse secundum rem : et tunc non est vel contingit dicere, quod conclusio non sit syllogizata, non propter hoc quod determinate positum est in hypothesis, quia nulla hypothesis est ante posita : et ideo non dicitur tunc a respondente, quod non est factus syllogismus impossibilis secundum conclusionem : quia nos dicimus tunc fieri non propter hoc quod positum est conclusionem quæ concluditur, quando interempto hoc determinate quod prius positum est in hypothesis, nihilominus concluditur syllogismus ejusdem inconvenientis : quia non potest esse causa qua ablata adhuc remanet idem effectus : et talis modus non est in ostensivis syllogismis. Interempta propositione quam ponit hypothesis et ablata non potest fieri ille syllogismus qui est ad hanc eamdem interimendam.

Manifestum est igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam non propter hoc accidere

falsum in his syllogismis est, qui sunt ad impossibile : et ex hoc concludi potest definitio ejus quod est non propter hoc accidere. Est enim non propter hoc accidere falsum, quando sic se habet conclusio secundi syllogismi (quæ est impossibilis) ad eam hypothesis contra cujus positionem procedit syllogismus, et e converso hypothesis ad impossibile conclusum, ut et cum sit et cum non sit hæc eadem hypothesis : nihilominus accidit vel sequitur impossibile conclusum. Hujus autem peccati tres sunt modi.

Manifestissimus autem et primus et potissimus est, quod scilicet non secundum positionem impossibile conclusum accidat, quando hypothesis inconjuncta est a terminis per quos medios concluditur impossibile : et hoc est quando in nullo termino communicat cum syllogismo qui contra hypothesis inducitur : et hoc quidem dici habet in *Topicis* sophisticis qui *Elenchi* dicuntur : hoc enim non est causam ut causam ponere. Hujus autem exemplum est, ut si aliquis volens ostendere hanc conclusionem, quod diameter quadrati est asimeter costæ sive lateri, sumat ad hoc ostendendum vel conetur sumere rationem Zenonis, qui probat quod nihil contingit moveri, eo quod in spatio non contingit pertransire infinita : et ad hoc inducat concludendo hoc impossibile, quod diameter est simeter sic, non contingit pertransire infinita : ergo diameter non est simeter : nullo enim modo falsum (quod concludit) est continuum sive conjunctum per aliquam præmissarum vel terminorum locutioni sive propositioni præmissæ quæ sumitur ex principio ad probandum, quod diameter est simeter : quia in syllogismo communicant falsum conclusum, et propositione quæ ad hoc concludendum præmittitur.

Alius autem modus secundus (minus vero manifestus quam ille qui dictus est) fit, si dicatur continuatum sive conjunctum impossibile cum hypothesis in altero termino, sive ille sit subjectum hypothese-

sis sive prædicatum : tamen falsum quod concluditur, dicatur non accidere propter hypothesis : hoc enim est possibile, scilicet quod et conjunctum sit cum hypothesis falsum, et tamen falsum non accidat propter hypothesis. Fit autem dupliciter, scilicet et in hoc quod est superius supra prædicatum hypothesis, et in hoc quod est inferius sub subjecto hypothesis. Inferius quidem sub subjecto sumendo ut si sit hypothesis hæc A inesse B, ita quod supponitur omne B esse A ; hoc autem sumatur sub subjecto quod est B, et sumptum sub B sit C, et sub C sumatur D, et arguatur sic, omne C B, omne D C, ergo omne D B. Et sit hoc impossibile : sed hoc non accidit propter hypothesis primam : quia ipsa posita et ipsa remota nihilominus accidit idem ex aliis positis, quia si ablato eo quod dictum est A esse B, nihilominus B insit C et D, tunc patet quod falsum (quod conclusum est) non accidit propter eam hypothesis quæ est ex principio sumpta.

Aut rursum tertius modus si in superiori supra prædicatum hypothesis sumatur id quod continuat sive conjungit ad hypothesis, ut si dicamus eadem quamdam esse hypothesis quæ est (B est A), et accipiamus E super A dicendo, omne A est E, et accipiamus superius ad E dicendo, omne E est F, et syllogizemus sic, omne E est F, omne A est E, ergo omne A est F. Et sit hoc impossibile : sed hoc non accidit propter hypothesis positionem primam : quia sic nihilominus sequitur, vel erit idem impossibile interempta sive remota prima positione : quia in talibus oportet aliquem syllogizare recte volentem ex hypothesis aliqua (impossibile quod sequitur) copulare per terminos propositionum usque ad hypothesis, ita quod ipsa hypothesis posita sequatur, et ipsa remota non sequatur : quia aliter erit petitio principii, et falsum non sequitur propter hypothesis : sed si continuatur usque ad terminos hypothesis, tunc falsum sequitur propter hypothesis, sicut patet si ad inferius (sub subjecto

hypothesis sumendo) fiat continuatio : sumatur enim sub B subjecto C, et sub C sumatur D, sicut prius, et concludatur hoc impossibile, omne D est A, sic, omne C B, omne D C, ergo omne D est B. Et fiat continuatio ad hypothesis, sic omne D est B, omne B est A, ergo D est A. Et hoc falsum. Sed hoc accidit propter hypothesis : quia si destrueretur hypothesis, non accideret impossibile : sic enim erit sequens propter hypothesis falsum in affirmativis syllogismis, si fit copulatio usque ad prædicativum terminum hypothesis primæ. Nam si impossibile est A inesse D (quod pro impossibili conclusum est) interempto A (quod primum fuit prædicatum hypothesis), jam amplius non erit sive sequitur falsum illo interempto.

In superiori autem fit copulatio si accipiatur id quod supra prædicatum de quo exit prædicatio : quia hoc prædicabitur de prædicato hypothesis sic : accipiatur enim E supra A, et supra E sumatur F, et concluditur quod omne B est F, sic, omne E est F, omne A E, ergo omne A F. Sed si hoc detur, et omne B est A, ergo omne B est F, quod est impossibile : quod sequitur ex hypothesis copulatum usque ad hypothesis ipsam : nam F non est possibile inesse B, et interempto B in prima positione non erit sive sequetur amplius impossibile. Hoc autem quod diximus in affirmativis syllogismis, per omnem eundem modum similiter fit in syllogismis in quibus sunt termini privativi sive negativi. Manifestum igitur ex his quæ dicta sunt, quoniam cum impossibile quod concluditur non est copulatum ad eos terminos qui sunt ex principio, hoc est primæ hypothesis subjectum et prædicatum : tunc enim non accidit falsum quod concluditur propter positionem, hoc est, primam hypothesis, et est hypothesis non causa.

Est tamen differentia inter non causam ut causam, et in terfalsum non propter hoc accidere, et habent se sicut inferius et superius : quia ubique et semper ubi est falsum non propter hoc accidere, est hy-

Differ  
inter  
causa  
causa  
non pr  
hoc ac  
re fals

pothesis non causa : sed non oportet quod sit non causa, ut causa, quia omne quod est non causa ut causa, est non causa, sed non convertitur : et sic omnis non causa ut causa est non propter hoc accidere : sed non convertitur quod omne quod est non propter hoc accidere, sit non causa ut causa.

Attendendum autem quod falsum non propter hypothesis accidere (quod fit proprie in syllogismo ad impossibile) jam probatum est fieri in syllogismo ostensivo : quia etiam diffinitione ejus quod est id quod in principio est petere, sicut ex diffinitione sua patet in ostensivo syllogismo : est enim petitio principii, quando non per se notum ut per se notum ostenditur vel sumitur ad ostendendum.

*Non causa ut causa dupliceiter dicitur.* Sciendum etiam quod hoc modo dicta non causa quo dictum est non propter hoc accidere falsum, cadit proprie circa syllogismum ad impossibile. Dupliciter enim dicitur non causa. Uno quidem modo quando propositiones de necessitate consequentiae non inferunt conclusionem : et hoc modo non causa est in omni syllogismo apparente et non existente : et hoc etiam frequenter juxta syllogismum ostensivum. Hoc autem modo non dicitur hic non causa id quod est non propter hoc accidere. Alio autem modo dicitur non causa propositio, qua dempta et ablata non minus sequitur impossibile : et hoc modo dicitur non causa esse non propter hoc accidere falsum : et hoc modo hic dicitur non causa, et accidit circa syllogismum ad impossibile. Modos autem ejus quod est non propter hoc accidere non oportet per syllogismos et figuras variare : quia aliæ figuræ descendunt a prima, et primæ figuræ particulares ab universalibus : ideo sufficit in primo primæ ostendisse, et dicere quod similiter in negativo.

*Removet dubium.* Quot modis dicatur non causa. Adhuc autem notandum quod licet quatuor modis dicatur causa, et totidem modis in communi dicatur non causa, tamen non causa (quæ est non propter hoc accidere falsum) non dicitur nisi

duobus modis, scilicet per defectum causæ materialis, et per defectum causæ efficientis : et per defectum materialis dicitur in primo modo qui manifestissimus est, per defectum autem efficientis in aliis. Si enim id quod sequitur, copuletur ad utrumque terminum hypothesis, tunc erit causa, et propter hoc accidere : si autem fiat copulatio ad alterum tantum, tunc erit non causa, et hæc copulatio vel fiet ad subjectum, et erit secundus modus, vel ad prædicatum, et erit modus tertius.

#### CAPUT IV.

*De solutione objectionis sophisticæ quæ est contra præinducta.*


Hæc autem quæ dicta sunt de eo quod est non propter hoc accidere, vera sunt : aut forte aliquis opponens contra præinducta dicet, quod nec sic (prout ante determinatum est) propter hypothesis dicitur accidere falsum, quia scilicet falsum copuletur ad terminos hypothesis : et enim si non ei quod est b quod est subjectum hypothesis, positum est a inesse, quod prius per c et d syllogizatum est, sed forte ei quod est b inesse a, quod etiam est sumptum sub b, ethoc sit etiam inconveniens et impossibile, et b dicatur inesse c, ita quod hæc sit vera, omne b est c, et sub c sumptum sit d, ita quod omne d c, et sic manet adhuc impossibile syllogizatum per aliud medium, scilicet quod omne b a. Similiter autem fitidem impossibile in sursum sumendo terminos per alia media ascendi : et sic patet quod adhuc sequitur impossibile per aliud medium, et cum est et cum non est prima hypothesis : et sic non videtur esse verum quod dictum est, quod non propter hoc accidere tunc sit quando hypothesis posita et non posita sequatur impossibile : quia per aliud medium descendendo vel ascendendo sequitur idem inconveniens. Sic ergo opponi potest.

Sed ad hoc dicendum quod nunc ita

dicendum est sicut determinatum est. Aut addendum est ad superius dicta, quod cum est positio aliquando et cum non est, nihil minus dicendum est fieri (sive sequi) falsum : et hoc non esse satis ad solutionem, quod dicatur, cum est hoc, est hoc, vel non est, nihilominus fieri sive sequi falsum : hoc enim non sic sumendum est, quod alio medio posito, hoc est, per aliud medium idem accidat impossibile. Sed hoc addendum, quod hoc quod est hypothesis ablato, per alias propositiones remanentes et non per aliud medium, adhuc idem accidit impossibile, quod tunc hypothesis non est causa impossibilis.

Hoc autem ideo addendum est: quia fortasse idem inconveniens vel falsum potest accidere per plures hypotheses sive suppositiones, quarum una ad alteram non ordinatur, sicut parallelas coincidere vel concurrere probatur per duo media : si enim protractis parallelis, et linea media perpendiculariter ducta ab una super aliam, si angulus illius perpendicularis linea quem facit super parallelam interior, major sit quam angulus ejusdem exterior cum ambo debeant esse recti et æquales : tunc sequitur quod coincident parallelæ versus angulum minorem, si protrahantur in continuum. Idem autem inconveniens sequitur si triangulus rectangulus habeat plures rectos vel æquales rectis quam duos : si enim linea quæ cadit super duas parallelas, duos rectos facit, cum parallelæ supra cadit, et claudatur triangulus ab angulo linea inferioris ad superiorem linea recta ducta, anguli extrinsecus (super parallelam ex illa linea super parallelas facti) sunt æquales duobus rectis. Est autem superior angulus primæ lineæ super parallelam rectus. Oppositi ergo anguli æquipollent duobus rectis. Si autem contineant plus quam duos rectos, oportet quod angulus prius ductus sit major recto : oppositus ergo erit minor recto : intrinsecus ergo et extrinsecus non erunt anguli æquales : et sic iterum versus minorem angulum

concurrent lineæ. Hujus autem exemplum est sic.



Est autem hic notandum, quod hic de hoc impedimento oportuit tantum determinare, et non de aliis locis sophisticis : quia hoc peccatum directe est contra syllogismi consequentiam de qua hic intendimus. Alii autem loci sophistici sunt contra propositi probationem, et non contra consequentiam principaliter. Hæc igitur dicta sint de hoc quod est *non propter hoc accidere falsum*.

Removet dubium.

## CAPUT V.

*De remotione erroris qui potest esse circa hoc quod dictum est, quod falsum accidit propter hypothesis.*

Cum autem hypothesis aliquando sit vera, et dictum est quod falsum accidit propter hypothesis, ne aliquis credat ex vero falsum aliquando accidere, ideo scire oportet quod falsa oratio conclusa in aliquo syllogismo sive simpliciter uno sive non simpliciter uno, fit et concluditur propter aliquod primum falsum in praemissa suppositum. Et hoc sic probatur : quia omnis syllogismus aut fit ex duabus propositionibus si est simpliciter unus, aut ex pluribus si non est simpliciter unus, sed compositus ex principali syllogismo et prosyllogismis : talis enim syllogismus uno fine ultimæ conclusionis unus dicitur, sicut in præhabitis determinatum est. Si ergo est simpliciter unus et ex duabus propositionibus si conclusio est falsa, necesse est aut alteram aut utramque falsam esse : et hoc ideo quia

Omnis syllogismus aut fit ex duabus propositionibus, aut ex pluribus.

(sicut in ante habitis probatum est) ex veris propositionibus utrisque non erit falsus syllogismus, hoc est, falsum concludens. Si vero ex pluribus erit compositus syllogismus, ex syllogismo scilicet et prosyllogismis, ut si c quidem conclusio probetur per A et B syllogismum, et hic syllogismus A et B per D E duas propositiones prosyllogismi, et D E probentur per propositiones iterum alterius prosyllogismi, quae sint scilicet F una et G altera, si ultima conclusio est falsa, necesse est quod superiorum aliquid (hoc est, præmissarum) in aliquo prosyllogismorum sit falsum : et propter hoc quod præmissa falsa est, etiam oratio conclusa est falsa : quia A et B quae sunt præmissæ principalis syllogismi concluduntur, quae superiora sunt in præmissis prosyllogismorum, sicut si concludatur A per D E duas propositiones unius prosyllogismi probantis majorem, et B minor probetur per F G præmissas alterius prosyllogismi concludentis minorem : et ideo propter illa quae in prosyllogismis sunt, aliquid quod falsum est accedit, et falsum quod concluditur.

**Solutio.** Sophistice autem opponitur contra hoc : quia videtur ex possibilibus veris sequi falsum impossibile, sic, omnis homo est albus : nullus homo est albus : quae ambæ sunt possibles et aliquando possunt fieri veræ : sequitur quod nullus homo est homo : quae nunquam potest fieri vera. Sed ad hoc dicendum quod ex veris et compossibilibus nunquam sequitur falsum, sed ex possibiliter veris et non compossibilibus nunquam sequitur verum : istæ autem, omnis homo est albus, nullus homo est albus, sunt incompossibilis.

**Removet dubium.** Adhuc autem notandum quod de oratione falsa secundum quod ex ea sequitur verum, determinatum est in principio hujus secundi libri : hic autem tactum est de oratione falsa ex incidenti, scilicet in quantum falsum aliquando non accedit propter hypothesim, eo quod hypothesis est vera aliquando.

## CAPUT VI.

*De cautela respondentis qualiter caveat ne propter suam hypothesim videatur sequi falsum, et qualiter opponenti cavendum est contra respondentem.*

Ut autem non syllogizet (hoc est, per syllogismum concludere non possit opponens contra hypothesim respondentis) observandum est respondenti, et hoc dupliciter : aut præscit, aut præsentit vel præconcipit conclusionem quam contra hypothesim intendit concludere opponens, aut non. Et si quidem non præcognoscit quod concludere intendit opponens, tunc quando sine tali præcognitione conclusionis interrogat sive consensum respondentis interrogando proponit opponens, cavendum est respondenti ne detur ab eo aliquid in duabus propositionibus bis, hoc est, ne dentur duæ propositiones communicantes in uno termino qui bis sit in eis : quia ille terminus statim posset esse medium in syllogismo. Et hoc ideo cavendum est, quia jam scimus ex præmissis, quod sine medio non fit syllogismus, et quod medium est quod plerumque (hoc est bis) dicitur in propositionibus : non habens autem medium non potest facere syllogismum. Si autem præscit respondens quid contra hypothesim concludendum sit, tunc advertendum est respondenti quomodo oporteat eum observare, ne det propositionem quae possit esse medium ad unamquamque conclusionem, quam contra hypothesim potest facere opposens. Quæ autem tales sint propositiones, manifestum est ex ante habitis, ex quibus scitur quid sive quae conclusio in unaquaque figura ostenditur, universalis scilicet vel particularis, vel affirmativa vel negativa. Hoc autem nos respondentes non latet : eo quod jam ex arte tradita viderimus quomodo, hoc est, ex quantis et qualibus propositionibus habemus concludere orationem quamlibet concludendam. Uni-

versalis enim affirmativa non concluditur nisi ex duabus universalibus affirmativis in primo modo primæ, et negativa non concluditur nisi ex altera negativa : et ideo si respondens præsentit quod opponens vult concludere universalem affirmativam, caveat ne det universalem affirmativam. Et si vult concludere negativam, caveat ne det negativam. Et tunc opponens non potest venire ad conclusio-nem intentam.

Similiter autem e contra opponenti (qui aliquid concludere intendit contra hypothesim) cavendum est : quia sicut annun-tiamus debere cavere respondentes, ne opponens aliquid concludere possit contra suam hypothesesim, sic etiam dicimus quod oportet opposentes caventes esse et tentare latere respondentes, ne perpendant ad quid nititur opposens. Inter omnia talia per quæ latere possunt et celare, primum et principale est hoc, quod scilicet conclusiones intentas prius non manifestent per hoc quod eas syllogizant. Sed etiam jam sumptis necessariis propositionibus præmissis ad conclusionem, conclusiones adhuc respondentis non manifestæ sunt : tunc enim concessis præmissis, respondens cogetur concedere conclusionem, quam non prævidens vide-re non potuit.

Si autem respondens præcognoscat conclusionem quam opposens intendit : tunc opponenti alia cautela est utendum : aut enim interrogat per multa media, sicut in prosyllogismis : aut per unum, sicut in syllogismo principali. Si quidem per multa, maxime latebit respondentem intentio ejus, si non proponat propinqua primo, ex quibus statim sequitur proposi-tum, sed proponat quam maxime longe distantia : quia de illis minus cavebit respondens. Hujus exemplum est, ut si concludere velit in conclusione principali-ter intenta  $A$  de  $R$ , scilicet quod  $R$  sit  $A$ , et sit hoc concludere per media multa quæ sint  $B$   $C$   $D$   $E$  : tunc non oportet oppo-nentem inquirere sive interrogare si  $A$  est  $B$ , quia  $B$  est immediatum medium ad  $A$  ;

nec iterum si  $B$  est  $C$ , quia  $C$  immediatum est ad  $B$  ; sed interrogare oportet longinqua, ut si  $D$  est  $E$ , et deinde venire ad propinquiora, quærendo si  $B$  est  $C$ , et sic semper approximando reliqua oportet interro-gare. Si autem per medium fit syllogismus secundum intentionem oppo-nentis : tunc oportet incipere a medio secundum quod est in minori propositiō-ne, et non a majori in qua est tota virtus consequentiæ syllogismi. Maxime sic interro-gando apparens latebit responden-tem. Hanc autem respondendi et oppo-nendi artem et cautelam in octavo *Topi-corum* ex intentione subtiliter determi-nabimus. Hæc autem quæ diximus, ex incidenti dicta sunt ad hypothesesim defen-dendam vel impugnandam.

Removet  
dubium,

## CAPUT VII.

*Quod habito ex quibus syllogismus, ha-betur ex quibus fit elenchus, et quali-ter differunt elenchus et syllogismus.*

Quoniam autem jam per artem tradi-tam habemus quando et quomodo in figu-ra et modo se habentibus terminis fit syl-logismus, manifestum est per eamdem artem etiam quando (quoad figuram et modum) fit elenchus, et quando non erit quoad figuram et modum : nam vel ex af-firmativis et negativis commutatim positiis, ita quod major aliquando sit affirma-tiva et minor negativa, et aliquando e converso major negativa et minor affir-mativa : sic enim positis responsionibus (hoc est, propositionibus a respondente concessis) contingit fieri elenchum sicut et syllogismum : quia sic erit syllogis-mus, ut in primo hujus scientiæ libro de-terminatum est : quia et sic ex omnibus afffirmativis vel ex affirmativa et negativa commutatim positis erit syllogismus : propter quod si id quod positum est in hypothesi respondentis, sit contrarium sive oppositum contradictorie conclusio-ni facti syllogismi, necesse tunc talem syllogismum dici et fieri elenchum : quod

patet per diffinitionem elenchi : quia elenchus est syllogismus contradictionis syllogizatae ad hypothesim respondentis. Si vero nihil concedatur vel supponatur in hypothesi, impossibile est fieri elenchum : quia nulla concluditur contradictionis.

Et bene dico, quod oportet propositiones vel affirmativas esse vel commutatim affirmativas et negativas in elenco : quia secundum artem in primo hujus scientiae libro traditam non erat syllogismus in aliqua figura, cum omnes termini in ambabus præmissis erant privativi vel negativi : propter quod nec elenchus fit ex ambabus privativis : nam si elenchus fieret ex ambabus negativis, tunc sequeretur quod etiam syllogismus esset ex negativis ex necessitate, quia elenchus est syllogismus : cum autem sit syllogismus, non necesse est elenchum esse : quia syllogismus habet se ad elenchum, sicut genus ad speciem.

Similiter non est elenchus si nihil possum sit in hypothesi universaliter in responsione respondentis : quia tunc non contradicit, cum elenchus sit syllogismus contradictionis. Eadem enim est diffinition elenchi et syllogismi, sicut diffinition generis est in specie, et substantia idem sunt elenchus et syllogismus : sed elenchus supra syllogismum quoddam addit accidens : et ideo unam habent diffinitionem secundum substantiam, hoc est, per id quod substantiale est elenco. Sed si diffiniatur quoad accidens quod addit, tunc differt in hoc diffinitione elenchi a diffinitione syllogismi. Nec ulterius in hoc libro oportet determinare de illo : quia ex superiorius determinatis satis scitur in quantum est syllogismus ; contradictio autem quam addit supra syllogismum, satis scitur ex determinatis in libro *Perihermenias*.

## CAPUT VIII.

*De peccato contrariæ deceptionis quod est circa syllogismum ex oppositis.*

Accidit autem quandoque tertium peccatum (quod cadit circa syllogismum ex oppositis) quod dicitur secundum opinionem quæ vocatur fallacia contrariæ deceptionis : quia ex eo quod in syllogismo ex oppositis supponuntur contraria in propositionibus, sic aliquis putaret se simul opinari contraria esse vel non esse. Et ideo hic ostendendum quando quis convenienter potest opinari contraria, et quando non : accidit enim quandoque secundum opinionem contraria vel opposita accipientem fieri fallaciam, ita quod aliquis putet scientiam et ignorantiam simul se habere de eodem : et fallimur in talibus in positione terminorum. Fallebamur in syllogismo ad impossibile qui adducitur ad hypothesim destruendam, et non destruit aliquando propter inordinatam terminorum positionem : et sicut in petitione principii incidit id quod est non propter hoc accidere propter terminorum inordinatam positionem : et similiter accidit fallacia opinionis simul accipientis contrarias propositiones terminorum : et ideo utile est hoc hic determinare. Hoc autem peccatum dicitur contrariæ deceptionis, quod cum putat se recipere unum, in illo quodammodo accidit accipere contrarium. Hoc autem primum quidem ostendamus in his quæ formaliter contraria sunt et per se. Et hoc potest esse duplenter: potest enim unum in alio accipi in his quæ directe sunt sub se invicem, ut homo sub animali, et animal sub corpore, et hoc sub substantia. Potest etiam fieri, quod unum inest duobus aut pluribus, quorum unum non est sub alio, sed æque immediate inest eis aliud.

Ostendamus igitur primum qualiter est in his quorum unum non sub alio : et hoc est si dicamus, quod contingat idem prædicatum in pluribus sic principaliter ines

se, ita quod neuter inest per alterum, sed uterque secundum seipsum : et contingit hoc quidem aliquem latere : et cum insit, contingit putare nulli inesse, ut si gratia exempli dicamus A inesse B et C per se, ita quod neuter per alterum, et dicatur hoc (scilicet B et C) inesse D. Si tunc aliquis putet nulli inesse, et illud putet se scire, scilicet quod A insit omni B et omni C, et quod omne B et omne C insit D, ejusdem secundum idem habet disciplinam in universalis, et ignorantiam in particulari. Et hoc patet : quia si opinetur omne B esse A et omne D esse B ; adhuc autem si opinetur nullum C esse A et omne D esse C, ejusdem et secundum idem habebit scientiam et ignorantiam : quia opinabitur contraria, scilicet quod omne D sit A et quod nullum D sit A. Si enim opinatur omne D esse B et omne B A, opinabitur omne D esse A. Si autem non opinabitur C esse A, cum omne C sit D, opinabitur nullum D esse A, et sic opinabitur contraria.

Et est hujus exemplum in terminis quidem substantialibus, corpus, animal, sensibile, homo : tunc enim corpus inest omni animali, et omni sensibili : et neuter per alterum, quia sensibile non est sub animali, nec animal sub sensibili, et ambo haec insunt homini. Si ergo aliquis opinatur omne animal esse corpus, et opinetur cum hoc omnem hominem esse animal, et omne sensibile esse animal, ille simul opinabitur omnem hominem esse corpus et nullum sensibile esse corpus : et si nullum sensibile est corpus, cum omnis homo sit sensibile, nullus homo erit corpus : et sic opinatur omnem hominem corpus esse, et in universalis nullum hominem corpus esse, per hoc quod opinatur nullum sensibile corpus esse : et sic ejusdem secundum idem habebit scientiam et ignorantiam. Exemplum autem in terminis accidentalibus, conveniens satis in his terminis, coloratum, animal, album, cygnus : coloratum enim inest tam animali quam albo, et neuter per alterum, sed uterque per se, hoc est,

non mediante reliquo, et utrumque scilicet coloratum et animal inest cygno : propter quod si quis opinetur nullum animal esse coloratum, et omne album coloratum, et cum hoc omnem cygnum esse animal et album, simul opinatur contraria eadem ratione qua prius.

Rursum si quis fallatur circa ea quæ sunt ex eadem conjugatione in qua unum directe sumitur sub alio, sicut species sub genere, ut si, exempli gratia, A inest B, hoc autem quod est B inest C, et C inest D. Ut si quis in terminis ponat et dicat quod substantia inest corpori : corpus autem animato corpori : et animatum corpus inest animali, et animal inest homini : et sic ulterius quantum potest fieri sumatur secundum ordinem praedicamenti : et aliquis opinetur omne B esse A, et nullum C esse A, sequitur quod simul idem sciet et ignorabit, quod est inconveniens. Cum enim opinatur omne B esse A, tunc in universalis opinatur omne C esse A, quia omne C est B et omne B A : et sic aliquo modo scit omne C esse A, quia scit hoc in universalis. Sed ex altera parte opinatur nullum C esse A in seipso sive in particulari : quia particulare scitur aliquo modo in universalis : propter quod sequitur, quia id quod aliquo modo scit (in universalis scilicet) hoc probat se omnino non opinari secundum idem : et hoc est inconveniens et impossibile. Sic igitur probatum est quod inconveniens est simul opinari contraria, et in his quæ sunt ex eadem conjugatione, et in his quæ non sunt ex eadem conjugatione.

Ostendamus autem nunc quomodo contingit opinari contraria sine inconvenienti, et quomodo non contingit hoc. Hoc autem videtur fieri in his tantum quæ sunt ex diversa conjugatione. Et ostendamus primo quomodo non contingit opinari contraria sine inconvenienti, sic dicentes, quod in eo quod prius a principio dictum est, si medium sive media sumpta sub se invicem non sint ex eadem conjugatione : tunc secundum utrumque (in universalis scilicet et particulari) ambas propositiones

nes (universalem scilicet et particularem, sive priorem et posteriorem) non contingit opinari sine inconvenienti et ignorare, ut scilicet aliquis opinetur omnes quatuor propositiones simul, ut scilicet opinetur omne *B* esse *A* et omne *D* esse *B*, et simul cum hoc opinetur nullum *C* esse *A* et omne *C* esse *D*: sic enim opinaretur quod *A* quidem omni *B* inesset, et quod idem *A* nulli *C* inesset, et quod haec utraque, *A* scilicet et *B* inessent omni *D*: si enim omnes quatuor propositiones simul opinatae sunt, sequitur ejusdem propositionis contraria et contradictoria simul opinari: quod esse non potest: quia intellectus nec contraria nec contradictoria simul concipit secundum opinionem vel aestimationem. Si enim opinetur omne *B* esse *A*, et e converso omne *A* esse *B*, opinabitur omne *A* esse *A*. Adhuc si opinetur nullum *C* esse *A* et omne *A* esse *C*, et opinabitur nullum *D* esse *A*. Sed ex hac conclusione et minori prioris syllogismi sequitur contradictoria primae per secundum modum tertiae figurae, sic, nullum *D* est *A*, omne *D* est *B*, ergo aliquod *B* non est *A*. Et sic simul accedit opinari primam propositionem quae est, omne *B* est *A*, et ejus contradictoriam quae est, aliquod *B* non est *A*, quod est inconveniens. Si autem *B* et *D* convertantur: tunc sequeretur quod opinaretur contrariam ejus, sic, nullum *D* est *A*, omne *D* est *B*, ergo nullum *B* est *A*. Sic igitur manifestum est quod contingit simul opinari contraria vel contradictoria: quod est inconveniens. Accedit enim per syllogismum aut simpliciter (hoc est, universaliter) aut in aliquo particulariter, ut in contradictoria, contrariam cum majori sumere propositionem. Cujus causa est: quia si novit, quod omni ei cui inest *B* inest etiam *A*, et hoc opinatur: novit autem cum hoc, quod *B* inest omni *D*, tunc sequitur quod novit etiam quoniam *A* inest omni *D*: propter quod si ponatur rursum, quod nulli eorum quae sunt *C* putat inesse *A*, sequitur quod alicui cui inest *B* huic non putat *A* inesse, quod est inconveniens, cum omni *B* insit *A*, et sic

opinabitur contradictoria simul: quod enim omni putat cui *B* inest inesse *A*, et rursum dicitur non putare quod *A* insit alicui *B* aut simpliciter et universaliter, est contrarium primae propositioni, aut est contrarium in aliquo contradictorie oppositum. Sic ergo patet quod utramque propositionem non contingit opinari contraria.

Ostendamus igitur consequenter, quomodo contingit idem ignorare et scire sine inconvenienti. Et dicamus primo quod secundum utrumque medium primi syllogismi et secundi contingit ignorare in utroque syllogismo unam propositionem, scilicet aut majores sine minoribus, aut minores sine majoribus. Secundum alterum autem, sive unum medium contingit ignorare unam propositionem, sive maiorem, sive minorem: sicut si aliquis opinetur *A* inesse omni *B* et *B* inesse omni *C*, et rursus cum hoc opinetur *A* nulli *C* inesse, quamvis omne *C* sit *B*. Haec enim fallacia similis est velut vel sicut fallimur circa particulares propositiones quas scimus in universalis. Cujus exemplum est, ut sciamus *A* omni *B* inesse in universalis, et *B* inesse omni *C* in universalis: tunc enim ex hoc universalis sequitur quod *A* inerit omni *C*. Si ergo aliquis novit in majori propositione, quoniam *A* omni ei inest cui inest *B*, procul dubio iste novit in universalis quoniam *A* inest omni *C*, quia omne *C* est *B*: sed nihil prohibet eumdem ignorare in particulari quoniam *C* (quod est hoc singulare et sensibile) utrum sit *A*.

Cujus exemplum in terminis est, ut si dicamus quod *A* major extremitas sint duo recti, et id in quo posuimus *B* medium sit triangulus, et id in quo posuimus *C* minorem extremitatem, sit sensibilis triangulus ligneus vel ferreus: opinabitur enim tunc aliquis sine inconvenienti *C* non esse duorum rectorum: quia sensibilis triangulus non est indivisibilium linearum secundum sensum, et videatur habere tres angulos vel majores vel minores duobus rectis: cum tamen sciat

in universalis quod omnis triangulus habet tres duos rectis æquales : et propter hoc simul sciet idem in universalis, et ignorabit in particulari : et hoc non est inconveniens. Quia scire quod omnis triangulus in universalis habet tres duobus rectis æquales, non est simplex sive simpliciter, et uno modo dictum, sed dupliciter. Sed hoc quidem in universalis uno modo acceptum, universalem habet disciplinam : et sic disciplinaliter scitur, et per demonstrationem. Illud vero alio modo in sensibili triangulo acceptum, habet singularem ad sensuum ostensionem. Sic ergo aut quis universaliter novit, et disciplinaliter novit quod c habet tres æquales duobus rectis, sensibile singulare in universalis accipiens, et non secundum sensum : singulariter autem in sensu accipiens c sensibile triangulum potest non nosse, et forte non novit. Hoc enim non est inconveniens : et propter hoc non sequitur quod habeat contrarias opiniones et ignorantias de eodem, et secundum idem : quia scientia in universalis, non optinet ponitur ignorantiae in particulari.

Scientia in  
universalis  
non opponi-  
tur ignoran-  
tiae in parti-  
culari.

Hoc autem etiam patet in simili oratione, in qua talis est ignorantia, et hæc est oratio quæ est in libro Platonis qui inscriptus est nomine discipuli sui qui dicebatur Mennon : eo quod fuit epistola Platonis respondens quæstioni Mennonis. Oratio autem est qua probat, quod disciplina sive scientia intellectiva rememoratio est : arguit enim sic : quidquid addiscitur et prius sciebatur, per rememorationem accipitur : sed omne quod addiscitur, prius sciebatur : ergo omne quod addiscitur, rememoratione accipitur. Quod autem omne quod addiscitur, prius aliquo modo sciebatur, per hoc probavit quod non accipitur aliquid in aliquo nisi per hoc quod secundum aliquid ejus intus est antequam recipiatur. Ergo quod scitur, prius fuit in scientie : rememoratio enim redditus est reminiscentiae super id quod prius infuit, et notum fuit. Hoc enim eamdem habet solutionem, scilicet quod in universalis est intus et scitum :

in particulari autem et in propria natura est extra et ignoratum. Et hoc non est inconveniens : nunquam enim accedit præscire quod singulare est. Præscire dico, secundum intellectum et secundum quod est in se et singulare. Sed accedit simul accipere particularium sive singularium scientiam cum inductione eorum in sensum sive sensibilem cognitionem. Et hoc fit velut nos cognoscamus singularia re ipsa, hoc est, rei in sensu manifestatione. Nos enim quædam scientes de triangulo, statim scimus cum his, quoniam habet tres duobus rectis æquales. Cujus exemplum est : quia cum scimus de aliquo quod ipsum est triangulus, statim in illo universalis scimus, quod habet tres duobus rectis æquales, et tamen ignoramus in particulari et sensibili : et hoc est, quia in universalis quidem aliquo modo speculamur particularia. Propria autem ipsa et singularia nescimus, nisi per inductionem in sensu : propter quod etiam contingit falli circa talia. Sed non contrarie se habet hæc ignorantia ad scientiam : quia, sicut diximus, ignorantia in particulari non est contraria scientiae in universalis : et ideo contingit talium scientiam habere in universalis, et circa eadem decipi propter ignorantiam in particulari.

Et similiter contingit in prædictis de scientia in universalis et particulari : non enim contraria est ea fallacia quæ est secundum medium, ei fallaciæ quæ est secundum syllogismum disciplinæ. Dico autem syllogismum qui est per medium, ignorantiam particularem : eo quod singulare non ostenditur in sensu per medium inventum per disciplinam : per syllogismum autem disciplinæ intelligimus scientiam in universalis. Similiter autem est de scientia quæ non est secundum utrumque medium, sed secundum alterum, hoc est, unum mediorum : contingit enim opinari secundum unum medium ambas propositiones quæ non sunt ex eadem conjugatione, et non tantum has quæ sunt ex eadem conjugatione cum

ipsa. Et ignorantia quidem quæ est secundum alterum mediorum, non est contraria scientiæ quæ est secundum ipsum idem medium. Cujus exemplum est: quia nihil prohibet quod ille qui scit quod A major extremitas inest universaliter toti vel omni B medio, et scit rursum in minori propositione quoniam B inest toti vel omni C minori extremitati, putare quoniam in conclusione A non inest omni vel toti C. Et hujus causa est: quia non pertractat et confert majorem cum minori secundum scientiam in agere, ut videat qualiter conclusio sequitur ex majori et minori. Cujus exemplum in terminis est, ut sciens, quoniam omnis mula est sterilis, et quod haec est mula, et putat hanc in utero habere et non esse sterile: quia non pertractat majorem cum minori referendo ad conclusionem: et ideo non scit quod A est C, conferendo et pertractando non videns (hoc est, scientiam in agere non percipiens) quod est secundum alterum, hoc est, non videns id quod sequitur secundum unum comparatum ad alterum: quia si hoc perciperet, statim sciret quod haec mula est sterilis.

Propter quod manifestum est, quoniam et si aliquis hoc quidem novit in majori et in minori: illud vero quod est pertractatio unius ad alterum non novit, falletur circa hoc de quo habet scientiam. Et hoc quidem habent universales scientiæ comparatae ad particulares quæ sunt scientiæ in agere extra sensum: nullum enim sensibilium cum extrinsecum sit, scimus per seipsum in singulari: nec etiam si scientes fuerimus ipsum, non scimus ipsum nisi in universalis in majori: et si scientes fuerimus ipsum in propria natura in minori, in qua habet propriam disciplinam secundum scire in particulari: sed non propter istum duplarem sciendi modum scimus ipsum in eo quod

Ex quo patet quid sit scientia in agere.

agit quis secundum scientiam in agere, quæ est in collatione præmissarum ad invicem et ad conclusionem: et ideo sicut in scientia in agere potest ipsum ignoran-

re, et talis ignorantia tali scientiæ non est contraria: et ideo sic de eodem scientiam et ignorantiam habere non est inconveniens.

Et hoc autem patet quod sciens omnem mulam esse sterilem, et ignorans hanc esse mulam, scit in universalis quod ignorat in particulari. Sciens autem utrumque et omnem mulam esse sterilem, et hanc esse mulam, et non pertractans, scit in universalis et particulari id quod ignorat secundum scientiam in agere, et tales ignorantiae talibus scientiis non sunt contrariae.

#### CAPUT IX.

*Quod scire dicitur tripliciter, quod adducitur ad intellectum eorum quæ determinata sunt, in quo etiam de aliis dubitabilibus ad intellectum dictorum facientibus determinatur.*

Ut autem melius intelligatur, quod scire aliquid uno modo sciendi non opponitur ad ignorare idem secundum alium modum: et ad intelligendum quæ scientia cui ignorantiae opponitur, oportet scire quod ipsum scire in complexis propositionibus scitis vel ignoratis dicitur tripliciter. Aut enim dicitur scire in universalis: et hoc scire est in potentia: quia particulare quamvis sciatur in universalis, tamen non scitur nisi in quantum particularare est in universalis. Hoc autem est in potentia: quia quodlibet universale principium est particularis, per hoc quod universale virtute et potentia est particularare, et efficitur actu particularare per hoc quod deducitur et determinatur ad particularare. Hoc igitur est scire in universalis. Est etiam scire in propria natura: et hoc dicitur scire in particulari: quia res quælibet per propriam suam naturam particularis est particularata et determinata sub communi et universalis natura cui substat. Aut tertio modo dicitur scire in agere quando aliquis hoc quod scit, actualiter pertractando et referendo ipsum ad

Quare scire in universalis dicitur scire in potentia.

Quid sit sci-  
re in agere.

sua principia, considerat. Si autem sic scire dicitar tribus modis, sequitur quod decipi sive ignorare dicitur totidem modis. Et sic patet quod nihil prohibet aliquem scire et decipi circa eadem subjecta et eadem prædicata, sed non contrarie simul: non enim simul de eisdem et circa eadem aliquis habet scientiam et deceptionem sive ignorantiam illi contraria, ut scilicet habeat de aliquo et scientiam in universalis et ignorantiam vel deceptionem in universalis, vel scientiam in propria natura, et scientiam in agere et ignorantiam in agere de eodem: hoc enim esse non potest.

Quamvis ergo aliquis sciat secundum majorem propositionem et minorem aliquid et in universalis et in particulari, tamen potest decipi secundum scientiam in agere. Scientia enim in universalis est secundum primam propositionem, *præcipue in prima figura, in qua major est ex medio quod in toto est primo: minor autem est ex medio in quo totum est postremum: et ita in propria natura accepto, quia minor in illa determinat ad propriam naturam, eo quod sub medio descendendo extremum minus accipitur.* Scientia autem conclusionis est secundum scientiam in agere, in quo majus ad minus comparatur, et elicetur conclusio quæ consistit ex utroque extremorum<sup>1</sup>. Contingit enim aliquid scire secundum utramque propositionem, et tamen decipi circa conclusionem: et hoc accedit ei qui non pertractavit prius referendo minorem ad majorem, et ambas has ad conclusionem: sciens enim in universalis omnem mulam esse sterilem, et hanc esse mulam: et tamen putans hanc in ute-ro habere, non habet illam disciplinam quæ est pro actu hoc secundum actum considerare et pertractare: nec tamen habet propter talem opinionem contrariam fallaciam directe disciplinæ illi quam habet. Syllogismus enim secun-

dum actum manifestans conclusionem, est contraria fallacia disciplinæ illi quæ est secundum agere: quia syllogismus secundum quod syllogismus causa efficiens est scientiæ quæ secundum agere est in conclusione: unde ignorare secundum agere, contraria est fallacia scientiæ secundum agere. Syllogismus autem secundum hoc quod est ex universali primo (in quo est tota vis consequentiæ et inferentiæ) est contraria fallacia sive deceptio scientiæ in universalis, et syllogismus in particulari accepta sub universalis contraria est scientia ad fallaciam in particulari, et scientia syllogismi in conclusione contraria est fallaciæ circa conclusionem quæ est deceptio secundum scientiam in agere. Sic igitur patet qualiter non est inconveniens quod in ante habitis dictum est, in omnibus his quæ secundum formam sunt contraria vel opposita, in quibus contraria sive opposita contingit circa idem opinari et ignorare.

Sciendum autem hic quod hoc peccatum (ut diximus) cadit circa syllogismum ex oppositis, non ex parte conclusionis, sed ex parte principiorum: quia syllogismus ex oppositis habet opposita principia: et istud peccatum est circa oppositionem principiorum: et hæc opinari uno modo est conveniens, alio modo non, sicut dictum est in præhabitum. Hoc enim peccatum licet fallacia dicatur, tamen nec est fallacia in dictione, nec extra: quia dicitur fallacia ab eo quem fallit et decipit, non ex apparentia, et non ex existentia quæ in re scibili sit vel dictione significante ipsam, sed ex fallacia ejus qui fallitur: eo quod accipit id quod accipi non debet, eo quod non videt id quod est videndum et accipendum: et dicitur *fallacia opinionis*, non sensus, vel intellectus: quia circa ea complexa est circa quæ non est sensus particularis. Et quamvis intellectus compositus sit circa complexa, tamen est verorum et certo-

<sup>1</sup> Unde colligitur quod scientia in universalis est secundum majorem, scientia in particulari

est secundum minorem, scientia autem in agere est secundum conclusionem.

rum circa quæ non est deceptio. Opinio autem est circa complexa tremens et nutans habitus, qui ex signis accipitur, sicut ex signis talium accipitur scientia : et ignorantia ex defectu talium signorum : et ideo dicitur ignorantia opinionis.

Scias etiam quod quando dictum est, quod si aliquis accipiat contraria secundum omnes quatuor (quæ sunt ex diversa conjugatione) propositiones, quod contingit eum secundum idem scire et ignorare, non dicitur hoc, quod secundum eadem media idem sciat et ignoret, sed accipitur scire pro opinari: et quod dictum est secundum idem, intelligitur secundum eadem accepta in scito et ignorato, hoc est, de eodem subjecto et eodem prædicato : non tamen sciet et ignorabit secundum idem medium.

Scias etiam quod inconveniens est secundum rem scire omnes quatuor propositiones quæ sunt ex diversa conjugatione cum suis contrariis secundum esse: quia hoc non potest esse: quia sic esset secundum idem opinari et ignorare opposita circa idem : et ideo in bene disposita anima vel ratione hoc non contingit, sed in anima ejus qui deceptus est ex aliquo quod omittit in consideratione proprietatum syllogismi, sicut qui non considerat universale in virtute universalis qua infert, et non considerat particulare in proprietate qua appropriat universale, et non considerat conclusionem in relatione qua sequitur ex principiis præmissis. Omnes autem quatuor propositiones tales oppositas contingit (sicut dictum est) opinari ab aliquo decepto sine conclusione : sed non contingit eas opinari sine inconveniente quod sequitur ex sua opinione : quia si aliquis opinatur præmissas, de necessitate aliquo modo opinatur conclusionem, quantum ad habitualem opinionem opinabilis, sed deest ei pertractatio actualis : et ideo potest habere opinionem secundum quod est opinantis et non opinabilis. Secundum prædicta autem jam clarum est quod contingit opinari omne b esse a, et tamen

dubitare omne c esse a ; quia licet c sit sub b, tamen scire b esse a, est scire in universalis, et scire c esse a, est scire in particulari. Eadem ratione contingit scire omne b esse a, et nullum d esse a, sicut patet. Sed non contingit scire omne d esse a, et nullum d vel aliquod d non esse a, quia hoc esset scire et ignorare idem et secundum idem et eadem scientia.

Adhuc etiam sciendum quod majores propositiones diversorum mediorum, ut nullum d esse a, et omne b esse a, possunt opinari simul sine inconveniente, si nihil addatur eis de minori propositione, ex quo valeant pertractari et comparari ad invicem et ad conclusionem: sed si talium aliquid additur, non possunt simul opinari vel ignorari : et quando simul opinantur, habetur de eis plus ignorantia quam scientia vel opinio : quia simpliciter ignorantur, secundum quid autem opinantur : res autem denominatur ab eo quod simpliciter convenit ei, et non ab eo quod secundum quid.

Sciendum etiam quod contingit opinari duas propositiones secundum idem medium ut majorem et minorem, et sic scire in universalis et in particulari : et tamen ignorare conclusionem. Et hujus causa est, quod sine pertractatione minoris propositiones opinantur : et non est plene perfectum scire in universalis et particulari, nisi addatur pertractatio: quia particulare duobus modis scitur : uno modo ut in propria natura, et hoc modo non est pars syllogismi : alio modo accipitur ut actu stans sub universalis et determinans ad conclusionem, et hoc modo non scitur sine pertractatione, et tunc facit perfectum scire in eo quod scitur in universalis et particulari.

Si autem queritur utrum contingat propositiones quæ sunt in eadem conjugatione simul opinari et ignorare, ut si quatuor sumantur termini a b c d, et sit d sub a, et c sub b, et d sub c, utrum scilicet contingat opinari omne b esse a, et omne c esse b, et tamen cum hoc, nullum

Quomodo  
contingit  
scire majo-  
rem et mi-  
norem et  
ignorare  
conclusio-  
nem.

Particulare  
dupliciter  
scitur.

Dubitatio.

Solutio.

**B** esse **A**, et cum hoc nullum **c** esse **A**, et omne **D** esse **C**. Dicendum quod hoc non contingit sine inconveniente: quia ex his sic dispositis ex necessitate sequitur opinio oppositi, scilicet omne **D** esse **A**: hæc enim sibi invicem sunt media: et si non contingit in modis non subalternis opinari et ignorare omnes quatuor propositiones, tunc multo minus hoc contingit in his quæ subalternatim se habent ad invicem. Et hoc dictum est in his quæ cum pertractione actuali accipiuntur collata ad invicem. Si enim habitualiter tantum essent pertractabilia, contingerebatur opinari et ignorare simul, sicut dictum est in capitulo immediate præcedenti.

Sciendum etiam quod sciendo majorē secundum medium proprium in universali scitur minor, et in universalis scitur conclusio. Si enim scitur omne **B** esse **A**, et scitur quod **C** est sub **B** medio, scitur quod **C** est **B**, et scitur quod **C** est **A**, et ideo secundum idem medium non potest sciri oppositum conclusionis: quia sic se queretur, quod id quod scitur in agere et in particulari, ignoraretur in universalis: et hoc esse non potest: quia cum triplex sit scire, in universalis, et particulari, et in agere, scire in agere supponit ante se scire in particulari, et scire in particulari supponit ante se scire in universalis: et ideo non potest simul scire in agere et in particulari, et ignorare in universalis: potest tamen non pertractare, sicut diximus; et ideo sciens in universalis, potest non scire in particulari: et sciens in particulari et universalis, potest non scire secundum agere, quamvis non omnino ignoret.

## CAPUT X.

*De opinione et ignorantia eorum quæ sunt secundum materiam opposita per accidens.*

In oppositis quæ sunt contraria per accidens in propositionibus (et non sunt affirmaciones et negationes contrariae, sed gratia terminorum, et sic per accidens et

non secundum formam sunt propositiones contrariae) contingit etiam opinari idem secundum idem, et ignorare secundum diversos sciendi modos qui ante determinati sunt. Qui enim opinabitur id quod bonum est malum esse, idem subjectum opinabitur in oppositis esse passionibus prædicatorum: quia idem opinabitur bonum esse et malum: et hoc reducatur ad propositiones. Sit enim bonum quidem in quo **A**, quod est majore extremitas. Malum autem sit in quo **B**, quod est medium. Rursum autem bonum hoc sit in quo **C**, minor extremitas. Sic enim habentur termini syllogismi. Quoniam ergo talis qui opinatur bonum esse malum, opinatur **A** **B** esse **C** et **C**, hoc est, medium et minorem extremitatem secundum scire in particulari: et opinatur omne **C** esse **B**, et rursum opinabitur **B** esse **A** in majori secundum scire in universalis: sequitur necessario, quod opinabitur **C** esse **A** in conclusione secundum scire in agere: et sic opinabitur bonum esse bonum, quod est oppositum majoris quæ dicit bonum esse malum. Cujus causa est: quia quemadmodum si verum fuerit dicere quod de quo **C** prædicatur, quod de illo prædicatur **B**, et quemadmodum fuit verum quod de quo dicitur **B**, de illo dicitur **A** secundum ordinem primæ figuræ, similiter verum erit dicere, de quo dicitur **C** de illo prædicatur **A**, sicut major de minori extremitate concluditur in conclusione, et sicut est dicere, est ita opinari, et similiter in essentia rei: quia in eo quod res est vel non est, oratio vera vel falsa est, et similiter opinio. Unde si ponatur idem esse **C** et **B** in minori, et rursum idem dicatur esse **B** et **A** in majori, sequitur quod idem erit **C** et **A** in conclusione: propter quod in opinione erit similiter, et sic opinabitur bonum esse bonum, et bonum esse malum, quod est inconveniens: tamen hoc est necessarium, si quis det primum in majori et in minori propositione.

Sed fortasse falsum est aliquem opinari quod bonum est per se, et non secundum accidens malum esse, ut felicitatem esse

malum, vel virtutem. Sed quod per accidens est bonum, ut incisio, vel ustio, vel acceptio pharmaciæ, potest alicui malum videri. Multipliciter enim dicitur bonum, et multipliciter malum, et in aliquo illius multiplicitatis potest alicui aliquod bonum per accidens, malum videri : et sic

contingit illum opinari quod sic bonum est malum esse : et quia sic multipliciter dicitur bonum et malum, perspicendum est hoc melius sive subtilius, et distinguendum in quo sensu bonum quis malum esse opinetur.

*SCOLASTICAT DU SACRE-COEUR  
LEBRET, SASK.*



## TRACTATUS VII

### DE REDUCTIONE ALIARUM ARGUMENTATIONUM IN SYLLOGISMUM.

#### CAPUT I.

*De conversione medii cum extremis et conversione extreborum ad medium.*

Quia vero jam de potestate syllogismi dicta sunt quæ dicenda videbantur, et quia perfectissima argumentationum est syllogismus: consequens nunc tandem est, quod de aliis argumentationibus imperfectis, et reductione earum ad syllogismum in finali tractatu hujus operis quedam determinentur. Et quia aliae argumentationes reduci non possunt ad syllogismum, nisi prius sciatur qualiter medium convertitur ad extrema et extrema ad medium, ideo primum in hoc tractatu de consequentiis talium conversionum est dicendum.

Sex igitur talium consequiarum regulas primo determinabimus, per quas argumentationes imperfectæ ad syllogismum habent reduci. Quarum prima talis est, quod quando convertuntur extremitates, necesse est medium converti ad utramque extremitatem: et hoc primo declarabimus in syllogismo affirmativo. Ostendimus igitur quod ad conversionem conclusionis in qua extrema convertuntur (ita quod de prædicato fit subjectum, et de subjecto prædicatum) convertitur medium ad majus extrellum, sic. Si enim major extremitas est conclusa de c sicut prædicatum de subjecto per b medium, sic, omne b est a, omne c est b, ergo omne c est a. Si convertitur conclusio, ita quod cuicunque universaliter inest a, omni illi inest c, ita quod dicatur omne a est c,

tunc illa conversa conclusionis sumpta cum minori concludit conversam majoris, quæ fuit b a propositio, et concludetur, quod omni illi cui convenit esse a inerit b, sic, omne c est b, quæ fuit minor: omne a est c, ergo omne a est b, et fit medium c. Similiter autem et propositio minor quæ est c b convertitur per medium a, hoc est, conversa minoris quæ est c b concluditur ex conversa conclusionis et majori, sic, omne a est c, omne b est a, ergo omne b c. Et tunc fit medium a, et sic majus extrellum in primo syllogismo fit medium. In secundo autem medium fuit primi syllogismi minus extrellum b ergo medium convertitur et ad majus et ad minus extrellum: et sic in affirmativo syllogismo probatum est quod medium conversis extremis convertitur ad utrumque extrellum.

Hoc autem ostenditur etiam in negativo syllogismo: quia in non esse similiter est sicut in esse, et ostendimus primo, quod si medium convertitur, tunc extrema convertuntur. Disponatur enim syllogismus negativus in secundo prime sic, ut scilicet minor sit universalis affirmativa, ita quod b inest c universaliter et affirmative, a autem non inest b in majori universaliter et negative: sequitur in conclusione quod a universaliter non inest c, sic, nullum b est a, omne c est b, ergo nullum c est a. In hac autem ex conversa majoris et minori concluditur conversa conclusionis, sic, omne c est b, quæ fuit minor: nullum a est b, quæ est conversa majoris: ergo nullum a est c, quæ est conversa conclusionis: et est syllogismus in secundo modo secundæ figuræ. Et constat

quod medium est b, sed majus extreum in primo syllogismo fuit a, et minus fuit c. In isto autem majus extreum est c et minus a et b medium : conversum autem ad utrumque fit prædicatum unum ad duo subjecta. Patet igitur quod si b convertatur ad a, et efficiatur prædicatum ipsius, et c convertatur in conclusione ad a, et concludetur de ipso, sicut prædicatum de subjecto. Similiter ex conversa minoris et majori concluditur conversa conclusionis, sic omne b est c, quæ est conversa minoris : nullum b est a, quæ fuit major : ergo nullum a est c. Et hujus ratio est : quia cum b et c convertantur, a quocumque removetur unum, removetur et reliquum. Unde si b quidem non inest a et removetur ab eo, sequitur quod neque c inest a, sed removetur ab ipso : quia positum est in minori primi syllogismi, quod omni c inest b, et quod convertitur b cum c, et si b convertitur cum c, tunc etiam a convertitur ad b, quia b et c convertuntur : quia de quocumque omni et universaliter prædicatur b, de illo omni et universaliter prædicatur c.

Ex his igitur patet quod si medium convertitur cum extremis, et extrema inter se invicem convertuntur, ostenditur etiam e converso, quod si extrema convertuntur, tunc etiam medium convertetur cum extremis : ex conversa enim conclusionis in qua extrema convertuntur, et minori sequitur conversa majoris, sic, omne b est a, nullum c est a, ergo c est b. Est enim syllogismus in secundo secundæ figuræ : quia si c convertitur ad b, tunc etiam b convertitur ad a, cuicunque enim inest b, illi inest etiam c ; cui autem inest c, illi non inest a, et ideo etiam a removetur ab ipso b.

Sed est notandum quod in his rationibus differentia est solum in hoc, quia cum in prædicativo syllogismo ostensum sit, quod si extrema convertantur, quod et medium convertitur cum utrisque extremis : et in syllogismo negativo paulo ante ostensum est e converso, quod si medium cum extremis convertitur, quod

extrema convertuntur : hæc ultima ratio modo inducta juxta syllogismum negativum incepit a conclusione et terminabatur ad præmissam, sicut factum est in syllogismo affirmativo : aliæ autem rationes non similiter præcesserunt. Hoc autem solum quod nunc dictum est, a conclusione incepit et ad præmissas terminatur : alia autem quæ dicta sunt in rationibus syllogismi negativi, non similiter processerunt. Unde ista ultima a conclusione incepit, sicut in prædicativo syllogismo. Hæc est igitur regula consequentiæ primæ.

Dubitatio.

Si autem quæritur de qua conversione hic intenditur, utrum scilicet de conversione quæ est in terminis, de qua habitum est in principio primi libri istius scientiæ quæ dicitur *Priorum Analyticorum*, aut de convertibilitate in qua utrumque de utroque universaliter prædicatur. De conversione enim simplici quæ fit in terminis non videntur esse vera quæ dicta sunt : quia particularis affirmativa convertitur simpliciter et in terminis, et tamen in syllogismo in quo concluditur particularis, non contingit ostendere medium converti ad utrumque extremonum per conversionem extremonum ad invicem. Adhuc autem universalis affirmativa non convertitur simpliciter, cum tamen in præhabitibus accipiatur ut conversa simpliciter. Si autem dicatur quod de convertibilitate secundum proprietatem prædicationis intenditur, contrarium videtur esse, quod cum dicitur, omnis homo est asinus : omne risibile homo : ergo omne risibile asinus. Hic enim extrema non convertuntur : cum tamen medium convertatur cum minori extremitate. Adhuc regula inducta, sicut dictum est, ostensa est in syllogismo negativo, in quo extrema non convertuntur, nec habent convertibilitatem : quia unum extremonum removetur ab alio.

Solutio.

Dicendum autem ad hæc, meo judicio, quod ea quæ dicta sunt, juxta sententiam Aristotelis, intelliguntur de conversione simplici in terminis in qua subjectum fit

*Removet  
dubium.*

prædicatum, et e converso : et in qua per syllogismum majus extreum fit minus extreum, et e converso : et medium fit extreum, et e converso, eadem servata propositionum quantitate : propter quod convertitur universalis in universalem. Et hæc regula de ista conversione non se extendere potest ad modos particularium syllogismorum : quia non per hoc quod particulariter se habet ad extrema conversione potest ostendit extremonrum. Unde non se extendit nisi ad modos universalium syllogismorum, in hoc quod ostendatur quod medium convertitur ad utrumque extremonrum. Hoc enim non contingit in modis particularibus, quamvis extrema convertantur. Quod autem in syllogismo negativo potius quam in affirmativo ostensum est, quod si medium convertitur cum extremon, quod extrema convertuntur inter se : ideo factum est, quia hoc in syllogismo affirmativo per se cuilibet manifestum est : nec ostendi oportuit, quia quæcumque uni et eidem convertuntur, et ipsa inter se convertuntur : sicut quæcumque uni et eidem sunt eadem, et ipsa sunt eadem. Sic autem non est in syllogismo negativo in quo termini habent oppositionem : et ideo in syllogismo negativo in quo non videbatur esse verum, ostendi hoc oportuit.

*Dubitatio.* Est etiam dubium de hoc quod dictum est, quod ex conversa majoris vel minoris concluditur conversa conclusionis in negativo syllogismo. Si enim hoc fiat, ex conversa minoris erit dispositio tertiae figuræ minori existente negativa, et conclusione universalis in tertia figura : quorum utrumque est inconveniens. Si autem accipitur conversa majoris cum conversa minoris, fiet tunc ex tali dispositione prima figura, et minor fiet negativa, quod est iterum inconveniens. Hæc autem manifesta sunt si ex eisdem terminis A B C primo fiat syllogismus in secundo primi, et deinde ordinentur et disponantur ad invicem conversa majoris et minoris, aut e converso conversa mino-

ris et majoris. Sed ad hoc non est difficile respondere : quia sequitur conversa conclusionis sive accipiatur major sive conversa ejus : sed non sequitur propter formam syllogisticam, sed virtute terminorum convertibilium minoris propositionis : quia cum B et C convertantur, quidquid removetur ab uno, removetur et a reliquo : et a quocumque removetur unum, removetur et reliquum.

*Solutio.*

Similiter autem dubium est de hoc quod dictum est, quod ostenditur conversa majoris in negativo syllogismo per conversam conclusionis et minorem propositionem : sic enim minor propositio in prima figura sit negativa, quod est inconveniens : sic enim formabitur syllogismus, omne C est B, quæ fuit minor : nullum A est C, quæ est conversa conclusionis : ergo nullum A est B, quæ est conversa majoris. Ad hoc autem aliquando ab aliquibus dictum est, quod oportet intelligere negativam in terminis immediatam oppositionem habentibus in aliquo genere determinato, sicut par et impar opponuntur circa numerum, et rectum et curvum circa lineam : et tunc debet conversa conclusionis transponi in affirmativam, sic syllogizando, omne C est B, quæ est minor prioris syllogismi : omne non ens A est C, quæ est transpositio conversæ conclusionis, hujus scilicet, nullum A est C, ergo omne non ens A est B. Propter quod nullum A est B, et erit tunc vera et affirmativa propositio in quam transponitur negativa, sicut istæ sunt veræ, nullus numerus par est impar : omne non ens par in numeris est impar : et hoc est propter convertibilitatem et immediatam oppositionem in terminis.

*Solutio quo-  
rumdam.*

Posset tamen dici, sicut supra dictum est, quod in tali ostensione debet sumi conversa conclusionis non cum minori, sed cum conversa minoris ad concludendam conversam majoris in secundo secundæ, sicut in ante habitis (cum hæc probantur) factum est.

*Aliter.*

Si autem aliquis quærat, quare continet uti in tali ostensione conversa minoris

*Dubitatio.*

*Solutio quo-  
rumdam*

*Objectio  
contra solu-  
tionem.*

cum non sit demonstrata ex conversa conclusionis et majorem, vel conversa majoris? Dicunt aliqui quod hoc est, ideo quia in tali ostensione tam conclusio quam major et conversæ earum sunt negativæ, ex quibus non potest ostendi affirmativa: conversa autem majoris est propositio affirmativa. Sed contra hoc esse videtur quod hic ostenditur pro consequentia: et regula est hæc, quod quando convertuntur extremitates necesse est medium converti ad utramque extremitatem: et si hoc est verum, tunc oportet medium converti ad minorem extremitatem: propter quod vel regula falsa est, vel oportet quod possit ostendi conversa minoris. Nisi forte aliquis dicat quod regula non extendit se ad syllogismos negativos, sed solum ad affirmativos. Sed contra hoc esse videtur: quia si conversa conclusionis transponitur in affirmativam, et major similiter in affirmativam transponitur, sicut factum est in syllogismo circulari, ostendetur minor, sic, cui nulli inest *a* illi omni inest *c*, *b* nulli inest *a*, ergo *b* omni inest *c*, ergo omne *b* est *c* quæ est conversa minoris. Et satis potest concedi, quod sic ostendi potest conversa minoris: tamen hoc subtilius Aristoteles, et quia patet ex superius determinatis, et quia impropus quidam modus est ostensionis.

*Removet  
dubium.*

Potest etiam dici quod non tota hæc regula se extendit ad syllogismos negativos: et ideo non potest ostendi conversa minoris, nec licet hic uti transpositione negativæ in affirmativam, sicut factum est in syllogismo circulari: quod enim talis fit transpositio in syllogismo circulari, hoc fuit propter naturam circulationis, in qua non licet aliquem terminum extra accipere: et ideo manet vera affirmativa in quantum transponitur negativa, sicut et ipsa negativa vera est: hic autem non contingit uti tali transpositione: quia nihil ostenditur hic respiciendo ad naturam circulationis nisi per accidens: non enim ostenduntur hic conversæ propositionum per conversam con-

clusionis, ideo quod debeat fieri circulatio, sed ideo quia per talem conversionem debeat ostendi terminorum convercio. Et hæc dicta sint de regula prima.

## CAPUT II.

*De secunda regula sive consequentia, et  
tertia, et quarta, et quinta.*

Rursum autem in talibus terminorum conversionibus secunda regula consequentiæ est hæc, quod si *a* et *b* convertantur, et *c* et *d* convertantur: et universaliter unum sequatur, et antecedat ad alterum: et omni ei quod est, necesse sit *a* vel *c* inesse, et nulli uni possint ambo inesse: tunc regulariter verum est quod *b* et *d* similiter se habebunt, ita quod omni ei quod est, alterum insit, et nulli uni insint ambo, sicut est in oppositis per affirmationem et negationem: [quorum alterum inest omni ei quod est, et nulli uni insunt ambo. Hoc enim sic ostenditur: quoniam enim verum est generaliter, quod cui convenit *a* illi convenit esse *b*, cum dictum sit quod *a* et *b* convertuntur, cui convenit esse *c* illi convenit esse *d*, cum datum sit *c* et *d* converti: omni autem quod est, convenit esse *a* vel *c*, et nulli uni simul: hoc enim datum est in hypothesi, sequitur quod et *b* aut *d* convenit omni et nulli simul. Hujus autem exemplum est, ut si ingenitum esse et incorruptibile esse convertantur, ita quod omne ingenitum est incorruptibile, et omne incorruptibile est ingenitum: tunc necesse est quod et factum et corruptibile convertantur: et omne factum erit corruptibile, et omne corruptibile factum, sicut hac propositione utitur Plato in prima parte Timæi: et ideo si ingenitum sit *a*, et incorruptibile sit *b*, et factum sit *c*, corruptibile sit *d*, tunc enim omne quod est, vel est ingenitum, vel factum, et nihil unum est factum et ingenitum: et omne quod est, aut incorruptibile, vel corruptibile et nihil unum est corruptibile et incorruptibile. Ad hoc enim pro-

bandum duo syllogismi sunt constituti. Prima enim pars consequentiæ ostenditur syllogismo uno, et secunda pars ejusdem consequentiæ ostenditur syllogismo secundo. Prima enim pars ostenditur sic, omne quod est A vel C est B vel D, sed omne quod est, est A vel C, ergo omne quod est, est B vel D. Alia autem pars ejusdem consequentiæ ostenditur alio syllogismo, sic, quidquid est B vel D est A vel C, sed nihil idem est C et A, ergo nihil idem est B et D. Præmissæ autem manifestæ sunt : quia ex hypothesi sumuntur. Et sic patet quod tenet universaliter regula et consequentia prædicta.

Tertia quasi conversa est præcedentis, et est hæc. Si omni ei quod est, inest A vel B, et similiter C vel D, simul autem nulli insunt A et B et C et D ; si convertitur A cum C, ita quod omne A est C, et e converso omne C A, oportet quod et B et D convertantur, ita quod omne B sit D et omne D B. Hujus autem probatio est per impossibile, sic. Si enim B et D non convertuntur, tunc unum eorum erit in plus quam reliquum. Dicatur ergo D de pluribus quam B, ergo alicui non inest B cui inest D, sicut alicui non inest homo cui inest animal. Si autem B illi non inest, tunc illi cui non inest B illi inerit A, quia A et B sunt de omni et de nullo simul. Si autem A inest illi, tunc illi eidem inest C, quia dictum est quod C et D convertuntur : ergo alicui simul convenit esse et C et D. Hoc autem est impossibile, quia est contra hypothesisim. Dictum est enim quod C et D sunt de omni et de nullo simul. Hoc autem planum est in terminis superius inductis, si A sit ingenitum, et B incorruptibile, C autem factum, et D sit corruptibile.

Quarta consequentiæ regula hæc est, quod quando A prædicatum omni inest B et C subjectis, ita quod A universaliter prædicatur de his duobus subjectis, quæ sunt B et C et de solis illis, ita quod de nullo altero prædicatur : si unum subjectorum illorum de altero prædicatur universaliter, ita quod B subjectum inest om-

ni C, tunc necesse est etiam A prædicatum converti cum B. Hujus autem probatio est hæc. Constat enim ex hypothesi, quod de solis B C subjectis dicitur A prædicatum. Constat autem quod B subjectum prædicatur de seipso: quia B est B. Datum est etiam quod B prædicatur de C. Prædicatur ergo de B et C et de solis illis prædicatur A, ergo B prædicatur de eisdem et solis de quibus prædicatur A, ergo oportet quod convertantur : quia de eisdem et de solis illis ambo prædicantur. Manifestum est enim ex predictis, quod de quibus A prædicatur omnibus et solis, de omnibus et solis prædicatur B.

Quinta regula consequentiæ est, quod quando A et B prædicata toti C subjecto insunt, ita quod de C universaliter ambo prædicantur : et si convertitur C cum B, tunc necesse est A primum prædicatum omni B inesse et universaliter prædicari de ipso. Hoc autem probatur per syllogismum qui est in primo primæ figuræ : quoniam enim omni C inest A et C inest omni B, sequitur quod necesse est A omni B inesse. Sic autem formatur syllogismus, omne C est A, omne B C quia convertuntur : ergo omne B est A.

Istæ autem quinque regulæ consequentiæ sic accipiendæ sunt, quod primæ tres ideo ponuntur quia utiles sunt ad conversionem terminorum pertinentium, et ad reductionem orationum simpliciter, et ad reductionem pertinentium. Duæ autem, scilicet quarta et quinta, pertinent ad reductionem quarundam orationum specialium. Primarum autem trium prima datur ad evidentiam reductionis quæ fit in oratione una syllogizata in aliam syllogizatam. Aliæ autem duæ (secunda scilicet et tertia) dantur propter evidentiā orationis non syllogizatæ, sed syllogizandæ. Sed oratio syllogizanda vel est affirmativa, vel negativa. Et secunda quidem regula datur propter conversionem terminorum orationis negativæ syllogizandæ, et per consequens propter reductionem ejus. Tertia vero datur propter conversionem terminorum

Ad quid  
sunt utiles  
quinque re-  
gulae conse-  
quentiarum  
prius possi-  
tæ.

orationis negativæ syllogizandæ, et per consequens per reductionem ejusdem. Hæc autem ex hoc manifesta sunt: quia secunda regula concludit terminorum oppositionem, tertia vero concludit terminorum convertibilitatem, quarta vero et quinta positæ sunt propter quasdam speciales argumentationes reducendas. Quarta enim propter enthymema et propter ordinationem signi et prodigii in syllogismum. Quinta autem ponitur propter inductionem et reductionem ejus in syllogismum.

**Objectio.** Si autem aliquis objiciat quod secundum hoc deberet aliqua esse regula docens reductionem exempli et deductionis et instantiæ, vel dicatur quare istæ non dantur. Et dicendum ad hoc, quod instantia et deductio vere syllogizatae sunt, et ideo non indigent reductione in syllogismum, sicut indigent enthymema et inductio. Exemplum autem non est reducibile in syllogismum, quia constat ex quatuor terminis: nec etiam reducibile est in syllogismos, quia de se necessarii sunt, sicut patebit in sequentibus: et ideo non dantur regulæ docentes reductionem deductionis exempli et instantiæ, sicut dantur regulæ inductionis et enthymematis. Ex his igitur patet, qualiter sumuntur inductæ regulæ, et ad quid sunt hic necessariæ, licet quædam talium ante in syllogismo circulari videantur esse determinata.

*De sexta regula docente consequentiam eligendorum.*

### CAPUT III.

*De sexta regula docente consequentiam eligendorum.*

Quando autem duo fuerint opposita, sicut **a** et **b**, ita quod **a** sit eligendum et **b** fugiendum. Similiter alia duo sint opposita, scilicet **c** et **d** sit eligendum, et **c** fugiendum. Adhuc detur quod magis eligenda sint **a c** conjuncta quam **b d**, si tali positione facta magis eligenda sint **a c** conjuncta quam **b d** conjuncta, sequitur quod **a** magis est eligendum per se solum

quam **b**. Hoc autem probatur per ad impossibile deductionem: detur enim quod **a** non est magis eligendum quam **b**: hoc autem ex duabus potest esse causis, scilicet vel ex hoc quod æqualiter eligenda sunt **a** et **b**, vel quia **a** minus eligendum quam **b**. Siquidem æqualiter sint eligenda **a** et **b**, sed jam datum est in hypothesi quod similiter sive æqualiter eligendum est **a** sive sequendum, sicut **b** fugiendum: hæc enim dicta sunt esse opposita: et **c** et **d** similiter dicta sunt esse opposita: quia et hæc quæ sunt **c d** opponuntur, sicut **a** et **b**. Si ergo detur quod **a** ei quod est **b** similiter est eligendum: et ei quod est **c** dicatur similiter fugiendum esse **b**, ita quod **c** et **b** æqualiter fugienda sint: datum est enim, quod utrumque, scilicet **a** et **b** et **c** et **b** utriusque suorum oppositorum, similiter est sive æqualiter fugiendum et sequendum sive eligendum: propter quod relinquitur quod etiam conjuncta ambo simul, scilicet cum **b** et **b** cum **d** sint æqualiter eligenda vel fugienda: magis enim eligendo magis fugiendum opponitur, et æqualiter eligendo opponitur æqualiter fugiendum, et minus eligendo minus fugiendum: cum ergo **c** et **b** sint fugienda, sequitur quod aggregatum ex **a** et **c** erit similiter eligendum, sicut aggregatum ex **b** et **d** cuius oppositum datum est in hypothesi quæ dixit conjunctum ex **a** et **c** magis esse eligendum, quam conjunctum ex **b** et **d**: quando enim datum est quod magis aliquid alicui eligendum est, tunc non est possibile quod similiter eligendum sit illi. Si enim **a** similiter sit eligendum sicut **b**, et **a c** similiter erunt eligenda, sequitur quod etiam **b d** similiter erunt eligenda sicut **a c**, quod est contra hypothesis.

Si autem detur secundum, quod scilicet ideo non sequitur quod **a c** sit magis eligendum quam **c b**, ideo quia **b** est magis eligendum quam **a**, tunc sequitur quod **b** sit minus fugiendum quam **c**, quia magis eligendo magis fugiendum opponitur, et minus eligendo minus fugiendum, et æqualiter eligendo æqualiter fugien-

dum : et ita quod minus est eligendum, minus fugiendo opponitur : constat autem quod magis eligendum est magis bonum et minus malum conjuncta, quam minus bonum et magis malum conjuncta : universum igitur  $\beta \Delta$  conjunctum magis erit eligendum, quam universum  $\alpha c$  ex ambobus conjunctum. Nunc autem non est sic : quia hoc est contra hypothesis quæ dixit  $\alpha c$  magis esse eligendum. Si autem hoc est impossibile : tunc sequitur conclusio prima, quod scilicet  $\alpha$  sit magis eligendum quam  $\beta$ , et quod  $c$  minus sit fugiendum quam  $\beta$ .

Hoc autem patet in exemplo determinato : sit enim  $\alpha$  velle concedere,  $\beta$  autem sit nolle concedere,  $\beta$  autem sit concedere secundum actum,  $c$  autem sit non concedere: ita quod concedere sit agere secundum amorem, velle autem concedere sit de hoc habere voluntatem agendi secundum amorem sine actu, et  $\beta$  sit agere sine voluntate,  $c$  autem non concedere sive non agere secundum amorem, et tamen agendi habere voluntatem. Si ergo magis est expetendum ab amico ut amicus velit agere, quamvis non agat, quam nolle agere cum tamen agat, patet quod magis est eligenda bona voluntas sine actione, quam actio sine bona voluntate. Ad terminos autem trascendentes hoc reducitur sic. Si enim eligit omnis amans ab amico secundum amorem sic se habere, ut concedere velit quamvis non agat: non concedere autem sit in quo  $c$ , concedere autem sit in quo  $\beta$ , et non talem esse ut secundum amorem concedere velit, sit in quo est  $\beta$ : tunc enim manifestum est ex dictis, quoniam  $\alpha$  quod est hujusmodi, ut concedere velit secundum amorem, magis est eligendum quam  $\beta$  quod est concedere et non velle.

Ex hoc ulterius infertur quod diligere (quod est secundum amorem velle bonum) magis est eligendum quam coitus qui est agere secundum amorem actione corporali. Et ulterius patet quod amor magis est dilectionis sicut finis, quam coitus sit finis amoris. Si autem maxime est

*Magis eli-  
genda est  
bona volun-  
tas sine ac-  
tione quam  
actio sine  
bona volun-  
tate.*

hujus sicut finis : tunc sequitur quod dilectio finis est amicitiae et non coire. Et ulterius concluditur, quod hujus quod est coire, aut omnino non est amor amicitiae sicut finis : aut si est ejus quod est coire, tunc est ejus sicut gratia alterius quod est causa diligendi : quia ex coitu dilectio inducitur. Nam et aliæ concupiscentiæ et artes sic sunt, quod sunt propter ultimum et optimum sicut propter finem.

Ex dictis igitur manifestum est, quomodo se habent et habere debent termini secundum conversionem. Et adhuc ulterius manifestum est quomodo se habent in consequentiis in eo quod magis fugiendi vel magis eligendi sunt. Attendendum autem est hic, quod quamvis ista scientia generalis sit rectificans in omnibus, tamen quia in moribus eligenda et fugienda non omnino sequuntur regulas universales, ut dicit Aristoteles in *Ethicis*, ideo oportuit hic aliquid addere communi arti, quod non est necesse in physicis, mathematicis, vel metaphysicis, quæ generales sequuntur regulas.

Objec*tio*

Adhuc tamen potest opponi contra hoc quod dictum est, quod scilicet magis eligendo opponitur magis fugiendum, et æque eligendo æque fugiendum, et minus eligendo minus fugiendum. Hoc enim instantiam habere videtur : quia bene vivere, magis est eligendum quam vivere : et tamen non bene vivere, non est magis fugiendum quam non vivere. Adhuc esse perfecte bonum, magis eligendum est quam esse bonum : et tamen esse imperfecte bonum, minus est fugiendum quam non esse bonum. Sed ad hæc et similia dicendum est, quod ea quæ dicta sunt, intelliguntur de his ubi unum eligendorum non est in altero, nec est pars alterius, sicut se habent virtus et scientia: cum enim virtus magis sit eligenda quam scientia, vitium magis est fugiendum quam ignorantia.

Solutio.  
Nota glori-  
sam.

## CAPUT IV.

*Dereductione inductionis in syllogismum.*

His autem sic habitis, de reductione aliarum argumentationum in syllogismum dicendum est: quoniam autem non solum dialectici et demonstrativi syllogismi fiunt per prædictas figuræ, sed etiam rhetorici qui imperfectas habent argumentationes, fiunt per prædictas figuræ, et simpliciter sive universaliter quæcumque fides fit secundum quamcumque argumentationem secundum unamquamque artem, illæ argumentationes reductæ in syllogismum secundum dictas fiunt figuræ: et hoc quidem nunc deinceps dicemus. Primum autem de *inductione*: quia plus inter alias habet de forma argumentationis<sup>1</sup>. Omnia autem credimus fidem accipiendo, aut per syllogismum, aut per inductionem: sub his enim duobus comprehenditur exemplum et enthymema.

Diffiniamus enim primo inductionem dicentes, quod inductio et syllogismus qui est ex inductione, est alterum extremum de medio per alteram sive tertiam extremitatem syllogizare. Dico autem tertium: quia tria sunt primum et medium et tertium: et syllogizatur in syllogismo inductive primum de medio per tertium. Cujus exemplum in terminis transcendentibus est, ut istorum extremorum quæ sunt A c, medium sit B, tunc per c ostendere A inesse B est inductive syllogismus: sic enim facimus inductiones sive syllogismos inductiveos. Hoc autem patet in terminis materialibus, sic. Sit enim A (quod est primum) esse longævum: id autem in quo B sit cholera non habere: id autem in quo C sit singulare longævum, ut homo, et equus, et mulus, et singula hujusmodi: et sic primum est longævum, medium autem erit non ha-

bens cholera, tertium autem singularia non habentia cholera. Patet igitur quod primum inest tertio, quia singulare non habens cholera, est non habens cholera: et cum omne non habens cholera, convertatur cum singularibus non habentibus cholera, patet quod omne longævum dicitur de non habente cholera: et erit tunc sic formandus syllogismus, omne quod est equus, vel mulus, vel homo, et sic de aliis, est longævum: sed omne non habens cholera, est equus, et mulus, et homo, et sic de aliis: ergo omne non habens cholera est longævum. Toti enim c secundum hanc positionem inest A, omne enim quod sine cholera est, longævum est: sed B (quod est non habere cholera) omni inest c. Hoc autem ostenditur per conjunctam in antecedenti capitulo datam regulam: quia si tam primum quam medium dicatur de tertio, et medium et tertium convertantur, necesse est primum vel ultimum dici de medio: quia ostensum est quod si duo prædicata dicantur de aliquo subiecto, et unum prædicatorum illorum convertatur cum illo: tunc reliquum de illo dicetur universaliter quod cum subjecto convertitur: ostensum est enim prius in antecedenti capitulo, quoniam si duo aliqua prædicata eidem subjecto insunt, et ad alterum illorum convertatur subiectum quod est extremum in syllogismo: quoniam ei quod convertitur, etiam alterum inerit universaliter prædicatum.

Intelligendum est enim esse terminum c, scilicet ex omnibus singularibus ipsius medii aggregatum sive compositum: eo quod inductio est per omnia singularia nullo omissa. Differentia autem inductionis ad syllogismum (quoad conclusiones ipsorum) est hæc, quod inductio est syllogismus propositionis primæ et immediatæ. Syllogismus autem est quoad conclusionem propositionis mediatæ: propositionum enim quarum est medium

<sup>1</sup> Patet quod *inductio* plus habet de forma argumentationis quam *rhetoricæ* argumenta-

tiones, quod magis inferius patebit.

syllogismus est talium propositionum per medium illud quod habent: quarum autem propositionum non est medium, sicut principiorum, est fides per inductiōnē<sup>1</sup>. Quo autem ad præmissas differentia est inter inductionem et syllogismum, quod inductio quodammodo opponitur syllogismo: nam syllogismus quidem per medium ostendit extēnum sive primum tertio inesse. Inductio vero ostendit per tertium primum extēnum inesse medio. Ergo ex hoc ulterius concluditur, quod syllogismus est per medium, quod est natura prius et evidētius secundum rei naturam. Inductio autem sive inductivus syllogismus est per nobis manifestius et evidētius.

Attendendum autem est hic, quod hic determinatur de inductione prout communiter se habet ad dialecticū et demonstratorem, in *Topicis* autem prout se habet ad dialecticū tantum. Et quia inductio nullam habet necessitatē nisi a syllogismo, ideo non habet specialem artem in qua determinetur de ipsa sicut habet syllogismus: non enim oportet specialem artem tradere de inductione, quia ex diffinitione ipsius assignata et exposita satis patet qualiter fieri debeat inductio.

**Dubitatio.** Si autem quæritur, quomodo inductio reducitur in syllogismum, cum inductio et syllogismus habeant oppositionem? Dicendum quod inductio in syllogismum reducitur materialiter et non formaliter, ita quod forma inductionis reducatur in formam syllogismi: sed quia materia nunc existens sub forma inductionis reducitur ad acceptiōnē formae syllogisticae. Syllogismo enim communiter dicto non opponitur inductio: quinimo sic sumendo syllogismum est verum dicere, quod inductio est syllogismus, sed syllogismo proprie dicto opponitur inductio. Quamvis autem inductio reducatur in syllogismum primi modi primæ figuræ,

**Solutio.**

qui perfectissimus est omnium syllogismorum, et fit syllogismus immediatæ propositionis, sicut dictum est: tamen non reducitur nisi in syllogismum communiter et non proprie dictum: syllogismus enim primi modi primæ figuræ perfectissimus et nobilissimus est quantum ad modum: non tamen semper salvatur natura et ratio syllogismi proprie dicti: et ideo cum inductio reducitur in ipsum, non salvatur in eo natura syllogismi proprie dicti secundum modum, hoc est, secundum quod est ostendere in ipso primum de medio per tertium: quod proprium est inductionis. Nec sequitur, si est syllogismus immediatæ propositionis, quod sit syllogismus simpliciter: quia omnis syllogismus proprie dictus est syllogismus mediatae propositionis: quia ostendit per medium, cum inductio ostendat per extēnum.

Si autem quæritur, qualiter sint sumenda singularia cum inductio reducitur in syllogismum, utrum scilicet vel sub disjunctione, vel copulatione? Dicendum quod sub disjunctione sunt sumenda, sic, omne quod est iste vel ille, et sic de singulis, est animal: omnis homo est iste vel ille, et sic de singulis: ergo omnis homo est animal. Et similiter debet accipi inductio in negativa universalī. Cujus ratio est: quia eodem modo debent sumi singularia quo ipsa ordinantur sub medio: sed sub medio ordinata sunt sub disjunctione, et non sub copulatione. Alia autem ratio est: quia collectum ex omnibus debet prædicari in oratione inductivi syllogismi: eo ergo modo debet unum esse quo totum universale est prædicabile: totum autem universale est prædicabile de multis sub disjunctione collectis: propter quod etiam singularia sub disjunctione debent ordinari.

Sciendum etiam quod inductio cum concludat universalem oppositionem, non potest reduci in tertiam figuram: sed

**Dubitatio.****Solutio**

<sup>1</sup> Quomodo differt inductio a syllogismo? Inductio est ad propositiones immediatas, ut colligatur hic et I *Physic.* tex. com. 44; syllogismus autem est ad propositiones mediatas.

omnis inductio affirmativa reducitur in primum primæ figuræ, et omnis inductio negativa reducitur primo in secundum primæ. Sed deinde potest transferri ad secundam figuram per conversionem majoris, sicut in ante habitis dictum est. Adhuc autem quamvis singularia sint infinitæ multitudinis, ut dicit Plato: tamen ad inductionem perfectam oportet in summa inducere, non quod omnia sigillatim numerentur, sed ut breviter collecta insinuentur, dicendo, et sic de singulis, vel sic de aliis. Ad inductionem autem probabilem sufficit de pluribus inductio, dummodo non videatur instantia, sicut dicitur in *Topicis*. Tantum ergo dictum sit de inductione.

## CAPUT V.

*De exemplo, quid sit et qualiter se habeat ad syllogismum et ad inductionem.*

Cum exemplum annexum sit inductioni, eo quod ex multis exemplariter acceptis sit inductio, post inductionem determinandum est de exemplo, quid sit in genere argumentationis, et qualiter se habeat ad syllogismum et ad inductionem.

Dicimus igitur quod *exemplum* est argumentatio, quando sive in qua medium extremo inesse ostenditur per id quod est simile tertio: et sic exemplum quatuor terminos habere necesse est. Oportet autem in exemplo sumi, quod primum inquit tertio per medium, et quod primum sit simile tertio, hoc est, primum inesse tertio per simile tertio, et quod hoc simile sit evidentius. Et hoc ostenditur facilius in terminis sic, ut primum sit malum in quo sit a, b autem sit contra confines inferre bellum: et hoc autem in quo est c sit Athenienses pugnare contra Thebanos: in quo vero d sit pugnare Thebanos contra Phocenses. Si ergo volumus ostendere, quoniam Thebanis, hoc est, contra Thebanos pugnare malum est Athenienses, quod est ostendere primum de tertio

per medium: et ideo sumendum est medium, id scilicet, quoniam contra confines pugnare malum est. Et si volumus ostendere primum de medio, hoc ostendemus per simile vel similia tertio: quia hujus quod est primum inesse (quod prius ad medium sumptum est quando primum de tertio concludebatur) fides fit et efficitur ex simili vel similibus notis et notioribus, quam notum sit primum inesse tertio, ut verbi gratia, quoniam Thebanis contra Phocenses confines suos pugnare malum fuit, et quod evidens sit et notum. Sic ergo argumentandum est primum de tertio per medium concludendo sic, confines contra confines pugnare malum est: Athenienses pugnare contra Thebanos, est pugnare confines contra confines: ergo manifestum est malum esse Athenienses pugnare contra Thebanos. Manifestum est enim quoniam b (quod est contra confines pugnare) inest ipsi c, hoc est Athenienses contra Thebanos pugnare: quia hoc est contra confines pugnare: et idem etiam inest ipsi quod est d, quia Thebanos et Phocenses pugnare est confines contra confines pugnare: et ideo utrumque istorum et c et d est contra confines pugnare. Manifestum etiam est quoniam a (quod est malum) inest d, et est manifestius et evidentius quam quod a inquit c, hoc est, quod primum inest quarto, quod est simile tertio, manifestius est quam quod primum inest medio: quia quod a inest b (hoc est, primum medio ostenditur per d, quod est simile tertio).

Similiter autem est sive eodem modo si per plura similia fides fit vel fiat medii ad extremum, quo scilicet probetur primum extremum inesse medio: quæ tamen omnia sint similia tertio. Et quamvis plura similia inducantur, non tamen omnia induci debent: quia sic esset inductio. Attendum autem quod in exemplo secundum ea quæ dicta sunt, duæ sunt argumentationes: ostenditur enim primum de tertio per medium: et hoc fit per syllogismum. Secundo autem quasi in proar

gumentatione (quæ loco prosyllogismi est) ostenditur primum de medio per simile tertio : et in illa argumentatione trahitur fides ab exemplo : in priori autem argumentatione fides trahitur a medio.

**Objectio.** Si quis autem opponat, quod non sic diffinit Boetius exemplum in *Topicis* suis, qui dicit quod exemplum est quando particulare ostenditur de particulari per particulare simile : particulare autem non potest esse medium, sicut ostensum est supra in his quæ de inventione medii dicta sunt : et sic falsum videtur esse quod dictum est de ostensione primi de tertio per medium, et ostensione primi

**Solutio.** de medio per simile tertio. Sed ad hoc dicendum, sicut dictum est paulo ante, quod in hoc completur diffinitio exempli, quando primum ostenditur de medio per simile tertio : et in tali ostensione oportet evidentius esse, quod primum inest ei quod est simile tertio, quam quod primum inest tertio : et ideo exempli substantia consistit in comparatione primæ præmissæ ad ultimam conclusionem : et prima præmissa est particularis, et ultima conclusio similiter est particularis : præmissa enim est malum esse Athenienses pugnare contra Phocenses : et ultima conclusio est Athenienses pugnare contra Thebanos : hoc enim fuit probandum per exemplum : et ideo quod primum probatur de medio, non facit exemplum : sed quod primum de tertio per simile tertio, hoc facit exemplum : et ideo nihil est quod objicitur de medio.

Manifestum est igitur ex his, ex quo præmissa est particularis et ultima conclusio est particularis, quoniam id in quo completur exempli ratio, est sicut pars ad partem se habens<sup>1</sup>. Probatur enim in eo particulare per particulare, et non habet se exemplum ad id per quod probatur, nec ut pars ad totum universale, neque ut totum universale ad partem, sicut

est in syllogismis qui per dici de omni probantur : sed se habet sicut pars ad partem, sive sicut particulare ad particolare, quando ambo duo particularia sunt sub eodem communi, sicut Athenienses pugnare Thebanis, et Thebanos pugnare Phocensibus, ambo sunt sub hoc medio quod est confines pugnare contra confines, et hoc esse malum : sed alterum istorum particularium evidens est : et ideo ex illo infertur primum. In hoc igitur exemplum differt a syllogismo. Unde exemplum reducitur ad duos syllogismos, sicut in ante habitis istius capituli ostensum est.

Si autem quis objiciat, quod tunc quando primum concluditur de medio, aut concluditur de medio universaliter sumpto, aut de medio sumpto indefinite. Si concluditur de medio universaliter sumpto, fallacia consequentis erit in argomento, in quo primum de medio concluditur per simile tertio : quia universale infertur ex particulari, quod non contingit : sed potius e converso particulare debet inferri ex universalis. Si autem concluditur primum de medio sumpto indefinite : tunc non valet secundum argumentum : eo quod non habet universalem propositionem, ex qua sola fit illatio syllogistica. Ad hoc autem dicendum quod primum ostenditur de medio universaliter sumpto per simile tertio, sed non ex necessitate, sed potius ex præconfessione respondentis, scilicet si concedatur similiter esse in uno et in aliis, sicut

**Objectio.**

si Thebanis malum est pugnare contra Phocenses, quod omnibus confinibus sit malum confines impugnare. Et sic cum reducitur in duos syllogismos, secundus de se habet necessitatem : primus autem qui prosyllogismus est vel loco prosyllogismi, probabilis est, non de se, sed ex præconfessione habet necessitatem<sup>2</sup>. Primus enim probat primum de medio per

cessitatem nisi ex præconfessione respondentis, secundus autem de se habet necessitatem. P. J.

<sup>1</sup> Ex hoc colligitur differentia inter exemplum et syllogismum. P. J.

<sup>2</sup> Ex hoc infer quod *exemplum* reducitur in duos syllogismos, quorum unus non habet ne-

simile tertio : et illo facto secundus probat propositum per medium jam probatum.

Exemplum autem differt ab inductione in hoc, quod inductio ex omnibus individuis inductis ostendebat extremum inesse medio, et ad extremum non copulabat syllogismum : ostendit enim inductio ostendendum primum de medio per omnia medii particularia, et non concludit primum de postremo. Exemplum autem concludit primum de tertio per medium, et non per omnia particularia, sed per aliquod vel aliqua. Unde inductio ex omnibus individuis extremum ostendebat inesse medio, et ad extremum non copulabat syllogismum : hoc autem quod est exemplum, et copulat ad extremum, et non ex omnibus singularibus, sed ex quodam vel quibusdam ostendit.

Reducitur autem exemplum ad inductionem in hoc, quod multa exempla faciunt unam inductionem, per hoc quod multa exempla multa concludunt particularia, ex quibus aggregatis fit universale quod concluditur in inductione : et sic multa exempla faciunt unam inductionem. Quamvis autem multa exempla faciant unam inductionem, et inductio una reducatur in syllogismum unum : non tamen propter hoc exemplum reducitur in syllogismum unum : quia exemplum eo modo quo in syllogismum reducitur, quatuor habet terminos, et ideo non potest reduci in syllogismum unum. Eo autem modo quo multa exempla unam faciunt inductionem, aufertur medium in eis, et remanent tres tantum termini, scilicet primum, et tertium, et simile tertio : sed multa tertia in unum tertium aggregantur, et multa similia tertio, aggregantur in unum tertio simile. Et sic multa exempla eo modo quo faciunt unam inductionem, in unum reducuntur syllogismum immediate. Tamen eo modo quo exemplum quatuor habet terminos, exemplum in unum syllogismum reduci non potest. Hoc autem manifestum est, si quis conferat ad invicem unius generis multa exempla.

Quomodo  
exemplum  
reducitur in  
inductio-  
nem.

Removet  
dubium.

Notandum autem cum exemplum nullam secundum se faciat necessitatem, quod principaliter nec pertinet ad dialecticum, nec ad demonstratorem, sed ad rhetorem : secundum tamen quod non ex se, sed ex præconfessione facit probabilitatem, potest referri ad dialecticum.

## CAPUT VI.

*De deductione, quid et quot modis fiat.*

Deductio autem (quia opponitur per aliquem modum inductioni) post hæc ordinanda : habet enim deductio medium magis notum secundum naturam conclusionem, et propinquius scientiæ quam inductio quæ secundum naturam rei habet minus notum et remotius a scientia secundum naturam : infert enim universale ex singularibus, quæ secundum naturam minus nota sunt, et magis remota a scientia quam universale.

Est igitur deductio, quando ipsi medio palam est inesse primum extremum sive majus extremum in majori propositione, in qua majus extremum prædicatur de medio : sic enim se habentibus terminis, primo scilicet, et medio, propositio major efficitur per se nota. Sed dubium est an postremo quod est minor extremitas, insit medium in minori propositione, in qua medium prædicatur de minori extremitate secundum dispositionem primæ figuræ : et quamvis dubium sit hoc, tamen vel similiter vel æqualiter debet esse creditibilis, aut etiam magis creditibilis quam conclusio sive conclusionem : tunc enim quia non est certa minor, perfectam scientiam facere non potest : et quia aliquid habet credulitatis aliquo modo disposita in formam syllogismi, deducit et vicinat ad scientiam, quamvis non attingat perfecte usque ad scientiam. Iste est igitur unus et prior modus deductionis.

Amplius autem secundus modus deductionis est, si quidem minor mediata sit propositio, sicut et conclusio : tamen pauciora sunt media ad probandam mi-

norem, quam ad probandam conclusio-nem : tunc enim omnino accidit minor-em (eo quod pauciora habet media-quam conclusio) propinquorem esse scientiæ : quamvis enim medium sit cau-sa scientiæ, tamen quod plura habet me-dia, incertius est et longius a scientia, quam id quod pauciora, quia longinqui-us est a primis principiis per se notis et im-mediatis<sup>1</sup>. Isti igitur duo modi sunt de-ductionis. Penes diversitatem enim ma-joris deductio sumi non potest : quia in ipsa est tota virtus inferendi in syllogis-mo : et conclusio est pars ipsius : et ideo si ipsa esset dubia, nulla oratio fieret de-ductio ad scientiæ vicinitatem.

Explanatio autem primi modi deduc-tionis est in terminis A B C transcen-den-tibus : qui tamen ad materiam determi-nantur in exemplo Platonis posito in li-bro qui dicitur *Mennonis*, ubi quæritur, utrum virtus sit disciplinabile vel assue-scibile bonum, vel donum a diis dona-tum ? Sit enim A docibile, quod est ma-jor extremitas. Id autem in quo est B me-dium, sit disciplina, C autem minor extremitas sit justitia generalis, quæ est virtus in genere. Tali autem dispo-sitione terminorum facta, manifestum est per se, quod omnis disciplina docibilis est, et incrementum accipit experimen-to et do-ctrina. Quod autem justitia generalis sive virtus sit disciplina (quamvis hoc dixit Socrates) dubium est. Si ergo in tali syl-logismo similiter sive æqualiter vel magis credibilis sit propositio minor (quæ est B C) quam conclusio quæ est A C pro-positio : tunc talis syllogismus deductio vocatur. Cujus ratio est : quia propin-quius est scientiæ : eo quod sic syllogi-zantes assumpserint A C conclusionem ta-lem esse, cuius prius nullam habuerint disciplinam sive scientiam, B C autem propositionem sumpserunt quidem du-biam, sed non penitus ignoratam.

Objection  
Solutio.

Si quis autem objiciat dicens quod ubi minor propositio est dubia, ibi petitur id quod est in principio. Dicendum quod hoc non est verum ubi minor penitus sit ignorata. Adhuc autem cum minor sit dubia, si debeat esse petitio principii, oportet converti terminos majoris propo-sitionis : hic autem non est sic. Sic ergo explanatus est modus primus deductio-nis : et arguitur sic in primo primæ, om-nis disciplina docibilis : omnis virtus di-sciplina: ergo omnis virtus docibilis.

Aut rursus in modo secundo talis fit explanatio, et per terminos transcen-den-tes, et per terminos in materia speciali sumptos. Secundus enim modus est, si pauciora sunt media ad hoc quod C sit B (quod dixit minor propositio) quam ad conclusionem : nam et sic minor est ali-quit propinquius scientiæ quam penitus ignorata conclusio, ut si D sit quadrangulari vel quadrari, et sit major extremitas ; id autem in quo est E sit recta linea, quæ est medium ; in quo autem est F minor extremitas, sit circulus. Si ergo ejus quæ est minor E F propositio, sit unum solum me-dium, hoc scilicet, per lunares figuræ sive portiones æquales sumere lineas cur-vas rectæ lineæ quæ est quadrati radix, et sic circulum æqualem fieri rectæ lineæ quadrati : ad conclusionem autem plura habeantur media, quam hoc quod dictum est : tunc iste est secundus modus de-ductionis : quia tunc iterum minor pro-pinquior est scientiæ, quam conclusio : et syllogizatur sic, omnis linea recta qua-dratur per lunares figuræ ; per conum circuli est accipere lineas curvas lineis rectis æquales : ergo per lunares figuræ contingit quadrari circulum.

Quando autem minor propositio quæ est B C neque credibilior est, neque æque credibilis conclusione, quæ est A C, neque pauca sive pauciora media sunt ad mino-rem quam ad conclusionem : tunc non

<sup>1</sup> Colligitur etiam ex I Posteriorum, tex. com. 9, quod quo plura aliquod habet media, eo in-

certius est et longius a scientia.

dico talem argumentationem esse deductionem : quia non conductit ad aliquid vel per aliquid propinquius scientiæ. Similiter etiam non dicitur deductio, quando immediata et per se nota est minor propositio sicut major : talis enim syllogismus demonstratio est, et disciplina sive perfecta scientia est, quod est hujusmodi, et non est deductio in ipso, sed status et finis. Quamvis autem deductio secundum utrumque modum dicta, in prima figura tantum hic disposita sit a nobis : potest tamen fieri in qualibet figura, dummodo caveatur quod illa quæ fiet major (cum syllogismus secundæ vel tertiae figuræ in primam figuram reducitur) semper sit per se nota et altera dubia, sed non ignorata.

Deductio autem modus rationis est deficiens a demonstratione quando est in demonstrativis, et deficiens a certitudine syllogistica quando est in probabilibus et dialecticis. Et hæc de deductione dicta sunt. Hic enim posita sunt ea quæ dicta sunt propter oppositionem quam habet ad inductionem : et non est usus ejus multum in scientiis vel artibus.

### CAPUT VII.

#### *De instantia sive instantivo syllogismo, quid sit et per quas fiat figuræ.*

Quare hic determinandum de instantia sive de instantivo syllogismo qui in aliquo opponitur exemplo : quia exemplum constat ex quatuor terminis, quorum quartus similis est tertio. Similiter in instantivo syllogismo sunt quatuor ad minus secundum rationem, quorum tertius et quartus habent rationem oppositionis. Unus enim sub affirmatione sumitur, et alter sub negatione : sunt tamen idem tertius et quartus, circumscribendo affirmationem et negationem : et ideo cum jam determinatum sit de exemplo, nunc hic determinandum est de instantia.

Attendendum autem quod instantia dicitur duobus modis. Uno enim modo di-

citur instantia propositio instans absolute considerata. Alio modo ipsa ratio (per quam probatur talis propositio et concluditur) dicitur instantia. Et considerabimus hic de instantia communiter ad utrumque modum dicta. Et cum dicitur quod instantia est propositio, non intelligitur quod sit propositio absolute considerata, sed etiam quod sit propositio conclusa secundum ejus ordinationem ad sua principia, ita quod nomen propositionis quodammodo pro altero dicat positionem, et importet totam substantiam rationis et syllogismi instantivi, et ita in nomine propositionis comprehenditur instantia utroque modo dicta. Hoc igitur modo determinantes de instantia (hoc enim modo dicta instantia substantialiter non differt ab elencho, sed secundum rationem tantum : elenchus enim est secundum quod syllogizat oppositum respondentis, instantia autem secundum quod syllogizat oppositum prius conclusæ propositionis). Dicamus igitur quod instantia sive instantivus syllogismus est propositio propositioni contraria, ita quod per contrariam intelligantur vere contraria et opposita per contradictionem.

Differt autem instantia a propositione in hoc, quoniam contingit instantiam aliquando esse in parte sive particularem, propositionem autem aut omnino non contingit esse particularem cui fertur instantia, ut in demonstrativis, ubi omnes propositiones necessariæ sunt et universales : aut etiam in illis quæ vere sunt propositiones quasi pro altero positæ : quia in illis est tota vis illationis : et illæ sunt universales, aut etiam in universibus syllogismis ad quos omnes alii syllogismi reducuntur : talium enim syllogismorum vere sunt propositiones secundum rationem propositionum dictæ : tali enim universalis propositioni soli vere fit instantia, quia omnis instantia proprie est contra universalem.

Fertur autem instantia contra propositionem prædicto modo acceptam per duos modos propositionum, et per duas figu-

Removet  
dubium.

ras, si instantia sit contra propositum syllogizata propositio. Dico autem duobus modis fieri instantiam quantum ad quantitatem duplice propositionis instantis: est enim omnis instantiva propositio, aut universalis, aut particularis. Dico autem ex duabus figuris: quia instantiae opposito modo feruntur propositioni illi quæ vere est propositio: et illa est, sine qua non est syllogismus universalis, scilicet affirmativa: opposita autem tali propositioni, non concluditur nisi in prima et tertia figura tantum, sicut patet per sequentia. Quod autem per primam fiat instantia, patet ex hoc: quia si adversarius concludat omni inesse minori extremitati majorem: tunc instamus dicentes contrariam, quoniam nulli inest: aut ferentes conditoriam dicentes, quoniam alicui non inest. Horum autem duorum per quæ instamus, nulli quidem minori majorem extremitatem inesse concludimus per primam figuram in secundo primæ: alicui autem non inesse eidem subjecto quod est, concludimus per tertiam.

Ostendamus igitur quomodo fertur instantia per primam et tertiam figuras dictas. Dicamus igitur gratia exempli quomodo fertur instantia contra propositionem affirmativam: si enim A major extremitas sit unam esse disciplinam, B autem medium sit sic contraria de quo prædicatur A, quia contrariorum est una disciplina: proposito ergo unam esse contrariorum disciplinam, ita quod omne B sit A, illi qui instant, aut sic instant, quod ferrunt hujus contrariam: dicunt enim quoniam omnino (hoc est, universaliter) nullorum oppositorum est eadem disciplina: accipietur commune supra subjectum propositionis cui instant, sicut opposita sunt super contraria: quia omnia contraria sunt opposita, sed non convertitur: propter quod tunc fit in prima figura in syllogismo instantia, sic, nullorum oppositorum est eadem disciplina: omnia contraria sunt opposita: ergo nullorum contrariorum est eadem disciplina. Sic enim fit prima figura in secundo primæ.

Aut instant concludendo particularem contradictorie oppositam, sumendo particularem minorem sub subjecto propositionis cui instatur, sicut si sub contrariis sumatur notum et ignotum, et ista sint sumpta pro contrariis sic, noti et ignoti non est eadem disciplina: sed notum et ignotum sunt contraria: ergo aliquorum contrariorum non est eadem disciplina. Hic enim est syllogismus in secundo tertiae: nam de c (quod est minor extremitas, et stat pro noto et ignoto) verum est prædicari contraria ipsa esse: sed non est verum prædicari de illo c stante pro noto et ignoto unam esse disciplinam: quia sic una scientia sciretur et notum et ignotum.

Rursum in privativa propositione universalis contingit instare similiter per duas propositiones et per duas figuras. Probante enim aliquo et proponente nullorum contrariorum esse unam disciplinam, instamus dicentes: aut quoniam omnium oppositorum est una disciplina, sumentes medium supra subjectum propositionis cui instamus, et sub prædicato ipsius sic argentes, omnium oppositorum est una disciplina: omnia contraria sunt opposita: ergo omnium contrariorum est una disciplina. Et est syllogismus in primo primæ: aut ferimus instantiam sumentes medium sub subjecto propositionis cui ferimus instantiam sic dicendo, quod aliquorum contrariorum est eadem disciplina, sic, sani et ægri est eadem disciplina: sanum et ægrum sunt aliqua contraria: ergo aliquorum contrariorum est eadem disciplina. Et est syllogismus in quarto tertiae. Patet igitur quod instantia quæ fit universaliter dicendo omnium contrariorum esse unam disciplinam, fit ex prima figura. Illa autem quæ fit particulariter per hoc quod aliquorum non est una disciplina, illa fit per tertiam figuram.

Si enim aliquis sit instans simpliciter in omnibus, necesse est dicere contradictionem, hoc est, contradicentem sive contrarietatem instantiam dicere simpli-

citer in omnibus sumendo medium supra subjectum propositionis cui instat. Verbi gratia, si aliquis probet unam esse disciplinam contrariorum, instans accipiat omnium oppositorum unam esse vel non esse disciplinam: tunc enim quia supra subjectum accipit medium, et sub prædicto, necesse est primam fieri figuram: quia medium sic acceptum universale fit ad hoc quod est a principio subjectum propositionis contra quam fertur instantia.

Particulariter autem volens instare, sumere debet sub subjecto propositionis (cui instantum est) aliquid cui illud universale subjectum inest, ut sic accipiat sub contrariis quorum dicitur esse una disciplina, noti et ignoti unam non esse disciplinam: contraria enim sunt universale ad hoc quod est notum esse et ignorantum: et hoc modo figura fit tertia: quia medium erit particulariter sub subjecto universalis sumptum, sicut notum et ignorantum particulare est sumptum sub contrariis quod est universale: nam ex his ex quibus est syllogizare contrarium dicto respondentis sive oppositum, ex his eisdem conabimur instantias adducere per syllogismum. Propter quod ex his solis figuris (prima scilicet et tertia) ferimus instantias. In solis enim his duabus figuris fiunt syllogismi oppositi, hoc est, oppositorum contrarie vel contradictorie: eo quod proprie instantia non fertur nisi contra universalem propositionem: per mediam enim figuram non contingit affirmare, hoc est, affirmative concludere: et sic per eam non contingit instare negativæ propositioni. Evidenter ergo non contingit instare per secundam figuram, ita quod non indigeat instans alia oratione nisi syllogizata.

Amplius contingit quidem instare per medianam figuram: et si sic instans plurima præter instantiam syllogizatam indiget oratione. Ut gratia exempli si aliquis non concedat  $\alpha$  inesse  $\beta$ , et velit instare per secundam figuram, accipiens  $\gamma$  esse medium, et dicat (instans ad hanc,

omne  $\beta$  est  $\alpha$ ) quod  $\alpha$  non inest  $\beta$ , eo quod  $\alpha$  non sequitur  $\beta$ , sic syllogizans in primo secundæ, nullum  $\alpha$  est  $\beta$ , omne  $\beta$  est  $\alpha$ , ergo nullum  $\beta$  est  $\alpha$ . Major enim in hoc syllogismo non evidenter opponitur propositioni cui fit instantia, sed ejus conversa: oportet autem in instantia sumi propositionem evidenter oppositam. Hoc autem (quod major hic opponatur) manifestare oportet per alias propositiones, sicut per conversionem, et hujusmodi: et ita quamvis instantia per secundam figuram fiat, tamen non fit per ipsam instantia evidens, et nullo alio indigens: non enim oportet instantiam ad alia converti, sed statim quando conclusa est manifestam per syllogismum habere propositionem sine alio aliquo proposito instantem. Et quia secunda figura affirmative non concludit: a signo autem non trahitur argumentum nisi affirmative: idcirco a signo non syllogizatur in secunda figura: et signum in ea (a quo arguatur) non est.

Quamvis autem instantia secundum potissimum sui rationem fiat per primam vel tertiam figuram, ut dictum est: tamen (quia dicitur etiam instantia secundum extensionem et elargationem nominis aliquando in syllogismo ex hypothesi quando contradicitur hypothesi) perspicuum est diligenter et distinguendum etiam de aliis instantiis communiter et non proprie dictis, ut de his quæ sunt sumptæ ex contrariis vel ex simili vel ex opinione (hoc est, ex auctoritate alicujus Philosophi hoc dicentis), perspicuum est si est sumere instantiam particularem communiter et non proprie dictam ex prima figura, et si est sumere privatam instantiam ex media figura: hæc enim erit communiter et non proprie dicta instantia et evidens instantia.

Horum autem exempla sunt per locum ab oppositis, ut si quis dicat quod omne gaudium est bonum: et inferatur ex hoc manifeste falsum quod omnis tristitia est mala: multæ enim tristitiae bona sunt: ergo non omne gaudium bonum. Per

locum autem a simili, ut si quis dicat quod punctum est pars lineæ: et arguat aliquis contrarium a simili dicens, sicut se habet punctum ad lineam, sic linea ad superficiem: sed linea non est pars superficie: ergo nec punctum est pars lineæ. Ex opinione autem sine auctoritate sic, si dicat aliquis quod anima sit mortalisa, dicimus instantes, quod Socrates et Plato dicunt quod anima sit immortalis.

Fit autem particularis instantia per primam figuram sic. Dicto enim quod omnium contrariorum sit eadem disciplina, dicatur, nullorum oppositorum est eadem disciplina: quædam contraria sunt opposita: ergo quorundam oppositorum non est eadem disciplina. Qualiter autem instatur affirmativæ propositioni per secundam figuram, satis in præhabitibus dictum est.

Pertinet autem instantiæ syllogismus, tam ad dialecticum, quam ad demonstratorem: sed ad demonstratorem pertinet instantia universalis, ad dialecticum autem tam universalis quam particularis. Cum enim procedit demonstrator ex universalibus et necessariis, cavilator instare non potest nisi ponendo aliquod falsum. Hæc igitur de instantia et instantiæ syllogismo dicta sint.

Quid per opposita intellegendum hic. Sed de hoc quod dictum est (quod opposita non concluduntur per secundam figuram) notandum est, quod opposita non dicuntur oppositæ propositiones: sed omnia dicuntur opposita, quæ ferri possunt ad instantiam propositi, quæ non evidenter in secunda figura concluduntur. Causa autem quare in secunda figura non concluditur evidens instantia, est: quia in evidenti instantia oportet sumi propositionem alteram quæ evidenter repugnet propositioni cui fit instantia: sed in secunda figura non sic est: conversa enim propositionis assumptæ evidenter contradicit propositioni cui fit instantia, sed non ipsa propositio assumpta. Cujus exemplum est, si debeat aliquis instare huic,

omne b est a, per secundam figuram instabit sic, nullum a est c, omne b est c, ergo nullum b est a. Sed prima non evidenter repugnat huic, omne b est a, sed ejus conversa, hæc scilicet, nullum c est a. In hac enim et in reliqua idem affirmatur et negatur, sed in hac, nullum a est c, non idem negatur in prædicato quod affirmatur in prædicato hujus, omne b est a, sed sicut conversim se habet hæc, nullum a est c, et ideo non est evidens instantia: non enim est manifestum nisi per ejus conversam.

### CAPUT VIII.

*De icote et signo ex quibus fit enthymema.*

Tandem de argumentatione quæ enthymema vocatur determinandum est: sed quia haec ex icotibus procedit et signis, altera propositione posita, et altera dimissa, ideo primo de icote et signo dicendum est. Sciendum autem quod *icos* dicitur proprie et metaphorice. *Proprie* autem est idem quod *imago*: et ideo *icones* Graece vocantur tabulæ imaginibus depictæ et insignitæ. *Metaphorice* autem dicitur *icos* ad hujus similitudinem: et tunc dicitur *icos* propositio probabilis, in qua sicut in imagine et non sicut in causa substantiali, quasi prædictum resultat aliud, illud scilicet, ad quod ponit probabilitatem. Et ideo Philosophorum mos est quando ex talibus procedunt propositionibus, dicere quod figuraliter de re tangunt: quia non ex causis essentialibus tunc procedunt.

icos dupli citer dictur.

*Icos* autem et signum non idem est, sed *icos* quidem est propositio probabilis, ut dictum est, per extrinseca et communiter in re inventa de re conjiciens et enuntians. Quod enim aliqui sciunt scientia æstimationis ut in pluribus, sic factum esse, vel non factum esse in præterito, aut esse aut non esse in præsenti, hoc est *icos* vocatum, sicut est hoc, *odire* vel

odisse invidentes sive inimicos : quod Plato in libro *Mennonis* ponit in hominis diffinitione, eo quod est signum vel icos profundatum in natura animalis. Tale est etiam diligere amantes sive amicos. Hoc igitur est icos.

*Signum* autem est, quod præter speciem quam cognoscenti offert, ad aliquid dicit cuius est signum : et ideo sui significatione vult esse propositio demonstrativa, vel necessaria, vel probabilis. Dico autem *vult*, quia aptitudine signi et relatione ad signatum, aliquando dicit in causam essentialiem, et tunc vult esse propositio necessaria, quamvis secundum se et secundum sui rationem non sit ita : aliquando autem dicit in ea quæ communiter sunt in re, et extrinsecus adhærentia, tunc vult esse propositio probabilis. Dico autem signum propositionem demonstrativam secundum quod demonstrativum communiter sumitur pro ostensivo, sive in demonstrativis, sive dialecticis. Id enim quo existente in præsenti, res est, et infertur ex ipso : vel quo facto in præterito, res facta est in præterito : vel quo posteriori facto, indicat factum esse aliquid, sicut pallor conceptum factum indicat : aut id quod indicat, quoniam erit res illo prius facto, sicut in ægrototo tremor in labro inferiori factus indicat vomitum futurum, hoc dicitur signum.

Differentia ictis et signi : et quod modo signum dupli- citer dici- tur.  
Unde notanda est differentia ictis et signi : et dicendum quod signum dicitur communiter, et proprio. Signum quidem communiter dictum est omne illud quod ex sui specie (quam cognoscenti exhibet) aliud prætendit quod inferri potest ex ipso : et sic icos continetur sub signo, sicut species sub genere : et hoc modo signum est in omni figura : icos autem proprio in secunda et tertia. Et quando dicitur, quod icos est propositio probabilis, accipiendum est probabile quod vere et secundum rem ipsam probabile, et quod apparent tale esse cognoscenti. *Proprio* autem sumptum signum, tunc signum est quod ostensibiliter et quasi demonstrando sive ostendendo dicit in rem si-

gnificatam : et sic dicitur signum prodigium, quasi præ digitis ostensum, et sic est in prima figura medium quod essentialiter et positione est medium pars unius extermorum et totum ad alterum : et hoc modo signum non est icos, ut dictum est, sed icos erit signum in secunda figura in qua medium est extra extrema et ante ipsa : quia multa sunt prædicata de pluribus, quæ non essentialiter radicantur in ipsis. Erit etiam in tertia figura : eo quod unum subjectum frequenter multis substat, quæ non radicantur in ipso. Et quando dicitur, quod signum est demonstrativa propositio necessaria, vel probabilis, est signum in prima figura acceptum in demonstrativa materia necessaria, et in dialectica probabilis, ut paulo ante dictum est.

## CAPUT IX.

*De enthymemate, quid sit, et quibus modis fiat, et qualiter ad syllogismum reducitur.*

Ex diffinitione autem ictis et signi, diffinitio concluditur *enthymematis*, dicens quod enthymema est syllogismus procedens ex ictibus et signis. Quamvis enim diversæ argumentationes sint syllogismus et enthymema, tamen substantialiter enthymema est syllogismus : quamvis enim non nisi una propositio ponatur in enthymemate, duæ autem in syllogismo secundum vocem : tamen in enthymemate una secundum vocem posita, altera subintelligitur secundum rem et decursum rationis : et sic secundum rem et decursum rationis enthymema substantialiter dicitur esse syllogismus ex ictibus in secunda et tertia figuris, et signis sive prodigiis in prima figura.

Modi autem quibus fiunt enthymemata, ex hoc inveniuntur, quod signum (quod est quasi medium enthymematis) tripliciter secundum positionem et ordinem terminorum accipitur : quoties enim medium secundum diversitatem

positionis accipitur in figuris : aut enim positio signi accipitur ut in prima figura accipitur medium, quod positione et ordine terminorum est medium, ut pars unius et totum alterius : aut accipitur sicut medium accipitur in figura secunda, in qua medium est extra extrema ut unum commune prædicatum de pluribus : aut accipitur sicut accipitur medium in tertia, ut unum commune subjectum substans pluribus prædicatis. Cujus exemplum est, ut si velimus ostendere primam figuram, hoc est, per enthymema, cuius signum medii habet virtutem secundum modum medii primæ figuræ, arguimus sic, hæc mulier habet lac in mamillis ; ergo peperit : reducitur enim ad syllogismum primæ figuræ, ita quod medium quod est lac habere sit **B**, **A** autem quod est major extremitas sit parientem esse : in mamillis autem habere, minor extremitas sit **C**, et resultabit forma syllogismi in prima figura, sic, omne **B** est **A**, quia omnis mulier lac habens in mamillis pariens est : quoddam **C** est **B**, quia hæc mulier lac habet in mamillis : ergo quoddam **C** est **A**, quia hæc mulier peperit : est enim syllogismus in tertio primæ. Lac autem habere signum est, et non causa : quia si etiam ea quæ non peperit fricet mamillas urtica et sale, lac habebit in mamillis, sed non ubertim fundent illud mamillæ ipsius. Sic ergo fit enthymema in prima figura ex signo convertibili tacita majori propositione : eo quod illa reputatur manifesta.

In tertia figura quæ in multis convenit cum prima, accipitur signum quod est in minus : ut si concludere velimus, quoniam studiosi sunt sapientes sic : est studiosus : ergo sapiens : accipiems quod Pittacus studiosus, et ex hoc sapiens. Pittacus autem erat quidam Pythagoricus Pythagoræ discipulus, et a Pythagora sic denominatur. Reducitur autem in syllogismum tertiae sic : sit enim in quo **A** studiosum esse : id autem in quo **B** sit esse sapiens : id autem in quo **C**, sit Pittacus studiosus : sic enim iterum erit

**A** studiosum, et de **B** et de **C** prædicari : quia et sapientes sunt studiosi, et Pittacus est studiosus : ettunc arguitur sic, Pittacus est studiosus : Pittacus est sapiens : ergo sapiens studiosus. Sed hoc (quod est major propositio) non dicunt vocali expressione, scilicet quod omnis sapiens studiosus : eo quod reputatur hoc palam esse. Illud vero quod est minor propositio, sumunt et ex illo arguunt vocaliter expresso : majori tamen subintellecta, quia sine illa nullus esset decursus rationis.

In secunda autem figura fit enthymema accipiendo signum quod est plus sicut est medium in secunda figura : sicut enthymemate arguimus aliquam peperisse ex hoc, quoniam est pallida : hoc enim enthymema reductum ad syllogismum vult (quantum ad terminorum ordinem et dispositionem) esse per medianam figuram secundum quod apparet, quamvis in veritate non sit : quia sic arguitur affirmative, et in secunda figura nihil affirmative concluditur : propter quod in ante habitis dictum est, quod in secunda figura non est signum : quoniam enim parientes plerumque sequitur pallor : sequitur autem et hanc : arbitrantur ostensam esse per conclusionem, quoniam peperit hæc, et arguunt sic, quæcumque peperit, est pallida : hæc est pallida : ergo peperit. Et in terminis transcendentibus sic, quod pallor sit in quo **A**, parere autem (quod est major extremitas) sit in quo **B**, mulier autem hæc quæ est minor extremitas sit in quo est **C**, sic, omne **B** est **A**, quoddam vel hoc **C** est **A**, ergo hoc vel quoddam **C** est **B**. Et est affirmativus syllogismus in secunda figura : et talis syllogizatio præcedit verum syllogismum : iste autem syllogismus supponitur ab eo qui enthymemate sic arguit : est pallida : ergo peperit.

Est autem differentia enthymematis ad syllogismum : quia enthymema ex una procedit propositione, syllogismus autem ex duabus : quia si una quidem tantum dicatur vel exprimatur vocaliter proposi-

tio, tunc signum fit ex quo sumitur enthymema. Si autem cum illa et altera sumatur universalis propositio et vocaliter exprimatur, tunc syllogismus in forma perfectus secundum figuram et modum et materiam proximam, quae est duæ propositiones ex tribus terminis formatæ. Hoc autem ostenditur per exemplum tam in prima figura, quam in tertia. In prima quidem figura sic, ut quando volumus probare quod ambitiosus liberalis: tunc enim sic arguimus. Omnis ambitiosus liberalis: Pittacus est ambitiosus: ergo Pittacus est liberalis. Aut rursus in tertia figura concludentes, quoniam sapientes sunt boni vel studiosi: sic arguentes: Pittacus est sapiens: Pittacus est bonus, ergo boni sapientes.

Sic ergo per omnes figuras enthymematis flunt syllogismi. Sed in hoc differunt enthymemata primæ figuræ ab enthymatibus secundæ et tertiae figuræ: quia syllogismi enthymematis quod fit per primam figuram sunt insolubiles et perfecti, non soluti a forma syllogismi: quia fundantur super propositionem universalem, penes quam perfectus est syllogismi decursus. Et hoc dico quando verus est syllogismus in forma, et verum et vere concludens. Et hoc ideo est, ut diximus: quia universalis est in ipso propositio per quam arguitur. Syllogismus autem enthymematis quod fit per tertiam, est solubilis non habens formam, quamvis verus sit, ita quod verum concludat: quia est ex singularibus sive particularibus et non ex universalis: ex qua forma nihil sequitur syllogistice. Universalis autem propositio non est in tertia figura, ex qua sit virtus inferendi. Adhuc tamen talis syllogismus in tertia figura factus, non est ad rem; quia non concludit extremitatem de extremitate, cum non utatur universalis propositione: non enim si Pittacus est studiosus et sapiens, propter hoc necesse est alios sapientes studiosos, vel bonos esse, sive assumatur universalis propositio, quod omnes sapientes sunt studiosi. Syllogismus vero quisit per me-

diam figuram ex secundæ figuræ enthymemate, semper et omnino sive universaliter est solubilis sive solutus et imperfectus et sophisticus, sive assumatur universalis, sive non: quia semper est affirmativus: quia nunquam sic se habantibus terminis fit syllogismus in secunda figura: non enim sequitur per virtutem syllogismi secundæ figuræ, quod si quæcumquæ eparit pallida est (pallida autem est et hæc) quod hanc parere sit necesse: sed est fallacia consequentis. Verum quidem igitur per syllogismum enthymematis concluditur in omnibus figuris: sed etiam syllogismi differentias habent quæ jam dictæ sunt, et etiam enthymemata differunt hoc modo.

Sic ergo, ut dictum est, dividendum est signum quod medii habet rationem in enthymemate. Horum autem signorum id quod vere et positione medium est (sicut signum in prima figura) prodigii habet rationem: nam hoc signum Philosophi dicunt esse prodigium, quod facit scire sicut medium in prima figura: quod vere medii habet rationem: quia tale est maxime medium secundum medii rationem vel secundum naturam. Sed quæ signa sunt sumpta in extremitatibus, et sunt extremitates secundum naturam, licet sint loco mediorum accepta, sicut in figura secunda et tertia: in secunda enim signum est primum, et in tertia est postremum: in neutra autem positione est medium: et ideo illa dicenda sunt signa tantum et non prodigia. Quod autem signum sumitur ex medio quod vere est medium positione, aut et natura, illud est prodigium: probabilissimum enim est maxime verum, quod conclusum est per primam figuram: cuius ratio jam saepius dicta est.

Ex hoc autem facile patet quæ sit ars generalis reducendi omne enthymema in syllogismum. Cum enim enthymema tantum exprimat unam propositionem cùm conclusione, necesse est quod fiat ex terminis tribus. Aut ergo propositio et conclusio communicabunt in uno subjecto,

*Differentia  
inter si-  
gnum et pro-  
digium.*

*Ars genera-  
lis reducen-  
di omne en-  
thymema in  
syllogis-  
mum.*

aut in uno prædicato : aut quod subjicitur in una, prædicatur in altera. Et si quidem communicant in uno prædicato : tunc illud enthymema vel fit in prima figura, vel in tertia, et fit ex majori et conclusione : et addita minori fit syllogismus. In quam autem harum figurarum reducitur, patet ex naturali positione terminorum secundum quam ordinatur in syllogismum primæ vel tertiae figuræ. Si autem communicant in subjecto, erit enthymema vel primæ vel tertiae figuræ, et fit ex minori et conclusione : et fiet syllogismus per additionem majoris, quæ addi debet secundum terminorum possibilitatem et inhærentiam. Si autem quod subjicitur in una, prædicatur in alia : aut ergo quod subjicitur in præmissa, prædicatur in conclusione, aut e converso. Si primo modo, erit syllogismus in secunda figura et ex majori et conclusione : et fiet syllogismus addendo minorem. Si autem secundo modo, erit enthymema in tertia figura ex minori et conclusione : et fiet syllogismus addendo majorrem.

Cum autem sit enthymema, sicut dictum est, ex prodigio et signo, hoc est, ex propositione quæ est prodigium vel signum, tacita altera propositione, pertinet enthymema ex prodigio vel ad dialecticum, vel ad demonstratorem, secundum diversitatem materiæ probabilis vel necessariæ. Enthymema autem ex signo communiter accepto pertinet ad rhetorem, ut dicit Aristoteles in primo *Posteriorum*. Et cum dicitur quod enthymema est ex icotibus et signis syllogismus, non hoc dicitur ideo quod omne enthymema fit ex pluribus signis et pluribus icotibus : sed ideo dicitur quia enthymema in genere acceptum, quandoque fit ex signo uno, et quandoque ex alio, et non ex uno semper.

Removet  
dubium.

## CAPUT X.

*De inventione signi quod est loco medii in enthymemate.*

Tandem autem hoc determinandum est, qualiter inveniatur signum in enthymemate, per quod ostendatur et concludatur passio de subjecto. Et hoc quidem in inductione et exemplo doceri non oportuit : quia ambo illi modi arguendi ex particularibus inferunt quæ in sensibus sunt, et invenire ea non est difficultas. Cum autem solum prodigium faciat scire, docebimus invenire prodigium tantum, aliorum signorum inventionem transeuntes. Pertinet autem hujusmodi signorum consideratio ad logicum simpliciter : quibus tamen aliquando utitur dialecticus, et aliquando demonstrator, ut dictum est. Quamvis enim logicus intentiones rerum consideret, et non res : principaliter tamen logicus intentiones considerat relatas ad res : et sic considerat res stantes sub intentionibus quas considerat : et hoc modo hic considerabimus signa naturalium passionum. Adhuc autem cum multiplex sit divisio passionis. Est enim passionis secundum se divisio, quod est quædam passio convertibilis, quædam autem non convertibilis. Adhuc secundum subjecta in genere dividitur, quod quædam est passio rationalis, quædam moralis, et quædam naturalis : quæ divisio data est secundum causam quam habet passio in subjecto. Adhuc autem passio naturalis a natura communiter dicta dividitur in metaphysicam, mathematicam, et physicam : et quælibet passio signum habet aliquod in subjecto. Ex omnibus divisionibus non considerabimus, nisi ex prima divisione passionem convertibilem, ex secunda autem passionem naturalem, ex tertia passionem physicam : quia procedimus via logica, quæ in communi tradit artem applicabilem ad quælibet materiam, non descendendo ad materiam nisi gratia exempli : et exemplum ponimus in

Multiplex  
est divisio  
passionis.

materia magis manifesta, ut similiter intelligatur in aliis.

Ad signi igitur talis (quod prodigium est) inventionem, dicamus quod naturas (hoc est, naturales passiones) cognoscere possibile est per signa quae sunt in entymematibus loco mediorum, tali suppositione præhabita, si quis concedat simul corpus et animam (hoc est, totum conjunctum ex corpore et anima) mutari (hoc est, transmutari) a passionibus talibus quæcumque sunt naturales passiones conjuncti totius: ita ut passiones mutant corpus et animam, ita quod in eis sit signum passionis naturalis. Si autem aliquis patitur passione non naturali, sed accidentalii, tunc hoc non erit necessarium. Discens enim aliquis fortasse musicam, secundum aliquid passionis alicuius animalis et intellectualis mutavit in animam, et mutatus est in anima, et non oportet hujus passionis esse signum in conjuncto: quia naturalis non est talis passio: sed passiones naturales sunt, ut iræ naturales et concupiscentiæ quæ sunt passiones et passibiles dictæ passiones: sunt enim illæ naturalium motuum quibus movent conjunctum.

Secundum autem supponendum est, quod det et concedat aliquis unum commune in natura communii, unius passionis communis in illa natura esse signum, ita quod hoc signum comitetur totam illam naturam cuius est illa passio: tunc per talia signa arguendo per entymema poterimus sumere concludendo uniuscunusque generis, quod illam passionem communicat propriam et convertibilem passionem, et signum illius passionis in natura illa: et sic poterimus illam naturam cognoscere secundum quod illi subjecta est passioni.

Sic autem procedemus, et tali modo considerabimus. Si enim est aliqua passio propria specialiter alicui generi individuato ad speciem sive in specie determinato conveniens, sicut fortitudo sive animositas convenit leonibus secundum suam speciem determinatis; tunc cum

concessum sit quod passio naturalis transmutat conjunctum, necesse est in tota specie leonum hujus passionis esse signum aliquod positum, et compati sibi invicem in corpore et anima conjunctum in tali passione: ut si dicamus quod hoc hujus passionis signum in leone sit, magnas habere summitates sive extremitates: considerabimus ergo hoc signum in aliis animalibus fortibus quibus haec passio non universaliter in totis suis generibus vel speciebus contingit, sicut in hominibus fortibus et animosis per naturam et non per habitum acquisitum. Signum enim per quod talem de subjecto concludimus passionem, sic vocamus *proprium*: quia totius illius generis est hoc modo propria passio, quo dicimus proprium quod convenit omni generi et non soli. Hoc enim modo saepe solemus proprium dicere. Erit ergo et in alio genere proprium hoc scilicet non universaliter, ut in hominibus fortibus per naturam: et erit hoc modo per naturam fortis homo, et aliud forte quodlibet sive omne animal quod per naturam est forte: et cum illud animal vel homo cum leone naturaliter communicet passionem illam, sequitur quod habebit idem fortitudinis signum per primam suppositionem. Dictum enim est in secunda suppositione, quod unum commune unius communis passionis fuit signum in omnibus in quibus est illa passio. Si ergo haec vera sunt quæ dicta sunt, tunc nos ex arte ista poterimus talia talium passionum signa colligere in his animalibus, quæ tantum unam secundum totum genus vel speciem habent illam passionem et communem: unumquodque enim habet signum illius passionis secundum totam illius speciei multitudinem: necesse enim per secundam suppositionem, quod suæ passionis quæ est speciei suæ propria, tamen commune habet signum: tunc ex hoc signo poterimus naturas propriarum passionum cognoscere: considerabimus enim in homine forti vel alio animali, quod quodlibet forte per naturam habet magnas sum-

mitates : et considerantes hoc signum in leone generaliter arguimus sic : leo generaliter habet magnas summitates : ergo leo generaliter est fortis.

Si vero aliqua natura una in genere uno vel specie duo habet propria universaliter sibi convenientia secundum totum genus suum, sicut leo fortitudinem habet et liberalitatem : est enim et per naturam forte animal animosum, et est prædæ communicativum etiam per naturam : tunc dubium est quomodo cognoscimus, utrum hoc signum determinatum sic unius illarum passionum, sit signum vel alterius quæ ambo sive ambæ passiones specialiter, hoc est, totam sequuntur speciem : hoc enim scire non poterimus, nisi consideremus quod et alii speciei non generaliter toti universaliter, sed particulariter, nec ambæ passiones, sed altera inest. Et considerabimus tunc in his in quibus non totis inest illa passio naturalis : et considerabimus in quibus non utrumque nec totis inest : quando hoc quidem signum habet, quod ejusdem passionis signum est in leone, ut habere magnas summitates. Illud vero alterius passionis signum non habet, sicut et ipsa passione caret. Si enim homo est fortis cum leone per naturam, habet autem duorum signorum hoc quod est fortitudinis signum : palam ex conclusione entymematis, quoniam etiam in leone hoc fuit signum fortitudinis, et non liberalitatis.

Ostendamus igitur per hunc modum concludere vel ostendere passionem de subjecto. Dicamus quod est naturas sive passiones naturales de quolibet subjecto cognoscere in prima quidem figura, supponendo medium converti cum priori sive majori extremitate, sicut esse forte et habere magnas summitates convertuntur. Medium autem in plus esse quam minorem extremitatem : esse enim forte in plus est quam leo. In tertia autem oportet minorem extremitatem transcendere et non converti, sicut patet in exemplis, si sit fortitudo vel forte esse A, quæ

est prima extremitas : summitates vero magnas habere sit in quo b quod convertitur cum A, c autem tertia extremitas post medium sit leo ; quod minus est, quam forte esse. Patet enim sic dispositis terminis, quod omni c inest b, quia omnis leo magnas habet summitates : sed hoc non inest soli leoni, sed et aliis animalibus inest particulariter : cui autem b inest, omni illi inest A, quia omne habens magnas summitates, est forte : et non inest pluribus, quia convertitur cum ipso. Si autem dicatur sic non esse ut dictum est, sequitur inconveniens contra secundam hypothesim : quia sequitur quod non erit unum commune unius passionis communis signum. Hujus autem probatio patet per quartam consequentiam in ante habitis determinatam, in capitulo ubi dictum est quod quando convertuntur extremitates, necesse est et medium converti : si enim A dicitur de solo b, et A et b de omni c, tunc A et b convertuntur : et sic patet inventio mediæ in prima figura, in qua signum est prodigium. Quando autem per habere magnas summitates ostenditur leo esse fortis, hoc sumitur et non probatur : quia hoc constat in leone signum esse per hoc quod in aliis talis passionis est signum. Non autem sic potest ostendi hoc esse signum fortitudinis in alio animali per hoc quod est signum talis passionis in leone, quia leoni inest universaliter, aliis autem non : et ideo per differentias eorum qui non habent magnas extremitates, ostenditur hoc fortitudinis esse signum in leone.

Si quis autem objiciat et dicat hanc argumentum nullam esse, quia probat idem per seipsum : ostendit enim passionem per signum, et e converso signum per passionem, et sic idem per seipsum. Dicendum quod passio ostenditur per signum, et e converso, sed non eodem modo ; ostendit enim signum per passionem in subjecto non proprio passionis, ostendit passionem per signum in subjecto proprio passionis : et hoc non est inconveniens. Adhuc signum ostenditur per pas-

Objectio.

Solutio.

sionem per viam sensus, passio autem dicitur *physiognomia* super hanc artem per signum per viam syllogismi et rationis. Scias autem quod tota scientia quæ fundata est.

**FINIS TOMI PRIMI**



# INDEX

*Librorum, Tractatum et Capitum in Logicæ primam  
partem.*

---

## LIBER DE PRÆDICABILIBUS.

### TRACTATUS I

*De Natura logicæ.*

- |      |   |    |
|------|---|----|
| CAP. | I. Utrum logica sit scientia specialis.   | 1  |
|      | II. Utrum logica sit pars philosophiae.   | 2  |
|      | III. De utilitate dialecticæ.   | 3  |
|      | IV. De quo sit ipsa logica ut de subiecto?  | 6  |
|      | V. De divisione logicæ, et quæ sint partes ipsius: et de voce significante ad placitum, quid et qualiter significet.  | 8  |
|      | VI. De parte logicæ quæ certificat incomplexum et de requisitis ad veram definitionem ejusque peccatis, ac de modis diffinitio- nis.  | 11 |
|      | VII. De parte logicæ qua certifi- catur quæstio de complexo et de necessitate totius logicæ, et quod varietur modus sciendi secundum diversitatem materiarum in quibus quæritur scien- tia. | 14 |

### TRACTATUS II.

*De quinque universalibus in communi.*

- |      |   |    |
|------|---|----|
| CAP. | I. Quomodo universale est de consideratione logici, et de numero universalium, ac de utilitate libri universalium.                          | 17 |
|      | II. A quibus quæstionibus circa universalia sit abstinen- dum.  | 19 |
|      | III. De declaracione et examina- tione quæstionis primæ.  | 20 |
|      | IV. Utrum universalia corpora- lia sint?  | 26 |
|      | V. Utrum universalia a sensi- bilibus sint separata, an in ipsis sensibilibus sive singularibus posita?                                     | 29 |
|      | VI. Qualiter universale est in anima, et qualiter in se- ipso, et qualiter in singu- lari, et in quo sit verius secundum esse suæ na- turæ. | 33 |
|      | VII. Qualiter universale produ- catur in esse.  | 36 |
|      | VIII. An universale sit forma, vel materia, vel composi- tum; et si forma, cuius- modi forma sit?   | 37 |

|  |  |
|--|--|
| <p><b>IX.</b> Quomodo universale prædicatorum de quinque universalibus, et de sufficientia et ordine quinque universalium.</p> <p style="text-align: center;"><b>TRACTATUS III.</b></p> <p><i>De universalibus in particuliari.</i></p> <p><b>CAP.</b></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>I. De diversis signis generis. 41</li> <li>II. De genere physico, et quomodo assimilatur aliis? 44</li> <li>III. De diffinitione vel descriptione generis physici. 46</li> <li>IV. Quod diffinitio generis nec abundet, nec deficiat, et ejus declaratio. 48</li> <li>V. De recapitulatione eorum quae de sermone generis dicta sunt. 52</li> </ul> <p style="text-align: center;"><b>TRACTATUS IV.</b></p> <p><i>De specie.</i></p> <p><b>CAP.</b></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>I. De diversis intentionibus specierum. 54</li> <li>II. De duabus questionibus circa prædicta. 59</li> <li>III. Qualiter inveniatur species specialissima, et de coordinatione prædicamentali. 61</li> <li>IV. Qualiter ea quae dicta sunt, ad compendium reducantur. 63</li> <li>V. De manifestatione eorum quae dicta sunt ex consequentibus et similibus. 67</li> <li>VI. De modo veniendi a generalissimo ad specialissima, et e converso. 72</li> <li>VII. De modo prædicabilium quae prædicantur. 77</li> </ul> <p style="text-align: center;"><b>TRACTATUS V.</b></p> <p><i>De differentia.</i></p> <p><b>CAP.</b></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>I. De distinctione nominis differentiae quod multipliciter dicitur. 80</li> <li>II. De manifestatione modorum differentiae et partium divisionis præinductae.</li> </ul> | <p><b>III.</b> Qualiter differentiae substantiales sunt constitutivæ, et qualiter sunt divisivæ. 87</p> <p><b>IV.</b> Qualiter per differentiam abundet species a genere, et qualiter potestate genus habet differentias. 91</p> <p><b>V.</b> Qualiter diffinitur differentia secundum quod est universale de specie prædicabile. 97</p> <p><b>VI.</b> De dubitationibus contra diffinitionem differentiae, et erroribus male solventium, et de vera omnium solutione. 100</p> <p><b>VII.</b> De descriptione differentiae prout respicit genus. 104</p> <p><b>VIII.</b> De descriptione differentiae prout ponit differentiam. 105</p> <p><b>IX.</b> De diffinitione quae soli differentiae magis propriæ convenit. 107</p> <p style="text-align: center;"><b>TRACTATUS VI.</b></p> <p><i>De proprio.</i></p> <p><b>CAP.</b></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>I. De intentione proprii secundum quam de ipso intendit logicus. 111</li> <li>II. De diffinitione proprii et explanatione partium ejus. 115</li> </ul> <p style="text-align: center;"><b>TRACTATUS VII.</b></p> <p><i>De accidente.</i></p> <p><b>CAP.</b></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>I. De differentia proprii et accidentis prout accidens est quintum prædicabile. 117</li> <li>II. De prima assignatione accidentis data a Porphyrio. 120</li> <li>III. De secunda et tertia assignatione accidentis data a Porphyrio. 123</li> </ul> <p style="text-align: center;"><b>TRACTATUS VIII.</b></p> <p><i>De communibus in quibus convenient et de differentiis quibus differunt quinque universalia.</i></p> <p><b>CAP.</b></p> <ul style="list-style-type: none"> <li>I. De eo in quo communicant omnia quinque universalia. 125</li> </ul> |
|--|--|

|   |     |  |     |
|---|-----|--|-----|
| II. De tribus communibus generi et differentiæ.                                   | 126 | XII. De convenientiis et differentiis proprii et accidentis.   | 142 |
| III. In quibus differunt genus et differentia.                                    | 127 | XIII. De communibus proprii et inseparabilis accidentis ac eorum differentiis.   | 143 |
| IV. De compendio dictorum circa generis et differentiæ tam communia quam propria. | 128 |  |     |
| V. De communibus et propriis generis et speciei.                                  | 130 |  |     |
| VI. De convenientiis et differentiis generis et proprii.                          | 132 | <i>De comparatione omnium istorum universalium ad invicem ex Avicennæ logica, et de comparatione istorum quinque inter se.</i> |     |
| VII. De communitatibus et differentiis generis et accidentis.                     | 134 |  |     |
| VIII. De communibus et propriis differentiæ et speciei.                           | 136 | CAP. I. Qualiter hæc omnia in unum coincidunt.   | 144 |
| IX. De communitatibus et differentiis differentiæ et proprii.                     | 139 | II. Qualiter hæc omnia quinque universalia adinvicem miscentur.  | 146 |
| X. De communitatibus et differentiis differentiæ et accidentis.                   | 140 | III. Qualiter hæc quinque sunt naturæ quædam, et qualiter universalia, et qualiter intelligibilia, et qualiter simplicia.      | 146 |
| XI. De differentiis et convenientiis speciei et proprii.                          | 141 |  |     |

## LIBER DE PRÆDICAMENTIS.

## TRACTATUS I.

*De antecedentibus ad scientiam libri prædicamentorum.*

|  |     |
|--|-----|
| CAP. I. De intentione libri et ordine et modo et aliis quæ quæri consueverunt.           | 149 |
| II. Qualiter præmittitur de æquivocis, univocis, et denominativis, et quæ sint æquivoca. | 151 |
| III. De univocatis.  | 153 |
| IV. De denominativis.  | 157 |
| V. De divisione ordinabilium et non ordinabilium in prædicamento.                        | 159 |
| VI. De principiis vel suppositionibus quæ debent præmitti ordini prædicabilium.          | 161 |
| VII. De enumeratione generum in quæ prædicabilia reducuntur.                             | 163 |

## TRACTATUS II.

*De substantia quæ est primum prædicabile.*

|   |     |
|---|-----|
| CAP. I. In qua significatione substantia accipiatur.  | 166 |
| II. De substantia prima quid sit, et declaratio diffinitionis ejus.   | 167 |
| III. De secundis substantiis quæ sint, et qualiter ipsæ solæ prædicantur de primis nomine et ratione.                   | 169 |
| IV. Quod destructis primis substantiis impossibile sit aliquid aliorum remanere.  | 172 |
| V. Quod species sint magis substantiæ quam genera, non sic autem species specialissima respectu alterius specialissimæ. | 174 |
| VI. De hoc communis substantiæ, quod est in subjecto non esse.  | 176 |

## INDEX

- VII. De proprio substantiæ et differentiæ, quod est univoco prædicari.  
 179  
 VIII. De proprio substantiæ, quod est significare hoc aliquid.  
 181  
 IX. De proprio substantiæ, quod est substantiæ nihil esse contrarium.  
 183  
 X. De proprio substantiæ, quod est non recipere magis et minus.  
 184  
 XI. De proprietate substantiæ quæ est, quod substantia secundum suimutationem eadem numero manens, susceptibilis est contrariorum.  
 186  
 XII. De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt, quod substantia suscipit contraria.  
 188  
 XIII. De dubitationibus quæ sunt circa hoc, quod oratio suscipit verum et falsum.

## TRACTATUS III.

*De quantitate.*

- CAP. I. De divisione quantitatis.  
 II. Qualiter numerus et oratio sunt quantitates discretæ.  
 III. Qualiter linea, superficies et corpus sunt quantitates continuæ.  
 IV. Qualiter tempus est quantitas continua.  
 V. Qualiter locus est quantitas continua.  
 VI. Qualiter quædam quantitates positionem habent in partibus, et quædam non.  
 VII. De dubitationibus circa ea quæ dicta sunt de linea.  
 VIII. De dubitationibus quæ sunt circa dicta de superficie et corpore.  
 IX. De dubitationibus quæ sunt circa hoc quod dicitur, quod tempus est continua quantitas.  
 X. De dubitationibus circa ea quæ de loco dicta sunt, et de his quæ positionem habent in partibus et quæ non.

- XI. De proprio quantitatis quod est non habere contrarium.  
 213  
 XII. De dubitationibus quæ sunt circa prædicta.  
 216  
 XIII. De eo quod quantitati convenit non suscipere magis et minus.  
 218  
 XIV. De proprio quantitatis, quod est secundum eam æquale vel inæquale dici.  
 220

## TRACTATUS IV.

*De prædicamento relationis sive ad aliquid.*

- 186 CAP. I. Quomodo ad aliquid sit prædicamentum.  
 222 II. Quid hoc genus habeat de ente, et quid in eo sit generalissimum, et quid subalternum, et quid specia- lissimum, et quid individuum.  
 224 III. De diffinitione dicente quid est ad aliquid secundum Platonem.  
 227 IV. De proprio ejus quod est ad aliquid, quod est suscipere contrarietatem.  
 228 V. De proprio relativorum quod est suscipere magis et minus.  
 230 VI. De proprio relativorum quod est dici ad conver- tentiam.  
 231 VII. De proprio ad aliquid quod est simul esse natura.  
 234 VIII. De disputatione circa diffinitionem Platonis induc tam et de correctione ejus dicti.  
 236 IX. De proprio verorum relativorum quod est quod si quis noverit diffinite unum eorum, et reliquum nosceret diffinitum.  
 239 X. De dubitationibus quæ sunt circa prædicta.  
 240

## TRACTATUS V.

*De qualitate.*

- 209 CAP. I. Quid sit qualitas, et secun dum quam intentionem

|   |   |   |                    |  |   |
|---|---|---|--------------------|--|---|
| <p>sit unum de decem prædicamentis.</p> <p><b>II.</b> Qualiter qualitas multipliciter dicitur, et de speciebus ejus.</p> <p><b>III.</b> De dubitationibus quæ sunt circa prædicta.</p> <p><b>IV.</b> De alio genere qualitatis quod naturalis potentia vel impotentia dicitur.</p> <p><b>V.</b> De dubitabilibus quæ sunt circa secundum genus qualitatis.</p> <p><b>VI.</b> De tertia specie qualitatis quæ est passio vel passibilis qualitas.</p> <p><b>VII.</b> De dubitabilibus circa tertiam speciem qualitatis.</p> <p><b>VIII.</b> De quarto genere qualitatis quod est forma, vel circa aliquid constans figura.</p> <p><b>IX.</b> De dubitationibus quæ sunt circa quartam speciem qualitatis.</p> <p><b>X.</b> De quali quod dicitur secundum qualitatem.</p> <p><b>XI.</b> De proprio qualitatis quod est suscipere contrarium.</p> <p><b>XII.</b> De secundo proprio qualitatis quod est suscipere magis et minus.</p> <p><b>XIII.</b> De proprio proprio qualitatis quod est secundum eam simile vel dissimile dici.</p> <p><b>XIV.</b> De exclusione erroris qui posset esse circa prædicta.</p> | <p>243</p> <p>245</p> <p>248</p> <p>251</p> <p>252</p> <p>255</p> <p>257</p> <p>259</p> <p>260</p> <p>262</p> <p>264</p> <p>266</p> <p>268</p> <p>269</p> | <p><b>TRACTATUS VII.</b></p> <p><i>De post-prædicamentis.</i></p> | <p><b>CAP.</b></p> | <p>I. Quæ sint et quot tractanda in hoc tractatu.</p> <p>II. De oppositione in communis et generibus oppositorum.</p> <p>III. De relative oppositis.</p> <p>IV. De contrariis, sive de oppositione contrarietatis.</p> <p>V. De privative oppositis.</p> <p>VI. De oppositione secundum contradictionem.</p> <p>VII. De differentia oppositionis secundum privationem et habitum, ab oppositione relationis et contrarietas.</p> <p>VIII. De dubitabilibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt.</p> <p>IX. De differentia contradictionis ad alias oppositiones, et utrum veritas sit ab æterno.</p> <p>X. De contrariis propter bonum et malum, quæ specialemodum habent contrarietatis.</p> <p>XI. De dubitabilibus circa ea quæ dicta sunt de bono et malo.</p> <p>XII. De multiplicitate ejus quod est prius.</p> <p>XIII. De modis ejus quod dicitur simul quod secundum spectat ad doctrinam prædicamentorum.</p> <p>XIV. De post-prædicamento quod est motus.</p> <p>XV. De his quæ motibus sunt opposita.</p> <p>XVI. De habere et de modis ejus.</p> | <p>273</p> <p>274</p> <p>276</p> <p>278</p> <p>280</p> <p>282</p> <p>284</p> <p>286</p> <p>288</p> <p>290</p> <p>292</p> <p>295</p> <p>297</p> <p>298</p> <p>302</p> <p>303</p> |
|---|---|---|--------------------|--|---|

## LIBER SEX PRINCIPIORUM.

|  |   |  |                       |   |                                  |
|--|---|--|-----------------------|---|----------------------------------|
| <p><b>TRACTATUS I.</b></p> <p><i>De forma.</i></p> | <p><b>CAP.</b></p>  | <p>I. De agere et pati.</p> <p>II. De aliis prædicamentis quatuor in communis.</p> | <p>270</p> <p>272</p> | <p>II. De forma quid sit, et qualiter hic agitur de ipsa.</p> <p>III. De dubitatione utrum forma sit variabilis.</p> <p>IV. Quid sit substantiale et per consequens quid accidentale.</p> | <p>307</p> <p>310</p> <p>311</p> |
| <p><b>CAP.</b></p>                                 | <p>I. Quare hic liber dicatur liber sex principiorum.</p> | <p>303</p>   |                       |   |                                  |

## INDEX

- V. De origine formarum, utrum  
sint a natura vel ab opera-  
tione artis. 312
- VI. De formarum prædicabilium  
divisione, et de quibus  
hic intenditur. 315
- VII. De intentione formæ ad in-  
tellectum dictorum. 317

## TRACTATUS II.

*De actione.*

- CAP. I. An actio sit prædicamen-  
tum vel principium. 319
- II. Quid sit actio secundum dif-  
finitionem. 321
- III. De divisione actionis in ac-  
tionem corporis et in ac-  
tionem animæ. 323
- IV. De imagine in speculo ubi  
videtur esse instantia con-  
tra prædicta. 324
- V. De proprio actionis, quod  
est actionem in motu esse  
et motum in actione, et  
qualiter motus sit quale  
et qualitas. 326
- VI. De proprio actionis, quod  
omnis actio efficit passio-  
nem et qualiter generatur. 327
- VII. De propriis communibus  
actionis et passionis. 329

## TRACTATUS III.

*De passione.*

- CAP. I. Quid sit passio secundum  
quod est prædicamentum. 331
- II. De multiplicatione ejus quod  
dicitur passio. 332

## TRACTATUS IV.

*De quando.*

- CAP. I. Quid sit quando secundum  
quod est principium vel  
prædicamentum. 334
- II. De speciebus et differentia-  
bus ejus quod est quando. 336
- III. De differentia inter ubi et  
quando, et qualiter unum  
quando differt ab alio. 338
- IV. De divisione ipsius quando  
comparata ad tempus a  
quo causatur. 339

- V. De propriis quando quæ  
sunt non suscipere magis  
et minus et non habere  
contrarium. 341
- VI. De subjecto ejus quod est  
quando. 342

## TRACTATUS V.

*De ubi.*

- CAP. I. Qualiter ubi sit prædica-  
mentum, et quid sit ubi. 344
- II. De dubitationibus circa in-  
ducta, scilicet quod idem  
corpus simul possit esse  
in diversis locis. 345
- III. De divisione ejus quod est  
ubi, in ubi simplex et  
compositum. 348
- IV. Utrum primum cœlum sit  
in loco, et qualiter diver-  
simode sit in loco. 349
- V. De proprietatibus ubi, quæ  
sunt non suscipere magis  
et minus et non habere  
contrarium. 351

## TRACTATUS VI.

*De positione.*

- CAP. I. Quid sit positio secundum  
quod est prædicamen-  
tum. 353
- II. De his quæ sunt positiones  
veræ, et de his quæ vi-  
dentur et non sunt. 354
- III. De proprio communi posi-  
tionis quod est non su-  
scipere contrarietatem. 355
- IV. De proprio positionis, quod  
est non suscipere magis  
et minus. 357
- V. De proprio proprio posi-  
tionis, quod est substantiæ  
proxime assistere. 357

## TRACTATUS VII.

*De habitu.*

- CAP. I. Quid sit habitus secundum  
quod prædicamentum. 359
- II. De propriis communibus ha-  
bitus, quæ sunt suscipere  
magis et minus, et non  
habere contrarium. 360

## INDEX

817

|  |   |
|--|---|
| <p>III. De proprio proprio habitus,<br/>quod est semper in pluribus esse. 362</p> <p>IV. De modis quibus dicitur habere. 363</p> <p style="text-align: center;">TRACTATUS VIII.</p> <p><i>De magis et minus.</i></p> <p>CAP. I. De opinionibus Antiquorum de eo quod est magis et minus. 365</p> | <p>II. De causa intensionis et remissionis. 367</p> <p>III. De causa quare quædam non comparantur secundum magis et minus. 369</p> <p>IV. De distinctione generationis ab alteratione per quam intensio et remissio fit. 370</p> <p>V. De causa quæ movit auctorem hujus libri et de formis assistentibus ac in hærentibus. 371</p> |
|--|---|

## LIBER I PERIHERMENIAS.

|  |   |
|--|---|
| <p style="text-align: center;">TRACTATUS I.</p> <p><i>De his quæ præmitti debent ad librum.</i></p> <p>CAP. I. In quo ordine est inter libros logicos. 373</p> <p>II. De modo scientiæ et fine. 376</p> <p>III. De parte proœmiali. 378</p> <p style="text-align: center;">TRACTATUS II.</p> <p><i>De investigatione principiorum communium differentium partes enuntiationis, et de nomine, et verbo, et oratione.</i></p> <p>CAP. I. De diffinientibus principium enuntiationis. 380</p> <p>II. De voce incomplexa, quæ nec verum nec falsum significat. 382</p> <p>III. De dubitabilibus quæ sunt circa ea quæ dicta sunt. 385</p> <p>IV. De diffinitione nominis et ejus declaratione. 388</p> <p>V. Quid sit nomen infinitum, et quare non est nomen apud logicum. 391</p> <p>VI. De casu nominis. 398</p> <p style="text-align: center;">TRACTATUS III.</p> <p><i>De verbo.</i></p> <p>CAP. I. Qualiter verbum est de consideratione logica. 400</p> <p>II. Quid (per diffinitionem logicalam) sit verbum. 401</p> | <p>III. Quia verba secundum se dicta nomina sunt. 404</p> <p style="text-align: center;">TRACTATUS IV.</p> <p><i>De enuntiatione.</i></p> <p>CAP. I. De diffinitione orationis quæ est genus enuntiationis. 406</p> <p>II. De diffinitione enuntiationis in speciebus ejus. 408</p> <p style="text-align: center;">TRACTATUS V.</p> <p><i>De passione partium enuntiationis, quæ est oppositio.</i></p> <p>CAP. I. Quod omni affirmationi negatio est opposita, et e converso. 411</p> <p>II. De legibus et consequentiis dictarum oppositionum. 413</p> <p>III. Utrum semper altera contradictiarum determinate est vera. 416</p> <p>IV. Utrum in singularibus contingentibus de futuro sit determinata veritas. 418</p> <p>V. De inconvenientibus quæ sequuntur ex parte eorum quorum nos causam sumus. 420</p> <p>VI. De determinatione dubitationis inductæ. 421</p> <p>VII. De solutione dubitabilium quæ sunt circa prædicta. 422</p> |
|--|---|

## LIBER II PERIHERMENIAS.

## TRACTATUS I.

*De consequentiis enuntiationum de inesse.*

|      |   |     |
|------|---|-----|
| CAP. | I. Qualiter sumendæ sunt enuntiationes de inesse, inter quas est consequentia, quæ sunt unæ, et in quibus <i>est</i> secundum est adjacens. | 426 |
|      | II. De multiplicatione et consequentia enuntiationum in quibus <i>est</i> tertium est adjacens.   | 428 |
|      | III. De his enuntiationibus in quibus hoc verbum, <i>est</i> non ponitur, sed aliud.  | 431 |
|      | IV. De remotione errorum qui possunt esse circa ea quæ dicta sunt.  | 432 |
|      | V. De consequentia enuntiationum in quibus plura de uno, vel unum de pluribus dicitur.  | 434 |

## TRACTATUS II.

*De consequentia modalium.*

|      |   |     |
|------|---|-----|
| CAP. | I. Quæ sint modales enuntiationes.  | 440 |
|      | II. Qualiter sumenda sit oppositio modalium.                                  | 442 |
|      | III. De consequentiis modalium secundum opinionem Antiquorum.                 | 445 |
|      | IV. Corrigitur error Antiquorum, et ostenditur vera consequentia modalium.    | 447 |
|      | V. Solvitur dubitatio de consequentia possibilis ad necesse esse.             | 448 |
|      | VI. De distinctione possibilis, et de differentia possibilis et contingentis. | 451 |
|      | VII. Qualiter est oppositio contrarietas et contradictionis.                  | 453 |

## LIBER I PRIORUM ANALYTICORUM.

## TRACTATUS I.

*De his quæ præmittenda sunt ad artem.*

|      |  |     |
|------|--|-----|
| CAP. | I. De subjecto et modo et nomine libri.  | 459 |
|      | II. De his de quibus est intentio hujus scientiæ.  | 460 |
|      | III. Quid est propositio.  | 461 |
|      | IV. Quid est terminus.   | 463 |
|      | V. De syllogismo quid sit secundum diffinitionem.  | 463 |
|      | VI. Quis syllogismus est perfectus, et quis imperfectus.   | 467 |
|      | VII. De in toto esse, et de omni, et de nullo prædicari, quæ sunt syllogismorum perfectorum principia. | 468 |

|       |   |     |
|-------|---|-----|
| VIII. | Qualiter conversio principium est imperfecti syllogismi, et quid sit conversio. | 469 |
| IX.   | De conversione propositionum secundum terminos.                                 | 472 |
| X.    | De solutione instantiarum quæ videntur esse contra inductas conversiones.       | 473 |
| XI.   | De conversione propositionum de necessario.                                     | 474 |
| XII.  | De distinctione modorum quibus accipitur contingens.                            | 476 |
| XIII. | De conversione propositionum affirmativarum de contingenti.                     | 477 |

|  |     |   |
|--|-----|---|
| XIV. De conversione negativarum de contingentia.   | 480 | TRACTATUS III.  |
| XV. De remotione erroris qui posset incidere.  | 483 | <i>De generatione syllogismorum qui sunt ex propositionibus modalibus de necessario et contingentia.</i>  |
| TRACTATUS II.  |     |   |
| <i>De generatione syllogismorum in figura.</i>   |     |   |
| CAP. I. De modo procedendi in hac materia.   | 486 | CAP. I. De cognitione syllogismorum de modo necessitatis.   |
| II. De formatione syllogismorum universalium, et utilium conjugationum primæ figuræ, et quid sit figura, et quid sit figura prima. | 487 | II. De quaestione utrum quartus secundæ et quintus tertiae possint perfici per impossibile.   |
| III. De inutilibus et universalibus conjugationibus primæ figuræ.  | 490 | III. De mixtione necessarii et inesse in primæ figuræ particularibus syllogismis.   |
| IV. De formatione syllogismorum particulariter concludentium in prima figura secundum utiles conjugationes et inutiles.            | 491 | IV. De mixtione necessarii et inesse in primæ figuræ particularibus syllogismis.  |
| V. De perfectionibus figuræ primæ.   | 493 | V. De mixtione necessarii et inesse in secundæ figuræ universalibus syllogismis.  |
| VI. De proprietatibus secundæ figuræ.  | 494 | VI. De solutione eorum quæ vindicantur esse contra prædicta.  |
| VII. De formatione syllogismorum universalium secundæ figuræ, sive utilium, sive inutilium conjugationum.                          | 497 | VII. De formatione particularium syllogismorum mixtionis necessarii et inesse in secunda figura.  |
| VIII. De formatione syllogismorum particularium secundæ figuræ secundum utiles et inutiles conjugationes.                          | 498 | VIII. De mixtione necessarii et inesse in tertia figura in universalibus syllogismis.   |
| IX. De corollariis quæ habentur ex præinductis.  | 501 | IX. De mixtione necessarii et inesse in particularibus syllogismis tertiae figuræ.  |
| X. De proprietatibus tertiae figuræ.   | 502 | TRACTATUS IV.   |
| XI. De formatione syllogismorum universalium tertiae figuræ utilium et inutilium conjugationum.                                    | 503 | <i>De generatione syllogismorum de contingentia uniformi et mixta.</i>  |
| XII. De formatione particularium syllogismorum tertiae figuræ utilium et inutilium.  | 507 | CAP. I. De principiis generationis syllogismorum de contingentia.   |
| XIII. De epilogo dictorum, et de formatione duorum syllogismorum indirecte concludentium.  | 510 | II. De dici de omni et dici de nullo in propositionibus de contingentia, et de universalibus syllogismis de contingentia secundum utiles conjugationes. |
| XIV. De præmissis quæ dicta sunt de syllogismorum reductione.  | 512 | III. De formatione particularium syllogismorum de contingentia.   |
|  |     | IV. De solutione dubiorum quæ sunt circa istam genera-  |

## INDEX

|  |     |   |     |
|--|-----|---|-----|
| V. De mixtione contingentis et inesse in primæ figuræ modis universalibus.   | 545 | XX. De mixtione contingentis et inesse in secunda figura.   | 583 |
| VI. De his quæ antecedere debent conjugationes modorum imperfectorum.  | 547 | XXI. De formatione particularium syllogismorum mixtionis contingentis et inesse in secunda figura.  | 586 |
| VII. De conjugationibus universalium syllogismorum imperfectis, et de perfectione earum.   | 549 | XXII. De principio quo regulatur mixtio contingentis et necessarii in secunda figura, et formatione utilium conjugationum ad universales hujus mixtionis syllogismos. | 587 |
| VIII. De conjugationibus imperfectis universalium negativorum syllogismorum.   | 551 | XXIII. De inutilibus conjugationibus hujus mixtionis sumptis circa universales syllogismos secundæ figuræ.  | 589 |
| IX. An conclusio de inesse sequi possit ex conjugationibus syllogismorum imperfectorum.  | 554 | XXIV. De particularibus syllogismis mixtionis necessarii et contingentis in secunda figura.   | 594 |
| X. Quid sit inesse simpliciter.  | 556 | XXV. De uniformi generatione syllogismorum de contingentis in tertia figura.  | 596 |
| XI. Qualiter isti modi imperfecti inferunt conclusio nem de contingentи pro possibili.   | 558 | XXVI. De mixtione contingentis et inesse in tertia figura.  | 599 |
| XII. De formatione particularium syllogismorum perfectorum et imperfectorum conjugationum utilium et inutilium mixtionis et contingentis et inesse.              | 559 | XXVII. De mixtione necessarii et contingentis in tertia figura ad syllogismos universales.  | 603 |
| XIII. De regulis mixtionis necessarii et contingentis in prima figura, et de conjugationibus utilibus et inutilibus universalium syllogismorum istius mixtionis. | 561 | XXVIII. De mixtione necessarii et contingentis in tertia figura ad syllogismos particulares.  | 605 |
| XIV. De solutione dubiorum quæ sunt circa conjugationes perfectorum syllogismorum istius mixtionis.  | 563 | XXIX. Breviter harum mixtionum colligitur utilitas.   | 607 |
| XV. De solutione dubitationum quæ sunt circa conjugationes imperfectas istius mixtionis.   | 566 | TRACTATUS V.  |     |
| XVI. De consequentia conjugationum imperfectarum in quibus major est affirmativa de necessario.  | 568 | <i>De sufficientia figurarum trium habitarum.</i>   |     |
| XVII. De formatione particularium syllogismorum in prima figura mixtionis necessarii et contingentis.  | 571 | CAP. I. Quod omnis syllogismus est secundum aliquam trium figurarum.  | 609 |
| XVIII. Quia non potest esse generatio uniformis de contingentи in secunda figura.  | 573 | II. In quo declaratur quod syllogismus ex hypothesi sit in aliqua trium figurarum.  | 612 |
| XIX. Quare ex utraque de contingentи non fit syllogismus in secunda figura.  | 577 | III. Quod nullus esse potest syllogismus ad propositum sine universalis propositione quæ principium est syllogismi quantum ad modum.                                  | 613 |
|  | 581 | IV. Probatur quod nullus unus syllogismus habet plus quam tres terminos.  | 617 |
|  |     | V. De numero propositionum in syllogismo et simplici-   |     |

|  |     |  |     |
|--|-----|--|-----|
| ter uno et non simpliciter<br>uno : et qualiter se habet<br>numerus propositionum<br>ad numerum terminorum<br>et conclusionum.   | 620 | III. De resolutione propositionis<br>non syllogizatæ ad formam<br>syllogisticam per termino-<br>rum considerationem.   | 633 |
| VI. De propositionibus quæ fa-<br>ciliter, et de his quæ dif-<br>ficulter probantur.   | 623 | IV. De errore qui accidit circa<br>resolutionem duarum pro-<br>positionum in tres termi-<br>nos ex prava expositione<br>vel sumptione terminorum<br>secundum abstractum et<br>concretum. | 638 |
| <b>TRACTATUS VI.</b>   |     |  |     |
| <i>De medii inventione.</i>  |     |  |     |
| CAP. I. Ad quæ inspiciendum sit ad<br>medii inventionem.   | 626 | V. De errore qui accidit in re-<br>ductione propositionum<br>in terminos, ex hoc quod<br>quæruntur semper termini<br>incomplexi sive simpli-<br>ces.                                     | 660 |
| II. Qualia et quomodo se ha-<br>bentia principia sunt eli-<br>genda ad quodlibet pro-<br>positum quoad mediorum<br>inventionem.  | 631 | VI. De errore qui provenit ex<br>hoc quod termini sumun-<br>tar secundum obliquita-<br>tem aliquujus casus.  | 661 |
| III. De descriptione figuræ ad<br>hæc quæ dicta sunt.  | 634 | VII. De errore sive difficultate<br>resolutionis propositionis<br>in terminos propter redu-<br>plicationem.  | 664 |
| IV. Quod hæc ars sufficiat ad<br>omne problema conclu-<br>dendum.  | 637 | VIII. De reductione proposicio-<br>num in terminos ubi est<br>reduplicatio minoris ex-<br>tremitatis.  | 666 |
| V. Quod ars inducta sufficiens<br>est in syllogismis ex hy-<br>pothesi qui sunt ad impos-<br>sibile, et in aliis qui sunt<br>ex hypothesi.                                     | 641 | IX. Qualiter facilis sit resolutio<br>propositionum in termi-<br>nos.  | 668 |
| VI. Quod idem est quoad medii<br>inspectionem in syllogis-<br>mis ex transumptione, et in<br>his qui sunt ex propostio-<br>nibus modalibus, et quod<br>generalis est ars ista. | 644 | X. De difficultate resolutionis<br>quæ provenit ex universali<br>signo addito vel non ad-<br>dito ad subjectum primæ<br>propositionis.   | 669 |
| VII. Quod in communi jam ars<br>est habita, circa propria<br>autem in singulis scientiis<br>adaptanda.   | 646 | XI. Qualiter fiat vel sit facta<br>propositionis per terminos<br>expositio.  | 671 |
| VIII. Quod ars quam quidam ex<br>divisione ponebant ad me-<br>dii inventionem non suf-<br>ficiat.  | 647 | XII. Qualiter aliquando est im-<br>pedimentum ex hoc quod<br>ea quæ in uno syllogismo<br>posita sunt, in diversis<br>figuris concluduntur.   | 671 |
| IX. De exclusione quorumdam<br>dubiorum circa ea quæ<br>dicta sunt.  | 650 | XIII. De impedimento quod fit<br>ex diffinitione.  | 672 |
| <b>TRACTATUS VII.</b>  |     |  |     |
| <i>De syllogismorum reductione.</i>  |     |  |     |
| CAP. I. Quibus de causis tractandum<br>est de reductione, et quot<br>modis fit reductio, et de<br>ordine reductionum.  | 652 | XIV. Quod syllogismi ex hypo-<br>si sic in terminos reduci<br>non possunt.   | 672 |
| II. De reductione orationis in<br>syllogismum per inspe-<br>ctionem propositionum.   | 653 | <b>TRACTATUS VIII.</b>   |     |
| <i>De reductione orationis syllogizatæ in una figura<br/>in aliam figuram.</i>   |     |  |     |
| CAP. I. De reductione primæ figuræ<br>in secundam, et e con-<br>verso.   |     |  | 673 |

## INDEX

|   |     |   |     |
|---|-----|---|-----|
| II. De reductione syllogismorum particularium primæ figuræ in tertiam, et e converso.                                 | 677 | II. De consequentiis propositionum affirmativæ de prædicato infinito, et negativæ de prædicato finito ad invicem. | 681 |
| III. De reductione secundæ in tertiam, et e converso.   | 678 | III. De consequentis ex habitudine antecedentis et consequentis convertibilium causatis.                          | 685 |
| TRACTATUS IX.   |     |   |     |
| <i>De exclusione erroris dicentium negativam de prædicato finito idem esse cum affirmativa de prædicato infinito.</i> |     |   |     |
| CAP. I. De differentia earum ad invicem.  | 680 |   |     |

## LIBER II PRIORUM ANALYTICORUM

*De potestate syllogismi generati.*

|  |     |  |     |
|--|-----|--|-----|
| TRACTATUS I.   |     |  |     |
| <i>De potestate syllogismi penes propositiones accepta.</i>  |     |  |     |
| CAP. I. De potestate accepta penes formam præmissarum.   | 689 | IX. De probatione quod verum non sequitur ex falso, nisi quia et non propter quid.   | 712 |
| II. De solutione dubitationum et diversitate opinionum quæ sunt circa potestatem quæ inducta est.            | 693 |  |     |
| III. De potestate quomodo secundum materiam ex falso verum est syllogizare.                                  | 696 | TRACTATUS II.  |     |
| IV. Qualiter syllogismi universales primæ figuræ fiunt ex falsis, et quod ex vero non sequitur falsum.       | 698 | <i>De syllogismo circulari.</i>  |     |
| V. Qualiter in particularibus syllogismis primæ figuræ contingit verum ex falso syllogizare.                 | 703 | CAP. I. Cujus sit potestatis, et an syllogismus, et ad quem usum, et quid sit per definitionem syllogismus circularis.   | 714 |
| VI. Qualiter verum sequitur ex falso in secunda figura in universalibus syllogismis.                         | 703 | II. Qualiter fit circularis syllogismus in prima figura universalis affirmativus et universalis negativus, et qualiter particularis affirmativus et negativus. | 716 |
| VII. Qualiter verum sequitur ex falso in secundæ figuræ particularibus syllogismis.                          | 707 | III. Qualiter circulus fit in secunda figura.  | 721 |
| VIII. Qualiter syllogizatur verum ex falso in syllogismis tertiae figuræ et universalibus et particularibus. | 708 | IV. Qualiter in tertia figura fit circularis ostensio.   | 723 |
|  |     | V. Qualiter fit circulus in quilibet figura determinatur in communi.   | 725 |
| TRACTATUS III.   |     |  |     |
| <i>De conversivo syllogismo.</i>   |     |  |     |
| CAP. I. Quid sit convertere et conversivus logismus.   | 728 |  |     |

## INDEX

823

|      |   |     |   |     |
|------|---|-----|---|-----|
| II.  | Qualiter fit conversivus syllogismus in modis universalibus primæ figuræ tam contrarium quam contradictorium conclusionis accipiendo.               | 729 | figura non fit syllogismus ex oppositis.  | 758 |
| III. | De conversivis syllogismis particularibus primæ figuræ.   | 731 | II. Qualiter fit syllogismus ex oppositis in secunda figura.  | 761 |
| IV.  | De secundæ figuræ conversivis syllogismis tam particularibus quam universalibus.  | 732 | III. Qualiter fit syllogismus ex oppositis in tertia figura.  | 762 |
| V.   | De conversivis syllogismis in tertia figura tam universalibus quam particularibus, et tam affirmativis quam negativis.                              | 734 |   |     |
|      | TRACTATUS IV.   |     | TRACTATUS VI.   |     |
|      | <i>De syllogismo per impossibile.</i>   |     | <i>De peccato contra syllogismum circularem, quod est principii petitio.</i>  |     |
| CAP. | I. Quid syllogismus per impossibile, et in quo differat, et in quo conveniat cum syllogismo conversivo.   | 739 | CAP. I. Quid sit diffinitive petitio ejus quod est in principio, et quot modis fiat.  | 765 |
|      | II. Qualiter fit syllogismus per impossibile: et quod universalis affirmativa per impossibile non probatur in prima figura.                         | 741 | II. De exclusione duorum quæ sunt circa petitionem principii.   | 769 |
|      | III. Qualiter per impossibile aliæ ab universali affirmativa demonstrantur in prima figura.   | 744 | III. De modis ejus quod est non propter hoc accidere falsum.  | 770 |
|      | IV. Quid et qualiter ostenditur per impossibile in secunda figura.  | 748 | IV. De solutione objectionis sophisticae, quæ est contra præinducta.  | 773 |
|      | V. Qualiter fit syllogismus per impossibile in tertia figura.   | 750 | V. De remotione erroris qui potest esse circa hoc quod dictum est quod falsum accidit propter hypothesim.   | 774 |
|      | VI. De differentia syllogismi per impossibile et ostensivi, et de convenientia eorumdem.  | 752 | VI. De cautela respondentis, qualiter caveat ne propter suam hypotheses videatur sequi falsum, et qualiter opponenti cendum est contra respondentem.                          | 775 |
|      | VII. De ostensione eorum quæ dicta sunt per formatiōnem syllogismorum.  | 754 | VII. Quod habito ex quibus syllogismus, habetur ex quibus fit elenchus, et qualiter differunt elenchus et syllogismus.  | 776 |
|      | TRACTATUS V.  |     | VIII. De peccato contrariæ deceptionis quod est circa syllogismum ex oppositis.   | 777 |
|      | <i>De syllogismo ex oppositis, qui est syllogismus ex incompossibilibus cum omnes præhabiti syllogismi sint ex propositionibus compōssibilibus.</i> |     | IX. Quod dicitur scire tripliciter, quod adducitur ad intellectum eorum quæ determinata, in quo etiam de aliis dubitabilibus ad intellectum dictorum scientibus determinatur. | 781 |
| CAP. | I. Quot sunt genera oppositionum, et quod in prima  |     | X. De opinione et ignorantia eorum quæ sunt secundum materiam opposita per accidens.  | 784 |

## INDEX

|  |   |     |
|--|---|-----|
| TRACTATUS VII.   |   |     |
| <i>De reductione aliarum argumentationum in syllogismum.</i> |   |     |
| CAP.   | I. De conversione medi cum extremis, et conversione extremorum ad medium.             | 786 |
|  | II. De secunda regula sive consequentia, et tertia, et quarta, et quinta.             | 789 |
|  | III. De sexta regula docente consequentiam eligendorum.                               | 791 |
|  | IV. De reductione inductionis in syllogismum.   | 793 |
| V.   | De exemplo, quid sit et qualiter se habeat ad syllogismum et inductionem.             | 795 |
| VI.  | De deductione, quid et quot modis fiat.   | 797 |
| VI.  | De instantia sive instantivo syllogismo, quid sit et per quas fiat figurae.           | 799 |
| VIII.  | De icote et signo ex quibus fit enthymema.  | 802 |
| IX.  | De enthymemate, quid sit, et quibus modis fiat, et qualiter ad syllogismum reducitur. | 803 |
| X.   | De inventione signi quod est loco medi in enthymemate.                                | 806 |